

Google

2.2.201

2 O 2.

Digitized by Google

Digitized by Google

# DECISIONES

## S. ROTAE ROMANAE

# CORAM

# R. P. D. COSMA DE CURSIIS

FLORENTINO

EJUSDEM S. ROTAE OLIM DECANO

**MODO S. R. E. CARDINALI EMERITISSIMO**

E TITULO SS. JOANNIS ET PAULI


**AC PISIS ARCHIEPISCOPO**

ARGUMENTIS, SUMMARIIS ET INDICE LOCUPLETISSIMO EXORNATAE

**CURA ET STUDIO**

**ALEXANDRI ADVOCATI CAVALLINI.**

TOMUS QUARTUS



ROMAE MDCCCLV.

EX TYPOGRAPHIA CAJETANI CHIASSI

*SUPERIORUM PERMISSU*



Digitized by Google

Digitized by Google

# VELITERNA SEU TERRACINEN

## JURIS PASCENDI

## SUPER SOLUTIONE FIDEA

*Veneris* 22. *Aprilis* 1831.

## ARGUMENTUM

Fida solvenda est domino fundi, in ea quantitate, quam ipse vult. Suarum enim rerum unusquisque est moderator et arbiter nec potest sub praetexto solutionis factae per diuturnum tempus in certa quantitate augmenti solutionem recusari.

### SUMMARIUM

1. *Qui jus pascendi non habet tenetur solvere fidam cum augmento ritu judiciario ei indicto.* - Et num. 2. -
3. *Quando Rescriptum Rotale sit* - In decisis - *sine clausulo* - juxta modum - *tunc remjudicatam servare voluisse integram Sacer Ordo demonstrat.*
4. *Res judicata quae liberos fundos renunciat absque ullo onere, et servitute juris pascendi, jus etiam domino tribuit immutandi, et augendi fidas suo lubitu.*
5. *Locatio nullum jus dat conductoribus, ut dominus finito contractu non possit pensionem augere etiamsi fuerit ad longum tempus facta.*
6. *Possessor fideicommissi non potest servitutes aut onera imponere.*

   *Successor in fideicommisso non tenetur respectare onera nullo jure a suo antecessori imposita* - *ibid.* - Et num. 8. -
7. *Auctoritas Card. De Luca super augmento fidae non facienda, habet locum certis in casibus et in certis circumstantiis designatis.*
9. *Quando in judicio petitorio quis damnatus fuerit ad solutionem, id omne praestandum est, quod a die motae litis praestari debuisset.*

## DECISIO CCCCXIII.

Sæculo exeunte *decimo tertio* Petrus Casertarum Comes, e nobilissima Familia Cajetana, universorum acquisivit Nymphanum Territorium, in quo amplissimum comprehenditur Latifundium = *Piscinara* = partim ab Annibal densibus; partim a populo Nymphano; partim etiam a Fisco Pontificio, ingenti soluto pretio florenorum *biscentum viginti millium*, præter cessionem plurium fundorum, quos in Agro Urbevetano possidebat. Venit postea sæculo *decimo quinto* in plenum ejusdem Cajetanæ Gentis dominium, ex pluribus emptionibus, *Castri diruti Cisternæ* Territorium, Nimphano finitimum, eoque longe angustias, ideoque pretio tanto florenorum *viginti millium*. Adnexa deinceps hæc Territoria fuere per Bullas Pontificum Alexandri VI, et Julii II, Ducatui Sulmonis, seu = *Sermoneta* = ad eosdem Cajetanos spectanti; ac denique omnia hæc Cajetanorum bona perpetuo fuerunt agnatitio fideicommisso subjecta, cum ordine primogeniali, favore descendentium ab ea Gente; id particulariter probante Chirographo Pontificis Gregorii XV sub anno 1621, vetita vocatis quacumque eorum bonorum alienatione, ac quacumque super iis hypothecæ, et cujusvis operis impositione, ita ut = *ne persona aliqua, Universitas, Collegium, Loca pia, seu alia quantumvis privilegiata, aliquod jus, ullamque actionem super dictis bonis ullo unquam tempore acquirere, minusque exercere possint* =. Hinc semper de prædictis bonis, quoad eorum reditus, libere Cajetani disposuere, ut innumeri probant contractus, præsertim respicientes Latifundium *Piscinariæ*, ad quod hæc spectat Causa, super eorum satione, animalium pascuis in eis sumendis, silvarumque in eis existentium cæsione.

Et sane, etsi Nymphanum Oppidum fuerit interea temporis funditus excisum, ob bellicas vicissitudines, Castrum vero Cisternæ, antea dirutum, reædificari incæperit circa dimidium sæculi *decimi sexti*, ac dein frequens, uti hodie conspicitur, factum fuerit incolis, quos Cajetani in coloniam receperunt, traditis eis in emphyteusim, aliquibus agris ad colendum vineas, oliveta, ac hortos, et quatuor latifundiis = *Circiabella, Femina morta Colli, e Cuparo* = ad serendas fruges cum modico onere annuæ frumentariæ pensionis, ac eis etiam liberaliter concesso *gratuito* pascuo in duobus aliis Latifundiis = *Pantano, et Pianarosso* = pro bobus aratoriis; et certo vaccarum numero, eorumque vitulis, ad demortua capita renovanda, nunquam



Digitized by Google

Cisternensibus permissum fuit bovillum, equinum, aliusque generis pecus, negociationis intuitu, gratis pascere, in fundis Cajetanæ Gentis; sed pro iis animalibus *fidam* cum eorum fundorum dominis vel conductoribus, conventam semper solverunt, præsertim quoad Latifundium = *Piscinara* =, maximum contigui territorii Nymphani portionem constituens, ac agris, pascuis, et saltibus ita abundans, ut ad illud præcipue Cisternenses, vel exteri negociatores accederent pro animalium pastu, mercede soluta.

Delirium saperet hæc omnia in dubium adducere, cum perpensa, firmataque fuerint concorditer *octo* Decisionibus, a mense Junii anni 1735 ad mensem Junii superioris anni 1830 editis in sæculari pertinacissima lite *Veliterna, seu Terracinen. Juris Pascendi* inter Cajetanos Duces, ac Cisternenses, eorumque Litis Consortes, in qua binæ pro Cajetanis prodiere absolutissimæ, et revisioni haud amplius obnoxiæ resjudicatæ, quibus constitutum fuit, Cajetanum Ducem = *possessorem bonorum subjectorum primogenituræ, et fideicommissis ejus Domus manutenendum, et conservandam fore, et esse in possessione totalis libertatis usus dictæ Tenutæ, seu Dohanæ = di Piscinarà =, etiam in agris vulgo, = larghi =, tam quoad exactionem fidarum a quibusvis animalibus, etiam Cisternensium vassallorum ibidem depascentibus, quam quoad alium usum dictæ Tenutae* =; et quarum consectarium esse debuisse judicium hodie in hac Causa latum Patres apertissime declararunt; cum agatur de jure Ducis Cajetani exigendi a Cisternensibus, litisque consortibus fidam sibi benevisam pro pastu animalium in Latifundio *Piscinariae*, quo super dominio nullis finibus circumscripto ipsum pollere fuit firmissime statutum.

Hic vero iterum in facto referenda breviter sunt ea, quæ ad præsentem pertinent controversiam, eique causam dederunt. Post ortam scilicet ab anno usque 1765 primam remjudicatam favore Cajetanæ Gentis super ejus jure exigendi fidam etiam a Cisternensibus pro animalium pastu in Latifundio *Piscinariae*, eam ipsi ad conventionum tramites ulla absque contradictione persolverunt. Cum autem anno 1781. Dux Franciscus Cajetanus, quam maxime in re sua familiari procuranda oscitans in locatione plurium fundorum, quos inter Latifundium *Piscinariae*, cum Antonio Tartaglionio inita, pactum inseruisset = *In quanto ai Cisternesi debbano pagare bajocchi trenta per ciascuna bestia grossa l'anno, escano, o nò nelli larghi della Dogana* =, nempe Piscinariæ, = *eccettuato però il tempo della solita riserva* =; idemque pactum repetiisset in duobus similibus locationibus, prima sub anno 1788 cum Pamphylo De Petro, altera sub anno 1809 cum Aloysio Palmerio, Cisternensium animalia, quæ post primam prædictam remjudicatam in pascuis Piscinariæ vix adscendebant ad capita *millia*, post eas locationes excreverunt ad capita usque *quatuor millia*, ita ut illud *Piscinariae* Latifundium rubrorum 6576, et in Censu publico æstimatum scutis 220923 75 ideoque ex vero æstimandum plusquam scutis *quatuorcentum millibus*, nunc pascuis pro tenuissima fide absortum vix de fructuum annuum scutorum *mille*. Defuncto vero prædicto Duce Francisco, ejus successor Dux Henricus damnum adeo ingens ferre noluit. Quare, ad exitum perventa anno 1818 locatione cum Palmerio superius relata, ne immani ipsius jactura Cisternenses negociatores locupletarentur, præsertim post maxime adauctum Fiscalium intributionum onus, eis nunciavit judicialiter die 4 Novembris illius anni, sese esse in posterum exacturum pro animalium pastu in Latifundio *Piscinariae* fidam scuti *unius*, et obolorum *quindecim* in singula capita animalium majorum, longe mitiorem illa, quæ persolvitur pro pascuis in proximis agris Latifundiorum = *Campomorto*, *Conca* =, ac *Neptunensis* Territorii.

Tum Cistercenses, jactantes sese esse = *nel quieto, e pacifico possesso da tempo immemorabile di fidare i suoi bestiami alla publica Dogana di Piscinara, pagando annui bajocchi trenta per fida*

*per ciascun capo grosso di bestiame* =, petierunt apud Assessorem A. C. in hac asserta possessione manutentionem et petitioni consonam obtinuere, sub die 2 Augusti 1819, sententiam, cum ageretur in *possessorio* judicio, in quo summarie procedendum erat, ulla absque tituli indagine, et in quo satis erat probatio annalis possessionis juxta praescriptum Motus Proprii S. M. Pii VII, seu Codicis Praxeos diei 22 Novembris 1817 praesertim sub Artic. 123, et 125. Res vero eis aliter cessit in *petitorio* judicio a Cajetano Duce instituto coram Tribunali Collegiali A. C., tunc vigente; hoc namque Tribunal die 18 Augusti anni 1820 praedictae inhaerens reijudicatae constituenti = *che la detta Tenuta* = *Piscinariae* = *è libera affatto da ogni servitù, e che la detta Eccma Casa Caetani ha la piena facoltà di disporre liberamente* = ex quo = *discende per necessaria conseguenza, che, conforme potrebbe l' odierno Sig. Duca D. Enrico Attore non tenerla più ad uso di pascoli, o affidarvi l'altrui bestiame, così poteva, e può anche aumentare la fida a suo arbitrio* =, consultissimam protulit Sententiam qua statuit = *che all'Attore Duca Caetani compete la piena, e libera facoltà di aumentare a suo arbitrio, riguardo anche ai Cisternesi possessori di bestiami la fida, o sia prezzo dei pascoli della sua Tenuta di Piscinara, libera, ed esente da ogni servitù, e che per conseguenza i rei convenuti dal giorno 1 Ottobre 1818, in conformità della protesta ad essi intimata li 4 Novembre dello stesso anno, sono tenuti, ed obligati di pagare all'Attore la fida al saggio di scudo uno, e bajocchi quindici per ogni bestia grossa* =.

Provocarunt ad S. N. Ordinem ab hac Sententia Cisternenses; atque ut reijudicatae insuperabilem obicem removerent, a Signaturae Tribunali ad trutinam apud eumdem S. N. Ordinem eam revocari obtinuerunt per rescriptum = *De Causis sine praejudicio reijudicatae* =. Bina itaque sub die 6 Julii 1821 proposita e me fuere Patribus Dubia: *alterum* super rejudicata: *alterum* super solutione fidae, ita conceptum *An constet de facultate Ducis Cajetani exigendi fidam sibi benevisam in Latifundio Piscinara, et in qua summa constet de credito quoad fidas decursas, itaut sit relaxandum mandatum in casu etc.* Dilata tunc vero resolutione Causae quoad remjudicatam, et praescripta super ea relatione Periti Curialis, rescriptum quoad hanc consectariam pernecesse prodiit = *Dilata usque ad exitum alterius causae super restitutione in integrum* =. Hodie itaque, post absolutissimam reijudicatae confirmationem, iterum rogati a me Patres de solutione fidae sub eodem superius relato Dubio, illico responderunt = *Affirmative in omnibus, et mandatum esse relaxandum in summa liquidanda* =.

Causam siquidem conficit res judicata ex binis orta sententiis, quarum 1
primam anno 1762 edidit *Paraccianus tribus* S. N. Auditorii Decisionibus innixam, uni *coram Nunez* duabus *coram eodem Paracciano*, alteram anno 1765 obsignavit Manuellius post duas ab ipso vulgatas Decisionibus, ac deinceps confirmatam tribus Decisionibus a me editis, petitam a Cisternensibus restitutionem in integrum reiicientibus, eisque consono Decreto superiori anno a me lato. Si namque ex ea rejudicata dubitari nequit de existentia penes Cajetanos = *totalis libertatis usus Tenutae seu Dohane* = *Pescinara* = *etiam in agris vulgo larghi, tam quoad exactionem fidarum a quibuscumque animalibus etiam Cisternensium Vassallorum, ibidem depascentibus, quam quoad alium usum dictae Tenutae* =, plane consequitur jus esse Cajetano Duci Piscinariae, Latifundium vel ad arbitrium colendi, vel illud locandi. ullo absque onere servitutis, atque iia a Cisternensibus, nullum jus ad pascua in eo existentia habentibus fidem pro eorum animalibus, quae ibi pastum admittere ei placeat, ad libitum exigendi, et ideo ipsi licuisse, ineunte Novembri anni 1818, eis indicere judiciario ritu auctionem fidae ad rationem usque scuti *unius*, et obolorum *quindecim* in singula capita animalium majora, uti eam alii omnes, qui Piscaris pascuis utuntur, libentis-

Digitized by Google

aime solvunt; ac prætarea eosdem Cisternenses cogendos esse ad hoc fidæ augmentum præstandum a die prædictæ judicialis obstentationis, sicuti justitia duce, constitutum fuit Sententia nunc abrogati, Tribunalis Collegialis A. C. Quin novum id videri dabeat. Idem enim in simili causa accidit Velitrensibus, qui cum tenuem fidam pro acimalibus pastum immissis Latifundium. Ariani solvebant, eamque augeri possa negabant assertam portendentes activam in id servitutem, rejecta per remjudicatam asserta hac servitute, damneti fuerunt a S. Nostro Auditorio ad ampliorem solvandam fidam, uti ab exteris soluta fuerat, ac solvabatur, a die judicialis interpellationis, teste decisione in *Veliterna Fidae super exequtione Manus Regiae* 13 *Junii* 1781 *præsertim* § 2 *coram Litta*; ac par extat exemplum quoad fidam pro pascuis Latifundii *Pomptini* in Causa acta inter Terracinenses; et Principem Gabriellium, uti constat e Decisiones; *in Terracinen. Juris pascendi super Fidis* 16 *Junii* 1788, *praecipue sub* § 3 *cor. Soderino.*

2 Quæ quidem exempla momentosissima adversus Cisternenses sunt. Velitrenses enim, et Terracinenses agebant de pascuis in agris existentibus in proprio territorio Cisternenses vero agunt de pascuo in Latifundio posito extra ipsorum Trritorium, uti omnes probant Decisiones super *Jure pascendi*, superius relatæ. Velitrenses præterea, ac Terracinenses de pascuis agebant pro bobus aratoriis, quod æquum videri poterat propter agricolturæ necessitatem; dum e contra Cisternenses agunt de animalium pastu ad lucrum ex eorum negociatione captandum; habent enim pro pascendis aratoris bobus, certoque numero Vaccarum, et vitulorum, gratuita pascua, eis a Cajetania largita ut Latifundiis *Pantano et Piano Rosso*, quæ nedum sufficiunt agricolatiunis necessitati, sed sæpius etiam fuerunt, quamvis injuria, ab ipsis in propriam utilitatem locata, ut animadversum fuit in omnibus prædictis decisionibus in *Veliterna, seu Terracinen. Juris Pascendi.* Quod itaque contra Velitrenses, et Terracinenses decisum fuit, eo magis contra ipsos constitui debuit. Accedente etiam, quod Terracinenses damnati fuerunt ad persolvendam fidam annuam scutorum *duorum*, ac obulorum *quadraginta* in singula capita animalium majora, ut probat citata *Terracinen. Juris Pascendi suder Fidis* 16 *Junii* 1788 § 3 *coram Soderinio*, fida vero, quam pro ejusdem generis animalibus a Cisternensibus ab anno 1818 persolvendam esse statuit Dum Henricus, non excedit scutum *unum*, et obolos *quindecim*. Et sane iniquum esset, ut Cisternenses fidam rependerent obolorum triginta pro postu in agris *Piscinariæ* majorum animalium cum in Latifundiu *Campomotro* fida, quæ pro iis solvitur, adscendat ad scutum *unum*, et obulos *viginti quinque* per novam menses, nempe = *da Sant'Angelo di Settembre a tutto San Giovanni di Giugno* = in agris *Neptunensibus* ad scutum *unum*, et obolos *triginta* = *dal primo di Ottobre a tutto l'otto Maggio di ciascun'anno* =, ac ideo per menses circiter septem, ao Latifundio = *Conca* = ad scutum *unum* et obolos *quinquaginta* per menses circiciter octo, scilicat = *dal primo di Ottobre ai* 24 *Giugno* =; quamvis hæc Latifundia, tam quoad pascuorum qualitatem, quam quoad aorum conditionem, ac situm, longe inferiora sint illi Piscinariæ. Quæ iniquitas perspicua sit ex eo, quod, post inconsultam fidæ constitutionem in Latifundio Piscinariæ per Ducem Franciscum Cajetanum, numerus animalium in illud ad pascendum a Cisternensibus immissorum a capitibus mille excreverit ad capita quousqua quatuormillia: et quod fere omnis ejus reditus a Cisternensibus absorbeatur, cum ex eo Cajetanus Dux vix annua scuta mille percipiat, quamvis ejus superficies ad rubra adscendat 6576; ac ejus valor, habito ad præsens tempus respectu, constitui debeat in scutis saltem quatuorcentum millibus, cum in censualibus tabulis æstimatum videatur scutis 220923 75.

3 Nec quidquam viribus, et efficaciæ reijudicatæ super *Jure pascendi* pro definitione præsentis causæ detractum dici potest ex eo quod in postrema Decisione illius reijudicatæ confirmatoria a me edita, dictum fuit = *Ut vero partium jura, dum de fidae mensura disceptandum erit, sarta tectaque maneant; expressim huic Decisioni adjectum Patres voluerunt, quidquid e calamo Extensorum decisionium omnium in hac causa super jure pascendi in genere forsan exciderit, quo S. Ordinis in ea responsis, ac Sententiis consonum haud sit nullo in pretio haberi debeat: nullumque valeat præjudicium eis juribus afferre* =. Si enim aliquam voluissent Patres moderationem inducere in Remjudicatam firmantem in Cajetanis Ducibus absolutum, plenumque dominium super Latifundio Piscinariæ, ipsorumque totalem libertatem eo libere utendi etiam quoad pascua, ullo absque servitutis onere, ut superius fuit expositum Rescriptum edidissent de more = *In decisis juxta modum* =; quod cum non fecerint, in aperto est integram ipsos remjudicatam servare voluisse. Illa itaque declaratio in Decisione prædicta expressa eo tantum spectavit, ut juribus partium cautum foret, si quid Decisionum Extensores dixissent præter limites Rei judicatæ. Quare, cum absoluti, plenique dominii Cajetanæ Gentis super Piscinariæ Latifundio, pascuis comprehensis, quoad quoscumque consequens sit ipsorum jus fidam pro iis pecuis ad libitum constituendi, ac exigendi, uti etiam ab eis quoscumque, Cisternensibus haud exceptis, arcendi, nil inveniri datum erit in decisionibus super *jure pascendi* quod rei judicatæ dispositioni haud cohæreat, et ideo nullum ea declaratio quo ad hanc causam effectum gignere potuit.

4 Hisce perstricti Cisternenses, eorumque litis consortes, eo se vertunt, ut contendant ita Rem judicatam interpretandam esse, ut Cajetanis tribuat jus exigendi a Cisternensibus fidam pro animalibus pastum immissis in agros Piscariæ, non vero eam immutandi, et augendi ultra mensuram obulorum triginta in singula majorum animalium capita. Perperam autem. Æque enim servitus est, quoad agrorum dominium obligatio præstandi super eis gratuitum animalibus alienis pascuum, ac ille pro pascuum præbendi pro certa, ac invariabili fida: In utroque enim casu semper ipse suae proprietatis jacturam sentit, cum de iis agris, eorumque fructibus ad libitum disponere nequeat. Quo circa probandum esset a Cisternensibus, sese, vel ex jure, immemorabili nempe observantia, vel ex pacto cogere posse Cajetanos Duces ad recipienda in Latifundio Piscinariæ ipsorum animalia ad pastum sumendum sub asserta prædicta constanti, ac immutabili fida. Immemorabilem vero ipsi ne proponere quidem audent; cum, præter liberum, absolutumque dominium a Cajetanis acquisitum super Latifundio Piscinariæ, ab omni servitute, etiam quoad pascua, immune, innumeros videant ab anno 1475 ad annum 1730 nempe fere ad exordium usque litis super asserto a Cistercensibus gratuiti pascui jure in eo Latifundio, contractus. præsertim locationum. a Cajetanis initos in quibus conductoribus, nedum facta fuit potestas illud Latifundium ad libitum serendi, sed etiam ad libitum constituendi fidas pro animalibus Cisternensium in idem Latifundium ad pascendum receptis; et videant non solum probationes in genero solutionum hujusmodi fidarum a Codicibus *Dohanae Piscinariae*, aliisque monumentis erutas, sed etiam fidæ solutionem in specie pro bobus aratoriis in eo Latifundio depascentibus ad mensuram scuti *unius* in singula capita, pro uno tantum sementis tempore post annum 1725 de quibus unanimiter testimonium præbent omnes Decisiones editæ in Causa *jurispascendi*, quæ absolutissimae Reijudicatae in ea ortae fundamenta constituunt. Nil itaque ad immemorabilem observantiam excludendam addendum Patres censuere cum praesertim initum solutionis fidæ de qua invariabiliter servanda Cisternenses laborant sumant ipsi ab anno 1781.

5 Et sane, cum Dux Franciscus Cajetanus anno 1781 plures fundos, quos inter Latifundium *Piscinariæ* locaverit Antonio Tartaglionio, ac, vel ex oscitantia vel ex liberalitate erga Cisternenses, in ea locatione declaraverit = *riguardo alle fide dei Vassalli per detta Dogana*=*Piscinariæ* =, *in quanto ai Cisternesi debbano pagare bajocchi trenta per ciascheduna bestia grossa l'anno, o eseano, o nò nelli Larghi di detta Dogana, eccettuato però il tempo della solita riserva, nel quale dovranno pagare per ciascheduna bestia il prezzo, che si stabilirà concordemente; ed in quanto agli Animali neri, ed altro bestiame minuto, ei debba osservare l'ultima tassa etabilita dal prelodato Eccellentissimo Signor Duca Caetani* =; et cum id in duabus similibus locationibus postea initis, prima anno 1789 cum Pamphilo De Petro, altera anno 1809 cum Aloysio Palmerio, repetiisset, inducere exinde conantur iidem Cisternenses, eorumque litis consortes, ipsos inter, et Cajetanum Ducem intercessisse quasi contractum super prædicta fidæ mensura, atque hanc immutari haud posse post lapsum *triginta octo* annorum circiter, per quo fuit servata; accedente etiam transactione sub die 13 Julii 1808 inter Cisternense Municipium, et R. P. D. Manari, tunc Cajetani Ducis Oeconomum, inita, qua ipse, hujus nomine, promisit = *far rimanere in favore della Comunità di Citerna fermo il dritto di fare, e ritenere le lestre, indispensabili per la custodia del bestiame più debole, ed infermiccio, senza che possa giammai essergli turbato, e contrariato; anche in forza della consuetudine generale, e del possesso immemorabile nel fare, e nel ritenere dette lestre* =; qua confirmatum dicunt assertum ipsorum jus animalia pastum immittendi in Latifundium *Piscinariæ* pro certa illa fidæ mensura in iis locationibus designata.

6 Verum hujusce argutationis futilitas Patribus illico perspicua fuit. Animadverterunt enim, contractus a Duce Francisco initos cum Tartaglionio, De Petro, ac Palmerio, Cisternensibus absentibus, nullum alium erga eos, in vim Cameralis obligationis, effectum gignere potuisse, quam eorum jus cogendi conductores Latifundii *Piscinariæ* ad admittenda in hoc Latifundium, perdurantibus locationibus, ipsorum animalia ad pascua sumenda pro ea tenui fida, ex illius Ducis oscitantia, vel animi in ipsos Cisternenses liberalitate præscripta; sed nunquam ex iis locationibus argui posse, quod prædictus Cajetanus Dux obligationem cum iisdem Cisternensibus contrahere voluerit de ea fidæ mensura servanda. Quod si Dux Franciscus sese voluisset huic obligationi erga Cisternenses subjicere, non ideo id eis prodesse posset adversus hodiernum Ducem Henricum. Poterat siquidem Dux Franciscus de reditibus bonorum fideicommisso subjectorum, atque ideo, etiam Latifundii *Piscinariæ*, ad libitum disponere, donec in humanis erat, eaque bona possidebat, sed non poterat super iis ullum onus, ullam servitutem imponere in præjudicium vocatorum ad fideicommissum, ita præscribentibus fideicommissi institutoribus, Pontificiis Chirographis eorum voluntatem probantibus, eo præsertim Gregorii XV anni 1621 jubente, ut hæredibus gravatis haud liceret fideicommissaria bona alienare, ac quamcumque super iis hypothecam, servitutem, onusque imponere, ita ut = *ne persona aliqua, Universitas, Collegium, Loca pia, seu alia quantumvis privilegiata aliquod jus, ullamque actionem super dictis bonis ullo unquam tempore acquirere, minusque exercere possint* =. Quamobrem, cum anno 1818 jam restituta fuissent fideicommissa, jure suo usus fuit Dux Henricus, dum Cisternensibus nunciavit judicialiter sese haud amplius esse prolaturum fidam ab eis solutam usque ad exitum postremæ locationis *Piscinariæ* cum Palmerio; et sese eam augere ad justam mensuram scuti *unius*, et obulorum *quindecim* in singula animalium capita majora. Exulat itaque proposita Cisternensibus præscriptio pro asserta fidæ immutabilitate, tam ex defectu tituli, quam ex ejus inefficacia.

Extra eæ vero prorsus themate sunt 7
allatæ per Cisternenses Auctoritates Car-

Digitized by Google

dinalis *De Luca*, *Novarii*, *Sanfelicii*, aliorumque, quoad immutabilitatem fidæ a Baronibus constitotæ. In casu enim versamur super fidæ solvendam super agris, fundiarii dominii jure, ad Ducem Cajetanum spectantibus, et quibus super fidam augeri a domino posse probant superius relatæ Decisiones *in Veliterna fidæ super exequutione Manus Regiæ* 18 *Junii* 1781 *coram Litta*, *et in Terracinen. Jurispacendi super Fidis* 16 *Junii* 1788 *coram Soderino*, quibos consonat Decisio *Verulana Fidae* 13 *Maii* 1782 § 2 *coram Eodem Soderino*. Præterea doctrina Cardinalis De Luca respicit pascua in agris Territorii, ubi Vassalli degunt, et nos sumus in casu pascuorum in Latifundio sito extra Cisternense Territorium; insuper disserit Cardinalis de Luca de Vassallis, quibus pascua necessaria desint: in themate vero hæc superabunde, ac gratis habent Cisternenses in Latifundiis — *Pantano*, *et Piano Rosso* —: demum Cardinalis de Luca ad excludendam libertatem augendi fidas in agrorum dominis exigit pro vassallis præscriptionem, seu consuetudinem in id invectam, ac respuit pascuorum abusum negociationis intuitu; ex superius vero deductis in aperto est defectus in Cisternensibus præscriptionis, ac pascuorum abusum prædictus. Quoad autem doctrinas *Novarii*, *Sanfelicii*, *aliorumque*, hæ agunt tantum de vectigali Baronibus solvendo pro immittendis animalibus pastum in agros Territorii eorum jurisdictioni subjecti, non de fida solvenda pro animalibos pascendis in agris de ipsorum Baronum privato dominio; nullius igitur pensi in hac causa sunt.

8 Transactio denique anni 1808 inter Cisternenses, et Præsulem Manarium, tunc Ducis Francisci Cajetani Oeconomum, qua firmatum fuit Cisternensium jus retinendi in agris Piscinariæ — *lestras* — septa nempe ad custodiam animalium infirmorum, nullum eis tribuere valet ad immittenda in eos agros animalia, præsertim sub asserta immutabili fida. Retentio enim *lestrarum* admissa pro eis fuit, si eorum pecus immissum fuisset ad pascendum in illud Latifundium; ex ea igitur, quæ huic pecudis admissioni secundaria, et accessoria fuit, induci numquam potuit prætensum illud a Cisternensibus animalia pascendi jus, quod primarium est. Accedit insuper, Præsuli Manario haud licuisse ullam servitutem imponere super bonis fideicommissariis Gentis Cajetanæ, dum hoc ex superius expositis vetitum fuisse constat ipsimet Duci Cajetano, cujus personam ipse Præsul, uti ejus Oeconomus in ea transactione gessit. Perspicuum igitur ex hisce omnibus est, in discrimen revocari haud posse Ducis Henrici Cajetani arbitrium quoad mensuram fidæ a Cisternensibus solvendæ pro animalium pastu in Latifundio Piscinariæ.

Quod vero sit ejus creditum hoc nomine adversus Cisternenses, constat *in genere* ab ipsius Duci interpellatione judiciali, qua Cisternensibus indixit, ineunte Novembri 1818, sese eam fidam constituere in scuto *uno*, et obolis *quindecim* in singula animalium capita majora, a quo tempore Cirternensium debito adscribendum erit quidquid ipsi infra eam mensuram pro fidis solverint: cum præsertim in acceptilationibus, pro iis a Duce Cajetano, vel ejus Administris emissis, cautio adjecta *fuerit* — *senza pregiudizio delle regioni hinc inde* —. Quin obsit Sententia pro Cisternensibus lata ab Assessore A. C. anno 1819 in mero *possessorio*. Cum enim ipsi dein in judicio *petitorio* damnati fuerint ad solutionem fidæ a Duce Henrico eis indictæ, cogendi sunt ad id omne præstandum, quod a die motæ litis præstare debuissent, uti ad rem firmat pluries citata *Terracinen. Jurispascendi super Fidis* 16 *Junii* 1788 § 4 *coram Soderino*. Quantum autem sit Cisternensium debitum *in specie*, ex rationibus cum iis ineundis de eo, quod solverint, et eo, quod solvere debuissent, liquidationis ineundæ ope, patebit. 9

Et ita etc. Utraque etc.

## ANCONITANA IMMISSIONIS

*Veneris* 14. *Decembris* 1832.

### ARGUMENTUM

Quum res sit de inducendo odioso vinculo fideicommissi, receptum in jure est canon, quod toties pro libertate bonorum ferri debet judicium, quoties de fideicommissi existentia quomodocumque ambigi valet.

#### SUMMARIUM

1. *Cum nullotenus constet de vinculo fideicommissi obex insuperabilis, pro fideicommissariae substantiae vindicatione agentibus, occurrit.*
2. *Nunquam immissio utiliter peti valet, nisi prius de jure succedendi in genere constiterit ex judicata re. itaut in discrimen amplius nequeat adduci.*
3. *Si renunciatum judicium actores excipiant ad reprobandam libertatem bonorum; renunciatus fideicommissi progressus in eosdem respici haud injuria valeret, ad fideicommissi ipsius existentiam et jus refellendum.*
4. *Iniqua conditio alteri per alterum non est inferenda; et res inter alios actae, vel judicatae nullius tertiis absentibus praejudicii esse valent.*

   *Toties pro libertate bonorum ferri debet judicium, quoties de fideicommissi existentia quomodocumque ambigi valet - ibidem.* -
5. *Merum vocabulum, nempe fundi locum, ineptum per se est ad identitatis probationem, nisi duo saltem confinia eadem esse demonstretur.*

. *Universa exceptio, quae scripta uno haeredi, posita facti veritate, competit, operanda omnino in ore heredum ex fideicommisso quibus haud licet excipere de jure tertii.*

7. Proportionalis *legatarum reductio non fideicommissarios haeredes, sed legatarios unos respicit quorum solummodo interest universum jus relcationis, singulis competens, ab una vel altero legataria non exerceri.*

### DECISIO CCCCIV.

Ab justa prædiorum possessione, quæ oneroso titulo, et caussa pietatis legaverat Maria Angela Bettia Ornania, Anconitanum Parthonotropbium *della Providenza*, et Sacerdotem Ignatium Filatum exturbendas non esse, atque inciviliter in eos Ducem Verxinium, et Comit. Franciolinium agere, ex jure Ornanii fideicommissi, constituit Primæ Actionis Senteutia, lata ab Episcopali Curia Anconitana, et confirmavit S. N. Auditorium in Decisione edita cor. Me in Comitiis diei 14 Maii bujus anni. Nec profuit actoribus, ex implorato novæ Audientiæ beneficio, legatariorum jus iterum in discrimen adducere. Cum etenim PP. Meos Dominos hoc mane rogaverim = *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.* = responsum plane fuit = *In Decisis* =

Et justissime quidem. Agentibus quippe Versinio, et Franciolinio pro fideicommissariæ substantiæ vindicatione obex ille gravissimus, et plane inexsuperabilis occurrebat, quod nullatenus constet de vinculo fideicommissi. Expirasse namque onus restitutionis in Maria Angela Bettia Ornania, in qua gentis suæ agnatio defecit, binis rebus Judicatis constitutnm solemniter fuit, quæ latæ inter legitimos contradictores, statum quoad omnes faciunt ex jure notissimo. *Lege Ingenuum ff de statu hominum, postquam passim Doctores, et Tribunalia.* Donec igitur binæ hæ Res ab A. C. Amadei, et Cincio Judicatæ suo congruo, et ipso contradicente Partbenotrophio *della Provvidenza*, non revocctur, rejicienda perpetuo erit actio immissionis, quæ uti fideicommissi progressum, et probatum succedendi jus necessario supponit, ita Rebus pro libertate bonorum Judicatis recta repugnat. 1

Nec proderat vel progressivi fideicommissi evidentiam excipere, vel priora illa judicia e medio sublata fuisse a S. N. Ordinis Sententia, confirmata binis Decisionibus, quæ cognatos ad Ornanium fidecommissum immittendos statuerunt. Quoad jus clarum apertamque literam institutionis, extraneum prorsus est visum in his immorari Judicium namque immissionis *in specie* haud quæstionibus ullis est remorandum super jure succedendi, vel actorum vocatione: sed legibus his regitur, ut numquam immissio decernatur, vel peti utiliter valeat, nisi prius de jure 2

succedendi in genere constiterit ex Re Judicata, ita ut in discrimen adduci amplius nequeat. *Rota in Veliterna, seu Corana Immissionis in specie* 12 *Martii* 1759 *num.* 2 *coram Bussi*, *in Romana Contractus, seu Immissionis super resolutis* 18 *Apr.* 1760 *num.* 3 *coram Ubaldo*, *in Asculana Familiæ herciscundæ* 16 *Junii* 1828 *num.* 2 *coram R. P. D. Meo Muzzarelli*, et alibi passim. Præsertim cum exceptus hic fideicommissi progressus, qui evidens plane supponitur, non nisi quam injustus haberi in judicio valeat ex binis Rebus judicatis, quæ manent in implicito statu validitatis, et quæ vindicaverant impetitæ substantiæ libertatem. Ad lites porro excidendas, atque ut dominia, et hominum jura haud questionibus perpetuis sub ancipiti manerent, hæc Rebus Judicatis tributa auctoritas fuit, ut faciant de albo nigrum, et pro veritate ipsa habeantur, nec quidquam adversus illas excipere liceat, nisi suo congruo judicio, et implorato restitutionis remedio revocentur.

3 Deterior vero excipitur probatus fideicommissi progressus ex posteriori S. N. Ordinis Sententia, binis confirmata Decisionibus. Post mortuam Mariam Angelam egerunt quidem Verzinius, et Franciolinius in scriptum illius hæredem, ut jura vindicarent fideicommissi. Et prodierunt Decisiones a me vulgatæ, ac consona sententia, binis dein confirmata decisionibus, quæ, revocatis A. C. judiciis, in actorum vota concesserunt. Verum hæ, quæ subesse poterant examini novo, etiam post expeditam Sententiam, haud pares erant ad Res in antecessum Judicatas evertendas veluti ex jure tralatitio constituit *præcedens Dec.* § 4. Quod explorati juris principium cum probe noscerent, qui caussam pro actoribus dicebant, toti hinc erant, ut Sententiam, ac Decisiones editas pro fideicommissi progressu vim *impropriæ* Rei Judicatæ acquisivisse contenderent ex renunciato ab Pio Opere Ornanio jure judicii prosequutionis experiundæ; juxta regulam, de qua *Text. in Cap. Quod consultat. de Sentent., et re judicata, et Rota in Dec.* 55 *num.* 3 *tit. de Jurepatr. coram Falconer.* Verum hæc vel in facto, vel in jure prorsus sunt commentitia. Haud etenim constat de renunciato jure prosequendi judicium; sed tutum in facto est non renunciationis, sed transactionis ope quæstionem omnem inter liberum, et fideicommissarios hæredes compositam fuisse; qui, cumulato simul una vel libero Mariæ Angelæ patrimonio, vel derivato ab antiquis fideicommissis, atque eodem inter se viriliter diviso, et judicio pendenti, et juribus propriis, et cuivis alteri actioni invicem renunciarunt. Uti igitur renunciatum judicium actores excipiunt ad reprobandam libertatem bonorum; ita renunciatus fideicommissi progressus in eosdem excipi haud injuria valeret, ad fideicommissi ipsius existentiam, et jus refellendum.

Cæterum, etsi admitti vellet, quod prosequendi judicii juri scriptus Mariæ Angelæ hæres renunciaverit, et nuncium miserit successioni testatæ, *impropria*, quæ ex renunciatione orta esset, Res Judicata haud tamen aliis objici posset, nisi scripto ipsi hæredi, vel alteris ab eo caussam habentibus. In toto enim jure scriptum est sæpius, quod iniqua conditio alteri per alterum non sit inferenda; et res inter alios actæ, vel judicatæ nullius tertiis absentibus præjudicii esse valeant. Foret exinde absurdissimum, ob renunciatam ab hærede scripto judicii prosequutionem ut certo transactionis emolumento frueretur, odiosum fideicommissi vinculum in legatariorum fraudem concludere, qui non ab hærede caussam habent, sed a testatrice, cui binæ Res Judicatæ jus dederant, ut de fideicommissaria substantia universo, ceu de libero patrimonio suo pro arbitrio disponeret. Præsertim cum agatur de tertiis exturbandis ab justa possessione, quam sibi compararunt, et res sit de inducendo odioso vinculo fideicommissi, quod adeo Legibus invisum, ut receptum pro juris canone sit, quod toties pro libertate bonorum ferri debeat judicium, quoties de fideicommissi existentia quomodocumque ambigi valeat. *Rota in Firmana Immiss.* 4

10 *Maii* 1707 n. 170 *Strasoldo, in Anconitana Immis.* 27 *Jun.* 1803 *num.* 3 *coram cl. me. Card. Bardaxi, et in Viterbien. Immis.* 6 *Jun.* 1828 *num.* 5 *coram R. P. D. Meo Ruspoli.* Abjecto igitur jure quæsito ex prætensa re Judicata super existentia fideicommissi, remanet una transactio, qua fideicommissaria ipsa successio, sub certo emolumento, ab scripto Mariæ Angelæ hærede probata fuit. Sed redit, quod hæres valuerit quidem suo juri renunciare, non legatariis præjudicium inferre, vel ipsorum caussam facere deteriorem. Traditum namque in jure literaliter est *Leg.* 2 *ff de Transact.* = *Transactione, quæ inter hæredem, et matrem defuncti facta est, neque testamentum rescissum videri posse, neque legatariis actiones suæ ademptæ* = *veluti constituit Decisio, quæ confirmatur* § 5.

Latissime hæc superabundant ad quodlibet jus immissionis *in genere* rejiciendum. At erat insuper animadvertendum, quod, etsi admitti pro hypothesi velit, quod constet de existentia fideicommissi, omnia tamen argumenta, et probationes desiderari, quibus regitur judicium immissionis. Haud præprimis confinia in legatis ab Maria Angela prædiis designata congruunt cum illis, quibus fideicommissi, substantia indicatur. Ex imo intercedit ingentissima differentia, ut invariabile usque, et fixum viæ publicæ confine non congruat, nec simile aliud occurrat præter locum, sive *vocabulum*, quod ineptum per se est ad identitatis probationem, nisi præterea duo saltem confinia eadem esse demonstretur; veluti plenissime expendit *præcedens Decis.* § 6 *et* 7. Futile autem erat excipere, quod in antiquis leviores valeant probationes ad identitatem evincendam, ita ut sufficiat sola demonstratio loci cum uno confine, ex traditis per *Rota in Decis.* 20 *num.* 5 *cor. Coccino, Dec.* 134 *num.* 3 *cor. Molines, Dec.* 1 n. 14 *cor. Falconerio tit. de fideicom. Dec.* 3 *num.* 3 *cor. Riminaldo, et in Nullius, seu Terræ Pontiani Reintegrationis in specie* 11 *Martii* 1782 *num.* 3 *cor. Flangini.* Cessat namque regula juris, quatenus in tertios agatur, qui ex oneroso titulo fundorum possessionem adepti sunt. Exploratum etenim est, quod quæ vis supetet ambiguitas, ut aspera immissionis actio rejiciatur, et pro tertio possessore feratur judicium, cui sufficit vel ipsa possibilitas in contrarium, ad ea, quæ cumulat præcedens *Dec.* § 8. Quotquot vero ab actoribus exhibita nuper monumenta fuerunt ad identitatem evincendam, haud certe paria esse constitit, quæ nullum, dubietati locum relinquerent. Dubietas tamen una superabat ex jure mox relato, ut legitima identitatis probatio deficeret.

6 Accedebat hasce evidens jus detractionum, qud Maria Angela certo certius pollebat, et ex quo de prædiolis legatis, etsi fideicommissariis, disponere pro arbitrio valuit; ceu ex jure plenissime expendit *præcedens Decis. ad finem.* Eo immo gravius constitit de jure detractionum, quod scutorum *quatuormillium* dotem, Mariæ Angelæ ex substantia fideicommissaria tributam, haud numeratam, vel præstitam fuisse, actores ipsi, ab rei evidentia perstricti, profitebantur, Unum hoc igitur detractionum caput satis abunde erat ad propugnandam legatorum justitiam; cum nullatenus constet *quatuormillium* sc. vim duo prædiola, quibus de agitur, excedere. Juris nempe exploratissimi est, quod id tantum vindicare hæredi fideicommissario hoc judicio permittitur, quod planum undique faciat excessisse debitam detractionum quantitatem; et sufficiat una possibilitas contraria bon consumptarum detractionum. Nec recte evidens dotis detractio ex regulis juris in discrimen adducebatur, quæ obtinent in legatis rei alienæ, quam testator suam existimabat; vel ex reductionis remedio, quo scripto hæredi succurritur, dummodo vires hæreditatis, vel legitimum modum testator excesserit in legando. Universa siquidem exceptio, quæ scripto uni hæredi, posita facti veritate, competeret, futilis omnino, et spernenda erat in ore hæredum ex fideicommisso quibus haud certe licet excipere de jure tertii.

7 Nec firmius Actores urgebant, quod retentionis jus, nonnisi quam *proportione* inter legatarios *servata* concedi

Digitized by Google

valeat, ne, repetitis in singulos legatarios judiciis, omnes eadem dotis detractione jus suum tueantur; quod rediret in absurdum. Animadversum etenim est, quod *proportionalis* legatorum reductio non fideicommissarios hæredes, sed legatarius unos respiciat quorum solummodo interest universum jus retentionis, singulis competens, ab uno vel altero legatario non exerceri. Quod nempe ad hæredes attinet ex fidecommisso, nemo umquam inficias ibit, quod præstita semel dotis detractione ex re Judicata, ab futura qualibet et iterata solutione plenissime liberentur. Negligenda denique erant, quæ ad spem ultimam, nec legitimo exhibitionis tempore servato, monumenta adducebantur, ut constaret de egregio ære alieno, quod Maria Angela erga fideicommissum susceperat, ex quo omne detractionum jus amisisse supponebatur. Ingens namque aderat incertitudo super viribus liberi Mariæ Angelæ patrimonii, quod pro besse fideicommissarii ipsi hæredes occuparunt in vim transactionis, et quod onere legatorum certo certius officitur. Numquam detractionum vis Mariæ Angelæ competentium ad liquidum adducta fuit. De bonis ad fideicommissum spectantibus non certa aderat probatio. Multa denique alieno foeminæ eri tuebantur, quæ in caussam unam fideicommissi distracta sunt. In tanta igitur factorum incertitudine incivile omnino erat acerbum immissionis jus in tertios exercere.

Et ita, me quoque suffragium ferente, decisum fuit. Utraque etc.

---

## ANCONITANA IMMISSIONIS

### SUPER FRUCTIBUS

*Veneris* 10. *Februarii* 1852.

### ARGUMENTUM

Argumento non indiget.

### SUMMARIUM

*1. Fructus sunt rei accessiones quae naturam et sortem ipsius rei sequuntur.*

*Quidquid fructibus accedit tribui solet ei qui postulat et obtinet immissionem - ibid.-*

*Quando quis bona fide fructus consumpserit, restitutio fructuum fieri debet a die motae litis - ibid. -*

## DECISIO CCCCXV.

Quum anno superiori ad diem 13. Maii instauratum est experimentum super controversia principe de testamentaria dispositione Canonici Josephi de Tanroleonibus, primo tunc disputari coeptum est de fructibus. Ut autem vicerunt, revocata prima Decisione, moderatores Parthenotrophii Charitatis Anconæ, et ab injusta hæreditas detentione depelli obtinuerunt Pacificum Advocatum Marinellium, aliosque litis socios; sie fructuum a motæ litis die restitutionem ab iis vindicarunt, veluti pandit alia Decisio super fructibus tuno temporis a me edita, quæ hodie ad examen revocata, non potuit non confirmari, postquam confirmata una simul fuit secunda Decisio super Immissione a Parthenotrophio petita. Quocirca assuetæ Dubii formulæ, quæ de more quærebat = *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* = data est responsio ab Ordine Universo =*In Decisis* =.

Fructus siquidem, et quidquid fructibus accedit, tribui solet ei, qui postulat, et obtinet immissionem. Nil aliud namque sunt fructus, nisi rei accessiones, quæ naturam, et sortem ipsius rei sequuntur, ut arguit *prima Decisio* § 2. Jam vero si probatum est a die obitus Comitis Josephi Nappii usumfructum hæreditatis accrevisse proprietati, qua Parthenotrophium ab initio pollebat, omnino consequitur, ut fructus quoque ei sint addicendi. Unum duntaxat bonæ fidei fundamentum, quo in hæreditatis detentione versati sunt rei conventi verisimiliter existimantes ex Gallicis Legibus potuisse eorum auctores de quæsita hæreditate disponere, in præsens efficit, ut non a die

apertæ successionis, sed a die motæ litis demandanda sit fructuum restitutio. Atqui a die motæ litis bona fides evanuit, omnisque destitit titulus percipiendi fructus. Ergo ab eo tempore cogendi sunt hæreditalis detentores ad fructus reddendos.

Et ita probata priori Decisione, Universus Ordo judicavit, Utraque etc.

---

## ANCONITANA IMMISSIONIS

*Lunae 14. Maii* 1832.

### ARGUMENTUM

Res-judicata lata in causa status, non heredi contradictori tantum officit, sed tertiis quoque, et egatariis praesertim, qui causam ab herede habent – Transactio, inter heredem, et matrem defuncti factam, neque testamentum rescindit, neque legatariis actiones suas adimit.

#### SUMMARIUM

*1. Non datur immissio contra tertios bonae fidei possessores, nisi actor probationibus legitimie jus suum probet.*

*2. Rerum judicatarum indoles atque auctoritas est, ut pro veritate ipsae habeantur, nec detur earumdem effectus coercere, nisi novis sententiis revocatae, et rescissae probentur.*

*3. Res judicata lata in causa status non heredi contradictori tantum officit, sed tertiis quoque, et legatariis qui causam ab herede habent ex regula notissima L. Ingenuum ff. de etat. hom.*

*4. Sola diversitatis possibilitas identitatem adversus tertios bonorum possessores excludit.*

*Omnis identitatis probatio deficit, ubi quod invariabile et fixum erat viae publicae confine non congruit – ibid –.*

*5. Tam specialibus demonstrationibus bonorum identitas prabari debet, ut nullis aliis bonis aedem notae possint convenire.*

*6. Licet heredi gravato fideicommissariam substantiam, intra detractionum suarum vim alienare,*

*7. Non repugnat fideicommissi legibus, quod faemina congruam ex illius substantia dotem assequatur;* ex Not. Autent. Res quae Cod. Comm, de leg.

*8. Non possunt condici fructus bona fide consumpti adversus alicujus haereditatem.*

*9. Legatariis, et tertiis possessoribus, et omnibus ab gravato haerede causam habentibus detractionum titulus prodest, ut ex hoc quaesitam sibi bonorum possessionem tueantur.*

### DECISIO CCCCXVI.

Fidecommissariam successionem, quam Simon, et Julius Ornanii ordinaverant, ad gentis suæ agnationem servandam, in Maria Angela Bettia Ornania, nupta Cristophoro Ferrettio, expirasse binis Sententiis A. C. Amadei, et Cincii, quæ in judicatum abierunt, constitutum solemniter fuit. Pia autem fœmina descendentibus carens, in quos avitam substantiam, et liberum patrimonium suum conferret, meliorum sibi hæredem extremis tabulis nuncupavit, Opere Pio ex asse instituto, quod Ornanium nuncuparetur ex declaratis ab ipsa legibus regeretur. Plura insuper scripsit legata, ac signanter de duobus Anconitanis prædiis disposuit in Paræcia *di Montagnolo* – altero erga Parthenotrophium = *della Provvidenza* = quo commodius ibidem pauperes virgines sutura, textilique artificio instrueretur, ab testatrice his finibus designato = *da una parte con i beni del Signor Marchese Nembrini Gonzago e dall' altra col Signor Giam Maria Pichi* = altero erga Ignatium Filatum, titulo sacri patrimonii, atque ex lege, quod post sui funus prædiolum hoc quoque Parthenotrophio, in indigentis, periclitantisque puellæ alimoniam accresceret. Erant prædii hujus fines = *da una parte il Signor Marchese Nembrini Gonzaga, dall' altra il Sig. Giam Maria Pichi e da un lato la sudetta mia possessione.*

At de fideicommissi Ornanii progressivitate viriliter, post Mariam Annam defunctam, Dux Aloysius Verzinius in Opus Pium Ornanium, ab eadem institutum, egit coram S. N. Auditorio. Et voti compus evasit ex Rotali Sententia, ab me obsignata, quæ, et progressivum fideicommissum; atque actorom ad illud immittendum sancivit, revocatis A. C. judiciis. Cumque Pium Opus ab Sententia hac provocaverit,

in re ancipiti, atque in Sententiarum conflictu tutius est visum de successione transigere, et liti invicem renunciare. Verum transactionis titulo Dux Aloysius, quique eidem socius accessit, Comes Hector Franciolinius, præter modum uti cæperunt Pacto enim convento de fideicommissariis bonis a tertiis possessoribus pro arbitrio vindicandis, multas his molestias intulerunt, qui ex peculiaribus titulis venerant in legitimam bonorum possessionem. Sed durissima actio, etsi in plures exercita, damnata perpetuo fuit. Nec secus evenit in immissionis judicio, quod Verzinius, et Franciolinius noviter excitarunt coram Episcopali Curia Anconitana ad Parthenotrophium *della provvidenza*, et Sacerdotem Filatum exturbandos ab prædiorum possessione, quæ pietatis caussa legaverat Maria Angela Ornania. Consultissima quippe Sententia Primæ Actionis Judex quolibet immissionis jus denegavit. Nec diversum S. Auditorii Nostri judicium fuit; dum propositæ ab me Dubii formulæ *An sit locus immissioni, et restitutioni fructuum in casu etc.* – responsum dedit – *Negative in omnibus.* –

1 Ex eo jus immissionis in fundos ab Maria Angela legatos actores sibi vindicabant, quod de iisdem prædiolis in Paræcia *di Montagnolo* testamento disposuerit, ab Cæsare Nappio anno 1728 idcirco comparatis, ut, ex hæredum gravatorum mandato, atque ad tramites Pontificii Chirographi Benedicti XII. accederent Ornanio fideicommisso, ad quos vocatos esse contendunt. Verum actionem suam haud probationibus legitimis substinebant. Quandoquidem ad excludendam, denegandamque immissionem contra tertios bonæ fidei possessiores quælibet ambiguitas sat erat, vel super jure *in genere* actorum, immissionem petentium, vel *in specie* super fundorum identitate; vel demum ex causa detractionum, quæ possessorum auctoribus competere quomodolibet possent, quæque eisdem tribuerent jus retentionis. Compertum autem fuit, non ambiguitatis argumenta, sed jura, et facta exploratissima impetum quisqua versus facere ad petitam immissionem reijciendam. Haud præprimis constabat de Ornanio fideicommisso ita actoribus quæsito, ut tertios fundorum possessores jure persequantur.

Ex eo enim vocationem suam, et hæreditariam qualitatem propugnabant, quod de fideicommissi progressivitate constiterit ex Sententia Rotali. Verum haud par erat Sententiis, quæ rei in in antecessum Judicatæ vim adimeret, ex qua fideicommissaria omnia bona libera in Maria Angela Ornania statuta sunt. Ea enim est rerum Judicatarum indoles, atque auctoritas, ut pro veritate ipsa habeantur, nec detur earumdem effectus coercere, nisi novis Sententiis, quæ in judicatum abierint, revocatæ, et rescissæ probentur. Fortius cum provocatum ab Rotali Sententia fuerit; quæ idcirco habenda perinde esset, ac si edita non fuisset; *Rota in Interamnen. Nullitatis Contractus* 14. *Januarii* 1828. §. *fin coram. R. P. D. Meo Muzzarelli*. Quin imo jus ab Sententia quæsitum actoribus usque adeo anceps est visum, ut judiciis sese invicem elidentibus, atque in Sententiarum conflictu, quin novum vocationis suæ periculum facerent, ab lite imo recedendum duxerint, et controversiam omnem cum instituto ab Maria Angela hærede Pio Opere Ornanio, per transactionis modum, componere. Hæreditaria exinde qualitas non alias vindicata, nisi ex pactione privata, haud certe actoribus prodest, ut jure legitimæ vocationis justos bonorum possessores ab quæsitis possidenti titulis exturbent, quibus res inter alios acta nullum, ex jure tralatitio, præjudicium inferre valuit. 2

Quod quidem actores cum probe noscerent, toti in eo erant, ut probatum jus suum exciperent ex asserta rejudicata; ita ut hæc, lata *in causa status*, non hæredi contradictori tantum officiat, sed tertiis quoque, et legatariis præsertim, qui causam ab hærede habent, ex regula notissima, de qua *Lex Ingenuum ff. de statu hominum, et post eam Rota in Dec.* 621 *numer.* 12 *coram Bichio, in Decis.* 833. *numer.* 4 3

*coram Molines, et in Decis* 649 *numer.* 9 *coram Olivatio.* Verum hæc, quæ firmissima erant, quætenus jus suum actores reapso tuerentur exceptione rei Judicatæ eo spernenda erant in casu, quo Sententiam vix exhibent, a qua legitime provocatum, ex quo stabile jus actoribus non alias quæsitum fuit, nisi ex hæredis transactione, qua non Judicis, sed privatorum arbitrio finita lis fuit. Transactioni igitur, non rei Judicatæ fideicommissarium actorum jus innititur. Ast privatæ pactiones, jus cæterorum, ex animadversis, non lædunt: imo de actis hisce ita jus obtinet, ut statutum literaliter sit = *Transactione, quæ inter hæredem, et matrem defuncti facta est, aeque testamentum rescissum videri posse, aeque legatariis actiones suæ ademptæ;* = ceu sunt verba Imperatorum in *Leg.* 3. *ff. de Transact.*

4 Accedit gravissimum dubium super fundorum identitate, quodunum sufficeret ad asperam immissionem actionem rejiciendam. Ex perpetua enim S. Auditorii Nostri doctrina, sola diversitatis *possibilitas* identitatem adversus tertios bonorum possessores excludit; ceu post Legem *Cum de indebito* §. *fin. ff. de Probat. tradit Rota in Recen. Decis.* 228 *num.* 12. *Part.* 18. *et Decis.* 551. *numer.* 8. *Part.* 19 *Decis.* 362. *num.* 9. *coram Ansaldo, Decis.* 1212. *numer.* 5. *coram Lancetta, et in Signiaa Salviani* 12. *Junii* 1755. *numer.* 11. *coram Stadian.* Gravissimum autem hac de re dubium ipsa ab actoribus exhibita monumenta inducebant. Dum enim fideicommissariæ substantiæ prædia, quibus de agitur, tribuebant, quia eadem illa sint ab Nappio anno 1728. comparata, ut fideicommisso Ornaniu obligarentur, ingens ea finium diversitas inter fundos utroque actu designatos intererat, ut in Nappii contractu his confinibus præfiniantur = *con li beni del Signor Cante Bernabei, e le vie pubbliche* = quæ in Mariæ Angelæ tabulis undique desiderantur. Nil autem notius, quam quod omnis identitatis probatio deficiat, ubi quod invariabile, et fixum erat viæ publicæ confine, non congruit; quemadmodum docet *Rota in Decis.* 65. *num.* 10. *coram Falconeria de Miscell. in Æsina Restitutionis in integrum* 6. *Aprilis* 1742. *num.* 11. *coram Calcagnina, in Interamnea. Cauthelæ Angeli* 12. *Junii* 1751. *num.* 7. *coram Matthæjo.*

5 Levissima erant post hæc, quæ ab actoribus cumulabantur, vel *in jure* de finibus, ob temporis lapsum, minus curiose inquirendis, ex Theorica Bartoli in *Lege Demonstratio falsa* 17 *num.* 20 *in fin. ff de Condit. et demonstr.* vel *in facto* de Regionis, Paræciæ, territorii congruentia, quæ semper eadem recensentur, vel de probata quoad substantiam identitate, ita ut constet ex censualibus tabulis nulla alia prædia in Paræcia *di Montagnola* possessa ab Ornaniis fuisse, nisi ea ab Nappio anno 1728 coempta, et quibus forte ex errore viæ publicæ finis tributus fuit. Quoad enim doctrinam Bartholi, nihil in foro receptius, quam quod nullus Theoricæ usus sit ad tertios ab legitima possessione eiiciendos. Quem quidem ad effectum identitas = *specialibus iis demonstrationibus probari debet, quæ non possint aliis bonis convenire* =, ceu recte animadvertit Fierlius ad eam Theoricam Bartholi, et consonat *Rota coram Buratto decis.* 502 *num.* 1 *et Decis.* 292 *per tot. part.* 2 *Recent.*, et alibi passim. Nec interest vaga ea Territorii, Regionis, et Paræciæ congruentia, sub qua generali designatione cum prædia innumera colligantur, nullius sane ponderis sunt ad identitatem demonstrandam; ceu, ex eadem Bartholi doctrina, arguit Rota *in Decis.* 687 *num.* 6 *coram Laacella, Decis.* 370 *num.* 9 *coram Riminaldo, et in Ferrarien. Decimarum super Manutentiaae* 14 *Juaii* 1784 *coram Resta.* Ineptum denique super omnibus est, vel nullum aliud prædium in Paræcia *di Montagnola* possessum ab Ornaniis arguere, quod monumentis ipsis per actores exhibitis refellitur; vel viæ publicæ finem, in actu anni 1728 designatum, errori tribuere, qui nunquam præsumi in judicio debet; præsertim in actione odii plena, et quæ, ex jure superius relato, toties rejicitur, quoties unum *possibilitatis* argumentum ex adverso concurrat.

6 Cæterum, quidquid de prædiorum

identitate sit, superest exploratum detractionum nomen, quo Maria Angela certo certius pollebat, et ex quo jure, meritoque, de prædiolis hisce etsi fideicommissariis, disponere pro arbitrio voluit. Haud enim ambigitur, quin liceat hæredi gravato fideicommissariam substantiam, intra detractionum suarum vim alienare, *Lege Marcellus ff ad S. C. Trebell.*, *Mangill. de Imput. Quæst.* 137 *num.* 50, *Card. De Luca de Legit. Disc.* 25 *num.* 55 *et de Fideicomm. Disc.* 216 *num.* 9, *Valent. Vol.* 18 *num.* 66 *de Ultim. Volunt.*, *Rota in Romana, seu Sabinen. Immissionis* 9 *Junii* 1759 *num.* 9 *coram Matthæjo, et in Decis.* 710 *num.* 3 *cor. Olivatio.* Satis exinde erat certissima hæc juris ratio ad hoc, ut petita ab actoribus immissio reiiceretur. Licet enim maternæ dotis creditum prætermittatur; vel census Mariæ Angelæ ære redempti, quorum adamussim pretio fundi, quibus de agitur, anno 1728 comparati ab Nappio fuerunt (de his enim loqui supervacaneum est visum); una dotis detractio, testatrici constitutæ, longissime superabat ad legatariorum jus propugnandum. Cum enim constat in facto legata hæc prædiola scutor, vix *mille, et biscentum* æstimationem attingere, exploratum aliunde est *quatuor millium* scutorum dotem, ex fideicommissaria substantia, tributam Mariæ Angelæ fuisse super censu taxative precipiendam, quem Gens Cajetana sibi pro majori summa imposuerat, favore Ornanii fideicommissi.

7 Nihil itaque quoad hanc dotis detractionem erat, quod ambiguitate vel levissimæ subiiceretur. Haud fideicommissi legibus repugnare, quod fæminæ congruam, ex illius substantia dotem assequerentur, non ab jure tantum probatur ex notissima *Authentica Res quæ Cod. Commun. de Legat.*, sed litera ipsa institutionis, qua alienandi arbitrium permissum = *in caso di dotare figlie femmine, restituzioni, ed assicurazioni di doti* = Item explorata, ceu monitum est, certæ dotis constitutio ad vim usque scutorum *quatuormillium* super fideicommissario censu erga Gentem Cajetanam. Compertissima demum non perceptæ, vel consumptæ dotis probatio, cum integrum census caput actores, post quæsitum fideicommissum, sibi vindicaverint, nulla admissa dotalium *quatuormillium* scutorum detractione. Si igitur monumentis indubiis dotale Mariæ Angelæ nomen evincitur; si tutissima eidem detractio ad vim usque scutorum *quatuormillium* competebat de tempore conditi testamenti, abnorme omnino, et calumniosum ferme est prædiola a legatarii vindicare, quæ tenuem vix æstimationem attingunt *biscentum, et mille* scutorum, et quibus vix dotis suæ ratam Maria Angela solidavit. Vindicare enim actori id tantum, hoc judicio, permittitur, quod planum faciat excessisse debitam detractionum quantitatem. *Lege ab omnibus* 107 § 1 *ff de Legat.* 1, *Rota coram Lancetta Decis.* 728 *n.* 15, *coram Riminaldo Decis.* 297 *n.* 3, *et in Fanen. Pecuniaria* 27 *Junii* 1753 *n.* 6 *cor. Figueron.*

Nec refutationem merebatur quidquid, ad tutissima hæc evertenda, actores noviter excipiebant de præsumpta dotis solutione ex fructibus fideicommissi, vel de gravior census Cajetanii rata Mariæ Angelæ hæredi, Pio Operi Ornanio, ex transactione concessa; ita ut quodlibet dotis nomen extinctum plane censeatur. Quoad solutæ dotis præsumptionem, futiliter hæc in immissionis judicio proponebatur, contra tertios bonorum possessores excitato; ad quos protuendus vel sola possibilitas sufficit non consumptarum detractionum; ceu ad rem Rota constituit *in Romana, seu Sabinen. Immissionis* 9 *Junii* 1753 *n.* 9 *cor. Matthæjo, et in Romana Trebellianicæ super imputationibus* 20 *Junii* 1755 *num.* 3 *cor. Caprara.* Fortius cum hæreditatis gravatæ fructus Maria Angela tamquam suos ex Resjudicata consumpserit; nec jus ullum vel ab transactione, vel ab Rotali ipsa Sententia quæsitum actoribus sit, quo fructus hos bona fide consumptos adversus Mariæ Angelæ hæreditatem condicant. 8

Ast majoris erat absurditatis ratam Cajetanii census, usque ad vim scutorum 8646 scripto Mariæ Angelæ hæredi Pio Operi Ornanio concessam excipere. Imo 9

Ducis Verzinii factum in eumdem mirifice retorquetur. Si enim de integro censo, uti de re propria, disposuit; si ratam ejusdem contulit in Mariæ Angelæ prædictum hæredem sub renunciatæ litis emolumento, census caput sibi ex integro addixisse oppugnare amplius haud valet; et solutam Mariæ Angelæ dotem ea census rata pessime arguit, quæ extraneo transactionis titulo, atque in renunciatæ litis correspectivitatem Mariæ Angelæ hæredi tributa fuit. Nec melius res actoribus cederet, etsi uno detractionum titulo eam census ratam in Pium Opus ab Ornania institutum contulissent. Hæc quippe cessio, ut detractionum nomen ex ea solidaretur, non cum hærede, sed cum Mariæ Angelæ legatariis agenda necessario erat, in quorum dominium fideicommissaria ea bona migraverant, quæ testatricem in detractionum suarum caussam præcipisse censetur. Quod enim legatariorum semel evaserat, eisdem, citra eorum factum, vel voluntatem, adimi plane nequivit; atque inutiliter prorsus de hoc detractionum nomine Mariæ Angelæ hæres transegit, super quo, testatricis judicio, nullum sibi jus competebat. Dotis igitur detractionem undique probata, non sine lato juris errore actores contendebant, quod hæc detractionum exceptio, hæredi uni competens, haud ab legatariis utiliter proponatur. Si quid enim tutum in jure, id certe tutissimum, quod et legatariis, et tertiis possessoribus, et omnibus ab gravato hærede causem habentibus, detractionum titulus prosit, ut ex hoc quæsitam sibi bonorum possessionem tueantur: ad tradita per *Cyriac. Cont.* 5 *num.* 26. *Gratiam discept.* 265 *num.* 5, *Saminiat. Cons.* 6 *num.* 6, *post quos Rota coram Durano Decis.* 24 *num.* 4, *et cor. Crispo Dec.* 610 *num.* 1 *et seq.* Nihil igitur, vel in jure, vel in facto supererat, quo actores excitatum immissionis judicium legitime sustinerent.

Et ita, meo quoque accedente suffragio, decisum fuit. Utraque etc.

---

# BONONIEN

## LITERAE CAMBIALIS

## IN RE COMMERCIALI

*Lunae* 10. *Septembris* 1832.

## ARGUMENTUM

Pro cambialium litterarum exequutione expeditissima legalis adest actio; nec testium formal examini locus unquam tribuitur, quia paratam actionem retardaret.

### SUMMARIUM

1. *Paratissimam ac expeditissimam pro cambialium litterarum exequutione tribuunt leges actionem.*
2. *Satis est in literis ex quotidiano mercatorum et negociatorum usu, quod verbis generalibus* – valuta avuta – *conscribantur, quin expressa adjecta sint verba* – in contanti. –
3. *Censura Codicis Commercii, ex quo vetitum est* – di antidare le girate sotto pena di falsità – *locum tantum habet in illis literi collybisticis, quae antidata signatae fueris in tertii alicujus detrimentum, ab earum possessore decoctioni proximo.*
4. *Qui arctissimo affinitatis vinculo cum alio conjungitur, nullam pro illo fidem facere potest in judicio.*

   *Testis unicus, etsi fide dignissimus, non est audiendus – ibidem.* –
5. *Cum de collybistica litera agatur, tum minorum, tum mulierum, tum etiam filiorum familias privilegia in irritum cedunt.*
6. *Exceptio ex usuraria labe decerpta in medium proferre nequit ad evertendum vim actionis paratae et expeditissimi judicii, quod ex litera collybistica profluit; cum hujusmodi exceptio altiorem indaginem desideret, et discretam judicii sedem.*
7. *In judicio pro solutione literae collybi, non admittitur testium examen.*

## DECISIO CCCCXVII.

Collybi literam pro scutis *mille quadrigentis*, sub die 9 Decembris anni 1828 Ferrariæ scripsit Cajetanus Bassi post triennium, die nempe 9 Decembris anni 1831 solvendam Bononiæ a Petro Magli = *All'ordine S. P. del Signor Dottor Camillo Gamberini di Bologna*, è ciò

*per altrettanta, ed eguale valuta ricevuta dal medesimo* =: quam litteram, sibi ita directam = *Al Sig. Pietro Magli, in Via Azzogordino N.* 1271 = ipse Mallius sic statim acceplo habuit = *li* 9 *Decembre* 1828 *accetto per detti scudi* 1400 *ro mani Pietro Magli* =. Antequam vero hujusce litteræ solutionis dies advenisset, dic scilicet *decima* Octobris anni 1831 illius possessor Camillus Gamberini eam oneroso titulo transtulit in Carolum Gamberini = *E per me all'ordine S. P. del Sig. Carlo Gamberini* = *per valuta avuta* = *Bologna li* 10 *Ottobre* 1831 = *Camillo Gamberini* =. Venit dies nona Decembris anni 1831, eaque clapsa, absque nummariæ illius tesseræ solutione insequenti die Carolus Gamberini eam pro summæ sibi debitæ solutione oblinenda inutiliter exhibuit hæredibus, interim defuncti Petri Mallii; quare illico legittimo ritu, tam contra hos, quam contra trahentem Bassium, et gyrantem Camillum Gamberini protestationem emisit, atquo hac in irritum cessa, vadimonium eis omnibus indixit, die 12 ejusdem mensis Decembris coram Commerciali Tribunali Bononiæ ad jus suum assequendum. Plura ad solutionem avertendam objecerunt rei conventi, Bassius præsertim: nempe collybi literam mutuum præseferre abnormi infectum usura, illiusque gyratam erga actorem fuisse simulatam: ad quod probandum binos produxerunt testes, Josephum Spaggiarum, Bassi socerum ac Advocatum Philippum Gaudenzj, qui sæpe ei patroni operam præstiterat, asserentes eam nummariam tesseram, quæ translata adparebat in Carolum Gamberiuium sub die 10 Octobris illius anni, extitisse apud tractarium Camillum Gamberini die 8 Decembris ejusdem anni; bosque testes examini formali subjici postularunt; quod illius Tribunalis Judices admiserunt Decreto lato die 20 Februarii hujusce anni 1832. Carolo vero provocante ad Bononiense Appellationis Tribunal, fuit illud Decretum ad hoc Tribunali, infirmatum, ac ideo petitum a Bassio testium examen rejectum, Sententia edita die 8 Maii nuper clapsi. Hinc caussa venit ad S. N. Tribunal, tam super eo Decreto, quam super merito principe, solutione scilicet nummariæ tesseræ una cum cambiis, recambiis, damnis, et expensis; atque hoc mane Rescriptum prodiit = *Non esse locum examini formali testium et persolvenda esse scuta* 1400 *una cum cambiis, et recambiis, et expensis etiam extrajudicialibus, suspenso mandato personali, et extendatur Decisio.*

Perspicua profecto est hujusce rescripti justitia ex tenore collybisticæ, qua Bassius injunxit Petro Maglio solutionem scutorum *mille quatuorcentum* = *all'ordine S. P. del Signor Dottor Camillo Gamberini per altrettanta, ed eguale valuta ricevuta dal medesimo* =; quam solutionem Maglius esse impleturom statuta die, nulla adjecta conditione, promisit; paratissimam enim ac expeditissimam actionem pro hujusmodi cambialium litterarum exequutione, earum possessoribus Commerciales tribuunt Leges, *Ansald. de Commercio, et Mercatura Disc.* 3 *n.* 3, *Baldassarani in Opere* = *Leggi, e costumi del Cambio* = *Part.* 2 *Art.* 12 *n.* 1. *Rota passim*, *ac præsertim in Romana Litterarum Cambii* 27 *Januarii* 1806 § 2 *cor. Emo Isoard et in Romana Literarum Cambii* 24 *Aprilis* 1818 § 2 *cor. Emo Odescalchi.* Quod firmius tenendum in themate est, in quo collybistica scheda a primo ejus possessore, Camillo Gamberini, cessa fuit erga Carolum Gamberinium = *per valuta avuta* =; ideoque oneroso titulo; ex quo nulla via illius debitoribus patet proponendi adversus hunc gyratarium exceptiones, quæ forsan proponi possent adversus primum literæ possessorem, hujus gyrantem. Secus enim omnis perturbaretur commercii ratio, ac publica fides, et latissima aperiretur fraudibus via ad tertios decipiendos, qui bona fide coemunt nummarias tesseras, scriptas = *all'ordine S. P. per valuta avuta* = erga earum primos acquirentes, qui reapse nullam, vel modicam pro his solverint pecuniam *Mans. Consult.* 179 *n.* 27 *Card. de Luca de Cambiis Disc.* 33 *n.* 2 *Ansald. de Commerc. et Mercatur. disc.* 1 *n.* 13 *Disc.* 2 1

n. 37 *et* n. 39 *Casareg. de Commerc. Disc.* 48 *in Addit.* n. 6 *et* n. 48 *et in Tractatu = Il Cambista istruita = Cap.* 3 n. 68 *et Cap.* 4 *n.* 1, *Baldassaroni in opere superius citat. Part.* 1 *Art.* 8 *et Art.* 11 *n.* 9 *Rota in Mantiss. ad Card. de Luca lib.* 5 *de Usuris Dec.* 18 n. 10 *Dec.* 19 *n.* 4 *dec.* 20 *n.* 2 *post. Constantin. ad Stat. Urb. dec.* 58 n. 4 *et seq. in Romana Schedulae* 7 *Maii* 1748 §§ 2 *et* 3, *et in Confirmataria* 2 *Decemb. ejusdem anni* § 2 *et* 5 *cor. Caprara*, *in Pisauren. Literarum Cambii quoad Cambia, et recambia, et expensas* 9 *Decembris* 1785 § 3 *cor. Cesarei, in Senagallien. Litterarum Cambii* 5 *Febr.* 1787 § 2 *et* 3 *cor. Ema Rovarella, ac perspicue in Romana Literar. Cambii* 18 *Feb.* 1791 §§ 2 *usque ad* 7 *cumpluribus ibi citatis cor. Malvasia.*

2 Hisce firmissime constitutis ad tuendam actionem Caroli Gamberini, nullo prorsus in pretio haberi potest, quod ad declinandam paratissimam solutionem, quam leges indulgent, literis collybisticis, obiiciebat Bassius; decsse scilicet in gyrata literæ, de qua quæstio erat, explicitam significationem = *della valuta avuta* =, quum expressa adjecta non fuerint verba = *In contanti* =. Illud enim primum animadvertebant Patres, satis esse in literis ex quotidiano, mercatorum, et negociatorum usu, quod verbis generalibus = *valuta avuta* = conscribantur ad tradita *per Casaregg. de Commerc. et Mercat. disc.* 48 *n.* 7 *Baldassaroni delle Leggi, e costumi del Cambio part.* 1 *art.* 11 *n.* 2 *et N. S. Ordo in Romana Literar. Cambii* 24 *Aprilis* 1818 § 6 *cor. Emo Odescalchia, et in altera Eadem super non resolutis* 5 *Maii* 1820 § 4 *cor. Eodem*. Quod sane consonat cum Artic. 105 Codicis Commercii, quo statuitur debere literas collybisticas continere = *la valuta data in contanti*, *in mercanzia*, *in accanto, a in qualunque altra maniera* = consulto a Legislatore adjecta, indigitant = *la valuta in contanti* = contineri posse sub formula, *valuta avuta* =, ut pergit prælaudata secunda Decis. § 5. Quamvis nec opus quidem erat hisce omnibus ad propositam exceptionem reiiciendam, quum ex ipsa litera apertissime pateret in quanam re = *valuta* = accepta fuerit. Bassius quidem literæ subscriptor, rogabat Maglium, ut solveret = *la somma di Romani scudi mille quattrocento, e ciò per altrettanta, ed eguale valuta avuta dal medesima* =. Quæ profecto verba = *per altrettanta* = quum demonstrent identitatem cum re, cui referuntur, luculentissime evincebunt Bassium pro = *valuta avuta* = intellexisse scut. 1400 quot nempe in pecunia numerata receperat. Quæ explicita expressio = *della valuta in altrettanti* = adhibita a Bassio inscriptione nummariæ schedæ, sat superque est ad rectam interpretationem genericæ dictionis = *valuta avuta* = in gyrata a Camillo Gamberinio erga Carolum Gamberinium expleta, ita ut hæc habenda sit, uti scripta pro pecunia numerata. 3

Nec meliori omine Bassius regerebat literam collybisticam infectam fore vitio antidatæ, propereaque camdem falsam omnino fore renunciandam ex Censura Codicis Commercii, ex quo sub *Art.* 133 vetitum est = *di antidatare le girate sotto pena di falsità* = Hujusce enim Legis dispositio ex Gallicis Legibus deprompta, locum tantum sibi vindicare potest in illis literis collybisticis, quæ antidata signatæ fuerint in tertii alicujus detrimentum, ab earum possessore decoctioni proxima, uti late observant = *Pandette Francesi Vol.* 19 *pag.* 305 *Merlin. Repertorio Universal. Tom.* 4 *pag.* 546 *et* 586 =. Hujusmodi autem Lex, quæ ad fraudes præpediendas inducta a Legumlatoribus fuit, extendi nequit ad eos casus, in quibus, veluti in specie proposita, sine fraude, et quin damnum tertii illatum fuerit, litera collybistica antidatam præseferat. Siquidem, si admitteretur extensiva hæc legis interpretatio, non utilis profecto mercatoribus Lex foret, sed plurima pareret incommoda, ac detrimenta, ut sapienter disserit. *Baldassaroni Dizionar. Artic. Girata* n. 10.

Huc accedit, quod ad antidatam evincendam invalide probationes a Bassio adducebantur. Siquidem contendebat ad id demonstrandum, quod Spaggiarius, et Gaudentius examini subjice- 4

rentur, qui apud Judicem fuissent depositur literam, collybisticam, quamvis præferentem gyratam diei *decimae* Octobris, tamen perseverasse in proprietate Camilli Gamberini gyrantis usque ad diem *octavam* insequentis mensis Decembris. Ast testium primus Spaggiarius arctissimo affinitatis vinculo cum Bassio conjungitur, quoniam ipsius socer est, proindeque nullam pro illo fidem facere potest in judicio, ut monent *Menoch. de Arbitr. Cas.* 99 *n.* 7 *Mant. Decis.* 253 *n.* 5 *Rot. in Recen. Decis.* 477 *n.* 4 *part.* 3 *tom.* 2 *et decis.* 291 *n* 1 *Part.* 6. Superesset ergo alter testis Gaudentius, qui nec ipse omni vacat exceptione, dum publice compertum est eumdem operam suam præstare Bassio, ipsiusque causas dicere. Porro unicus huic testis, etsi fide dignissimus, non esset audiendus, nec ullam in judicio fidem, quia unicus, facere posset ad demonstrandam literæ collybisticæ antidatam. Quæ sane omnia apprime evincebant inanem omnino, ac supervacaneam fore petitionem Bassii pro testium examine, dum nulla ex eorumdem dispositionibus probatio erui potuisset.

5 Recte igitur in panditam sententiam rogari Patres concesserunt, cum viderent literæ collybisticæ solutionem adurgeri, non a primo possessore Camillo, sed a Carolo Gamberini, qui tertius est ejusdem literæ possessor. Etenim ipse, non veluti Camilli Gamberini procurator, sed nomine proprio, utpote adeptus literam collybisticam oneroso titulo, in judicio procedit. Proinde nequiret Bassius debitor, ac acceptans Maglius, eas contra ipsum proponere exceptiones, quas tantum proferre possant contra Camillum. Atque id eo magis, quod propositæ exceptiones futiles prorsus comperiebantur. Siquidem ad solutionem detrectandam proferebant dispositionem Senatus Consulti Macedoniani, quæ applicari debuisset Bassio, veluti filio familias. Ast hujusmodi qualitas in ipso non probabatur ex eo tantum, quod Bassii pater in vivis adhuc foret. Nam pater illum forsan emancipaverant, et patriæ potestatis nexibus ipse solutus erat, dùm literæ collybisticæ subscripsit. Non levis erat hujusce rei conjectura silentium ejusdem Bassii coram Judicibus Bononiensibus, apud quos nunquam filii-familias qualitatem protulit ad inimicas judicii vices deflectendas. Praeterea non quidquam Bassius proficeret, si probaret se fuisse filium familias. Agitur enim in proposita specie de collybistica litera, in quo casu, tum minorum, tum mulierum, tum etiam filiorum familias privilegia in irritum cedunt, ut bene notat *Ansald. de Commerc. et Mercat. Disc. gen. n.* 89.

Nullius etiam ponderis erat, quod objiciebatur, literam collybisticam usuraria labe infectam fore. Hujusmodi enim exceptio, quae altiorem omnino indaginem desiderat, et discretam judicii sedem, nullatenus in medium proferri poterat ad avertendam vim actionis paratæ, et expeditissimi judicii, quod ex litera collybistica profluit, ut Sacer N. Ordo docet in *Romana Pecuniaria* 24 *Februarii* 1832 § 4 *cor. Me.* Insuper unicum argumentum, quod ad usurariam pravitatem evincendam adducebatur, erat epistola quædam a Pizzolio producta, quæ scripta dicebatur a Camillo Gamberini, et in qua sermo erat de fructibus, ac interusuriis. Verum nullam isthæc epistola fidem sibi comparabat: quia Camillus eamdem fore suam negavit, criminale judicium adversus Pizzolium minitans, si ipse dolosis artibus Bassii obsequens, ea in posterum uteretur; propterea que ex declaratione ejusdem Pizzolii, ac eadem epistola diligentius perpensa, fuit in propatulo Camillo hanc adscribi non posse. Nec hujusce epistolii, quavis in falsissima hypothesi, sensus satis erat, ut usurariam labem in collybistica litera evinceret. In illc enim agitur quidem de usuris persolvendis, sed eo tantum in casu, in quo literæ collybisticæ solutio ad alterum triennium ex Camilli concessione prorogaretur. Quod sana non demonstrabant usuras jamdiu inesse in litera collybistica, super qua disputabatur. 6

Levissimum porro, et inane prorsus 7

Digitized by Google

videbatur illud, quod a Bassii defensoribus proponebatur; improbabile scilicet omnino esse, quod tres Bononienses eadem die Ferrariæ convenerint pro scribenda, acceptanda, et recidienda litera collybistica, et quod triennii terminis fuerit constitutus ad solutionem scutorum 1400. Quod enim ad primum attinet, compertum sane est, amplam, et celebrem esse viam, quæ ex Bononia Ferrariam ducit, eamdemque adeo per brevem, ut quivis possit absque incommodo unius diei spatio ire, atque redire, ita ut mirum profecto esse non possit, quod tres Bononienses eadem die fuerint Ferrariæ. Quod vero attinet ad distentum tempus solutionis literæ collybisticæ ad triennium, nullum exinde validum argumentum deducebatur, dum, e contra reponi poterat id etiam ex liberalitate Camilli processisse. Porro hæ, et allatæ omnes exceptiones rejiciendæ prorsus erant prout vagæ nimium, et futiles in præsenti judicio expeditissimo, in quo eæ tantum admittuntur, quæ rem luculentissime evincunt. Hisce omnibus itaque mature perpensis, compertissimum apparebat jus Caroli, contra Bassium, et Maglii hæredes, alterum debitorem, alterum acceptantem nummariæ tesseræ, ac etiam contra gyrantem Camillum pro consequutione scutorum 1400, ac ideo S. Tribunal, justitia duce, decrevit non esse locum examini testium quoad assertam antidatam, et prædictos omnes devinctos teneri erga Carolum pro solutione literæ collybisticæ una cum cambiis, et recambiis, damnis, et expensis etiam extrajudicialibus, suspenso interim, ex indulgentia, mandato perronali adversus eos.

Et ita etc. in virili partium certamine jus redditum est.



# CAESENATEN

## LIBERATIONIS A MOLESTIIS QUOAD LIQUIDADIONEM FRUCTUUM

*Veneris 7. Decembris* 1832.

## ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

### SUMMARIUM

1. *Cum damna derivent inquem piam ex rejudicata, socii qui hunc liberare teneantur a molestiis, socialis negotii caussa inlatis, omnia damna reficere teneatur.*

   *Resjudicata semper pro veritate habetur - ibidem. -*

2. *Est Tribunialium Ditionis Pontificiae in praefiniendis praediorum fructibus, hos pro modo nummorum quinque in singula centum pretii fundorum rusticorum, constituere.*

3. *Fructus ea die deflaere incipiunt, in qua resjudicata hoc idem praescribat.*

## DECISIO CCCCXVIII.

Inita societate, Come Octavius Agoselli, Eques Carolus della Massa, Joannes Baptista Lacchini, et Joachim Marcucci, ad triennium conduxerunt anno 1796 a Communitate Cæsenatensi Officium publicæ Depositariæ. Socialibus negotiis, uti institor, ac capserius præfinitur Joachim Marcucci, qui hoc nomine die 7 Aprilis ejusdem anni fœnore recepit ab Octavia Palavesia scuta termillo in socialis rei utilitatem impendenda. Capitis restitutionem infra semestre spopondit, et quincunces usuras usque ad ipsius restitutionem. Verum, quum stata die receptam pecuniam non repræsentavissent, Constantinus Montaltius, in quem Octaviæ Palavesiæ jura ex cessione commigraverant, ipsi diem dixit, obtinuitque a Judice subhastationem prædii cujusdam ipsi Marcuccio spectantis, quod, post frustra tentatam licitationem, creditori Montaltio sub die 22 Novembris anni 1825 tandem adjudicatum fuit in nominis sui extinctionem. Perducta in-

Digitized by Google

terea ad exitum societate, Marcuccius institit apud socios, ut se pro amisso prædio indemnem præstarent, sed, cum plurima obortæ fuissent contentiones super socialibus rationibus, placuit quæstiones omnes bonorum virorum arbitrio dirimendas proponere. Delecti arbitri sub die 14 Augusti anni 1807 Laudum emisere, quo damnarunt socios ad repræsentandas Marcuccio tres ex quatuor partibus fructuum, ad rationem quincuncem pensitandorum a die 1 Januarii 1801 ad integrum annum 1806, sine præjudicio illorum, qui in posterum decurrerent.

Quum autem arbitralis Sententia nihil super capite statuisset, nec quidquam hoc nomine recepisset Marcuccius, ut sibi prospiceret, socios in judicium rapuit apud Juridicum Collegium Foroliviense Primæ Instantiæ, a quo sub die 5. Februarii 1812. ipsi damnati sunt ad indemnem reddendum Marcuccium pro tribus ex quatuor partibus capitis, et usurarum a die amissi prædii. Provocaverunt ipsi ab hac Sententia coram Boneniensi Aula Appellationis, quæ editum judicium confirmavit, et exorta ex legibus Itali Regni ibi tunc vigentibus rejudicata, duo ex sociis, Massa et Agoscliius, pro virili quota persolverunt Josepho Pasini cessionario Joachimi Marcucci, quod debebant. Ast conjuges Guidi, qui in Joannis Baptistæ Lacchini locum successerant, restituto Pontificio Regimine, a Supremo Tribunali Signatura obtinuerunt in discrimen adducere apud Sacrum Nostrum Ordinem validitatem rei judicatæ, quæ tamen confirmata fuit Sententia edita post *Decisionem diei 25 Junii 1817 coram nunc Emo Tiberi.* Supererat quæstio super fructuum liquidatione, et rogati PP. in Comitiis diei 22 Junii 1821 = *An, et in qua summa, et a quo tempore sint liquidandi fructus, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* Responsum dedere, silentibus conjogibus Guidi ». *Affirmative, et esse liquidandos fructus ad rationem scutorum 5 pro quolibet centeno et anno a die 22. Novembris anni* **1806**, *et esse relaxandum mandatum* = Hodie vero, iterum excitato certamine, et a me in locum Emi Tiberi suffecto, translatitia Dubii formula exquisivi » *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* » et rursus conjugibus Guidi deserentibus vadimonium, responsum est = *Pro Informante* » nempe » *In Decisis* =

Rejudicata statutum fuit socios Joachimi ipsum indemnem præstare debere pro prædio, quod pro sociali debito Constantinus Montalti creditur societatis diræ præconum voci primum subjecit, et deinde sibi adjudicavit. Porro damna quum derivaverint in Marcuccium ex adjudicato prædio, socii, qui hunc liberare tenebantur a molestiis, socialis negotii caussa inlatis, non modo præstare debent quidquid ipse amisit, sed etiam reficere omnia damna, quæ ipse fuerit perpassus ut post *Gloss. in Leg. si una ff. de Evict docet Sacra Rota præsertim in Romana Liberationis a molestiis diei* 2. *Aprilis* 1817. §. 4. *cor. Rmo P. D. Meo Spada S. R. Decano.* Quum ita vero fuerit constitutum per remjudicatam nequit amplius hodie in discrimen adduci, quia resjudicata semper pro veritate habetur ad *Text. in Leg.* 205 *de Regulis juris, et Rota in Nullius seu Farfen. Jurispascendi super damnis diei* 10 *Februarii* 1794 §. 2 *cor. Resta*; *in Ferrarien. Transactionis* 3 *Junii* 1793 § 5 *coram de Bayanne*; *in Romana Damnorum* 5 *Februarii* 1819 *cor. R. P. D. Meo Spada S. R. Decano, et confirmatoria diei* 4 *Junii ejusdem anni* §. 4 *cor. Eodem.* 1

Posito itaque quod caput et fructus debeantur a Sociis Marcuccio, vel ejus cessionario Pasinio, nulla profecto esse poterat difficultas pro eorum modo constituendo. Præstari enim debebant, fructus a viris, qui Italici tunc temporis vigentis Regni Legibus subjacebant, quibus statutum fuerat Lege 3 Octobris 1807 quod » *L' interesse sarà in materia civile del cinque per cento* = Quam quincuncem fructuum rationem, ab Italicis Legibus præfinitam, eo facilius rogati Patres comprobabant, quum viderent, hanc esse communiter consuetudinem Tribunalium Ditionis Pon- 2

Digitized by Google

tificiæ in præfiniendis prædiorum fructibus, ut eos constituant pro modo nummorum quinque in singula centum pretii fundorum rusticorum, uti advertit Rota *in Recent. decis.* 250 *num.* 1 *Part.* 2 *dec.* 523 *num.* 2. *part.* 5 *tom.* 2.. *in Pisauren. Immissionis seu, subhastationis* 25 *Junii* 1815 *cor. Emo Cesarei* §. 5 *et* 3. In proposita vero specie quincuncem hanc fructuum taxationem admittendam esse judicabant etiam ex eo. quod collibistica pecunia, recepta a Marcuccio in utilitatem societatis, quincunces usuras progignebat. Quum itaque socii pro eorum quota adhuc gravarentur hujusmodi usuris, nisi adjudicatione fundi proprii eos Marcuccius liberasset, profecto quum perpassum damnum reficere debeant, equum est, ut quincunces præstent usuras, ut arguit laudata *Decisio Emi Tiberi* §. 3

3 Levis autem momenti erat prænire diem, ex quo constitutæ quincunces usuræ defluere debuissent. Absolutissima enim resjudicata præscripserat fructus compensativos Marcuccio deberi a die, in qua prædium illius ad contracti nominis extinctionem adjudicavit sibi Constantinus Montaltius. Nihil aliud igitur disquirendum supererat, quam cognoscere diem, in quo prædium ab eodem amissum est, ut deprehendatur a quo tempore fructus debeantur. Quod quum ex judicialibus actibus colligatur evenisse sub die 22 Novembris anni 1806 ab eadem die fructus præstandi sunt a conjugibus Guidi, ut arguit laudata *Emi Tiberi Decisio* §. 6

Et ita etc. Unica etc.

---

## CIVITATIS PLEBIS

### ASSOCIATIONIS

*Veneris* 3. *Februarii* 1832.

### ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae infirmatur - DECISIO CCCXCVI. -

**SUMMARIUM**

1. *Exceptio in separato judicio proponenda, non potest cum associationis actione confundi, quae a creditore postulatur instrumento census in implicito validitatis statu manente.*
2. *Pontificium Rescriptum nequit in discrimen revocari, nisi obtenta prius oris apertione ex vitio juris quaesiti.*

   *Ut associationis remedium contra tertium censiti fundi possessorem valeat exerceri; satis non est creditori insolutos fructus ostendere; sed oportet praeterea, ut hypothecaria polleat inscriptione non solum pro capite, sed pro iisdem imo fructibus, pro quibus associatio reposcitur ibid.* - Et num. 4. -
3. *Posteriores, prioribus legibus derogantes illaeque in quaestionibus eliminandis sunt consulendae.*
5. *Tantum juris contra tertium competit, quantum in hypothecaria inscriptione continetur.*
6. *Eadem urget decidendi ratio quoad fundum, quam quoad finali fructus.*
7. *Associatio nunquam decerni potest nisi evidenter constet de certa fructuum summa, unde tempus, pro quo debeat associationis remedium adhiberi, cognoscatur.*
8. *Illiquida est quantitas fructuum si reductio facta sit non juxta epocham gesti contractus sed in tempus anterius.*
9. *Jus vigilantibus non dormientibus succurrit.*

## DECISIO CCCCXIX.

Ut suis occurreret necessitatibus Anastasius Frattini censum scutorum *mille quadrigentorum* papyraceæ monetæ, et cum annuis fructibus in trientis, et paulo amplius quantitate præfinitis, ineunte Aprili anni 1798., imposuit super prædio quodam in Agro Civitatis Plebis in Umbria posito, cumque vendidit Præsbytero Aloysio Melosi, qui non nomine proprio, sed uti Curator Seminarii Episcopalis ejusdem Civitatis cum Frattinio contraxit; Mox, abrogatis cupreis nummis, ac papyraceis Schedis et moneta tantum integræ æstimationis in commercio vigente, novis anno 1803 data fuit opera publicis tabulis, cujus ope census caput, in papyracea moneta primo constitutum ad nummos argenteos *septingentos quinquaginta sex*, reductione ad Legum tramites facta, imminutum fuit. Interea tamen temporis, Frattinius novis

Digitized by Google

pressus angustiis, prædium illud vinculo census irretitum, nulla confecta scriptura, vendidit amico, et propinquo suo Aloysio Dinio, qui cum nullum suspicaretur census nexum, totamque rem bona fide gessisset, nec creditorem census de conclusa emptione venditione monuit, nec statim curavit acquisitionis suæ titulum exhiberi in publici census tabulis: quod non fuit nisi, longo elapso tempore, nimirum ad mensem Majum anni 1804.

Postea vero idem Frattinius facultatibus omnino lapsus creditoribus decoxit suis idque causam præbuit, cur tributorium judicium n creditoribus indiceretur, apud Præsidem Oppidi Plebani, qui non modo validum, legitimamque Sententia sua dixit emptiunem fundi censiti, verbo tenus initam inter Fratfinium ac Dinium, deque ea publicum instrumentum celebrari jussit; verum etiam suam unicuique creditori sedem tribuit, et postremum gradum assignavit Venerab. Seminario pro fructibus insolutis census pro quibus hypothecaria ei deficiebat inscriptio. Quæ eum ita essent non reclamandum censuit ab hoc judicio, cui et ipse interfuerat, Canonicus Andreas Orlandi, qui modo sedulam navat operam administrationi Venerabilis Seminarii, sed molestias retorquere se posse existimavit adversus eum associationem ad fundum postulare, ut de fructibus non solutis satisfieret. Id vero ut magis sibi beneverteret, datis primum precibus Sa. Me. Leonis XII sanari vitium obtinuit, quod ex defectu non numeratæ inter stipulandum pecuniæ in census contractum irreperat, insuperque impetravit etiam, ut associationis quæstio adversus Donium exercenda Nostro S. Ordini committeretur, sub Lege judicium absolvendi = *præviis duabus Decisionibus videntibus omnibus Dominis, et Appellatione remota.*

Et primo quidem bene res eessit Venerabili Seminarii Moderatori. Nam, judicii aleam refugientibus Diniis, eum disputata fuisset in Comitiis diei 18. Aprilis superioris anni Dubij formula ita concepta = *An sit locus Associationi, ita ut relaxandum mandatum in casu etc.* Responsum datum est = = *Pro Informante* = scilicet = *Affirmative et esse relaxandum mandatum* =, prout videre est ex Decisione mea, tunc temporis evulgata. Sed ita ferente Pontificiæ Delegationis Lege, instauratum certamen fuit eodem anno superiore ad diem *decimam* Junii. Tunc quoque vadimonium deseruerunt interim defuncti Aloysii filii, et hæredes. Quamobrem factum exinde est, ut prima Decisio confirmaretur Decisione altera, quam ego pariter ad dictam diem publici juris feci. Potestate tamen Diniis elargita adversus utramque Decisionem obloquendi, adeo ipsi factorum momento illustrarunt, adeoque in contrariam partem mutata sunt omnia, ut Sacer N. Ordo, non ex animi inconstantia, sed ex ea docilitate, quam nova monumenta per Dinios edita requirebant, omnino debuerit mutare sententiam, propositæque de more rogationi respondere = *Recedendum a Decisis* =.

Antequam rationum momenta perpendantur, ex quibus motus N. Sacer Ordo recessit a Decisis, operæ precium erit animadvertere, nihil hodierna delinitione detractum censeri debere eis omnibus, quæ utraque præterita Decisio cumulat, ut exploratum faciat in abrogatione utilis *Salviani Interdicti*, per hypothecarias Leges inducta, haud quaquam comprehendi associationem, quæ etiam post hypothecarias Leges utiliter exercetur. Nihil pariter detractum intelligendum est validitati stipulationis census, quum ad eliminandam nullitatis querelam, etiamsi nulla alia ratio suppeteret, hoc unum animadvertisse sufficeret, banc exceptionem in separato judicio proponendam esse, neque posse cum associationis actione confundi, quæ a crediture postulator instrumento census in implicito validitatis statu manente. Demum nihil pariter detractum dici debet religiosæ observantiae Pontificii Rescripti, ex quo sanatum fuit vitium non numeratae inter stipulandum pecuniae, quamvis a Seminari Moderatore fuerit 1

disertis verbis in precibus expressum, ideo Pontificis auctoritatem implorari, ut exinde liceret ob decoctionem debitoris quaestionem in tertios possessores movere et associationis actionem pro fructibus insolutis adversus eos instruere.

2 Hoc autem in casu valet Supremi Pontificis gratia tam in debitorem, quam etiam in tertium, etiamsi in Pontificio Rescripto non fuerit de more derogatum notissimae Cancellariae regulae de jure quaesito non tollendo, cui implicite per Rescriptum ipsum, absque explicita mentione derogatum censetur. Verum utcumque res sit absque piaculo non potest Pontificium Rescriptum in discrimen revocari, nisi obtenta prius oris aperitione ex vitio juris quæsiti, quod fuerit deletum, vel ex vitio etiam obreptionis, vel subreptionis quod preces inficiat, quibus Rescriptum innititur. Præmonenda hæc erant ut quodammodo satisfieret litigantibus plura de hisce quæstionibus a præsenti judicio extraneis cumulantibus. Cæterum diversa admodum est ratio, qua ducti existimarunt Patres Domini associationem esse denagandam. Porro ratio decidendi in eo potissimum versatur, quod petenti associationem pro fructibus hypothecaria eorum desit inscriptio. Nam; ut associationis remedium contra *tertium* censiti fundi possessorem valeat exerceri: satis non est creditori insolutos fructus ostendere; sed oportet præterea, ut hypothecaria polleat inscriptione non solum pro capite, sed pro iisdem imo fructibus, pro quibus associatio reposcitur.

3 Porro quidquid fuerit antiquitus, et ex veteri jure, ex quo in vim clausularum *constituti et precarii* dabatur creditori licentia sese in fundi possessionem immittendi, ejusque reditus tamdiu percipiendi, quamdiu ei fuisset de fructibus insolutis satisfactum, ut late expendit *prima Dec.* § 3 *atque altera* § 2, utraque de veteri jure disserens, hodie diversa res est diversumque jus invaluit per hypothecarias Leges, ex quibus nihil demum præstant clausulæ illæ *constituti*, *et precarii*, nihilque proficit ad obtinendam contra tertium associationem peracta capitis inscriptio, nisi quoque a creditore probetur, fructuum nomen pro quibus urget associationem, in hypothecariis Codicibus pariter inscripsisse. Expressa est, neque interprete indiget hypothecaria Lex S. M. Leonis XII, quæ *Cap.* 1. *Art.* 8 ita praescripsit = *La ipoteca non desume il suo grado, e la sua anteriorità, se nonchè dalla data della iscrizione, che deve prendersi per ogni credito, non esclusi i Censi* = Atque ita ad hujusce legis tramites judicatum semper fuit a Sacro Nostro Auditorio, prout præ cæteris probant ejus oracula in *Romana Solviani* 17 *Junii* 1816 *cor. Serlupi*, *in Romana Graduationis* 7 *Martii* 1817 § *cor. Emo Odescalchi*, *et in Fanen. Subhastationis* 25 *Junii* 1819 § 8 *cor. Zinanni.*

In eo etiam durior erat hypothecaria Lex S. M. Pii Septimi quod, licet comprehendi sineret sub capitis inscriptione triennii fructus, de iis tamen expressam in inscriptione ipsa fieri mentionem jusserat. Huic scrupolositati ante vertit Leonina reformatio, quæ fructus triennii in inscriptione capitis omnino contineri voluit, etiam absque explicita eorum mentione. At quoad fructus insolutos, et extra triennium vel peculiares de iis mentionem fieri in inscriptione capitis jussit, vel expressim onus inscriptionis injunxit, sine qua condici adversus tertium fructus ipsi nequeunt. Ita siquidem in Motu Proprii diei 30 Januarii 1828 *Articulum* 52 cavetur = *Il creditore iscritto per un capitale fruttifero conserva per ministero di Legge l'ipoteca con l'anteriorità, eguale al capitale, per i frutti dell' anno corrente, ossia di quell' intero anno, in cui seguì l'iscrizione, e di altri due quantunque, di cui nella sussistenza del credito siane rimasto arretrato; e non sodisfatto; e ciò sebbene nella iscrizione del capitale venga omesso di enuneiore i frutti, ed interessi suddetti. Per gl' arretrati più antichi se ne deve fare speciale menzione nella richiesta della iscrizione pel capitale, o potrà prendersene iscrizione se-* 4

*parata, come per gli posteriori, quando siano decorsi a menochè non venga frà le parti convenuta una speciale ipoteca anche per li frutti decorrendi, nel qual caso è permesso d'iscriverla insieme coll' altra della sorte principale.*

5 Cum vero unum censuale nomen, non autem fructus Ven. Seminarium inscripserit, ex ipsa legis Sententia sequitur agere pro fructibus adversas Dinios tertius possessores non posse. Semelac namque Lege sancitum est de fructibus insolutis ante, vel post triennium inscriptionis, aut mentionem fieri debere in inscriptione capitis, aut separatam inscriptionem suscipiendam esse, nemo profecto non intelligit associationem contra tertium postulanti haud suffragati simplicem capitis inscriptionem absque fructuum mentione, perinde ab si per illam tertius censiti fundi possessor fiat debitor fructuum, contra quem impune fructuum inscriptio prætermitti possit. Qua de re tantum juris contra tertium competit, quantum in hypothecaria inscriptione continetur. Ex quo fit ut qui unum caput inscripsit pro uno capite persequi tertium possessorem valeat, quin inscriptio ista trahi possit ad fructus, qui separatum constituunt creditum, aut peculiari mentione, aut separata inscriptione indigens, veluti, cæteris missis, optime arguit S. Nostrum Tribunal *in Romana Associationis* 6 *Martii* 1826 § 8 *cor. Martinez.*

6 Nec recte inquiebant Ven. Seminarii defensores, necessariam utique esse inscriptionem, si censitus ipse fundus excuteretur, non item quum fundi fructus postulantur. Id enim nil aliud erat, quam apertam sanctionem legis de fructibus, vel memorandis in inscriptione capitis, vel nova inscriptione muniendis, inficiari. Cæterum eadem urget decidendi ratio quoad fundum, quam quoad fundi fructus. Si deficiente siquidem inscriptione exculi fundus nequit, quia tertius in ejus possessione bona fide versatur, ita etiam fructus peti sine inscriptione nequeunt, quia fructus etiam ad tertium pertinent bonae fidei possessorem. Quia Ven. Seminario prodesse valeat inscriptionem pro capite suscepisse, Gallis summam rerum obtinentibus ex quorum Legibus nulla opus erat inscriptione vel peculiari mentione pro fructibus triennii. Quantum enim utilis eo tempore inscriptio fuisset tantum inutilis evasit post exactos Gallos, et post novas Leges superventas, quæ inscriptiones hypothecarias ad novi juris tramites corrigi, et emendari mandarunt, ut suum sortiri possent effectum.

Atque hæc ratio est, cur neganda etiam sit associatio sive pro fructibus ante Leges hypothecarias debitis, sive pro fructibus triennii. Novis quippe Legibus editis, quæ novam inscribendi formam induxerunt, Ven. Seminarii erat anterioribus suis creditis in causam fructuum insolutorum hypothecaria inscriptione consulere: quod sane cum omnino neglexerint Ven. Seminarii Moderatores sibi ipsis imputare debent, si a jure ceciderint decursus jamdiu fructus penes quemcumque censiti fundi possessorem condirendi. Ad hæc accedit deficere in specie certam, ac determinatam fructuum quantitatem, pro quibus non solutis urget Ven. Seminarium associationem decerni nunquam posse nisi evidenter constet de certa, ac liquida fructuum summa, unde etiam cognosci valeat tempus pro quo debeat remedium associationis adhiberi; *Pacif. de Ralvian. Interdict. Inspect.* 1 *cap.* 5 *num.* 2, *Rot. Dec.* 55 *num.* 3 *cor. Bichio*, *Decis.* 185 *num.* 10, *cor. cor. eodem, et Decis.* 106 *numer.* 10 *cor. Tanario.* In themate autem fructuum creditum non solum in genere proponitur sed valde arduum, et implexum esse videtur fundamentum liquidationis ineundæ, quin dubitari potest an fructus decurrere nunc legitimo potuerint antequam Pontificium prodiret Rescriptum a Ven. Seminario imploratum, ad sanandum vitium nullitatis census ex defectu numeratae pecuniae. 7

Maxime quia de re, et Principis venia agitur, quæ detrimentum infert tertio possessori qui bona fide prædium coemit censtum, quique ignarus erat 8

fructuum vere debitorum. Verum ex eo etiam illiquida est quantitas fructuum, quod licet census initus fuerit ad diem *tertiam* prilis anni 1798, quo sane tempore vilissima erat chartaceæ monetæ æstimatio, reductio tamen facta fuit non juxta epocham gesti contractus sed in tempus anterius, quando nondum adeo vilescebat chartacea moneta, Tota vero hujusce rei compages confessioni innititur debitoris, qui cedulas multo ante recepisse declaravit, quique confessione sua tertio nocere non potuit: cum potissimum. Post Pontificium Rescriptum, quod vitium sanavit non numeratæ inter stipulandum pecuniæ, ita habenda res est perinde ac si ipsa die initi contractus, nimirum ad diem tertiam Aprilis anni 1798, traditæ cedulæ fuissent. Demum sub ipsos Ven. Seminarii oculos translatum in Dinios censitum fundum fuisse ab omni onere exemptum controverti nequit ex ipso tributorio judicio, quod reddidit jusdicens Oppidi Plebani. Cum igitur de Rejudicata agatur, quæ evulgata fuit præsente Ven, Seminario haud res censenda est tamquam inter alios acta, sed ipsum afficit Seminarium, eique impedimento est, quominus persequi Dinios pro census fructibus possit donec ea maneat Resjudicata.

9 Provocabant denique Seminarii defensores ad æquitatem, ex eaque maxime durum esse dicebant, ut Pius Locus insigni fructuum credito fraudaretur. At jura nostra non dormientibus, sed vigilantibus succurrunt, cumque ex incurio Moderatorum Ven. Seminarii factum sit, ut posthabita fuerit fructuum inscriptio, exindeque quæsitum sit porsessori fundi jus impune faciendi fructus suos, profecto ut æquitas erga Seminarium exerceatur, non debet injuria fieri Diniis, sed justitia prævaleat oportet æquitati. Cæterum præsto est Ven. Seminario actio ad censuale caput repetendum, decoxit siquidem census debitor, indictoque super ejus patrimonio creditorum concursu, tum omnibus ipsis creditoribus, tum Seminario sua data fuit sedes nedum pro fructibus, verum etiam pro capite. Integrum ergo est Seminario quoties ex patrimonio, quod est *sub bancha Judicis* suum consequi creditum nequeat, fundum impetere a tertio detentum, quem sibi hypothecario nexui pro census capite mancipatum habet. Sed quoad fructus idem fundi possessor vexari sine inscriptione non potest.

Atque ita, revocata utraque Decisione, universa Aula in contradictorio judicio definivit.

---

## FANEN DIVISIONIS

### SUPER RELICTO

*Lunae* 18. *Junii* 1832.

### ARGUMENTUM

In ancipiti, lex semper heredem contra legatarium favet - Et ubi in testatoris verbi s nulla est ambiguitas, non debet admitti voluntatis quaestio.

#### SUMMARIUM

*1. Interpetratia legati relicti ex verbis a testatore prolatis desumenda.*

*2. Et in tali interpretratione facienda attendendi eunt mores, et modi proprii, quo utuntur diversae civitatis incolae.*

*3 Judicium ferendum est in re testamentaria secundum mentem testatoris; Et ubi in verbis nulla est ambiguitas non debet admitti voluntatis quaestio.*

*4. Quando agitur de interpetratione testamenti conscripti in idiomate. Extera, ad interpetrationem peritorum standum est.* -Et n.5.-

*6. Testimonia quae ancipitem interpretationem donant, non sunt attendenda.*

*7. Vitia et mendae in tabulis a testatore conscriptis non praejudicant, quando ex adjunctis apertissime patet testatoris voluntas:*

*8. A consuetudine quae vim legis non habet sine piaculo cuique recedere licet.*

*9. Improvida et iniqua Patris dispositio dici nequit quando certis de causis aliquid statuit.*

*10. Indignum est post patulam confessionem suam iterum rem in discrimen adducere, et ita resistere testimonio suo.*

## DECISIO CCCCXX.

Morti jam proximus Comes Camillus Marcolini Pragæ in Bohemis, ubi tunc morabatur, quinctili mense anni 1814 extremum voluntatis suæ signavit elogium, quo Petrum, filium majorem natu, ex asse hæredem, Franciscum vero, natu minorem, in legitima portione instituit, eique præterea legavit quartam partem bonorum, quæ libere possidebat. Vir prænobilis testator vitam semper degerat apud Germanos, utpote, qui secundas gerebat partes in Germanico Regno apud Regem Saxonum, propteresque testamentum ab ipso conditum Germano idiomate exarabatur. Hinc controversia nata est inter fratres, Petrum, et Franciscum, num quarta liberorum bonorum pars, postremo huic relicta, deberetur ex omnibus bonis liberis, quæ pater Camillus, tum ex majorum substantia, tum ex emptionibus ab se conciliatis possederat; vel potius cohibenda esset ad ea tantum bona, quæ libera simul et a testatore acquisita fuissent. Quum caussæ cognitio Sacro huic Ordini proponeretur PP. primum, juxta vota Petri, censuerunt Camillum legavisse Francisco quartam solum partem bonorum, quæ ipse coemerat, ut videre est ex Decisione evulgata a R. P. D. Meo Ruspoli pridie Kalendas Martias anni 1828. Obstrepente Francisco editam Decisionem prorsus pugnare cum vero tabularum sensu, PP. hæserunt in secundo experimento, literasque dederunt Augustissimo Imperatori, et Regi Francisco I, ut per Magistratus suos certam præberet notitiam testamenti, quod Pragæ Camillus ediderat.

Verum Pragæ non amplius asservabantur extremæ tabulæ archetipæ Camilli, et solum extabat exemplar authenticum, quod publica auctoritate transcriptum Romam ab æquissimo Principe remittitur. Quum acrius urgeret Franciscus ut archetipæ tabulæ inspicerentur, Sacer N. Ordo, pro sua æquitate ac diligentia in caussis dijudicandis, de hoc per literas rogavit Serenissimum Saxoniæ Regem, a quo tandem obtentum fuit authenticum exemplar, ab ipsis Camillis tabulis desumptum. Sed quæ ex peculiari tabularum scriptione deduxit Franciscus non adeo valuerunt, ut PP. in nova inita disputatione possent a pandita sententia removere, et altera hinc edita ab eodem R. P. D. Meo Rospoli Decisio sub die 18 Junii 1830, quæ priorem omnino confirmabat. Deinde vero, quum facultas facta fuisset Francisco obloquendi contra editas decisiones adeo probata fuerunt Patribus argumenta ab eo adducta, ut non dubitaverint ab emissa sententia recedere, ut videre est ex duabus Decisionibus, prima diei 21 Aprilis, altera 12 Decembris elapsi anni 1831 ab Eodem R. P. D. Meo Ruspoli vulgatis, quas subsequuta est Rotalis Sententia. Ab hac provocante Petro, mihique Caussæ propositione commissa, Dominos Meos bodie assueta Dubii formula rogavi *An Sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda, in caussa etc.* et, frustra dilationem implorante Petro, ad monumenta conquirenda, quum satis fuerit indultum temporis, responsum habui = *Sententiam Rotalem esse confirmandam.*

1 Nec aliter erat respondendum; quia, etiamsi Petri Oratores in dilatione expostulanda plurima congesserint argumenta, ea tamen tanti non erant, ut comminuere possent ex Rotali Sententia Francisco fratri quæsita. Scilicet per hanc decretum est jure ac merito legatum, huic a patre Camillo relictum quartæ partis bonorum delibandum esse ex omnibus bonis liberis, quæ sunt in hæreditate Camilli. Negabat, et negat id Petrus, contendens patrem nil aliud legasse Francisco quam quartam partem bonorum, quæ vivens sibi acquisierat, non vero partem illorum, quæ libera sibi ex majorum substantia provenerant. Quæ sane Petri interpretatio prorsus excluditur ex verbis ipsis legati, quod germanice scriptum est = *den viertln Theil von meinen besitzenden Frey = und erkauften Gutern* = Siquidem hæc legati verba eodem ferme modo exarata, prout scripta sunt a testatore, et literarum collocatione eam recipiunt

apud Germanos significationem, quæ proprio sensu Italice vertitur = *La quarta parte de' miei posseduti Allodj, e comprati beni.*

2 Etenim hoc positum est in more apud Germanos, quod si scribere debeant verbum, quod iterum, vel pluries sit repetendum, brevitatis gratia, idem non repetant sed adjiciant tantum lineolas (=), alteri verbo, cui illud subdere vellent, et ita subditum intelligitur, quin opus sit repetitione. Pariter substantiva quælibet nomina apud Germanicam Gentem initiali litera majuscula scribuntur, quæ proprium est ac distinctivum substantivorum character. Itaque, quum in archetipo Camilli testamento vox = *Frey* = majuscula litera fuerit exarata, clare demonstrat ipsam substantivam naturam induisse: et quum post se habeat lineolas (=) unum efformat substantivum nomen veluti in duo membra discerptum, qnia ex adjectis lineolis necessario conjungendum est cum extrema periodi voce *Gutern*, quæ, tum ipsi vocabulo *Frey*, tum alteri *erkauften*, cui proxime adhaeret, refertur. Proinde ita accipi debet legatum relictum a Camillo, veluti si fusiori oratione in tabulis scripsisset se legare Francisco quartam partem = *von meinen besitzenden Frey Gutern, und erkauften Gutern* = hoc est = *dei da me posseduti liberi allodiali beni, e comprati beni* =.

3 Siquidem apud Germanos vox *Freygutern* significat = *Allodia* =, seu bona, quæ sunt in libero possessoris dominio nulloque Feudi, vel fideicommissi vinculo devinciuntur. Itaque, quum testator, præter quartam partem bonorum, quæ coemerat, reliquerit etiam quartam partem bonorum, quæ sub hoc nomine *Freygutern* notat, apertissime apparet ipsum sub hoc vocabulo designare voluisse bona, quæ libera sibi ex majorum substantia provenerant; propterea que, et horum, et emptorum simul quartam partem filio Francisco legasse. Quod si aliter in prima Causæ propositione Patres censuerunt, id eveniebat quòd nondum de modo, et forma adhibita in scribendo legato constiterat, et res dubii, et ambiguitatis plena dijudicari debebat, juxta regulas juris, quæ in ancipiti semper hæredem contra legatarium faveril. Verum, cum in præsenti omnis ambiguitas fuerit sublata, nihil opus erat conjectionibus, nec locum sibi vindicare poterant juris regulæ, atque illud solummodo judicium ferendum, quod perspicuis, patulisque testatoris verbis responderet, quia, monente Ulpiano *in lege* 25 *ff de Legatis*, = *ubi in verbis nulla est ambiguitas, non debet admitti voluntatis quæstio* =, prout advertit consultissima postrema *Decisio R. P. D. Mei Ruspoli* § 4.

4 Nec quidquam movebant Patres quæcumque a Petri defensoribus refricabantur, ut significationem vocis *Frey* immutarent, vel in adjectivum *Freyen* eam convertendo, ut inde verba legati in Italicam linguam traducerent = *la quarta parte dei liberi e comprati beni* =; vel in adverbium commutando, ut talis sensus Italica locutione eliceretur = *la quarta parte dei liberamente comprati beni* =. Germanorum enim scribendi ratio vehementer obstat, quod vox illa *Frey*, majuscula litera initiali exarata, inter adjectiva nomina referri possit, quum hujusmodi scriptionis methodus propria tantum sit substantivorum. Nec exi de dici poterat quod lineolæ (=), quæ ipsam vocem sequuntur, referantur ad syllabam finalem *en*, adjectivi verbi *erkauften* proxime sequentis. Siquidem hujusmodi vox adjectiva innititur alteri voci substantiæ *Gutern*, quæ cum voce *Frey* unum vocabulum efformat in duo membra divisum. Pariter ex ejusdem Germanicæ linguæ legibus hoc idem vocabulum tamquam adverbium considerari nequibat. Scilicet quum adverbium ex firma loquendi regula Germani semper collocent ante substantivum, vel adjectivum, cui refertur, vox *Frey* esse non potest adverbium participii *besitzenden*, ad instar adjectivi usurpati, quippe post hoc positum est; nec adverbium verbi *erkauften*, quod sequitur, quia vetant adjectæ lineolæ (=), atque interjecta particula *und* (et); præsertim quum, si veluti adverbium habeatur, præberet sensu a communi usu longe abhorrentem, veluti si testator scripsis-

set se relinquere Francisco = *la quarta parte dei liberamente, e comprati beni* =, prout arguit prælaudata *Decisio* § 5. Et hoc adeo verum est, ut plerique Vindobonenses Jurisconsulti, qui putarunt legatum circumscribi ad bona libere empta, attamen censuerunt vocem = Frey =, prout in testamento Camilli jacet, non posse omnino pro adverbio haberi, quin Germanicæ linguæ usus, ac regolæ penitus habeantur.

5 Eoque pronius in hanc sententiam veniebant Domini Mei, quod legatum præstari debuisset ex omnibus bonis liberis a Camillo relictis, quia comperiebant hanc significationem importare verba testamenti, sententia plurium, earumque celebriorum Germaniæ Universitatum. Ita enim sentiebant Universitates Berolini, Gottingæ, Tubingæ, Hallæ, Freiburgi, Bonæ, Konisbergæ, Argentorati, Basileæ, Monachii, Bernæ, Zurigii, Lipsiæ, quarum vota in anterioribus experimentis fuerunt a Comite Francisco producta; queis adjectum est in hodierno certamine votum insignium Universitatum Ienæ, et Kilomii. Quum vero hujusmodi Universitates gravissimam habeant auctoritatem in Germania, et paucæ, vel nullæ sint, præter eas, quæ afferri mereantur, profecto Sacer N. Ordo, Germanicæ linguæ expers, ipsarum interpretationi, tam communi consensu receptæ, accedere debet. Calculum adjiciebat quod, si qui sunt periti viri, tum Itali, tum Germani, qui vim Germanicæ linguæ cognoscunt, ii fere omnes mire consonant cum interpretatione data ab hisce Universitatibus, et rationum momentis, ab ipsa natura Germani idiomatis deprompțis, evincant testatorem verbis, quibus usus est, nil aliud indicare potuisse, quam se legare Francisco quartam partem omnium bonorum, quæ ab omni feudo vel fideicommissi vinculi immunia possidebat,

6 Quæ sane testimonia a Francisco allata majorem sibi vindicabunt etiam fidem ex eo, quod testimonia a Petro prolata nullimode cum illis comparari possent. Paucos enim numero afferebat interpretes, qui, ex verbis testamenti, legatum cohibendum esse censerent ad bona tantum libera a testatore acquisita. Nec hi nobilitate, aut doctrina conferri poterant cum illis, quos Franciscus produxerat; eo vel magis, quod, pro maxima eorum parte, non sint Germani, sed homines conquisiti Neapolis, aut alia Italiæ parte, qui facile vincuntur a Germanis testificantibus de vi verborum vernaculi idiomatis. Contra vero tot vota Universitatum primum proferebatur in medium Universitas Rostokensis, deinde etiam adjiciebantur sententiæ quorumdam Antecessorum Vindobonæ, et Pragæ in Bohemis, quæ vota Universitatum a Petri defensoribus nuncupantur. Sed hujusmodi testimonia nullam sibi fidem conciliabant, quia ancipitem interpretationem donant, vel, si indubiam favore Petri producunt, eamdem desumunt ex juris regulis, et ex integro tabularum contextu, ac grammaticam quæstionem non tractant, de qua unice solliciti erant Patres, quoniam, juris ipsi consultissimi, aliena opera non indigebant ad judicandum quid juris esset in proposita quæstione. Quod si, quæstionem hanc ii Antecessores pertractarunt, probe noscentes vim vocis *Frey* littera initiali exaratæ, (quæ tanti est ut Universitas Lipsiensis, primum favens Petro, quum id cognoverit, non dubitaverit a sententia recedere, et pro Francisco respondere), conati sunt haud validis argumentis ostendere illam scriptionem, quæ observatur in archietipis tabulis, ex errore ita scriptam fuisse, vel ex calamo scribentis excidisse.

Siquidem ajebant testatorem tabulas 7
manu sua non exarasse; easdem vitiis, ac mendis fuisse refertas; et pluribus ex adjunctis apertissime patere ipsius voluntatem non fuisse ut tam pingue legatum ab hærede præstaretur. Verum hæc nihil valebant apud DD. Meos, qui observabant quod, quamvis testator non scripserit tabulas, non idcirco tamen fingi potest adeo incuriosus, ut, qui hæredem, qui legata, qui singula quæque ore suo nuncupavit, qui manu sua tabulas suscripsit, non adverteret quidquid alter jussu suo scriptitaret. Nec hebes, aut crassi ingenii testator,

Digitized by Google

sed vir acutissimus, et solertissimus erat; qui non rudem hominem, non vulgarem, tabulis scribendis adhibebat, sed utebatur viro Advocato, et Judiciario in Tribunali Pragæ, ut jactitant Petri defensores. Præterea testator haud semel usus est ac dicendi ratione *Frey = und erkauften Gutern*, sed quatuor in testamento suo adhibuit eodem semper modo, et eadem legandi causa. Quæ sane repetitio demonstrabat scriptionem non fuisse mendose, aut per imprudentiam, sed consulto a testatore professam, filio Francisco amplius legatum relinqueret. Nec quidquam movebat Patres documentum scriptoris testamenti Feyrtagii, de scriptione, et sensu verborum legati disserentis. Nullam enim primum merebatur fidem, quia nondum ab eo fuerat subscriptum; deinde aperte patet exaratum fuisse ab homine, qui gratificari volebat Comiti Petro, cujus res familiares procurabat, dum falso affirmat se exaravisse vocem *Frey*, ex qua tota dependet quæstio, litera initiali minuscula, quando constat quater initialem majusculam in scribendo illo verbo ab eodem fuisse adhibitam.

8 Inter cætera vero argumenta, quæ proferebatur contra interpretationem receptam a Sacro N. Ordine, illud afferebatur depromptum a consuetudine Nobilium Germanorum, qui solent bona libera a majoribus accepta transferre in filios primogenitos; quæ vero ipsi sibi comparaverint relinquere ceteris filiis, vel etiam alienis hæredibus. Sed hujusmodi consuetudo, quæ vim legis non habet, et a qua sine piaculo cuique recedere licet, potius Patres in emissa sententia confirmabat. Siquidem, quum testator potuisset scribere in testamento se legare Francisco quartam partem omnium bonorum ab ipso emptorum, maluit fusiori oratione legatum relinquere, et voluntatem suam pandere, ne qua dubitatio ex hujusmodi consuetudine suboriri posset. Non enim superfluum, ut ajebant Petri defensores, sed potius studiosum sermonem adhibebat testator, dum legabat filio Francisco = *den vierten Theil von meinen besitzenden Frey = und erkausten Gutern* = *In quarta parte de miei posseduti allodj, e comprati beni* = Nimirum hisce ex verbis apparet testatorem probe novisse discrimen, quod inter bona ab se relicta intercedebat. Nam quum hæredem ex asse Petrum, majorem natu, scripsisset, profitereturque huio deberi bona fideicommissaria, alteri filio Francisco, præter legitimam, legabat quadrantem, non modo bonorum, quæ coemerat, sed etiam illorum, quæ a majoribus recepisset, et quæ ex Germanorum Nobilium consuetudine veluti diversa habentur, ut fusius do his omnibus arguit præterita laudata *Dec's.* §§. 11 12 *et* 14.

Nec improvida, aut iniqua dici potest Camilli dispositio ex eo, quod major natu Petrus, hæres institutus, minorem ex bonis liberis patris recipiat portionem, quam Franciscus. Nam quum Camillus, præter res immobiles ingentes in rebus mobilibus possederit, quumque Germaniei legati verbis immobilia tantum veniat; facili negotio perspicitur non adeo male habitum a patre fuisse Petrum, cui magnæ opes relictæ sunt in rebus mobilibus, ex quibus fratri legitimam tantum portionem decerpere licet. Præterea Petrus ex testatoris sententia erat consequuturus bona fideicommissi vinculo a majoribus devincta, quæ quum ipsum divitem, et parem sustinendis oneribus nobilissimæ Gentis præstarent, profecto pater pinguiori legato, præter portionem legitimam, quæ non debebatur ex omnibus bonis ab se possessis, prospicere debebat filio minori, qui suo judicio aliena indigens cura largioribus etiam præsidiis egebat, ut commodam honestamque vitam pro nobilissimæ Familiæ consuetudine agere posset. Tandem noverat uxori animum procliviorem esse Petro; quare, eum eam testamento suo multa legata pecunia munifice, ac liberaliter ditasset, sane judicabat Petrum hæreditate sua magis locupletatum iri, uti revera contigit. 9

Hisce omnibus accedit quod Petrus facto suo pluries agnovit, priusquam orta esset quaestio de legato, illud extendit ad quadrantem omnium liberorum bonorum, quæ pater reliquit. Vix 10

Digitized by Google

enim, functo genitore, cum in censualibus tabulis adnotandus foret novus dominus, ipse cum matre mandavit procuratoribus bonorum, quæ Camillus in Italia possederat, ut in Codicibus bona omnia antiquitus fideicommissaria, et quadrans ex liberis majorum emptisque a patre bonis nomine suo, semissis ex his postremis matris nomine, et tandem reliquus quadrans Francisci fratris nomine inscriberentur. Pariter, quum anno 1819 idem Petrus vocatus esset in judicium una cum fratre Francisco a sorore Augusta, quæ adversus utrumque agebat, ut consequeretur quidquid ex paterna hæreditate sibi debebatur, producta est a Petro ad acta S. Rotae Italica interpretatio testamenti Dresdae facta, in qua verba legati vertebantur = *la quarta parte di tutti i miei beni liberi, e comprati, che posseggo* = Quae profecto probant Petrum ipsum probe novisse quid sibi vellent testamenti verba, eademque prorsus favere propositioni propositæ a Francisco. Indignum vero est, quod post patulam confessionem suam iterum velit in discrimen adducere legatum a patre relictum continere duas bonorum liberorum species, avita nempe, atque ab ipso empta, et ita resisistere testimonio suo, contra gravissimum monitum Imperatoris *leg.* 13 *Cod. de non numerat pecunia.*

Et ita, altera tantum ete., Aula universa suffragante decisum est.

---

# PERUSINA

## ACTIONIS HYPOTHECARIAE

*Veneris* 22. *Junii* 1832.

### ARGUMENTUM

**Transactio ab ipso stipulatore perpetuo observata, quin ullam unquam in eamdem exceptionem proponeret, nonnisi quum inciviliter oppugnatur, dum in implicito validitatis statu consistit. Ea siquidem est transactionum auctoritas, ut rerum judicatarum vice funguntur.**

### SUMMARIUM

1. *Positis et credito et hypotheca legitime inscripta, incivile est hypothecariae actionis justitiam in discrimen adducere.*
2. *Nulla tutior debiti liquidatio haberi nuquam valet, quam quae a debitore ipso scripta obligatione declaratur.*
3. *Transactio apertissime ostendere potest quid invicem creditor ab debitore perceperit.*
4. *Quae ab explaratis facti circumstantiis descendunt, nulli subsunt ambiguitati.*
5. *Ea est transactionum autoritas, ut rerum judicatarum vice funguntur, et servandae perpetuo sint, nisi suo in congruo judicio de earumdem nullitate vel laesione abunde constiterit.*
6. *Ubi adsunt duo credita, alterum sortis, fructuum alterum, nec in caussam expressam solutio facta sit, solutio prius imputari debet in causam fructuum quae gravior est, et deinceps in causam sortis.*
7. *Fidejussor non alius agere valet, nisi juribus suis integre cedendis par sit; creditor autem in tertios agens non item.*
8. *Injuste conventio objurgatur, quam et gravissima causa et boni viri arbitrium undeque propugnant.*
9. *Hypotheca debet inscribi, etiam ad effectum condicendi fructus.*

## DECISIO CCCCXXI.

Die 9 Maii 1808 Horatius Vagnuccius nonnulla prædia sua, in Perusino agro sita, contulit ex empto in Paulum Aloysium pretio invicem convento scutorum 2316 17 Cumque continens solutio in contractu defecisset, de numeratione emptor cavit ex solidali Magdalenea Battistiae Matris suæ, et Bernardini Vitianii fidejussione. Conventum insuper, quod ad venditoris rem plenius tutandam, tertius accederet fidejussor infra mensem sextum a die initæ stipulationis, atque ex tunc pretii solutio ad sextum usque annum differretur, compensativis interim fructibus repensis ratione sexunci. Quod si novum fidejussorem haud emptor exhibuisset; venditori jus illico fieret emptionis pretium condicendi. Ex publica hac stipulatione suum pretii nomen, et conventam hypothecam in vi scutorum 2817 et obul. 12 qua in empto-

rem, qua in bona fidejussoris Bernardini Vitiani, Vagnuccius legittime inscripsit. Stata autem die, cum tertius fidejussor datus baud fuerit, usus hinc Horatius jure suo, rapuit Bernardinum coram Prætore Perusino, ut inscripti nominis solutionem præstaret; et concessum mandatum fuit; ex quo prædia = *Salto della Vecchia* = et = *il Rio*, *ossia Palazzetto* = nuncupata, sub prætorio pignore venerunt. Atque incassum hastæ periculum expertus, obtinuit Vagnuccius, quod sibi ea addicerentur in hypothecarii sui nominis satisfactionem.

Interim Vitianus, obtento Decreto, quo subhastationis acta ad irritum reducebantur, redit in fundorum possessionem, quos præcipiter distrahit: alterum = *Salto della Vecchia* = favore Josephi Calindri cum solidali Jacobi Danzetta fidejussione, alterum = *il Rio* » in Annam Mariam Ricciam, fidejubente Josepho Vitiano. Ast brevis hujus Decreti auctoritas fuit. Vindicato enim ab Horatio prætorii pignoris nexu, vix ac novit fraudem alienationis, in Bernardini personam exequutus mandatum fuit, a quo hic bona obligata non absque dolo subtraxerat. Reclusus hinc debitor in arce Perusina, atque impar alieno æri dimittendo, nihil habuit, quam creditorem de re conciliandа rogare, conventis invicem pactis, quæ in libertatem vindicatus ultro confirmavit, ope solemnis transactionis initæ die 17 Septembris anno 1814 Hæ autem conciliationis leges fuerunt. Probatum Vagnuccii nomen ex pretio emptoris in argenteis nummis 3246 17 detractis scilicet argenteis centum, quorum indemnis creditor evaserat ex certa mobilium subhastatione. Adjuncta vis scutorum 482 92 quam decursi pretii fructus præseferebant. Debitum insuper declaratum scutorum 192 02 ob sumptus judicii. Cumulata denique summa scutorum 748 92, ob quartæ partis lucrum mutuo conventum, impeditæ fundorum adjudicationis causa. Atque exinde debitorem professus Vitianus sese fuit complexivæ summæ scutorum 3673 84 pro quibus duo prædia cessit in solutum, alterum = *Pilla* =, alterum = » *Valle di Brufa* », certo peritorum judicio æstimanda, ut cederet in debiti imminutionem; jure attamen Vagnuccio expresse reservato agendi adversus tertios pro nomine residuo, qui fundos prætorio pignore affectos possiderent.

Postmodum placuit ab peritorum judicio recedere, et fundorum pretium mutuo constituere in argenteis nummis 1660., ita ut creditor certus Horatius superfuerit in egregia pecuniæ quantitate. Accessit impedita possessio prædii » *Valle di Brufa* », erga Angelum Travigi obligati ex locatione præesistenti. Ut igitur pro nomine residuo fieret indemnis, tertios fundorum possessores, Aloysium Calindrium, et Mariam Annam Ricciam coram Tribunali Provisorio Primarum Instantiarum Perusiæ Horatius ex hypothecaria compellavit, ut credito suo satisfacerent, vel fundi sibi obligati in eam causam licitarentur. Judicii molestia ab reis conventis denunciata continenter fuit Jacobo Danzettæ, et Josepho Vitiano, qui solidaliter fidejusserant pro venditore, quique legitimam liberationem, et susceperunt, et præstiterunt, assumptis molestiis. Sed frustra hypothecariæ Horatii actioni obicem pararo conati sunt, quam Primæ Actionis Judices statim probarunt. Provocarunt ab Prætoris Sententia coram Collegio A. C., et æquum Judicibus est visum prædia ex transactione creditori concessa peritorum judicio æstimari, abjecto pretio convento. Justum hi fundorum valorem præfiniverunt in argenteis nummis 2295 75

Cum Jacobo Danzetta lis progressa ulterius non fuit. Renunciarunt quippo, interim defuncti filiæ, et hæredes hypothecae suæ super predio » *Salto della Vecchia* = convento renunciationis pretio in argenteis nummis 260 Non item quoad prædia » *il Rio* » et » *Palazzetta* » erga Josephum Vitianum. Imo hunc unum urserunt de solutione, reassumpto judicio coram A. C. Alberghini. Atque alteram obtinue-

runt Sententiam, quæ nomen auctoris, et hypotechæ jus confirmavit, licet utrumque coercuerit ad vim scutor. 1455 99 juxta exhibitam peritiam ratiocinatoris Laurentii Amadio, quæ meruit, ut ad ejus normam judicium absolveretur. Nec profuit Josepho tertium jurisdictionis gradum coram Sacro Ordine Nostro experiri. Cum etenim Patres rogaverim ex formula Dubii = *An, et in qua summa constet de credito, et hypotheca, ita ut sit locus præfixioni termini pro solutione, quo elapso procedendum sit od subhastationem et deliberationem prædiorom il Rio, et Palozzetto, et sit relaxandum mandatum in casu etc.* Responsum accepi » *Affirmative in omnibus juxta modum, nempe ad formam Sententiæ A. C.*

1 Quod justa hypothecaria actione filiæ, et hæredes Horatii utantur, dum solutionem urgent, vel licitationem prædiorum « *il Rio* », et « *Polazzetta* » quæ ab Maria Anna Riccia possidentur, probari eo ipso debuit, quod de earumdem credito, et hypotheca tutissime constitit. De credito enim publicæ venditionis tabulæ testantur, quibus mense Majo anni 1808. Horatius nonnulla prædia sua in Aloysium distraxit, habita fide de pretio, atque accedente Bernardini Vitiani solidali fidejussione. Constat autem nec emptorem, nec fidejussorem integro pretio convento satisfecisse; ita ut Horatius certus ex eo creditor manserit pro egregia pecuniæ quantitate. Neque pariter ambigi potest de jure hypothecæ. Cum non modo Vagnuccius hypothecam suam super Bernardini patrimonio legitime inscripserit, sed fundos eosdem persequatur sibi prætorio pignore obligatos, et quos hic distraxit in fraudem judicii. Positis igitur qua credito, qua hypotheca legitime inscripta, incivile prorsus esset hypothecaria actione justitiam in discrimen adducere, quum hæc actionis fundamentum prorsus constituant, ut videre est *in nuperrima Decisionum collectione de re hypothecaria decis.* 36 *num.* 1, *et seqq. tom.* 3 *dec.* 19 *num.* 1 *et* 2 *et decis.* 35 *num.* 3 *tom.* 4, *et in Romana seu Viterbien. Pecun. quoad scut.* 1499 64. 19 *Febr.* 1828 *num.* 4 *cor. R. P. D. Meo Celestini.* Ea autem legitimae hypothecae vis, et natura est, ut causam perpetuam habeat, et transeat in quemcumque possessorem *Mangill. de Evict. Quæst.* 155 *num.* 29. *Rota coram Dunozet. Decis.* 949 *num.* 1 *cor. Molin. Decis.* 946 *num.* 7 *in Ravennaten. Solviani super liberatione a molestiis* 10 *Februarii* 1794 *cor. De Bayane, et in Romana Liberationis a molestiis* 2 *Aprilis* 1817 *cor. cl. me. Card. Serlupi.*

Probata igitur hypothecariae actionis justitia, nihil supererat, nisi, originario Vagnucciarum nomine praefinito, nec non solutionibus deductis, quae in illius causam cesserunt, residuum creditum constituere, ex quo valeant legitimum hypothecae jus in tertios experiri. Itaque, quoad nominis liquidationem, punctum omne ferebat transactio diei 17 Septembris 1817 inter Bernardinum inita, et Horatium, qua ipsa debitoris confessione, et ope stipulationis solemnis, justa debiti quantitas ad liquidum adducta fuit. Vulgatæ etenim jurisprudentiae est, quod nulla tutior debiti liquidatio haberi umquam valeat, quam quae a debitore ipso scripta obligatione declaretur; praesertim si accesserit auctoritas transactionis; *ad Text. in Cap. Per tuos de Probat., Leg. Cum te Cod. de Transact., Card de Luca de Judic. Disc.* 23 *num.* 1 *et seqq. Urceol. de Transact. Quæst.* 6 *num.* 59. *Quæst.*63 *num.* 7 *et Rota Decis.* 1196 *n.* 1 *coram Lancetto, in Bononien. Transactionis* 23 *Junii* 1633 *coram Cerro, in Prænestina Fideicommissi* 20 *Januarii* 1723 *num.* 2. *coram Crispolto, et in Pisauren. seu Anconitana Pecuniaria* 16 *Januarii* 1828 *numer.* 4 *cor. R. P. D. Meo Spada Decano.* Professus autem debitum suum Bernardinus fuit in vi scutorum 2905 et obulor. 11, quae ab pretio, et fructibus emptionis implebatur, nec non ab sumptibus judicii, et ad quam certum Vagnucciarum nomen PP. coercuerunt, praetermisso capite scutorum 748, et obul. 17 in causam lucri convento, quod, ut mitius in tertios possessores agerent, et peritia Amadio, et cohaerens A. C. Albergbini Sententia et 2

PP. Mei Domini remittendum duxerunt.

3 Hæc quoad nominis liquidationem. At transactio ipsa, quæque subsequuto sunt facta, apertissime ostendunt quid invicem creditor ab debitore perceperit. Constat enim duo prædia, alterum nuncupatum = *La Valle in Pila* = alterum *Posso di Torgiano in Brufa* = collata in Horatium fuisse, quæ licet transigentes æstimaverint sutis 1630, attamen cum majoris æstimationis scutorum 2295. 75. habita judicialiter foerint, haud hinc in discrimen adducitur, quin pretio, hoc majori in hypothecarii nominis imminutione sint imputanda. Verumtamen, non ipso transactionis die Vagnuccius in prædii utriusque possessionem venit, ita ut integra eorum æstimatio in creditum debeat imputari. Fundus equidem = *di Brufa* = æstimationis scut. 1326 25. nonnisi quam exacto novennio vindicatus ab Horatii hæredibus fuit ex locatione præexistenti, solutis insuper conductori nummis argenteis 140 et ob. 34 in reintegrationem onerum Cameralium. Die hinc transactionis vix argenteis nummi 909. 30. quibus prædium = *Pila* = æstimatur, cesserunt in Vagnucci nominia immunutionem; quod ita superfuit in vi scut. 1954.

4 Imminutum hoc noviter fuit die 27. Augusti 1820 ex scutis 2500 ab Aloysio Danzetta transactionis ergo repensis; et reliquum exinde fuit in nummis 1704 81. Tandem die 16. Decembris 1822 extrema accessit solutio scut. 1185 91 ex capta possessione fundi = *Brufa* = detracta pecuniæ vi conductori soluta in pretium renunciati contractus. Hæc autem solutio absumpta ferme fuit ab novis fructuum terminis interim decursis: quorum cospicua vis creverat ad scuta usque 937. et obul. novem supputationis methodum, quæ audit = *a scaletta* = scuta igitur 1185 91 ex fundo = *Brufa* = percepta, hunc fructuum debitum solidarunt, et pro residua somma scutor. 249 82 cesserunt in sortis immiuntionem; ita ut haec ab praefinita quantitate scutorum 1704. 81 reliqua fuit in argenteis nummis 1455 94 pro quibus Horatii filiarum, et haeredum nomen, atque hypotheca probata ab primae Actionis Judice fuit, juxta hypothesim primam petitae ratiocinatoris Amadio, quam Patres, pro evidenti justitia, confirmandam aeque duxerunt.

5 Haec, quae posita sunt ad reliquum Vagnucciarum creditum, et hypothecam arguendam, nulli subsunt ambiguitati, uti quae ab exploratis facti circumstantiis recta descendunt. Ab veritate hinc, vel justitia abhorrere necessario debebat quidquid ad haec evertenda comulabatur. Et incivile prae primis Patribus visum est transactionem die 17 Settembris nullam, et per vim, metumque extortam urgere, uti ab homine obsignatam, qui in carceris squallore contabescebat. Sufficit prae primis evidens actus justitiæ ad omnem doli ideam eliminandam, cum ab absurdo non differat ea ex fraude admissa proponere, quae bona fide, atque ad tramites aequi, rectique expleta cognoscuntur. Ineptum insuper vim, et metum excipere ob initam transactionem infra vinculorum tristitiam, quam tamen Vitianus, in libertatem regressus, plenissime confirmavit. Caeterum transactio ab ipso stipulatore perpetuo observata, quin ullam unquam in eamdem exceptionem proponeret, nonnisi quam inciviliter oppugnabatur, dum vi sua firmissima consistebat, atque in implicito statu validitatis. Ea siquidem est transactionum auctoritas, ut rerum judicatarum vice fungantur, et servandae perpetuo sint, nisi suo in congruo judicio de earumdem nullitate, vel laesione abunde constiterit ad tradita per *Rotam in Senegallien. Læsionis* 8. *Maii* 1818. *num.* 6. *cor Eminentissimo Tiberi*, *in Spoletana Immissionis*, *et Transactionis super Rejudicata* 12. *Martii* 1821. *num.* 4. *coram Reverendissimo P. D. Meo Spada Decano, et in Recineten. Læsionis* 12 *Januarii* 1824 *num.* 2. *coram Reverendissimo Pianetti.*

6 Neque tutius ad inscriptam ab Horatio hypothecam confugebatur pro vi scut. 2847 12, ex quo una agi in tertios

Digitized by Google

bonorum possessores valeat; ita ut, ab eadem vel pecuniis, vel fundorum aestimatione deductis, quos debitor dedit, sive omne hypothecarium nomen expiraverit, sive hoc ad vim longe minorem reliquum fuerit. Animadvertebant etenim Patres, quod, cum solutiones, quibus de agitur, non ab tertiis possessoribus, sed ab originario ipso debitore Vitiano processerint, qui extra quemlibet inscriptae hypothecae effectum, et sortis, et fructuum et judicialium sumptuum nomine erga Horatium perstringebatur, hinc haud expressa causa, in quam cederent, in causam prorsus duriorem sint imputandae. Juris autem explorati est, quod, ubi adsint duo credita, alterum sortis, fructuum alterum, nec in causam expressam solutio facta fuerit, solutae summae imputari debeant prius in causam fructuum, quae gravior est, et deinceps in causam sortis. *Lege in potestate* 1 § *Si neuter Cod. de solut. et liberat; Voet. in Pandect. lib.* 46 *tit.* 3 § 16 *Rota coram Olivatio Decis.* 265 *num.* 7 *in Perusina Graduationis quoad imputationem summae sc.* 2024 67 *num.* 3 *coram Me, et alibi passim.*

7 Nec magis feliciter transactio excipiebatur inita cum Aloysio Danzetta, quoad praedium alterum = *Pila* = Vagnucciis aeque obligatum; perinde ac si, re haud amplius integra, cumque actionem suam in alterum ex fidejussoribus Horatii filiae cedere amplius nequeant, jus quoque amiserint agendi adversus tertium possessorem, ex regula, quam exorant *Voet. ad Pandect. lib.* 20 *tit.* 4 *num.* 5, *Merlin. de Pignor. lib.* 4. *Quaest.* 62 *numer.* 1 *ad* 4. *Negusan. de Pignor. Part.* 5 *Membr.* 3 *n.* 15, *Gratian. Discept. Foren. Cap.* 409 *num.* 30 *et* 40, *et Rota post Zanch. de Societ. officior. decis.* 77 *num.* 2, *et in Interamnen. Pecuniaria* 27 *Aprilis* 1622 *num.* 4 *cor. Navarro.* Compertum equidem fuit jure optimo, bonaque fide, initam transactionem fuisse, quae non creditorem solummodo ab implexae litis eventu liberavit, sed meliorem quoque alterius fidejussoris conditionem constituit, ex recepto scutorum 250. emolumento. Cum enim Aloysius non venditori emptioni pretium refuderit, sed antiquum Camerae Apostolicae nomen dimiserit, in cujus jura successit, evicto jam fundo ex hypothecaria, non modo fidejussori alteri nullum divisionis beneficium suppetiisset, sed elicitum ab subhastatione pretium sibi unus praecepisset Aloysius, ex quo integrum Vagnucciarum nomen alteri fidejussori Vitiano incumbuisset. Caeterum notissima interest differentia inter fidejussorem, simplicemque creditorem in tertios agentem; dum ille agere non alias valet, nisi juribus suis integre cedendis par sit; at creditor non item, quem superat jura concedere sibi competentia; nec unquam *cedendarum exceptione* repellitur, nisi fraude, doloque malo in alterius liberatione versatus sit. *Baldus in Lege Jubemus Cod. ad Velleian. numer.* 2; *ibique Cynus, et Salicetus, Amat. Resolut. jur. Part.* 1. *Resolut.* 37, *Merlin. de Pignor. lib.* 4 *tit.* 2. *Quaest.* 68 *num.* 8, *et seq. Afflict. Decis.* 343 *n.* 4, *et Rota in dec.* 526 *n.* 18 *part.* 18 *tom.* 2, *et in decis.* 9 *num.* 20 *et seq. cor. Falconer. de Fide instrum.*

Haec, quae de transactione cum Aloysio inita statuta sunt, apprime transactioni alteri congruunt, ad quam stipulandam Horatii filiae cum Bruscatellio adactae necessario fuerunt, ut praedii = *Brufa* = possessionem adipiscerentur. 8
Licet enim *emptorem fundi*, sive successorem singularem, *necesse non sit stare colono, cui prior domus locavit*, ea tamen lege locatum conductum praedium ab debitore fuerat, ut, evicta fundi possessione, rediret conductor in jura primaeva, quibus ipsi Vagnucciarum nomini praecelluisset. Nonnisi igitur, quam injuste conventio objurgatur, quam et gravissima causa, et boni viri arbitrium undique propugnant. His autem deterius erat hypothecarium Vagnucciarum nomen alterius imminuere, vel ex pecude, quod fingitur ab oppignoratis debitoris praediis subtractum; vel ex census onere in venditione reperto, vel ex *centum* scutorum pretio, quod Horatius ab mobilium subhastatione percepit. Hoc enim deductum in

Digitized by Google

transactione fuit ab nomine originario, ita ut, salva bona fide, detrahi iterum nequeat. Altera vero nullo legitimo monumento probantur, et repugnant credito in transactione liquidato, cui ex præmissis hærendum omnino est.

9 Uti autem Patres illegitimam nominis hypothecarii imminutionem haud probandam duxerunt, ita rejecerunt augumentum, quod urgebant Vagnuccii ex titulo fructuum noviter decursorum. Cum enim actione hypothecaria in tertium possessorem utantur, et omnis hypothecæ inscriptio quoad fructus ipsos deficiat non hæc sedes judicii erat, qua eosdem jure condicerent.

Et ita, meo quoque accedente suffragio, decisum fuit. Utraque etc.

---

# PERUSINA

## NULLITATIS CONTRACTUS

*Veneris* 11. *Maii* 1832.

### ARGUMENTUM

In lsesianis judicin, rigidissimse probationes esse debent. Ae res est aestimanda, prout erat penes venditorem in ipso actn venditionis, non ut erat, vel esse poterat ante vel post contraetum.

#### SUMMARIUM

1. *Juri nnn repugnat, quod duo vel plures, iidemque separati ac distincti contractus una instrumento celebrari possint, qui sane ex eo, quod in eodem instrumento continentur, non sunt confundendi, sed sejunctim recipiendi.*
2. *In odiosissima laesionis judicio probationes rigidissimae esse debent.* – Et num. 3. –
4. *Cum gypsum nullam habeat pretium intrinsecum; hinc fit, ut, pro loci necessitate, certos intro fines coercita gypsi venditione singulis annis; quidquid praeter modum extractum sit a fodina uno vel altero anni, non caput separatum, sed tamquam fodinas fructus habentur.*
5. *Enormis laesio habetur cum bona divendita soluti pretii duplum excedant.*
6. *In odioso laesionis judicio res est aestimanda prout erat penes venditorem in actu ipso venditionis non ut erat vel sit futura ante vel post contractum.*
7. *In judiciali peritia Saliceti Theorica attenditur.*
8. *Nullitas vel reductio contractus ex enormi tantum laesione depromitur.*
9. *Verba in privata syngrapha adjecta, si falsi insimulata sint, nullam sibi fidem vindicant.*
10. *Non semper pretium recte colligitur a pensionibus annuis.*

## DECISIO CCCCXXII.

Inter alia bona, ad Missiniam Gentem spectantia, quorum aliqua in Etruria sita erat etiam Latifundium, nuncupatum = *di S. Marco e Cenerente* =; jacen in Agro Perusino, quinque prædiis cum domibus colonicis constans, atque dominica æde ad voluptatem, et moletrina olearia. In altero ex iis prædiis gypsi extabat, uti nunc extat, fodiana, cui alia proxima erat, ac non est, quæ prius ab Albertiis possessa, et dein in Oddios traslata, pervenit demum hæreditario titulo in Comitem Deniconem Meniconium, nunc vita functum. Hæc fodinarum proximitas, æmulatiunem inter eorum dominos pariens, causam jurgiis, et quæstionibus inter hos dederat, adeo ut anno 1743. Massinii coram Tribunali Perusiæ damnorum querelam adversus Albertios proposuerint, terram ab hisce a fodina extractam in effusione gypsi prolabi jactantes in conterminam partem Latifundii = *S. Marco e Cenerente* =, sed contrariam ferre debuerunt Sententiam. Quare in se reversi satius duxerunt concordiam cum iisdem Albertiis inire, ac cum iis rem ita componere, ut gypsum ex utraque fodina proveniens in unum colligeretur, in eodem promptuario asservaretur; atque ita distraheretur, ut lucrum exinde proveniens ex æquo inter utroque fodinarum dominos partiretur. Quæ societas, æmulationem tollens, ac monopolium in gypsi venditione secumferrens, adeo eis fodinarum dominis arrisit, ut anno 1760 renovata fuerit inter Massinios, et Oddios, qui Albertiis successerant, et progressum habuerit usque ad exitum seculi superioris, quo Comes Franciscus de Od-

diis, adversa fortuna pressus, propriam fodinam inertem linquere debuit. Constat autem, progrediente hac societate, ac in gypsi venditionis monopolio, annatim vendi haud potuisse quam circiter = *Colle sedici di Gesso in polvere* = ac = *Colle due di Gesso in Pietra* = pretio juliorum septem in singulas salmas = *di Gesso in polvere* =, et longe minori quoad gypsum = *in pietra* =: atque exinde patet quantum imminui debeat valor fodinæ extantis in Latifundio = *Cenerente* = si gypsum etiam ab alia prædicta contermina ex trahatur, et venui exponatur.

Locatum deinceps fuit prædium Latifundium a Massinii, primum Bruscatellio, dein Gamboniis. Defuncto vero absque prole Equite Philippo Massinio qui illud cum aliis bonis possidebat, quive sibi hæredem scripsit uxorem superstitem Aloysiam Dunnini, contra hanc insurrexit ejus levir Innocentius Massini, defuncti Philippi frater, ut bona ab hoc relicta sibi addiceret. Sed transactio inita die 7 Octobris anni 1807 omnes hac de re controversias inter partes substulit. Conventum ea siquidem fuit universa Massiniorum substantia, quæ partim in Agro Perusino partim in Hetruria existens, locata reperiebatur, æquis partibus inter Aloysiam, et Innocentium divideretur; et cum non ad singulos fundos, sed ad universitatem illius substantiæ, seu pensionum: quæ a conductoribus solvebantur, respectus fuerit habitus, dodrans Latifundii = *San Marco e Cenerente* = atque gypsi fodinæ, et adnexorum, sive pensionis scutorum annuorum 1200 quam pro hisce fundis Gambonii præstabant, tributus fuit Innocentio, reliquus vero quadrans Aloisiæ. Ad Catharinam Massiniam, Innocentii sororem, ac viduam Caroli Ugolinii, transiit deinceps post fratris obitum una cum illius hæreditate, prædictus Latifundii, fodinæque gypsi dodrans; ejusdem quadrans, vita functa Aloysia jam pervenerat anno 1810 ad hujus matrem Constantiam Baldeschi, ac ipsius fratrem, et sororem, Philippum, et Lauram Dunnini, æquo jure, prout Gallicae tunc vigentes Leges ferebant quo in quadrante comprehendebatur molotrina olearia ac ædes dominica quæ illi Latifundio erant adnexa, et quae in divisione inter Donninios inita anno 1812 die septima Septembris, Constantiæ fuerunt addicta. Dominium autem dodrantis sibi acquisivit Comes Franciscus Ugolinius, in vim donationis, cujus favore a matre Catharina emissae.

Reliquum vero quadrantem sese hic a Donniniis empturum proposuit. Hinc apoca intercedente diei 17 Februarii anni 1831 delecti fuerunt, ad Latifundium cum gypsi fodina, et adnexis æstimandum, duo periti, Archipresbyter Borghius, et Menicuccius, qui concordes fuerunt in tribuendo universo Latifundio, et adnexis pretio scutorum 9688 et ob. 94 excepta gypsi fodina; qua super discordes fuere; nam Borghius, ab Ugolino electus, ejus valorem excedere haud posse sensit scuta mille tercentum, Menicuccius autem deputatus a Donninis, hunc valorem evexit ad abnormem summam scutorum 8470. 36 nullo habita in calculo concurrentia finitimæ fodinæ *Degl'Oddi* quæ per id temporis, nedum erat ociosa, sed etiam Menicuccio prorsus ignota, prout ipsemet nuper declaravit. Re igitur infecta quoad hanc emptionem, curavit Ugolinius conductionem inire quadrantis ad Donninios spectantis; quod obtinuit, exeunte mense Novembris anni prædicti 1811 pro annua pensione scutorum tercentum. Tum necessitate pressus semoventia, semina, dolia, aliaque mobilia in Latifundio existentia, ad pecuniam parandam, fere in totum distraxit; ita ut illud in pessimam fuerit conditionem redactum. Cui accessit ad actionem revocatam fuisse anno 1815 fodinam gypsi quam Oddii possederant, quæve titulo hæreditario transierat in Comitem Meniconem Meniconium; quod haud leve damnum attulit illi extanti in Latifundio = *di S. Marco a Cenerente* =.

In hoc rei statu Ugolinius, qui nihil intentatum reliquerat, ut prædictum suum dodrantem distrahere, cujusquo

in id studia semper in irritum cesserant, tandem ad illum emendum adducere potuit, officiis adhibitis Aloysii Picromaldi, nunc in Romana Curia Advocati, præfatum Comitem Meniconem Meniconium. Conciliatis itaque emptionis venditionis alteriusque contractus vitalitii pactis, conditionibusque inter Ugolinii procuratorem Pieromaldium, et Meniconium, Apoca in id Perusiæ scripta est die 10 Novembris 1815 quæ contextim Cortonam in proxima Hetruria transmissa est, ubi a patria profugus morabatur Ugolinius, qui eidem Apochæ ultro libenterque subscripsit. Insequenti autem die 11, Ugolinius mandavit eidem Aloysio Pieromaldio per chirographum procuræ ut ad apochæ privatæ tramites solemnes emptionis venditionis conciliaret tabulas cum Meniconio. Prout mandatum fuerat, Pieromaldus sub die 13 Novembris ejusdem anni veluti procurator Ugolinii, vendidit Meniconio = *Tre parti al Signor - Francesco Ugolini spettanti sulla Tenuta di S. Marco, e Cenerente, divisa in cinque Poderi unitamente alla Gessaja, Case Coloniche, Monili, Stigli, Bestiami, Semi, e tutt'altro ivi esistente di ragione, e proprietà di esso Signor Ugolini* =

Hæc omnia empta vendita fuero de pacto inter contrahentes pretio scutorum *tercentum quadraginta* supra *novem millia*, præter alias præstationes. Hujusce in pretii partem *tercenta* recepit Ugolinius in ipso stipulationis actu pro scutis *octingentibus* suscepit in se Meniconius per debitum Ugolinii erga Philippum, Lauram, et Costantiam Donnini; prout aliis scutis *bis millibus* imposuit sibi nomen, quod ille sub quincunci fænore debebat Brutio, sive Oddio, Brutii cessionario. Quod vero spectat ad reliqua scuta *sex mille biscentum quadraginta* cesserunt in pretium vitalitium pensionum, quarum prima favore Catharinæ venditoris Francisci Ugolinii matris in annuis scutis 306 anticipate solvendis; altera in annuis scutis *centum octoginta* pariter pensitandis Angelæ Buzzonetti ejus uxori tertia vero in annuis scutis *sexaginta*, et quarta in annuis scutis *vigintiquatuor*, favore sororum prædicti Ugolinii Annæ, et Irenis, quæ se Deo apud Moniales voverant. Præter hæc Meniconius se præstiturum promisit quotannis Catharinæ, quousque ipsa viveret, certam olei, mustique quantitatem, et pullorum numerum, quæ ad annua circiter scuta viginti æstimari possunt. Denique venditori Ugolinio fuerunt relictæ = *tutte le raccolte del presente anno maturate, comprensivamente alla raccolta dell'olio da farsi sopra i beni alienati* = et traditæ præterea = *cento some di Gesso in polvere*, atque alia gypsi quantitas pro vi scutorum *quadraginta unius* cujus idem Ugolinius debitor iverat quorumdam Mollajeli, Menicucci, fabrique murarii.

Exaratæ hæ solemnes tabulæ quum ad Ugolinium missæ fuissent, hic eas scribens procuratori suo Pieromaldio adprobavit, insuperque adjecit = *con Meniconi va tutto benone, e avete pensato, e sminuzzato anche dove io non avrei saputo suggerirvi* =. Ope pariter publici solemnisque instrumenti, concinnati sub die 18 mensis Novembris illius anni 1815. Catharina, venditoris Francisci mater, quæ rem venditam donationis titulo in filium suum transtulerat, plenissime probavit emptionem venditionem ab eodem Meniconio contractam. Hic vero in rei emptæ possessione immissus statim emit alium Latifundii *quadrantem*, ad Donninios pertinentem, quem eatenus solvit pretio scut. 3600 quatenus pecora, ac semina, quæ in Latifundio superfuerat vix constituebant quartam partem ad eosdem Donninios spectantem. Pacta vero omnia sibi imposita in contractu cum Ugnolinio exarato religiose implevit, et quoadusque vixit, depactas annuas præstationes diligenter persolvit. Parem viro suo se præstitit, eodem a vivis sublato, ejus vidua relicta Comitissa Theresia Conestabili Meniconi, qua tutrix et curatrix filiarum, Claræ, et Aureliæ. Ipsi vero, incunte anno 1824 vadimonium fuit dictum coram Tribunali A. C. a venditore Ugolinio, qui institit apud Judices pro nullitate ce-

Digitized by Google

lebrati contractus emptionis venditionis ex excessu mandati in procuratore Pieromaldi, ac ex vitio læsionis enormissimæ postulans saltem eumdem contractum ad formam juris reduci.

Quum autem Supremum Signaturæ Tribunal delevisset circumscriptione quidquid gereretur apud aditos Judices, quia jurisdictione destituebantur. Causa delata fuit ad Prætorem Perusinum, qui Sententia sua diei 21 Julii 1825 petitionem Ugolinii rejecit. Hoc provocante ad Sacrum hunc Nostrum Ordinem, rogavi D. D. Meos in Comitiis diei 3 Julii 1829 = *An et quomodo constet de nullitate contractus, seu potius et quomodo sit locus illius reductioni ad viam juris, ita ut sint relaxanda mandata in casu etc.* =, qui, deserente Ugolinio vadimonium, responderunt = *Negative in omnibus* = Rursus ex indulto novæ Audientiæ beneficio proposita Causa sub die 26 Martii 1830, mihi exquirenti Patrum sententiam responsum est = *Dilata et ad Dominum Ponentem pro deputatione periti ad effectum æstimandi Latifundium et gypsi fodinam, habito respectu ad diem contractus* = Quum ego ad id operis delegerim Josephum Venturoli = *Presidente del Consiglio d'Arte* =, et hic relationem suam exaraverit, facile ex ipsius peritia in absentia ab judicio Comitissæ Theresiæ, PP. mihi quærenti in Comitiis 27 Junii 1831 = *An sit standum vel recedendum a Decisis in casu etc.* = responsum dederunt = *Recedendum a Decisis* = Verum, instaurato certamine, ex nova indulta Audientia, hodie rogavi DD. Meos = *An sit standum in primo vel secundo loco Decisis in casu etc.* = qui in strenuo partium conflictu rescripserunt = *In primo loco Decisis in casu etc.* =.

1 Illud primum animadvertebant Domini Mei in solemnibus tabulis, quas Pieromaldius, Ugolinii procurator, cum Meniconio pro emptione venditione fundi, adjectæque gypsi fodinæ, stipulatus fuerat, præter hunc contractum constitutos fuisse quatuor vitalitios census pro majore pretii parte, scilicet pro scutis 6240. Porro juri non repugnat quod duo vel plures, iidemque separati ac distincti contractus uno instrumento celebrari possint, qui sane ex eo, quod in eodem instrumento continentur, non sunt confundendi, sed sejunctim recipiendi, ut est disertissima censura, *Text, in Leg. Scire debemus ff de verborum obligat.* et advertit Sacer N. Ordo in *Recent. Decis.* 154 *num.* 12 *Part.* 8, *et Dec.* 6 *num.* 26 *et* 27 *Part.* 11, *et in Bononien. Læsionis* 8 *Martii* 1771 *cor. Ratta.* Propterea in proposita specie supervacaneum prorsus erat quod Ugolinius conquereretur de censuum vitalitiorum constitutione. Si quid enim contra ipsos habet, proponere potest in separato judicio; non vero in præsenti, in quo tantum est disquirendum ex indole ejusdem judicii, et ex proposito dubio num læsio fuerit in pretio, quod constitutum fuit pro Latifundio, adjunctaque gypsi fodina, quodque ex contrahentium placito fuit conventum in scutis 9340. Quum vero præterea Meniconius pretii nomine tradiderit *centum* gypsi sarcinas, quæ si non scutis *nonaginta, septuaginta* quidem poterant æstimari, nec non mandata persolverit in aliis nummis 41; profecto non ex scutis 9340, sed a scutis 9451 emptionis venditionis læsio dimetienda est.

Pro hujusmodi pretio Ugolinius vendidit Meniconio = *le tre parti dello Tenuta di S. Marco, e Cenerente composta di cinque poderi colla gessaja annessa* = 2
Ast quum fusiori oratione fuerit adjectum in venditione venire quæcumque ad Ugolinium in eodem Latifundio, pertinebant, exinde arguebat Ugolinius se vendidisse ædes dominicas, moletrinam oleariam, semina; pecudes, et prægrandem effossi gypsi quantitatem, ut rei venditæ valorem augeret, et læsionem evinceret. Sed nullas ad id demonstrandum ipse probationes adducebat, quæ rigidissimæ sane esse debent, præsertim in odiosissimo læsionis judicio. Contra constabat apertissime venditionem harum rerum merum esse commentum, nec unquam in contractu emptionis venditionis inter Ugolinium, et Meniconium fuisse deductas. Quod enim spectat ab Ædes dominicas, et moletrinam oleariam, (quarum altera extra

Latifundium posita est), numquam pertinere ad Ugolinium, sed ad Donninios, qui ipsius Latifundii *quadrantem* dominii jure possidebant. Id apertissime eruebatur ex divisione, quam tripartitam fecerunt Donninii hereditariæ substantiæ Aloysiæ Viduæ Massini, in qua divisione hujusmodi ædes = *ossia palazzo posto in Cenerente* = uti etiam = *un Molino a Olio situato in S. Marco suddetto* = obtigerunt Constantiæ Donnini. Pariter haud demonstrabat Ugolinius quantitatem pecorum, et seminum, quæ in agro vendito relinquerat. Eadem tamen vel nulla esse, vel saltem minima, comperiebatur ex epistolio, quod Meniconius dedit Pieromaldio, procuratori Ugolinii, ipsum admonens = *non faccia parola dei pochi semi, nè del bestiame quante volte si trovasse superiore alla porzione spettante ai Signori Donnini.*

3 Quod vero relicta semina, et pecudes hanc portionem non exsuperarent, colligebatur, ex testimoniis colonorum, qui in toto Latifundio *quatuor* tantum boves aratorios, et *quinquaginta* ovium capita tempore emptionis venditionis reperiri affirmabat; et ex judicio, quod inter Bruscatellium Latifundii conductorem, et Ugolinium codem ipso anno actum fuerat. Scilicet hic celerem judicii exsequutionem expostulabat, ut necessaria quærere posset semina colonis tradenda; et pecudes, quæ agri culturæ inservire possent, quia Bruscatellius proprium pecus, fatente Ugolinio, in Latifundio immiserat. Nulla ab Ugolinio quæsita fuerunt semina, vel si quæsita, eadem relicta non fuere Meniconio, dum ille sibi in contractu reservavit quidquid eo anno colligebatur. Tandem non demonstrabat Ugolinius se reliquisse ingentem gypsi quantitatem, sive apud fodinam, sive in promptuario, quod Perusiæ erat, cum contra plures instructissimi testes deponant Meniconium nihil confecti gypsi habuisse, dum nactus est rei emptæ possessionem.

4 Quod luculentius demonstrat judicium a Bruscatellio institutum contra Ugolinium apud Perusiæ Gubernatorem anno 1815, priusquam ipse Ugolinius Latifundii fodinæque dodrantem Meniconio divenderet. Clamabat enim Bruscatellius = *causam celerem mer.ri exequutionem, presertim intuitu gypsi, quod fodere quotidie opus sit* = Id sane affirmare Bruscatellius nequivisset si ea superfuisset conditi gypsi moles, quam memorat Ugolinius. Cæterum, etiamsi poneretur, ad tempus venditionis plures extitisse gypsi jam conditi acervos, non ideo æstimari poterat tamquam caput a fodina sejunctum, sed tantummodo qua ejusdem fodinæ fructus, et accessio, quæ ipso contractus vestigio quæsita erat emptori ad *Text. in L. Divortio § Si vir ff solut. motrim.* Cum enim gypsum nullum habeat pretium intrinsecum, prout habent frumentum, vinum, oleum, et cæteri hujusmodi fructus, sed unum habeat extrinsecum, quod totum in facto illius venditionis consistit; hinc fit, ut, pro loci necessitate, certos intra fines coercita gypsi venditione singulis annis, quidquid præter modum extractum sit a fodina uno, vel altero anno, non caput separatum, sed tamquam fodinæ fructus habeatur, ut solide argumentatur *Card. de Luc. de Regal. disc.* 117 § 14 *et seq.*, *et Tit. de dote disc.* 160 *sub num.* 9.

5 Hisce positis, illico perspicuum fit nullam in contractu emptionis venditionis læsionem intercessisse. Etenim, etsi foret attendenda relatio confecta a deputato perito Venturolio, non ideo tamen exinde juvari posset Ugolinius in petitione sua. Retulit enim peritus integri Latifundii adjectæque fodinæ gypsi valorem de tempore initi contractus esse constituendum, vel in scutis 21976 obul. 74, vel ad summum in duriori hypothesi evehi ad scuta 25048 79. Verum quum non integrum Latifundium nec integra fodina, sed *dodrans* tantum pertineret ad Ugolinium, sponte sua sequitur valorem rei coemptæ a Meniconio assurgere ex relatione periti ad scuta 16482 16 vel ad summum ad scuta 18786. 52. Quum itaque Meniconius pretii nomine persolverit scuta 9451, ut supra demonstratum est, sane exulat enormis læsio, quæ tunc

Digitized by Google

tantum foret admittenda, si bona ab Ugolinio divendita soluti protii duplum excederent, sive plus scutis 18902 forent æstimanda.

6 Eoque facilius in hanc sententiam veniebant DD. Mei, quia animadvertebant relationem deputati pretii nullo in pretio haberi posse, nam pluribus inficiebatur erroribus, ex quibus ultra modum pretium divenditi Latifundii, et gypsi fodinæ augetur. Si quidem ipse ad constituendum fundorum valorem usus est peritia confecta a Borghio, et Menicuccio, quæ fuerat exarata quadriennio ante emptionem venditionem; penitus despectis peritis Martini et Ottoni qui retulerunt de eorumdem pretio ad tempus initi contractus. Ita vero se gerens Venturolius, non modo ivit contra legem, ex qua ipse deputatus fuit in peritum, sed etiam contra naturam odiosi judicii læsionis, in quo res est æstimanda, prout erat penes venditorem in ipso actu venditionis, non ut erat, vel esse futura ante vel post contractum; veluti missis cæteris, docet *Zanch. de Læs. Part.* 3 *Cap.* 2 *n.* 62 *et seqq.* Pariter cum judicialis peritus ad constituendum gypsi valorem descendit, falso innititur supposito, quod quotannis effodi ac divendi possint *sex* supra viginti gypsi = *Colle* =; quum ex sæculari fermie experientia non amplius singulis annis fuerint divenditæ, quam *decem octo* circiter = *Colle* = quarum sexdecim gypsi = *in polvere* = vix duo gypsi = *in pietra* = Nec quidquam ad judicium periti sustinendum facere potest quod Gambonio olim fodinæ conductori fuerit facta potestas fodiendi gypsum ad vim usque = *di Colle ventisei* = singulis Annis. Etenim hujusmodi effossio, quum foret ultra necessarium usum, effecit, ut in quinquennii conductione ingentem invenditi gypsi quantitatem reliquerit Gambonius, scilicet = *Colle septem, et quadraginta.* Tandem peritus erravit in constituendo pretio gypsi in obulis 90 pro una quaque Sarcina, quum de tempore contractus veniret pro obulis 70 quia tunc ad actionem revocata fuerat altera gypsi fodina Oddiorum a Meniconio empta, quæ cum antea ociosa jacuisset, æmulationem inter binas fodinas suspenderat, itaut monopolium exerceri potuit super pretio gypsi extracti a fodina = *di S. Marco, e Cenerente* =.

Ad emendandos ergo hujusmodi errores, qui: aliis missis, in judiciali peritia reperiuntur, despecta peritia Menicucci et Borghi, veluti quadriennio ante contractum exarata; pretium Latifundii Patribus desumendum visum fuit ex relationibus Martinii, et Ottonii simul judicii in æquam partem juxta Saliceti Theoricam, vel in quavis duriori hypothesi ex relatione unius Martini, qui Latifundio illud pretium addixit, quod mereri poterat ad tempus contractus, quod unice erat attendendum ex *Text. in Leg.* 2. *Cod. de rescindenda vendit. ut notat Donell. in Comment. ad eamdem Legem* § 4. Porro Martinius æstimavit fundorum valorem ad scuta 9069. 27. Ottonius vero in nummis 7017, 15 quæ Summæ in unum collectæ vim exhibent scutorum 16086 42. Constituto itaque pretio in medietate, juxta Saliceti sententiam, hoc est in scutis 8043 21 dodrans prædiorum vix summam pertingebat argenteorum 6032 40½. Juxta autem unam Martinii relationem Latifundii *dodrans* assurgit ad scuta 6802 75. Huic summæ adjiciendum est fodinæ pretium, non *ex viginti sex*, sed ex *decem octo* = gypsi = *Colle* = quæ reapse quotannis divenduntur, desumendum Sexdecim autem = *Colle di gesso in polvere* = referunt scuta 1152, binæ vero = *Colle di gesso in pietra* =, juxta pretium a Venturolio tributum in hypothesi quod ejus peritiæ esset adhærendum, reddunt scuta 102. 86. Ab hujusmodi summa in totum scutorum 1254 86 ad tramites etiam peritiæ Venturoli, deducendæ sunt impensæ in scutis 464 50, nempe scuta *biscenta* pro annuis expensis exercitii fodinæ, *quinquaginta* pro manutentione et instrumentis; 1280 pro appensatione = *di Colle* 16 *in polvere*, = 48 pro lignis 128 ad terendum gypsum, illudque transvehendum; atque alia scuta 25. 70 pro transvectione duarum = *Colle di pietra* = Reducta hinc 7

summa redditus ad scuta 790 36 dividenda est inter fodinam ab Ugolinio divenditam, et fodinam Oddiorum, quas inter est concursus, propptereaque fructus primæ Fodinæ ad tramites peritiæ Nenturoli statuendus in annuis scutis 448. Hisce si tribuatur caput, etiam ad normam scutorum *Centum* in singula *quatuor* habebitur summa capitis in scutis 11200; cujus *dodrans* est summa scutorum 8400. Queis si adjiciatur pretium *dodrontis* fundorum in scutis 6802 habebitur valor rei divenditæ ab Ugolinio in scutis 15202 75.

8 Quum itaque Meniconius tum pro gypsis fodina persolverit scuta 9551, si hæc comparentur cum summa scutorum 15202 75 facili negotio patet enormem etiam læsionem ab emptionis venditionis contractu exulare, proindeque prorsus corruere querelam ab Ugolinio propositam pro nullitate vel reductione illius ad viam juris quae tunc tantum decernitur, quum enormis laesio in eo intervenisse probetur *Text. in Leg. 2, Cod. de rescindenda venditione Rota in Perusina Contractus super Læsione* 21 *Aprilis* 1821 § 4. *coram bon. mem. Martinez*, et advertit mea *primo Decisio* § *finali*. Nec minus est a læsione immunis sejunctus vitalitii contractus. Siquidem Meniconius pro scut. 6240 obligationem sibi imposuit præstandi vitalitias annuas pensiones matri, Uxori, sororibus venditoris Ugolinii, quæ insimul assurgunt ad annua scuta 644. Si prædictæ summae scut. 6240 fructus quincunces constituantur, juxta taxam legalem ad cujus tramites statutum est bonorum pretium, habito respectu ad eorum fructus, darent tantum Annua scuta 312, proptereaque quidquid amplius persolvendum erat a Meniconio cedere debuisset in capitis diminutionem. Id si quotannis peragebatur paucorum annorum vix emenso curriculo, integrum caput ab annuis præstationibus absumptum foret. Hoc sane, præter illa, quæ advertit mea Decisio § 11 prorsus removet læsionem a vitalitii contractu, quam cæteroquin statuerunt Patres proponi non posse ab Ugolinio in præsenti judicio, ac tantum ipsum hac super re posse in congruo ac separato judicio disputare.

Alienum vero prorsus a veritate illud erat, quod dicebatur, in contractu celebrato Anno 1815 tantum diven ditos fuisse fundos Latifundii = *S. Marco*, *e Cenerente* = non vero adjunctam gypsi fodinam. Utramque enim rem venisse in eodem contractu conventu pretio scutor. 9340 o disertissimis verbis eruabatur adhibitis in tabulis contractus. Nec quidquam obstat quod in iisdem mentio facta fuerit peritiae Borghi anni 1811; quæ de fundorum tantum valore referebat, vel quod fuerit ab Ugolinio productum exemplar apochæ privatæ emptionis venditionis paulo ante solemnes tabulas subscriptum, in quo dicitur contractum ad normam ejusdem peritiæ fieri. Etenim adductis testibus, ac epistolis emptoris Meniconii plene probatur hunc convento pretio velle contractum inire, nullo habito respectu ad eamdem peritiam. Quod autem respicit verba adjecta in syngrapha privata, quum ipsa falsi fuerint insimulata, et criminale exinde incohatum judicium contra Ugolinium, nullam sibi apud DD. Meos vindicabat fidem, quia hic, ad criminalis judicii, cursum deflectendum, professus est se numquam, iisdem in posterum usurum. 9

Injuria etiam contendebat Ugolinius in calculo habendas esse locationes conductionesque rei divenditæ, quia ipsius pretium ex pensionibus constitui poterat. Nam Domini Mei animadvertebant male deduci posse pretium a pensionibus, quæ rependebantur pro integro latifundio, et gypsi fodina, dum ex iis detrahendus erat fructus moletrinæ oleariæ, et Ædium dominicarum, quæ ad Ugolinium non pertinebant, ut superius fuit demonstratum; prætereaque habenda est ratio vectigalium, ac pecoris, seminum quæ conductoribus tradebantur ad fundarum cultum exescendum. Illud etiam accedit quod pensio constituta cum Bruscatellio, qui anno 1800 fodinam fundosque conduxerat persolvebatur in reproba ænea 10

moneta, et posteriorum conductorum pensiones adeo erant excessivæ ut exinde contractus initos rescinderint. Quæ omnia demonstrabant pretium deduci non posse ex conventis pensionibus, veluti nec deduci potest ex pensione, pro qua utramque gypsi fodinam locavit emptor Meniconius, vel locare prorsunt, qui ab eo causam habent. Etenim quum in illum devenerit dominium conterminæ fodinæ gypsi =*degli Oddi*=, aperte constat, sublata æmulatione inter duas fodinas, majorem pensionem sibi stipulari potuisse ex fodina = *S. Marco, e Cenerente* = quæ monopolium pro venditione gypsi in eo casu obtinebat.

Et ita etc., acri in partium conflictus jus redditum est.

---

## ROMANA

### EXEQUUTIONIS CONTRACTUS

*Veneris* 7. *Decembris* 1832.

### ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

#### SUMMARIUM

1. *In obscura vel ambigua pactione capienda est occasio quæ benignius praebet responsum.* - Et num. 2 et 3. -
*Locatori qui poterat apertius legem suam dicere de rebus suis quaelibet ambiguitas favere non debet - ibidem* -
4. *Pactorum sanctitas in quolibet contractu observanda.* - Et num. 5. -

### DECISIO CCCCXXIII.

Septimo Kalendas hujus anni decisum est ab Ordine Nostro, Joannem, et Franciscum fratres Caporioni, qui a Locationis conductionis Latifundii *Corazzano* pactis desciscentes tum frumentum indicum nominatim interdictum cum triticum præter modum serere sibi permiserant, pacto teneri erga Locatorem Principem Marium Gabrielli, vel trientem possibilis indici messis, vel congruum mercedis augmentum præstare ob tritici immodicam sationem. Nuvæ audientiæ beneficio impetrato manus iterum consertae sunt in hodiernis Comitiis. Atque cum Patres suscitatus sim = *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.*=, responsum accepi: = *In decisis* =.

1 Quaerebatur denuo potissimum, quid juris ad locatorem Principem Marium competeret contra conductores, qui non nihil ex quadrantibus Latifundii tritico frumento severint, qui tempestate anni 1829 a qualibet cultura vacare penitus debuissent. Cujus rei judicium ex interpretatione pendebat *capitis noni* contractus locationis, ubi postea quam culturae methodus constituta fuit a quarteria praefinitae agri quotae portiones, quae quolibet anno culturae inservire, ac vicissim a satione vacare deberent, designatae demum fuerunt peculiares segetum qualitates, = *grano* =, scilicet, = *fava, e biada* =, quarum cultura permittebatur, pactum, inde occurrebat; = *Che siccome nell'annua corrisposta si è contemplata questa descritta coltivazione, così rimane proibito ai medesimi Sigg. Affittuarj di fare ulteriori lavorazioni, e sementa fuori delle prescritte sia di granturco, riscoli, bombace, ed altri simili volendo in questo caso essere tenuti ecc. anche a corrispondere all'Eccellenza Sua ecc. la terza parte del prodotto di qualunque di detti generi ec. perchè ecc.* =

2 Jam vero ambiguum admodum hujusmodi pactum visum est, ac licet Patribus maximi momenti apparerent argumenta, quæ præcedens S. Ordini decisio a Me publici juris facta protulerat in § 3 et 4 ut pænale hoc pactum trientem præstandi ad casum tantum referret quo conductor eas sevisset segetes, quarum cultura nominatim fuerat interdicta, serius tamen integrum caput consideranter plurima quoque ac perspicua proferri posse argumenta observabant, quæ suaderent sub eadem sanctione, vel pœna utrumque casum complecti, sive scilicet Conductores aliorum generum culturam inducerent in Latifundio, sive quantitatem illi excederent sationum, quæ fuerant prestitutæ. Animadverte-

bant namque verba, = *siccome quell'annua corrisposta è contemplata soltanto questa descritta coltivazione* =, unica penitus oratione illico sequi legem vel serendi = *a quarteria* = vel = *di non biscoltare per qualunque minima quantità* =, vel demum serendi dumtaxat = *grano, biada, fava* =. Quamobrem rationi congruum videbatur, verba illa = *questa descritta coltivazione* =, quæ datas leges sequebantur, sese referri ad omnes casus, de quibus superius mentio fiebat, non sulum scilicet ad segetum serendarum qualitatem, sed etiam ad sationum quantitatem. Interdictum igitur, quod postea occurrebat = *di fare ulteriori lavorazioni fuori delle prescritte* =, sub pœna triententem præstandi, utrumque etiam casum complecti potuisse, nemo est qui non videat. Quin rem mutaret quod statim verba occurrerent, = *sia di granturco, riscoli, bombace, ed altri generi* =. Hæc enim tantum demonstrative dicta censendi erant: ut scilicet demonstraretur, quod satio præter constitutum modum omnino interdicebatur, habita non solum ratione ad Latifundii quantitatem, sed ad segetum quoque species, de quibus peculiaris mentio prius facta non fuerat.

3 Verum enim vero licet hujusmodi interpretatio Patribus quadraret tamen se abstinere non poterant, quin ex verborum ipso involucro, ipsaque positione plurimum ambiguitatis sentirent. Cum igitur in qualibet interpretatione amplectenda admodum hæsitarent, jurisprudentiam sunt sequuti, quam tradunt *Ulpianus in lege* 9 *de regulis juris, Cajus in leg.* 56, *et Paulus in lege* 28 *ff eodem titulo* ac in obscura vel ambigua pactione *capiendam esse occasionem* censuerunt, *quæ benignius præbet responsum.* Qua de re cum in capitis noni ima cera generale pactum adesset; cujus vi Conductores sanationibus operam dantes = *fuori di quelle nominate, e contemplate ne'terreni di quarteria* =, obtenta Locatoris venia annuam tantum boni viri arbitrio augere mercedem debuissent, Patres capta in ambiguo pactu hujusmodi occasione benignius ac mitius agendi Conductores eidem oneri subjecerunt, quod hi ferre debuissent si Latifundium præter datam legem sepere cupientes a Locatore veniam impetrassent. Eoquo magis hujusmodi judicium ferendum esse putarunt, ne dum quia æquitati congruit sed etiam quia quælibet ambiguitas Locatori favere nullo pacto debet, qui poterat apertius legem dicere de rebus suis ex dissertissima *lege Veteribus* 39 *ff de Pactis, ac Pacionus de locat., et conduct. c.* 33, *et* 105 *Rota in Anconitana pecunaria* 29 *Aprilis* 1829 *cor. R. P. D. De Cursiis.*

Quæ cum fuerint constituta quoad immodice paratam tritici sactionem restabat altera quæstio quoad indicum frumentum, quo Latifundii partem contra contractus legem Conductores severunt. Cum veru ob hoc factum ex clarissimo et eloquentissimo pacto se obtrictos esse conductores ipsi profiterentur locatori messis trientem præstandi, pactorum sanctitatem Patres DD. observantes id tantum in themate inquirere existimarunt, quota scilicet fuisset hujusmodi indici messis. In qua re definienda iterum Conductorum oblationem respuendam putarunt, eo quod Testimonio illorum qui hujus segetis messem in rubris decem tantum constituisse prædicabant, fides tuto haberi prorsus non poterat. Præter enim quamquod hi cruce signati rite numquam fuerint rogati, mancipati erant servitio Conductorum, iis ideo id dominiorum studio deponentibus nulla fides concedenda erat ex notissima juris regula. Cæterum eo totius Conductorum proposito hac de re resistere visum est, quandoquidem ipsi perperam, ac fide certe non bona, dum sationi indici frumenti operam admovebant, assignationem quamlibet neglexerant, locatorisque interpellationem prorsus omiserant. 4

Hisce vero præstabilitis, cum clementa deficerent, ut constitueretur quomodo ob immodicam tritici sationem merces esset augenda: cum rursus rei veritas quoad indici messem ex adductis probationibus haberi non possit, cognitorum opera in subsidium uti Patres duxerunt, data iis iterum lege, ut 5

habitu respectu ad locationis pacta, juxtaque suæ artis regulas referrent primo, quod congruum ob tritici frumenti immodicam sationem mercedis augmentum boni viri arbitrio Locatori sit tribuendum, ut deinde cognoscerent quantum frumenti indici in tempestate anni 1828 agri pars, quam Conductores hac segete severunt gignere potuissent juxta ejus naturam, vim, ac tempestatis circumstantias. Quæ cum adamussim Periti viri constituerint, a conductoribus quoque religiose esse præstanda decisum recte fuit in utroque partium conflictu etc.

---

## ROMANA MERCIUM

### IN RE COMMERCIALI

*Veneris* 31. *Augusti* 1832.

### ARGUMENTUM

Mercium commissionis contractus probationibus indiget, ut dari possit actio ad recipiendum et cum merces vitiosae sint, nec qualitati, quae in contractum venit, respondeant, contractus rescindi potest.

#### SUMMARIUM

1. *Testes e fece plebis collecti, in dicto incostantes, in re Mercatoria praesertim, atque in contractu suspiciosissimo, sperni debent.*
2. *Ad excludendum commissionis contractum sufficit de hoc non esse in* – Libro Giornale – *habitam rationem.*
3. *Mercium commissionis contractus tutissime probari debet, ut actio ad recipiendum instituatur.*
4. *Post initam quoque emptionem venditionem licet emptori ex redhibitoria contractum rescindere, quatenus vitiosae sint merces, nec qualitati respondeant quae venit in contractum.*
5. *Gravissimae auctoritati peritia judicialis ad ea quae facti sunt, est nec ab ipsa auctoritate recedendum, nisi de errore plenissime doceatur.* – Et num. 6. –
7. *Quod speciem falsitatis exhibet admitti non debet in judicio.*

### DECISIO CCCCXXIV.

Cæsar Hilbratus Militiæ Pontificis Galeris instruendæ munus susceperat. Cum ad rem nonnulla corii quantitate indigeret, mense Augusto anni 1830 eamdem ad Joanne Baptista Aggeno quæsivit, qui multiplicem in Urbe Mercaturam facit haud hic mercem præsentem levissimae illius qualitatis habebat quæ ab emptore requirebatur. Ab Januensi emporio se se eam expetiturum quam primo adpromisit, et reapse incuntanter recepit; ita ut mense Octobris redempta ab ipso Jo. Baptista fuerit legitima, Vectigalis solutione. At pessimas oppido merces dederunt Januenses negotiatores, quas vix ac vidit Hilbratus illico, uti sibi inutiles et deterrimae prorsus speciei, reprobavit. Nec questus Aggenus fuit de mercibus ab Cæsare rejectis; Studia imo simul una conjexerunt, ut aliquis earumdem emptor reperiretur. Nullum tamen reperire datum est ex insigni rei vitio.

Desperata exinde venditione, eam naufragii tabulam Aggenus arripuit, ut Caesarem ad emptionem invite ineundam compelleret, qua de re judicium ei dedit libellum coram Mercatorio Urbis Tribunali petens ut ipse ad Mercium receptionem juxta rationes quasdam in actis exhibitas, seu potius ad solvendam vim scutorum 529 78 condemnaretur. At neutrum obtinuit. Cum etenim Hilbratus, ad jurgia extirpanda, promptum sese obtulerit ex judiciali protestatione ad comparanda « *Cento pezzi di Suola di Francia* » quatenus optimæ essent qualitatis necessum Judices æstimarunt cognitorem judiciarium eligere, qui de Mercibus ab Joanne Baptista oblatis referret. Pessimas eas repetiit; dum coria omnia = *non concie a perfezione* = aliqua etiam = *troppo sfatte di calce* =: omnia nullius prorsus usus agnovit. Post juratum hoc periti judicium, *unanimiter* Judices Mercatorii injustam Jo: Baptistæ actionem rejecerunt. Nec profuit huic appellationis gradum cor. N. S. Ordine ex Comitiis periri. Cum etenim de viribus Mercatoriæ Sententiæ actum hodiernis sit,

eamdem PP. absque bæsitatione confirmarunt ex Rescriptum = *Non esse locum receptioni et exendatur Decisio* =

1 Dum Aggenus actionem *ad recipiendum* adeo confidenter instituit, ac si tutissime constaret de mercium *Commissione*, extrema; uti ajunt, omnia desiderari PP. visum est, quibus mercatorius contractus probatur. Alterum quippe est quod Cæsar certa indigens corii quantitate, banc ab Aggeno quæsiverit, atque se se recepturum promiserit alterum, quod verum absolutumque iniverit contractum *commissionis*, ita ut Joannes Baptista simplicis mandatarii vestem incunctanter susceperit, nec, nisi quam sumptibus et periculo Hilbratii, ab Januensibus mercatoribus comparaverit. Omnis namque actoris probatio in voce erat unius, vel alterius testis, qui non expiscati tantum ad commodum litis, sed e fæce plebis collecti, in dicto egregie inconstantes, famulatus denique aliisque pluribus exceptionibus obnoxii, ex *Capite nomine de Testibus* et perpetua S. Auditorii Nostri doctrina, nullum admodum probationis gradum constituere queunt. Eo autem gravius sperni debent in re Mercatoria atque in contractu omnium suspiciosissimo, qui innumeris plane fraudibus viam quodammodu sternit, nec exinde debet admitti, nisi graviter, et plenissime demonstretur.

2 Spernendis vero testibus missis, non quælibet tantum probatio desideratur ad arguendum commissionis contractum sed innumera urgent ad eumdem penitus excludendum. Haud enim sub mense Augusto 1830 ratio habita de hoc fuit in *Libro Giornale* in quo uti contractus omnes, ex mercatorio jure sunt accensendi, qui dietim proficiuntur, eo gravius inscribi commissio mercium debebat, quam interest ex præmissis omni probationum genere evinci, ne alias ex futuro mercium periculo, vel serotina emptoris poenitentia atque bujus generis aliis, facillima jurgis, atque inter contrahentes dissidiis pateat occasio. Nec prodeat in eodem libro contractu obsignatum excipere sub die 15 Octobris perinde ac si mercatoriæ scripturæ argumentum nullatenus desideretur. Irridenda namque erat inscriptio eo tempore exarata, quo coria jam Tyberis ripam appulerat, et constiterant, invicem de pessima eorumdem qualitate. Re namque amplius non integra, fraudem magis Januensius mercatoris serotina ea inscriptio præseferebat quam legitimam absoluti contractus probationem.

Accedit autem bisce, quod Aggenus suo nunnisi quam nomine merces e telonio redempserit, ne facto quidem verbo mandati. Accedit mercium exemplum tunc tantum Cæsari traditum, ut de ineundo contractu deliberaret. Accedunt adhibitæ ut novus emptor loco Hilbratii reperiretur, qui mercium qualitatem interim objurgaverat, et sese alienum professus erat a perficiendo contractu. Quæ omnia, uti concipi nullatenus possent, ac dissolutum Joannis Baptistæ agendi methodum præseferrent, quatenus verus absolutusque commissionis contractus eum inter et Cæsarem intercessisset, et ita mirifice contractum eumdem excludunt, ac rem illa inter utrumque actam ostendunt, ut non merces nomine, et periculo suo emendas Hilbratus commiserit, sed spem una vel etiam pollicitationem dederit emptionis futuræ, quatenus utiles sibi ab Joanne Baptista merces compararentur. Posteriora namque facta contrahentium, et mutua observantia quid inter eosdem sit actum evidenter interpretatur *Lege* 1 *et* 2 *cod. Plus valere etc. Rot. Dec.* 26 *n.* 6 *Par.* 5 *Tom.* 1 *Recen. Dec.* 122 *n.* 19 *cor. Riminal. Dec.* 224 *n.* 8 *cor. Olivatio, in Romana Divisionis Onerum* 16 *Maii* 1828 *n.* 4 *cor. Rmo P. D. Meo Celestini.* 3

Coeterum, etsi protestationi, ab Cæsare in judicio emissæ ad quodlibet discordiæ germen prædicendum, ea tribui vellet auctoritas, ut ad instar protestationis ipsius, nequeat de commissione amplius disputari coriorum centum, sive » *di cento pezzi di Suola di Francia* » quæ tamen protestatio, utpote in actis minime emissa, et repro- 4

ducta atque a procuratore sine speciali mandato exhibita initio litis, cum facta nondum essent discussa, nondum explicata, nullam ficni commissionis faceret ad notissima jura de quibus S. Nostrum Auditorium in *Decis. Spoletana Pecuniaria* 29 *Martii* 1805 § 7 *cor. Resta, Decis.* 8 *et* 143 § 16 *cor.* *Emo Isoard.* satis tamen erat expluramentum mercium vitium, et qualitas omnino deterrima, ad hoc ut Cæsar immunis constituatur ab contractus observantia. Uti enim post initam quoque emptionem venditionem licet emptori ex redhibitoria contractum rescindere, quatenus vitiosæ sint merces, nec qualitati respondeant, quæ venit in contractum, *Casareg. Tranct. de Commercio Disc.* 176 *in principio, post quem Rota in Romana, seu Londinen. Rescissionis Contractus* 16 *Junii* 1823 *n.* 18 *cor. Me*: jus ita haud dissimile obtinet in mercatorio contractu commissionis qui imo cum iisdem, ac mandatum legibus ordinetur, nulla hinc Commissario suppedit actio ut committentem ad merces recipiendas compellat quæ extra ejus voluntatem, et præter fines Mandati comparare intelliguntur, semelac, illius qualitatis non reperiantur quæ in commissione præcepta fuit. In re quidem mercatoria haud ambigitur quod = *Se il Commissionato deviando dalle istruzioni ricevute compra merci di qualità, e specie diversa, ed il committente le ricusa, egli è obbligato a ripigliarsene* ceu tradit *Marrejus Diritto Commerciale part.* 1 *tit.* 6 *delle Commissioni* § 65 et docet ex jure Communi S. Noster Audit. *in Romana Mercium* 23 *Junii n.* 1 *cor. Vicecomite et in Confirmat.* 6 *Martii* 1682 *n.* 1 *cor. Albergato.*

5 Vix tamen poterat in discrimen adduci hujusmodi merces exhibites ac Aggeno fuisse, quæ pessimæ essent qualitatis. Eunctum namque omne tulit relatio periti judicialis, qui vitiosa adeo merces cognovit ut declaravit = *dopo averle maturamente esaminate, le ho rinvenuto come appresso, cioè le cinque Balle delle Tunisine non sono concie a perfezione, Le due dette dell'Avana non sono conce a perfezione e sono anche troppo sfatte di Calce* = Gravissimæ autem esse auctoritatis peritia judicialem ad ea, quæ factis sunt, arguenda nemo non dixerit; ita ut pro verita ipsa habeatur, nec deceat ab eadem redere, nisi de errore plenissime doceatur. *Rota cor. Cerro Dec.* 302 *n.* 12 *cor. Ratto Dec.* 145 *n.* 2 *cor. Olivatio Decis* 215 *n.* 18 *in Faventina Læsionis Enormissimae* 1 *Maii* 1827 *num.* 6 *coram Rmo P. D. Meo Spoda Decano, et in Romana Exfractationorum* 6 *Julii hujus anni n.* 4 *cor. Me.*

Futile post hæc erat diffugium ex eo periti judicium carpere, quod par non fuerit referendo = *Se le dette Suole siano atte alla formazione dei così detti Giaccò Militari* =, quem ad effectum fuerant merces peculiariter exquisitæ. Et re quidem vera, semelac ea certa judicialis peritus agnovit esse = *sfatte di calce e non conce a perfezione* = vitia hujusmodi arguit, quæ non merces uni, vel alteri usui impares efficiunt, sed deterrimæ prorsus qualitatis nec operi ulli perficiendo opportunas. Præsertim cum sit exploratum pluribus merces ipsas Aggennum obtulisse pretio etiam vilissimo ut adhiberentur = *per uso di Giaccò* = sed reprobatas per petuo fuisse = *non essendo buone a niente* = Quæ quidem probationes illius ferme generis evaserunt, ut omnem quodammodo respuant probationem contrariam. Cum etenim cautus Aggenus non fuerit de mercium identitate letime arguenda, omne exinde medium defecit, quo ipessima ea qualitas valeat in discrimen adduci, quam et cognitor judicialis, et innumere facti probationes in propatulo posuerunt. Potuit namque causa æmulationis coria illis meliora sufficere, quæ Cæsari obtulit, ad emendum, ut exinde constaret de injusto dissensu atque Hilbratus poenam immerito ferret temerari litigatoris. 6

Quæ cum ita se habeant, nihili facienda erat omnino ratibabitionis exceptio, quam aggenus, ad spem quodammodo ultimam, implorabat. Hæc quoque uti commissio in dicto erat te- 7

stimonium nullius sane ponderis. Omnia insuper facti adjuncta continuum constantemque Cæsaris dissensum sub evidentia ipsa demonstrant; qui aliundæ, ex probato mercium vitio, et pessima qualitate, omni juris præsumptione fulcitur. Ab qualibet enim verisimilitudine longissime aberrat, quod eas Hilbratus merces accepto habuerit, quæ nullius sibi usus fuissent. Quæ autem haud verosimilia cognoscuntur haud admitti debent in judicio, cum speciem falsitatis exhibeant.

Et ita me quoque suffragante, decisum fuit. Utraque etc.

---

## ROMANA PECUNIARIA

*Veneris* 10. *Februarii* 1832.

### ARGUMENTUM

In subducendis rationibus tam pensionum, quorum solutionis dies jam cesserat, quam pecuniarum in earundem pensionum causam traditarum locatori, negocium committendum est perito ratiocinatori, qui habita ratione, de quietantiae apochis, et computis exhibitis referat.

#### SUMMARIUM

1. *Creditum quod ex instrumento proficiscatur maximam habet in judicio probationem.*
2. *Codices privati conscripti omnem a defuncto plane fidem in judicio sibi vindicant, si nullum vitium, litura nulla, aut talia quaedam menda in eos inveniatur.* - Et num. 5. -
3. *Cessionarius pro solvendo tenetur diligentias adhibere, ut nomen cessum assequatur nec aliter converti in cedentem potest, nisi liqueat culpa non sua nomen cessum exigi nequivisse.*
4. *Conductor morosus non praesumitur biduo voluisse solutionem summam haud tenuem ac fere similem repraesentare.*
6. *Judiciarii ratiocinatoris relatio veritatis et justitiae fundamento subnixa censetur.*

### DECISIO CCCCXXV.

Publicis tabulis ad exitum mensis *Januarii anni* 1817 conscriptis, Antonius Bertazzoli ad novennium locavit Aloysio Capozzi rustica quædam prædia in Agro Pontino posita, quæve Bertazzolius jam in emphyteusim jam pridem a Rev. Camera Apostolica obtinuerat. Placuit utrinque Locationis initium ad diem *primam* Januarii ejusdem anni 1817 referre, pensionem in annuis scut. 624 constituere, quamve post quodlibet elapsum semestre sese solutarum Capotius ipse promisit, præter exiguum quemdam Canonem R. C. A. rependendum. Prioribus locationis conductionis annis datam de solutione pensionum fidem Capotius religiose servavit; sed adeo moras nectere deinde cæpit, ut non aliter, nisi ex Prætoris auctoritate, et capitis pignoribus, potuerit pensionum solutio ab eo obtineri. Quod evenerat autem superioribus annis, accidit quoque per subsequentibus pensionibus ad omnem usque Junium anni 1824, quo tempore cum debitor eo nomine superesset Capotius scut. 741 40 oportuit quidem, ut Philippus Bertazzoli filius, ac hæres interea defuncti Antonii, in illum ageret coram Assessore Tribunalis A. C. Advocato Chiodi, qui debitorem nulla exceptione utentem, et silentio suo debitum probantem, damnavit ad petitæ summæ solutionem. Ab hac sententia suspensivam Appellationem Signatura Justitiæ Capotio denegavit, et subinde rei cognitio *in devolutivo* delata est ad A. C. Marulli, ut de ea jus diceret in secundo jurisdictionis gradu.

Cum tota res versaretur in subducendis rationibus, tam pensionum, quarum solutionis dies jam cesserat, et venerat, quam pecuniarum in earumdem pensionum causam interim traditarum locatori, satius ideo censuit A. C. Marullius, antequam jus redderet, negocium omne Perito ratiocinatori Philippo Zampio committere, adjecta lege subducendi rationes, præ oculis habitis tam quietantiæ Apochis, quam computo quodam exhibito per Philippum Bertazzoli suis in Defensionibus, tum apud Signaturam, tum apud ipsum A. C. Marullium, quod quidem computum duxerat a privato rationum codice Antonii patris, ubi isto proprio charactere quid pensionum titulo deberetur, quid

vero solutum in earum Causam fuerit, religiose, ac præ sua honestate adnotaverat. Vir Peritus Partes pluries audivit, monumenta omnia perpendit, atque tres demum instituens hypoteses retulit, debitorem omnino supercsse Capotium in ea plus minus summa, quam Philippus judicio postulaverat. Sed querelas adversus periti Viri relationem extulit Capotius, obtinuitque, ut denuo Judex interlocutorio alio Decreto rem ablegaverit ad eumdem Peritum, qui *super noviter deductis* referret. Nihil attamen Capotius profecit. Ea enim, quæ in prima relatione logographus constituerat, confirmavit in altera, quam parites scripto tradidit, ac evulgavit. Quin ipsi Capotio profuerit, provocasse interea ab eo Decreto, et citationem, ut ajebant specialem expedivisse pro suspensivæ appellationis observantia; in irritum quippe hujusmodi nisus cessere, ob subsecutam, instante Bertazzolio, citationis illius moderationem. Subinde porro evenit, ut cessata per novissimas Leges A. C. Marulli jurisdictione, qui tamen nihil definitive pronunciaverat, deductaque ex novo judiciorum ordine rei definitione ad Sacrum Nostrum Auditorium, quæsitum hodie sit = *An, et in qua summa constet de credito, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = redditumque Responsum « *Quoad scuta* 690 02 *affirmative, et esse relaxandum mandatum quo vero ad scuta* 100 *coadjuventur probationes* ».

1 De credito *in genere* nulla esse poterat concertatio, cum ex publico proficiscatur Instrumento, quod maximam habet in judicio auctoritatem, promptamque meretur executionem. Tota igitur quæstio redit ad creditum pensionum *in specie* usque ad totum Junium anni 1824. Peritus ratiocinator Philippus Zampius in prima sua relatione, quam deinde, ex decreto Judicis iterum referens, confirmabit, ad eruendum creditum locatoris, tres constituit hypotheses. Harum primum deduxit e superius dicto Computo, quod Philippus ex rationum libro Antonii patris depromptum exhibuerat: alteram eruit ex quodam rationum compendio sive *Ristretto* ad omnem diem *primam Januarii* 1823; ubi expressum erat, Capotium tum debitorem existere *in scutis* 517 39., quod sane compendium charactere defuncti Antonii conscriptum, versabatur penes eumdem Capotium, et ab ipso prolatum fuit: tertiam demum hausit *dal conto lungo*, rationes nimirum dispungens a *secundo semestri anni* 1820 inclusive, ad tramites privati codicis ab Antonio exarati, usque ad exitum *Junii anni* 1824, ad quod plane tempus, nec ultra, protendebatur quantitas debiti in judicium deducta. Quapropter ex relatione Periti ratiocinatoris patuit in primo casu debitorem usque ad omnem *Junium anni* 1824 *in scut.* 789 82. Capotium existere, in secundo autem, et tertio illius debitum evehi ad *scuta* 790 02.

2 At Patres Domini censuerunt, tertiam hypothesim esse in subjecta materia retinendam, et ad ejus tramites debitum Capotii constitui oportere. Agitur quidem de privatis codicibus, sed qui tamen tanta diligentia, tantaque fide scripti fuerunt a defuncto Antonio, ab integerrimo nimirum homine antiquæ prorsus fidei, atque spectatissimæ probitatis ut ipse Capotius eis alias acquieverit, maximique fecerit scribentis honestatem, quem in honore semper habuit, ac obsequio; immo laudaverit quoque integritatem filii; et hæredis Philippi, eosdem Codices palam proferentis, quibus alioquin haud exhibitis, valuisset ipsum conductorem utpote quavis fere acceptilatione destitutum, ad majorem admodum vim solvendam judicio compellere. Semel ac vero Capotius privatis hisce codicibus inhærendum esse contendebat, ut exinde erueretur, quantum foret pensionum debitum, egre profecto ferre non debet, ut Codices ipsi maxime retineantur in factis solutionibus statuendis. Nemo enim potest unum idemque documentum partim accepto habere partim repudiare, nisi saltem probetur, in acta relatum fuisse adjecta clausula *in parte, et partibus, et per compulsum* » Ex eo autem privati iidem Codices a

defuncto Antonio conscripti magis magisque omnem plane fidem in judicio sibi vindicabant, quod nullum vitium, litera nulla, aut talia quædam menda in eos vel a Capotio opponebatur, vel a perito viro reperta fuit. Nihil ergo dubii, quin liber rationum Antonii manu exaratus debeat inspici, atque attendi tam in constituenda quantitate pensionum debitarum, quam in solutionum numero, et summa præfinienda.

3 Quo posito, perspicuum etiam erat, minus proprie fuisse locutum, aut non bene se explicasse Antonium, dum in prædicto libro adnotavit satisfactas prorsus pensiones fuisse usque ad integrum *annum* 1820. Si enim ex pacto cautum in instrumento locationis conductionis fuerat, ut anniversaria pensio persolvenda esset « *di sei in sei mesi posticipatamente* » necessario sequebatur partem alteram pensionis *anni* 1820 sive secundo semestri respondentem, non alio tempore rependi debuisse, nisi die *prima* Januarii insequentis *anni* 1821. Adeo immo constat dimidium pensionis *anni* 1820 a conductoro non fuisse solutum, ut eodem in libro pateat adnotatum ejusdem conductionis debitum *in scutis tercentum duodecim*, quæ adamussim describuntur « *per il semestre maturato il primo Gennaro* 1821. » Ducto itaque ab eo tempore, a die *prima* nimirum *Januarii* 1821 sive a secundo semestri præcedentis *anni* 1820, initio debiti, luculenter apparet ex libro totum pensionum nomen usque ad exitum *Junii anni* 1824., ingentem summam conficere *scutorum* 2469. Constat etiam in causam hujusce debiti pensionum nil aliud solvisse Bertazzolium, nisi *scuta* 1705 98. Superesset ergo debitum Capotii *in scutis septingentis nonaginta, obulisque duobus*. Visum est autem Sacro Ordini, ab hac summa expungenda esse pro nunc *scuta centum*, eaque in suspenso relinquenda donec de ipsis probationes augeantur. Cum enim Capotius in pensionum causam locatori cesserit nomen argenteorum *quatuorcentum*, quod hic accepto habuit *pro solvendo* tantum, cumque insuper Antonius in privato suo codice asseruerit *scuta tercentum* dumtaxat ab eo nomine cesso consequi potuisse, factum proinde est, ut Peritus ratiocinator debito conductoris summam reliquorum *scutorum centum* adscripserit. Verumtamen animadvertentes Patres, cessionarium quoque *pro solvendo* teneri diligentias adhibere, ut nomen cessum assequatur, nec aliter converti in cedentem posse, quam si liqueat, culpa non sua nomen idem cessum exigi nequivisse, idcirco cum haec probatio in subjecta specie deficeret, nihil quoad eam summam statuendum in præsens existimarunt, et utrimque coadjuvari jusserunt probationes.

Expunctis autem *scutis centum* reliquum manet conductoris debitum pro pensionibus usque ad postremam diem *Junii anni* 1824, *in scut is sexcentum nonaginta, et obulis duobus*' pro quibus judiciale mandatum Bertazzolio concessum est. Perperam vero tantopere extollebatur acceptilatio *scutorum* 150 Angelo Tabanelli pro Capotio solventi tradita, quasi haec omissa fuerit a perito ratiocinatore, quum imo limpidissima emergeret, et ab ipso perito ratiocinatore demonstratum fuerit, hanc summam contineri in capite *scutorum* 156 in libro locatoris adnotato, pro qua nulla de recepto syngrapha peculiaris habetur seorsim ab illa *scutorum* 150. Quamvis enim hæc summa *scutorum* 150, de qua profertur acceptilatio, tam quoad tempus, quam in quantitate, aliquantulum differat ab alia *scutorum* 156, quae in codice describitur facile tamen intelligebatur unam eam esse, eamdemque solutionem. Quandoquidem inverosimile prorsus est, ut vim *scutorum* 156 solvere conductor voluerit absque syngrapha de recepto, indeque merito conjicitur illa minimo constituere solutionem distinctam ab antedicta *scutorum* 150 pro qua fuit confecta acceptilatio. Insuper cum adnotatio *scutorum* 156 in codice præseferat *diem decimam nonam Aprilis anni* 1822, et acceptilatio *scutorum* 150 diem *vigesimam secundam ejusdem mensis*, *et anni*, novum exinde occurrit argumen- 4

tum ad rejiciendam solutionum pluralitatem. Non enim facile credi potest, quod conductor, qui semper fere morosum sese in solvendis pensionibus præbuerat, et nonnisi auctoritate Judicis interposita ad explendas solutiones adigebatur, voluerit biduo post solutionem summam haud tenuem, ac fere similem repræsentare.

5 Missis autem conjecturis, et præsumptionibus, quas latius expendit Peritus ratiocinator, tota res conficiebatur ex Capotii facto, qui superius memoratum exhibuit compendium rationum ad omnem diem *primam Januarii* 1823, cujus quidem vis plane maxima ad probationem constituendam, tum quia charactere honestissimi defuncti locatoris exaratum conspicitur; tum quia ipsum absque ulla querela recepit ab eodem locatore pluribus jam ab hinc annis, retinuitque semper Capotius: tum demum qui ab isto probatum fuit; quocirca adversus inducentem plene probat. Porro compendium hujusmodi palam excludit assertam a Capotio solutionum duplicitatem, et evincit illam *scutorum* 150, de quibus extat acceptilatio, contineri in alia *scutorum* 156 adnotata in rationum libro per Antonium. Quod enim in ipso compendio describitur debitum reliquum conductoris ad omnem diem *primam Januarii* 1823 *in scutis* 517 39 idem est, ac illud quod calculo ducto ad eam usque diem emergit ex Antonii rationibus, in quibus humeratio distincta *scutorum* 150, nequaquam recensetur; et aliunde perspicuum nimis est, quod, supposita supradicta solutionum duplicitate, residuum Capotii debitum ad illam diem non in *scutis* 517 39 descriptis in compendio, sed minori in quantitate, sive in *scutis* 367 39 consistere debuisset, ac tale in compendio fuisset expressum.

6 Cæterum si secum summæ non conveniunt, et plus adnotatum in libro foit, quam ex acceptilatione solutom apparet, id non alia de causa accidit, nisi quia reliqua vis *scutorum sex*, qua acceptilatio ab adnotatione discrepat, soluta non fuit a Tabanellio pro Capotio, sed argentea tantum 150, ut superius positum est; illa vero scuta *sex* a Capotio numerata mandante Bertazzolio fuerunt cuidam Altobellio, ideoque haud erant comprændenda in acceptilatione tradita Tabanellio, qui ea non solverat sed solum adjicienda in rationum codice ad *scuta* 150, unde factum, ut descripta fuerint *scuta* 156 Patula ergo discriminis ratio, neque ullatenus admittenda asserta per Capotium solutionum duplicitas. Judiciario igitur cognitori adhærendum est, ac in sententiam ejus eundum, qui unam dumtaxat solutionem in calculum retulit; id autem eo vel magis, quia de judiciario ratiocinatore agitur; cujus relatio veritatis, et justitiæ fundamento subnixa censetur. *Rota in Recen. Decis.* 249 *num.* 2 *part.* 12. *Decis.* 132 *num.* 14 *part.* 15. *Decis.* 315 *num.* 2 *part.* 16, *et in Perusina Pecuniaria* 26 *Junii* 1820 § 2 *cor. cl. me. Serlupi.* Si quæ autem aliae a Capotio solutiones proferebantur non erant illae quidem expungendae a pensionum debito, de quibus quaeritur, quia vel tempus respiciunt *anno* 1821 anterius, vel spectant ad epocham dici 30 *Junii anni* 1824 posteriorem; itaut nulla de eis ratio haberi debeat, firmumque maneat *pro nunc* debitum Capotii in *scutis sexcentum nonaginta*, *et obulis duobus*, relictis nempe in suspenso reliquis *scutis centum*, quae ex nomine cesso non exacta dicuntur, ac de quibus jussit Sacer Ordo, ut probationes augeantur.

Et ita, me quoque ex nova praxi suffragante, decisum est utraque etc.

---

## ROMANA PECUNIARIA

### SUPER FRUCTIBUS

*Veneris* 23. *Martii* 1832.

### ARGUMENTUM

**Emptor qui partem pretii sibi reservavit, ac nondum persolvit, fructus compensativos refundere venditori debet - In judicio exequutivo proponi non possunt exceptiones turbidae, ac altiorem indaginem requirentes. -**

Digitized by Google

SUMMARIUM

1. *Emptor ad solvendos compensativos rei fructus perstringitur, ratione pretii quod non refudit, etsi de hisce nihil conventum sit in contractu.*
2. *Exequutivum judicium est quod a publicis tabulis proficiscitur, quum paratam hae, expeditamque vim sternant ad adipiscendam solutionem, ac contrariam exceptionem rejiciant.*
   *Iniquum est usuras ab eo exigi, qui fructus non percepit - ibidem. -*
3. *Sententiis sese invicem elidentibus semper actionis experiaendae jus suppetit.*
4. *Inter liquidam et illiquidum nomen compensatio non datur, nec expendendae in judicio exequutivo exceptiones difficiles, turbidae, illiquidae et quae suapte natura flagitant altiorem indaginem.*
5. *Aliud est decisiones, quae manent in implicito statu per transennam revocare; aliud vim eam illis tribuere, ut pendente adhuc judicia Rei Judicatae effectus gignant.*
6. *Qui liberaliter juri suo renunciat nullum sibi parat damnum.*

## DECISIO CCCCXXVI.

Bona ac jura universa Blerani Municipii, quæ inter recensebatur jus pascui in agris illius territorii, quorum utile dominium Lactantis ab anno usque 1805 quæsitum fuerat, accedente Principis SSmi Placito, et duplici inita stipulatione, venerant anno 1826 in plenum dominium Marchionis Pauli Carandini; a quo die 6 Februarii insequentis anni distracta ex empto fuerunt in Comitem Aloysium Marconi, publico inito instrumento, et convento pretio scutorum *quadraginta duo millium*. Non integram tamen pecuniæ vim emptor continenter refudit; sed annales ferme inducias stipulatus in contractu fuit ad residuum pretium scutorum 12000 rependendum; pacto interim convento = *che in forza della Legge Curabit Cod. de Act. empt.* = *potrà il Signor Conte Marconi corrispondere al Signor Venditore i frutti compensativi in ragione del 7 per cento, così convenuto fra loro* =. Quod pretium residuum imminutum postmodum fuit ex legitima solutione ad vim usque scutorum 3262, et obolos 33. Verum haud diu inita emptio venditio sine jurgiis processit.

Vigente enim Lactantiorum emphyteusi circumcluserant hi prædium quoddam = *Creloni* =; servituti pascui erga Bleranum Municipium obnoxium, ut redigerent ad culturam, ac distraxerant inde in Comitem Lavagium, a quo actu, ceu liberum ab ea servitute possidetur. Ære hinc reintegrationis judicium Marconius indixit adversus Lavagium, et Carandinium coram A. C. Alberghinio, ut pascendi jus, quod comprehensum in venditione contendebat, super fundo = *Creloni* =, a Lavagio assequeretur, vel tantumdem venditor Carandinius ipsi præstaret, quanti sui interfuisset ab jure illo prohiberi. Atque huic judicio alterum a Carandinio excitatum accessit, quo petiit fructus septunces ad diem usque illam decursos. Optime tamen Lavagio, ac Marchioni Carandinio in prima actione recessit; rejecit quippe Judex reintegrationis actionem; ac emptorem coegit ad conventionales et compensativos rei fructus solvendos ad formam instrumenti. Dum vero Marconius accepto fructuum Decretum habuit, quod exequutioni commisit, provocandum ab judicio reintegrationis duxit, quod delatum exinde N. S. Ordini fuit coram R. P. D. Celestini; ibique meliori adeo omine certatum ab Marconio fuit, ab binis editis Decisionibus, et recessum ab primæ Actionis Sententia, et probata actio fuerit reintegrationis, tam contra Lavagium possessorem prædicti fundi = *Creloni* =; tam contra Carandinium pro assequendo ab ipso quidquid Marconii interfuisset sese reintegrationem ad illud jus pascui a Lavagio forsan consequi non potuisse; ceu videre est ex ipsis Causæ Decisionibus dierum 16 Januarii, et 12 Junii 1829, quæ rem accuratissime expendunt. Accessit vero Decisionibus rescriptum = *Expediatur* =, quod inutile huc usque mansit ex neglecta Rotalis Sententiæ expeditione.

Dum hæc coram S. Auditorio Nostro agebantur, conspicuæ summæ debitor Marconius evaserat ex delata fructuum solutione; de quibus Carandinius iterum egit coram A. C. Alberghini. Sed, Marconio instante, atque auctorante Signa-

tura Suprema, hæc fructuum Causa avocata ad S. Nostrum Ordinem fuit, coram quo princeps reintegrationis judicium pendebat. Quumque interim novus fructuum terminus venerit, mihi cui judicium hoc erat commissum, facultas quoque injuncta ab Signatura fuit, ut de fructibus omnibus decursis, et non solutis uno judicio disceptaretur. Congruam exinde formulam Dubii hoc mane proposui = *An, et in qua summa sit locus solutioni fructuum, et relaxandum mandatum in casu etc.* = Cui responsum incunctanter fuit = *Affirmative in summa scutorum* 761, *et obolorum* 20, *et esse relaxandum mandatum.*

1 Non integrum emptionis pretium Comitem Aloysium refudisse, ita ut liquidus remanserit Marchionis Carandinii debitor in vi scutorum 3262, et obulorum 33, ab perspicua tabularum litera probatur, et partes concorditer admittunt. Nihil igitur juris magis explorati, quam emptorem ad solvendos compensativos rei fructus perstringi, ratione pretii, quod non refudit; qui vim adamussim implent scutorum 761, et obolorum *viginti*. Haud enim naturalis justitia, vel scripti juris æquitas, sinunt, quod emptor duplici emolumento fruatur, dum venditor re simul careat, et pretio. Abnormis imo contrahentium inæqualitas, lucrumque partum ex aliena jactura invisum adeo legibus fuit, ut onus fructuum solvendorum emptori præceperint, etsi nihil de hisce conventum in contractu sit. *Lege* 14 § *ex venditio ff de Act. empt.*, *Lege* 2 *Cod. de Usur.*, *Lege Curabit Cod. de Act. empt.* postquam *passim Doctores, et Decisiones Tribunalium.* Dispositioni autem juris pactum solemniter conventum accedebat in casu, quod de servanda æquitate dictæ *Legis Curabit* pollicitus emptor expresse fuit, conventis ultro fructibus compensativis = *in forza della Legge Curabit Cod. etc. in ragione del sette per cento, così convenuti tra loro* =. Et culmen omnibus adjungebat judicialis ipsa Comitis emptoris agnitio, qui ultro paruit A. C. Alberghinii Decreto, quo ad conventionales, et compensativos residui pretii fructus præstandos damnatus fuit, etsi judicium jampridem indixisset super reintegratione, et questus coram Judice fuisset de tota re empta haud sibi tradita ad formam contractus. Ex jure igitur, ex pacto convento, ex judiciali agnitione, Comitem Aloysium ad septunces residui pretii fructus refundendos perstringi PP. concorditer censuerunt.

Expeditissima hinc actio erat, quam 2
Marchio Paulus indixit ad vim eorumdem fructuum condicendam, uti quæ, præter juris auxilium, solemni quoque, et juratæ stipulationi innititur. Exequutivum quippe judicium est, quod ab publicis tabulis proficiscitur, quum paratam hæ, expeditamque vim sternant ad adipiscendam solutionem, ac contrariam exceptionem omnem rejiciant. *Rota in Beneventana Immissionis, seu Reintegrationis* 25 *Junii* 1792 *n.* 3 *coram Soderino, in Pisauren. Census super Rejudicata* 13 *Martii* 1795 *n.* 3 *coram Acciajuoli, in Viterbien. Pecuniaria* 11 *Januarii* 1828 *num.* 3 *coram R. P. D. Meo Bofondi.* Nec sibi igitur, nec elementario juri Comes Aloysius cohærebat, dum iterum excipiebat antiquum reintegrationis judicium, ut fructuum noviter decursorum petitionem eliderel. Turbida hæc enim reintegrationis exceptio ab altiori indagine pendet, et illiquida, et incertissima, et ea demum est, quæ cognosci nullatenus queat in judicio exequutivo. In id enim indicta reintegrationis actio a Comite Alopsiu fuit, ut sibi a Luvagio traderetur jus pascui super prædio = *Cretoni* = vel sibi præstaretur a Carandinio quantum sui interfuerit jus pascendi super eo fundo = *Cretoni* = traditum haud sibi fuisse: quod jus pascendi, ut Lactantiis in emphyteusim concessum, et a Carandinio comparatum, et sibi venditum Comes arguebat ex speciali fundi juri pascendi obnoxii determinatione = *Piani sotto, e sopra* =, ubi situm prædium = *Cretoni* = est. Ex quo contendebat, quod uti Carandinius rei emptæ partem haud tradidit, ita nec residui pretii usuras condicere valeat; quum iniquum sit usuras ab eo exigi, qui fructus non percepit; juxta

Pauli responsum in *Lege* 16 *ff de Usuris*, quod exornant *Cujacius Comm. in Pand. lib.* 19 *tit.* 1 *ad Legem* 14 *ff de Act. empt*, *Brunemannus ibidem n.* 54, *VVesembecius Comment. in Pandect. lib.* 19 *tit.* 1 *num.* 7, et passim Interpretes juris.

3 Verum exceptionis hujusce ratio non alias haberi poterat in exequutivo judicio, nisi de rei emptæ deficientia, vel ex confessione partium constaret, vel Re judicata, vel aliis hujusmodi probationibus, quæ exceptionem nullam patiuntur: nisi insuper justa ac probata rei ipsius æstimatio proponeretur, ut liquide innotesceret quanti interfuerit emptoris rei emptæ partem haud ab venditoro traditam fuisse. Hoc enim in casu explorata utrinque, et liquida nomina concurrerent; quorum ipso jure compensatio admissa est; ac tuta via Judicibus pateret, qua, collato nomine utroque, vel imminutum, vel sublatum prorsus residui pretii Creditum cognoscerent. Non talis autem reintegrationis exceptio ab Comite Aloysio proferebatur. Incertum præ primis ipsum reintegrationis jus, quod Primæ Actionis Judex, edita Sententia, rejecit. Quin facessit ad S. Auditorii Nostri Decisiones confugere coram R. P. D. Meo Celestini, quibus recessum ab A. C. Alberghinii Sententia, et jus ipsum reintegrationis probatum fuit, ad quarum normam jus datum Marconio fuit, ut Rotalis Sententia expediretur. Quum enim Sententia ipsa, ex Comitis facto, edita adhuc non sit, præambulæ hinc Decisiones, tamquam extrajudiciales actu haberi debent, quorum ea auctoritas haud est, ut bonum jus invertant, præsumptum ex priori Sententia. Cæterum nec certum, vel probatum reintegrationis jus æstimari posset, etsi Sententiam Rotalem Comes exhiberet. Sententiis enim sese invicem elidentibus, et rejecta semel, ac semel deinde admissa reintegratione, semper appellationis experiendæ jus Marchioni Paulo suppeteret; ex quo Rotalis Sententia habenda ex praxis regulis foret, ac si edita non fuisset. Judicium igitur actum super reintegratione, quin claram, certamque exceptionem Comiti Aloysio supeditet, liquido imo demonstrat actionem suam esse altissimæ indaginis, in qua definienda Judices in diversas partes abierunt, et quæ post diuturnum litis periculum adhuc sub ancipiti maneat.

At, præter quam incertissimum, illiquidum insuper nomen est ab Marconio exceptum ad elidendum onus usurarum, quo ex jure premitur; atque ex pacto convento. Licet enim S. Auditorii Nostri Decisionibus ea vis tribueretur, ut Rei judicatæ auctoritatem præseferrent' nihil tamen ex hisce proflueret, nisi Comitis Marconii jus *in genere* assequendæ ab venditore indemnitatis ob hyberna pascua sibi prohibita super fundo = *i Cretoni* =. Quanti vero hoc pascendi jus æstimari ad tramites justitiæ valeat, nullo legitimo monumento revincitur. Spernendam quippe PP. censuerunt extrajudicialem peritiam a Comite exhibitam qua juris illius pretium in argenteis numinis 3480 præfinitum fuit, ut quidquid nominis venditori superfuit opportuna æstimatione rejiceretur. Alienum enim a vero vel ab veri similitudine PP. visum est merum hybernalium pascuorum jus super fundo = *i Cretoni* = ingenti illo pretio scutorum ferme *quatuor millium* æstimari, cum plenissimum prædii dominium vix *quinquemillibus* scutis venerit in contractum. Atque eo luculentius constitit de abnormi extrajudicialis cognitoris judicio, cum pascendi jus, quo de agitur, nonnisi quam eventuale, et precarium existat, cujus vel nulla æstimatio est, vel certe quanti minimi æstimetur oportet. Quum enim Pontificia æquitas fundos omnes ab pascuorum servitute relevaverit, dummodo ad culturam annuam redigantur, atque instruantur arboribus frugiferis, assertum ab Marconio pascendi jus, quam labili fundamento innitatur apprime noscitur. Nihil quippe tam facile existit, quam quod Comes Lavaggius, sub cujus dominio prædium = *i Cretoni* = nunc manet, augendæ fundi culturæ navius incumbat, atque eam arborum frugiferarum sationem prosequatur, atque ad 4

exitum perducat, quam Lactantii sedulo inceperant, ut prædium ex Lege circumcluderent, atque in libertatem a pascui servitute vindicarent. Cum igitur assertum ab Marconio reintegrationis jus, etsi competeret, quaquaversus illiquidum, ac turbidum cognoscatur, nullum certe obicem evidenti, ac probatissimæ venditoris actioni pararo potest: dum nihil communioris jurisprudentiæ est, quam inter liquidum, et illiquidum nomen compensationem non dari, nec expendendas ullatenus esse in judicio exequutivo exceptiones difficiles, turbidas, illiquidas, et quæ suapte natura flagitant altiorem indaginem.

5 Perinfirmum exinde erat editis ab Auditorio Nostro Decisionibus adeo incumbere, ut nequeat hodie Carandinii actio probari, nisi illæ obiter revocentur contra æquam S. Ordinis Nostri consuetudinem. Aliud siquidem est Decisiones, quæ manent in implicito statu validitatis, per transennam revocare; ac vim eam illis tribuere, ut pendente adhuc judicio Rei Judicatæ effectus gignant. Non enim ex eo fructuum petitionem PP. probarunt, quod pascendi jus super fundo = *Cretoni* = vel extraneum duxerint ab emptoris Contractu, vel injuste ab emptore vindicetur: sed redditum ita jus est, ne expeditum nomen, quod ab evidenti jure, et solemni tabularum stipulatione proficiscitur, ex difficili reintegrationis indagine comperendinetur, de qua anceps adeo hæsit judicium, ut Sententiæ sibi invicem repugnantes editæ hue usque fuerint. Deterius vero famulativum hoc fructuum judicium, ac dependens ab altero super jure pascendi Marconius arguebat ex Decreto Signaturæ Justitiæ, quod Causam ipsam, *attenta connexione*, S. Ordini Nostro commisit. Si enim placuit actionem, quæ inter easdem personas, et super re eadem agitur, Judicibus eisdem committere, ut tutius, et magis expedite cognosceretur, haud conjicere exinde licet, quod Tribunal Supremum ordinarium cum exequutivo judicio immiscuerit, atque expeditissimam actionem protelandam arbitrio prorsus immoderato sanciverit ex involuta Comitis Aloysii exceptione.

Nec juri suo ullum Marchio Paulus 6
intulit præjudicium, dum, ad quæstiones praecidendas, distulit residui pretii petitionem usque ad exitum litis super reintegratione. Liberaliter enim suo illi juri renunciavit, ut tricæ omnes abraderentur super exaggerato emptoris periculo ex rei emptæ deficientia, atque ut ita Comiti Aloysio, cujus indemnitati satis superque consultum fuit ex dilata residui pretii condictione, exceptio prorsus nulla superesset, qua fructuum quoque nomen expeditissimum in discrimen revocaret. Quibus omnibus positis, eo libentius pro Marchione venditore judicium absolvendum PP. duxerunt, quod Comes Aloysius haud pretii reductionem quæsiverit in judicio illo reintegrationis, vel compensationem debiti residui cum defectæ rei æstimatione; sed petierit a venditore quantum sui interfuerint haud rem venditam omnem traditam fuisse. Hic igitur erit petitæ indemnitatis effectus, ut fructuum indebite perceptorum condictio emptori tribuatur: at nunquam Contractus implementum fas illi erit ad præsens detrectare, dum excitato quanti interest judicio, impletam ab se fidem Contractus judicialiter professus fuit.

Et ita, me quoque ex novissimis jussionibus suffragium ferente, jus fuit redditum, Utraque etc.

---

## ROMANA PURGATIONIS MORAE

*Mercurii* 8. *Februarii* 1832.

### ARGUMENTUM

Caducitas, cum sit res odiosa, quaevis causa, etiam fatua, ab ea effugienda excusat - Beneficium purgationis morae, extenditur etiam ad creditores emphyteutae, qui utile rei dominum sibi devinxerunt. -

### SUMMARIUM

1. *Clausulae adjectae in Concessione emphyteusis perpetuae trasitoriae ad quoscumque prohi-*

*bentes alienationes, et hypothecas, nil aliud significant, quam jura directi domini, exigendi laudemia, et probandi contractum.*

2. *Beneficium purgationis morae extenditur etiam ad creditores emphiteutae, qui utile rei dominium hypothecae vinculis sibi devinxerint.* – Et num. 3. –

4. *Terminus octo dierum post judicatum, ad petendam purgationem morae, est pro Emphiteuta contra dominum directum, non quando agitur de creditore hypothecaria.*

5. *In petenda morae purgatione declarationem fieri debet Emphiteuta se paratum esse solvendi laudemium Canones, et expensas.*

6. *Qui hypothecae et judicialis pignoris privilegium habet super fundum suo jure decidere non potest nisi legitime sit in judicio devolutionis appellatus, ubi vocandi sunt omnes quorum interest ne quaesito jure spolietur.*

7. *Inscriptio hypotecae quae sub judicii initium viget, usque ad ipsius exitum perpetua quodammodo fit usque ad ipsius exitum, etiamsi decennii lapsum sequutum sit.*

8. *Ex jure Canonico hypotecam ex pignore judiciali propter quam facta est exequutio in perpetuam abiit.*

*Caducitas cum sit odii plena ad ipsam effugiendam quaevis causa etiamsi fatua excusat.*

## DECISIO CCCCXXVII.

Julio Cæsari Impaccianti, Romanæ Curiæ Advocato, collybisticum erat nomen nummorum argenteorum *quinquaginta supra biscentum*, in cujus securitatem Leonardus Navarra debitor vinculis hypothecæ submiserat vineam prope Urbem extra Portam Fabricam, de directo dominio Gentis Pucciæ, nobilissimæ inter Florentinos, quam emphyteusis perpetua contractu possidebat. Sollicitus in rebus suis procurandis Julius Cæsar, quum Galliæ Leges hypotecas inscribi mandassent, in publicis professus est se pro nomine suo, et derivantibus interusuriis, inscriptionem sumere contra nepotes, hæredesque Eustachii Mazzonii, in quem utile vineæ dominium jam ab anno 1802. Navarrius transtulerat. Nullum non movit lapidem, nil intentatum reliquit gens Mazzonia, ut nominis solutionem detrectaret, sed juri suo fidens Advocatus semper e vestigio insequebatur, et adurgebat. Itaque: dispulsis, et disterminatis tricis omnibus, ambagibusque forensibus, ex adverso propositis, ipse, rescripto Supremi Tribunalis Signaturæ Justitiæ diei 6. Decembris 1827. expeditus, vineæ utile dominium præconis voce distrahere curabat, ut sibi satisfieret, cum Carolus Remigius Barghiglioni, cui familiarissima cum Mazzoniis consuetudo, impedimentum objecit.

Hic enim Carolus Remigius jam ab anno 1826. die 12. Decembris directum vineæ dominium, insolutosque canones, a familia Puccia, proxeneta, et conciliatore adhibito Honorato Mazzonio, sibi comparaverat, solemni exarato Instrumento. Sub die *duodecima* Novembris insequentis anni 1827. in jus rapuit coram A. C. Colapietro emphyteutas Mazzonios, devolutionem vineæ expostulans ob canones non solutos, et violatam pactorum fidem. Parum, vel nil, obsistentibus adversariis, voti sui compos factus est per Sententiam ejusdem A. C. Colapietro, a qua, quum Mazzonii non provocaverit, in vineæ possessionem die 7. Januarii 1828. inductus est Barghiglionius. Tum vero et Honoratus alter ex fratribus Mazzoni die *decima septima*, et ipse Carolus Remegius die *vigesima quarta* ejusdem Mensis Januarii peractam fundi devolutionem judiciali ritu curarunt renunciari Advocato, ut subhastationis et deliberationis acta, ad quæ ipse iterum processerat, interceperentur. Quare Advocatus, ut creditum assequeretur, *quatriduo* post denunciationem, nempe die *vigesima octava* Januarii, vadavit eumdem Carolum Remigium coram ipso A. C. Colapietro ut moræ purgatio sibi indulgeretur. Rejecit Judex instantiam, eam potissimum ob causam, quia Advocati Impacciantis procurator neglexerat legitimo ritu citationem Barghiglioni diei 24. Januarii exhibere, qua ipse primum predicto Advocato acceptam a se devolutionem nunciaverat. Sed, provocante Advocato, mihique appellationis commissione directa, rogavi Patres in Comitiis Lunæ 5. Julii 1830 concepta Dubii formula = *An sit locus*

Digitized by Google

*purgationi moræ in casu etc.* = cui Patres responderunt = *Affirmative* = Facta facultate Barghiglionio obloquendi adversus editam Decisiunem, assuetum Dubium Patribus bodie proposui = *An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu etc.* = Barghiglionius studebat ut longiores sibi ad dimicandum induciæ permitterentur; sed cum satis temporis ad defensionem comparandam ipsi fuerit indultum, jure optimo responsum est = *In Decisis.* =

1 Vineæ emphyteusis, de qua disceptatur, perpetua est, et in hæredes quoscumque aliosque, etiam extraneos, transferri potest. Id plane demonstrant non modo solemnes tabulæ, quibus recentissime Carolus Remigius sibi directum dominium fundi a familia Puccia comparavit, sed etiam jugis observantia, a sæculo usque *decimo sexto* ad hæc nostra tempora continuata, transferendi utile vineæ dominium de una in aliam familiam, vel emptionis, venditionis, titulo, vel successionis jure. Porro, si emphyteusis vineæ perpetua est, atque hæreditaria, jure optimo poterat Navarrius, qui eam anno 1774 emphytheutico nomine possidebat, eamdem hypothecæ nexui submittere ex hæreditariæ perpetuæque, et in quoscumque transitoriæ emphiteusis indole, atque natura. Nec quidquam refert quod in Instrumento emphitheusis a Navarrio celebrato eidem fuerit interdictum no fundum hypothecarium quovis tempore distrahere, obligare, aut hypothecæ nexui submittere posses, indicta, si contra fecisset, caducitatis poena. Etenim cum hujusmodi pactiones, et prohibitiones propriæ indoli, ac veræ naturæ hæreditariæ, et ad quoscumque transitoriæ emphytheusis adversentur, et eam in *pactitiam* pene convertant, receptum est in jure nostro quod, si fuerint adjectæ, nil aliud significent, quam jura directi domini exigendi laudemia, et probandi contractus, nec possint emphytheutam caducum efficere, aut irritare venditiones hypothecasque, inconsulto domino directo, emphytheuticis fundis impositas; quum consensus domini directi, etiam post perfectum, absolutumque contractum, rite exquiratur, nec recusari possit, ceu advertit mea *Decisio* §. 3 et passim probant *Valent. de Contract. vol.* 35 *n.* 105 *Rota in Recent. Dec.* 408 *n.* 52 *part.* 16. *in Ferrarien. Nullitatis contractus* 15 *Martii* 1779 *cor. Litta, in Romana Prælationis* 29 *Martii* 1824 §. 7. *cor. b. m. Mortinez, in Confirmatoria* 5 *Julii ejusdem anni, et alia Confirmatoria* 10 *Januarii* 1825 *utrobique* §. 8. *coram Eodem.*

Quod si hypotheca ab Advocato imposita super fundo emphyteutico legibus probatur; sponte sua consequitur, 2
et quæsiti juris beneficio frui possit, eidem fore impertiendam moræ purgationem, quæ ex æquitate Canonica inducta favore emphyteutæ, per *text. in Cap. de locat. et conduct.* extenditur etiam ad creditores emphytheutæ, qui utile rei dominium hypothecæ vinculis sibi devinxerint ut disserit *mea Decisio* §. 4. *et* firmant *Text. in leg.* 31. *ff. de pignoribus, Brunemannus in Pandectus lib.* 21. *tit.* 1. *ad dict. leg.* 2. 5. *Fulgin. de Jure emphytheutico tit. de solut. Can. quæst.* 1. *num.* 323, *Giurb. Decis.* 91. *numer.* 6. *Gratian. Discept. Forens. cap.* 8. *numer.* 12. *Olea de Cess. Jur. tit.* 4. *quæst.* 3. *numer.* 22. *Rot. Decis.* 336. *numer.* 7. *coram Mantica in Recent. Decis.* 62. *numer.* 11. *part.* 19. *et in Romana Purgationis moræ* 4 *Julii* 1760 §. 4. *coram Frangipane.* Quo posito, nihil obesse poterat Advocato quod ipse sit creditor Navarrii qui nunquam ab emphyteusi decidit, non vero fratrum Mazzoni. Quum enim hi a Navarrio caussam habeant, et Advocatus actione Serviana, seu hypothecaria, persequi possit fundum Emphytheuticum, et Mazzonii pro debitoribus habeantur, sane Julio Cæsari danda purgatio moræ, cum nullum juris regula inter veteris, et recentis, emphytheutæ, creditores discrimen ponat.

Facilius vero ita Domini Mei censebant, quia apertissima extabant argumenta collusionis Caroli Remigii cum fratribus Mazzoni in Advocati perniciem. Id primum suadebat familiarissima Caroli Remigii cum iisdem con- 3

suetudo, cum Mazzoniorum soror Cælestina sit pene recepta in familiam Barghiglioni, dum sub eodem lare vitam detegit, et eadem utitur mensa. Accedebat quod mediatore Honorato, altero ex fratribus Mazzoniis, Carolus Remigius directum vineæ dominium acquisierat. Tandem suspicio in certitudinem transibat, cum acta judicii devolutionis perpendebantur. Quum enim indicta fuerit caducitatis poena possessoribus vineæ in quæstione positæ, si per triennium canones non persolverint, quumque ex tabulis emptionis venditionis directi dominii constet Mazzonios moram fecisse in solutione canonum a die 12 Julii 1825 patet evidentissime ad diem 12 Novembris 1827, qua devolutionis judicium inchoatum, adhuc octo desiderari menses ad exitum triennii, quo tantum emenso licebat devolutionem petere. Unde eliciebatur Mazzonios nullam parasse defensionem contra Caroli Remigii petitionem, quia rem jamdiu cum eo amice composuerant, ut Advocatum impedirent jam convolantem ad emphyteutici fundi licitationem, ut late disserit *mea decisio* § 5 *et* 6,

4 Dementiæ vero proximum videbatur, quod objicii solebat a Barghiglionio, Advocatum nempe extra utile tempus moræ purgationem expostulasse, juxta censuram Art. 360. Codicis Judiciarii, quo præscribitur = *competendo il beneficio della purgazione della mora dovrà esser chiesto dentro un termine di otto giorni, computabile dal giorno, che il giudicato sarà in stato eseguibile*; *scorso il qual termine, e non fatta la richiesta, non avrà più luogo* = Planum est enim eamdem legem loqui solum de emphyteuta, qui in judicio steterit contra dominum directum petentem, atque obtinentem devolutionem, statuitque terminum, quo ipsi amplius non liceat insurgere, dimetiendum a die, qua Sententia devolutionis exequutioni mandari potest. Verum toto coelo a Legis specie distat proposita quæstio, in qua res est de creditore hypothecario, qui vineam judiciali pignore sibi devinxerat. Agitur de creditore hypothecario, qui numquam in judicio stetit contra dominum directum, immo, quod magis est, numquam vadatus, aut monitus devolutionem acceptam fuisse. Denique res est de eo creditore, cui Sententia devolutionis denunciata, non quum proxima ejusdem foret exequutio, sed quum jam esset exequutioni commissa, et dominus directus in utilis vineæ dominii possessionem fuerat inductus. Quod si per deterimam hypothesim spatium octo dierum a Lege præfinitum ad moræ purgationem expostulandam foret in subjecta specie observandum, hujusmodi terminus non a denunciatione facta a Mazzonio, sed ab altera denunciatione facta a Barghiglionio esset computandus. Nihil enim facienda denunciatio Mazzonii, quia ipse, nec dominus erat directus, nec illius personam, veluti procurator, repræsentabat; cum e contra aperta legis censura exquirat ut a domino directo intimetur. Proinde infra utile legis tempus purgationem moræ petiisset Advocatus, qui *quatriduo* post denunciationem factam a Barghiglionio sub die 28 ejusdem mensis, in judicio stetit ut hoc beneficium sibi impertiretur, ut arguit *mea Decisio* § 7 *et* 8.

Propterea male subsidium sibi quæritabat Carolus = Remigius a Decisionibus a me editis *in Verulana seu Ferentina Purgationis moræ* 19 *Novembris* 1827, *et* 28 *Aprilis* 1828, in quibus moræ purgatio juxta censuram allatæ legis denegata est, quia petita post terminum octo dierum a lege præfinitum. Casus enim Decisionum illarum, et jus inde redditum, magno discrimine a proposita specie discinditur. Ibidem enim non agitur de creditore, sed de emphyteuta, et insuper de emphyteuta vocato in jus, ordine judiciali servato, qui in ipso limine judicii devolutionis, postquam Sententia de more eidem fuit denunciata, omisit moræ purgationem expostulare infra terminum octo dierum, in quibus Sententia poterat exequutioni committi. Nihil proinde ex juribus positis in iisdem Decisionibus eruere potest Barghiglionius ad suas exceptiones protuendas; prout nil ipsum 5

juvare potest quod vitio vertit Advocati, scilicet hunc omisisse in petenda moræ purgatione declarationem, qua se paratum profiteretur ad laudemium et canones solvendos, et expensas reficiendas. Quum enim certissimum sit hæc omnia præstanda esse ab illo, qui moræ purgationem petierit, certum, exploratumque pariter est ea demum ab ipso præstanda, quum ipsum Judex ad petitum beneficium admiserit, utpote antiquitus servabatur, et in præsenti obtinet ex articulis 361 Judiciarii Codicis censura, qua præscribitur quod = *Chiedendosi negli otto giorni*(moræ purgatio) *verrà assegnato altro termine alla purgazione della mora, che importa anche la rifazione delle spese* =.

6 Verum illud quoque accedit quod lusa fabula devolutionis inter Barghiglionium, et Mazzonios neutiquam potest Advocatum, tamquam non citatum, afficere. Nam disertissime cavetur in Judiciarii Codicis Articulis 362 et 363 quod = *Se il fondo o fondi sulli quali s'intende accettare la devoluzione si troveranno trasferiti presso terze persone, dovranno le medesime essere citate nel giudizio di devoluzione. Se non saranno state citate il giudizio non sarà nullo, ma non sarà eseguibile il giudicato se non osservate le regole, che si prescrivono in seguito sull'esecuzione dei giudicati contro i terzi possessori* = Utique appellari nequit Advocatus tertius emphyteutici fundi possessor, sed hypothecæ, et judicialis pignoris privilegium, quod sibi super vinea comparaverat, efficiebat ut jure suo decidere non posset, nisi legitime fuisset in judicio devolutionis appellatus, ad quod vocandi sunt omnes, quorum interest, ne quæstio jure spolientur, ut decisum a Supremo Tribunali Signaturæ Justitiæ in *Romana Circumscriptionis* 17 *Martii* 1825 § 2, *et in Confirmatoria* 5 *Maii ejusdem anni* § 3 *coram R. P. D. Celestini* nunc Ordinis R. Aud. Emerito. Quum itaque Advocatus non fuerit citatus ad judicium devolutionis, Sententia A. C. Colapietro, qua utile vineæ dominium addictum est Barghiglionio, non utique nulla evadebat ex Legis censura, sed non erat = *in stato eseguibile* = Proindeque hae etiam de causa ruebant, quæ Barghiglionus afferebat torquendo *Art.* 161. Codicis Judiciarii, ut demonstraret Advocatum petiisse purgationem moræ post terminum octo dierum a lege constitutum. Nam Sententia devolutionis, quam ipse obtinuit, nondum poterat exequutioni mandari juxta Legis præscriptum, quando Advocatus judicium purgationis moræ inchoabat.

Nec quidquam facessere negotii potest quod Julius Cæsar hypothecæ suæ inscriptionem renovare non curaverit, priusquam decennium ad renovationem a Lege statutum elaberetur. Otiosa sane et perridicula exceptio, cum creditum hypothecarium, de quo disceptatur, jam ab anno 1812 fuerit in judicium deductum, et apud omnes Judices a Mazzoniis incredibili contentione agitatum, ut jura Julii Cesaris, quo valerent modo convellerent, ac pessumdarent. Etenim constantissime judicaverunt Patres decennii lapsum, pendente judicio sequutum, haud nocere conservationi hypothecæ, quum inscriptio hypothecæ, quæ sub judicii initium vigebat, usque ad ipsius exitum perpetua quodammodo fiat quoad eos, qui in judicio steterunt. *Rot. in Perusina Hypothecæ* 31 *Januarii* 1825 § 6 *coram Rmo P. D. Pianetti, in Confirmatoria* 17 *Junii ejusdem anni* § 3 *fin. coram Eodem, in Connet. Pecuniaria* 18 *Aprilis* 1825 § *coram Me, in Romana Subhastationis, et Prælationis* 14 *Aprilis* 1826 § 15 *coram bon. mem. Martinez, et in Romana Actionis hypothecariæ* 3 *Julii* 1826 § 6 *coram Rmo P. D. Patrizi Arch. Philippen.* 7

Præterea jam ab anno 1813 Advocatus vineam, hypothecæ vincula sibi devinctam, pignori prætorio subjecerat, et pignus ipsum in tabulis hypothecariis transcripserat. Pariter in iisdem publicis tabulis transcribi curaverat Decretum anni 1823, quo ipsi fiebat facultas utile vineæ dominium licitationi, et subbastationi submittere. Nihil ergo de inscriptionis hypothecariæ non facta renovatione regerere potest Barghiglionius, quum exploratum sit ex 8

jure Canonico hypothecam ex pignore judiciali, propter quam facta sit exequutio, in perpetuam abire. *Textum in Cap. Venerabilis, et Cap. finali de Judiciis. Rota in Veliterna* 3 *Julii* 1820 *coram Emo Gamberini* §. 4. Quibus omnibus de caussis denegari profecto non poterat moræ purgatio ab Advocato petita; etenim quum odii plena sit in jure caducitas, ad ipsam effugiendam quævis caussa etiam bestialis, et fatua excusat. *Rot. Decis.* 22 *num.* 17 *cor. Rovarella, et in Bononien. Devolutionis* 27 *Junii* 1754 § 15 *cor. Cornelio.*

Et ita, me quoque suffragante etc. Unica etc.

---

## ROMANA PURGATIONIS MORAE

*Veneris* 6. *Julii* 1832.

### ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCCCCXXVII. -

#### SUMMARIUM

1. *In Emphiteusi perpetua sterilis omnino manet alienationis prohibitio, quae nil aliud importat, nisi dominicum jus exigendi laudemium.*
2. *Inscriptionis nexus qui habet causam perpetuam nunquam habescit, in quem cumque transeant inscripta bona.*

   *Hipothecam per emphiteutam bonis infixa in eosdem transit successores, etsi non haereditario jure, sed oneroso titulo veneriat in rei possessionem.*
3. *Explorati juris est liceri justo creditori ea purgationis morae beneficio uti, quod debitori emphiteutae suppeteret.*
4. *Beneficium purgationis morae non solum debitori competit, sed etiam debitoris cessionario.* - Et num. 5. et 6. -
7. *Morae purgatio nil aliud est, nisi canonicum remedium quo amissa ex devolutione emphiteusis recuperatur.*

   *Suus dolus vel fraus nemini patrocinari valet - ibidem.* -
8. *Qui fundum cum hypoteca possidet de ea respondere debet, quamvis nec sua nec sui auctoris sit.*

## DECISIO CCCCXXVIII.

Collybisticum nomen scutorum *quinquaginta* supra *bisceniun,* quo Leonardus Navarra erga Julium Cæsarem Impaccianti, in Romana Curia Advocatum afficiebatur, sub certa emphyteuticæ vineæ hypotheca, in Eustachium Mazzonium, suosque hæredes transiisse, quibus utile obligati fundi dominium comparatum postmodum fuit, binis Decisionibus S. Auditorium Nostrum constituit, quas feci publici juris *diebus* 5 *Julii* 1830, *et* 8 *Februarii decurrentis anni.* Factum hinc est, quod revocata A. C. Colapietro Sententia, concessum Advocato purgandæ moræ beneficium sit, ob passam ab Mazzoniis devolutionem; quod non absque injuria ab Remigio Barghiglionio oppugnabatur, qui, ex jure dominii interim quæsito, acceptam devolutionem habuerat. Nec profuit tertio editarum Decisionum vires in discrimen adducere ex implorato novæ Audientiæ beneficio. Nova etenim jura ab Remigio deducta nullatenus valuerunt, ut PP. ab confirmata Sententia recederent. Perstiterunt etenim = *In Decisis* =.

Investituræ emphyteuticæ lex, qua 1
hypothecandæ, vel quomodocumque distrahendæ rei arbitrium expresse sit exclusum, vel dilata ab Advocato Julio purgandæ moræ petitio ultra legitimum terminum, erant argumenta, quibus Remigius in antecessum utebatur pro exceptionis suæ fundamento; verum nunc ipse hæc abs re prorsus esse, et undique inepta, facto suo, et judiciali agnitione professus est. Ab novis equidem juris rationibus purgandæ morae beneficium propellere mordicus nitebatur, ad quod imparia argumenta illa novit post duplex Rotale judicium. Juris enim exploratissimi est, quod in *emphyteusi perpetua*, sterilis omnino maneat alienationis prohibitio, quae, uti legitimo domini arbitrio directe repugnat, atque ipsi perpetuae emphyteusis naturae, ita ex constanti doctorum, et S. Auditorii Nostri jurisprudentia, nil aliud importat nisi dominicum jus exigendi laudemium; et

ne canonum solutio ulla dominii quaestione comperendinetur; veluti plenissime expendunt *meæ Decisiones, utraque sub* § 3. Et idem dicendum de prolata ultra legitimum terminum purgandae morae petitione, quam vel in jure, vel in facto evidenter refellunt *eædem Decisiones, prima sub* § 7 *et* 8 *Confirmatoria* § 5 6 *et seq.*

2 Cum igitur de his nulla amplius quaestio moveatur, vix ratio concipi poterat qua Advocato Julio jus morae debitoris sui purgandae longius denegaretur semelac nomen suum justa hypothecæ inscriptione super emphyteutico fundo tutum fecit, onus hoc ex jure notissimo transiit cum fundo in quemlibet possessorem, ita ut non Mazzonios tantum affecerit, qui in utile fundi dominium successerunt, sed Rem gium ipsum qui ex empto quodlibet directi dominii jus ab Puceiis sibi comparavit, et mox utile cum directo dominio consolidavit ex obtenta contra Mazzonios devolutione. Inscriptionis namque nexus, qui habet causam perpetuam, numquam hebescit, in quæmcumque transeant inscripta bona: *Mangill. de Evict. quæst.* 155 *num.* 29 *Rota coram Dunozet, Dec.* 949 *num.* 1 *coram Molin. Decis.* 916 *n.* 7 *in Ravennaten. Salciani super Liberat. a Molestiis* 10 *Februarii* 1794 *coram de Bayane, et coeteris missis, in Romana, seu Viterbien. Pecuniaria quoad sc.* 1499. 64. 29 *Februarii* 1828 *num.* 5 *coram R. P. D. Meo Celestini.* Cui receptissimæ Communis juris dispositioni accedit hæreditariæ, seu perpetuæ emphyteusis indoles, et natura: quum cum successores assequantur ex voluntate magis ac judicio emphyteutæ, quam dominii directi, hypotheca exinde per emphyteutam bonis infixa, in eosdem transiit successores, etsi non hæreditario jure, sed oneroso titulo venerint in rei possessionem, ut late disserit *Rota coram Cerro Decis.* 144 *num.* 19 *coram Lancetta Decis.* 18 *num.* 12 *coram Zaratta decis.* 59 *num.* 14 15 *et* 16 *et alibi passim.*

3 Neque hæc una sunt, ex quibus Creditoris qualitas in Advocato Julio abunde propugnantur adversus Mazzonios, qui in debitoris sui emphyteusim successerunt. Id rei evidentiæ culmen adiiciebat, quod judicialiter egerint Mazzonii, ut auctoris sui obligationem, tamquam singulares successores, respuerent. Sed longa rerum Judicatarum serie definitum solemniter fuit in alienum autoris æs successisse; ita ut datum Impacciantio jus fuerit experiundi licitationis periculum super fundo obligato. Et expressæ igitur juris dispositiones, et invicta rerum Judicatarum auctoritas, adeo pro Advocato Julio impetum faciunt, ut impudens ferme sit suam legitimi Creditoris qualitatem in discrimen adducere. Quod vero liceat justo creditori eo purgationis moræ beneficio uti, quod debitori emphyteutæ suppeteret, juris omnino explorati est, atque inter coeteros monuerunt. *Card. de Luca de Emphyt. disc.* 36 *num.* 6, *Mantica dec.* 336 *num.* 7, *et egregie Rota in Romana Executionis Reijudicatæ* 17 *Januarii* 1820 *num.* 7 *coram bo. me. Martinez del Campo*, præter jura, quæ cumulat *prima mea Dec.* § 4 *et Confirmatoria eod.* § 4.

Ad hæc, quæ firmissima sunt, destruenda in hoc vim omnem orationis Carolus Remigius constituebat, ut eo ipso, quod communem Prudentum, et Tribunalium doctrinam probaret de concesso creditori purgandæ moræ beneficio ex persona, juribus debitoris, haud tamen admittendam regulam contenderet, nisi sub certa destinatione. Urgebant enim *consercatorium* creditoris beneficium esse, non *restitutorium*; ita ut liceat quidem illi decursos Canones repræsentare, ut emphyteusim in debitore conservet, non item amissam semel utile dominium recuperare cum debeat sibi imputare, quod debitas præstationes vel vectigalia; sua die non solverit pro emphyteuta debitore, ut et debitori fundum, et sibi pignus conservaret. Quod ut probaret iisdem juris auctoratibus utebatur, quibus Decisiones ab me editæ innituntur, ad purgandæ moræ beneficium in Creditore evincendum; videlicet *Lege Vectigali* 31 *ff de Pignor., et hypoth., et post eum Cujac. Edit. Neapol. tom.* 6 *Col.* 212 4.

*litt.* 3 *Aroneman. in Pandect. lib.* 26 *tit.* 1, *Fulgin. de jur. Emphyt. tit. de Solut. Canon, Quæst.* 1 *num.* 323, *Olea de Cess. jur. tit.* 4 *Quæst.* 3 *num.* 20, *Giurba Dec.* 91 § *Discussio*; quibus pro coronide adjungebat, et Sac. Auditorii Nostri sententiam in *Romana Purgationis Moræ* 4 *Julii* 1760 *num.* 4 *cor. Frangipane.*

5 Verum incongruens omnino PP. visum est jus Disgestorum excipere in materia purgationis moræ, quam una Canonica æquitas invexit. Quicumque igitur sensus sit *Legis* 31 *ff de Pign., et hypothec.*, vel quidquid tradant Prudentes juris in ejusdem explanatione, extranea erant omnino ad distinctionem confirmandam, quam Remigii orator proponebat. Neque ex hoc recte deduceretur, quod, uti civilis juris censura incomposite imploratur ad refellendum purgandæ moræ beneficium; ita minus convenienter usæ eadem Decisiones sint ad beneficium ipsum arguendum. Cum etenim nulla alia ratio, et spiritus Legis sit, nisi creditori actionum, vel jurium exercitium tribuere, quæ debitori competiissent; egregie hinc ab eadem lege confirmatur in creditore purgandæ moræ beneficium. Et re quidem vera, cum nullum ex Legibus Romanorum suppeteret remedium, quo emphyteuta ad devolutum semel utile dominium reintegraretur, jure hinc meritoque statutum, quod nulla recuperandi dominii actio creditori competeret, qui uti legitimus debitoris sui cessionarius, haud jus poterat experiri, quod nec cedenti competiisset. Ast cum prævaluerit Canonica æquitas, qua emphyteutæ purgationis moræ beneficium tributum tam ample fuit, ut quolibet tempore, et post consolidata dominia, et in spretum usque Rei Judicatæ, quæ devolutionem confirmaverit, exerceri legitime valeat, *Legis hinc* 31 *ff* dispositio, quæ de una canonum solutione cavebat, ac *conservatorii* remedii limitibus coercebatur, *restitutorii* naturam certo certius vindicavit. Atque exinde nemo non dixerit eam mirifice urgere, ut ex nova Canonum æquitate, creditor purgandae morae beneficium experiatur. Manet etenim spiritus, atque eadem juris dispositio, quod fas creditori sit omnibus debitoris sui juribus, actionibus, privilegiis latissime uti.

Jure igitur Digestorum prætermisso, 6
vix unus, vel alter spererat ex veteribus Consultoribus; qui, literæ addurtæ legis pertinaciter hærens, extraneam hanc distinctionem tradiderit, quam nunc urget Remigius. Sed in diversam abierunt sententiam quotquot non verba, sed spiritum Legis, ceu convenit, Jurisconsulti expenderunt. Prævaluit exinde tutissimi juris principium, quod, uti debitori licet ex Canonica æquitate, post accepto habitam devolutionem, et dominio ex Sententia etiam Judicis consolidato, solutionis moram purgare; ita jus idem suppetat creditori, qui legalis procuratoris vice fungitur, et qui actionibus cunctis, et exceptionibus jure utitur, quas debitor proponere potest *Card. de Luca dict. Disc.* 36 *num.* 6 *de Empht.*, *et Rota in Romana Purgationis morae* 4 *Julii* 1760 *coram Frangipane*, qua Remigii Orator abutebatur, in *Romana Purgationis Morae super liquidatione* 27 *Junii* 1763 *coram Paracciano; nec non in laudata Romana Exequutionis Reiiudicatae* 17 *Januarii* 1820 *cor. bon. memor. Martinez del Campo.*

Cæterum, etsi admitti pro hypothesi 7
vellet, quod creditori, re nonnisi quam integra, purgandæ moræ beneficium liceat experiri, absurdum omnino foret ex eo rem haud amplius integram excipere, quod dominus directus acceptam devolutionem habuerit. Cum etenim, moræ purgatio nil aliud sit, nisi Canonicum remedium quo amissa ex devolutione emphyteusis recuperatur, tribuere exinde creditori purgandæ moræ beneficium priusquam locus fieret devolutioni, in vitiosum prorsus circuitum rediret, atque in absurdum expressum. Atque id eo tutius sentiendum, cum sequuta devolutio ex qua jus omne suum arguit Remigius turpi omnino fraudi sit tribuenda, cui directus dominus, et emphyteutæ invicem incubuerunt, ut Advocati Julii nomen cluderent, et proximam fundi licitationem ad quam ex Judicis mandato erat hic

Digitized by Google

in diem processurus: veluti ex singuli facti adjunctis arguunt *meae Decisiones, prima sub* § 5 *et* 6, *Confirmatoria* § 5. Nec obest hanc judicii sedem non esse, qua devolutionis validitas expendatur, cum præsumi debeat eo ipso quod agitur de moræ purgatione. Cum etenim ipsam emphyteutarum devolutionem Remigius proponat, ut legitimum beneficium excludat, jure meritoque devolutionis fraudem creditor urgat, ne jure suo ex aliena machinatione privetur. Statutum enim in jure est, et fert adagium foreose, quod suus dolus vel fraus nemini valeat patrocinari.

8 Post hæc nec refutationem merabantur, quæ de personali purgandæ moræ beneficio Remigius disserebat; vel de hypothecæ delatione, cui A. C. Colapietro Sententia Advocatum Julium adegit. Quoad personale beneficium futilis visa est distinctio inter creditorem emphyteutæ, qui incidit in poenam caduci, et creditorem illius, cui ea poena irrogata non est. Licet enim Mazzonii, in quos lata caducitatis Sententia, debitum erga Impacciantium non contraxerint, debitores habendi absque dubio sunt ex præmissis, et quia fundum possident hypothecæ nexu erga Advocatum affectum. Idcirco insuper emphyteutæ creditoribus tributum purgandæ moræ beneficium fuit, quod eorum maxime intersit rem emphyteuticam a domino directo non avocari. Atqui ratio hæc parem sibi vindicat locum, et eadem omnino manet, quicumque sit emphyteuta, qui incidit in poenam caduci; ergo in re pari denegandum Impacciantio beneficium non erat. Quod vero ex A. C. Colapietro Sententia deciderit hic ab jure hypothecæ, nonnisi quam inciviliter excipiebatur. Provocatione enim ab Sententia semel interposita, perinde hæc mansit ex jure, ac si edita non fuisset. Præsertim cum nulla alia ratio concipi valeat, ex qua primæ Actionis Judex delendam hypothecam sanciverit, nisi ex denegato purgationis moræ beneficio. Quod cum injustum undique innotuerit ineptissimum nemo non dixerit in famulativa Sententia consistere super hypothecæ delectione. Hæc quoad nova argumenta, quæ Remigius proponebat ad suam exceptionem tuendam. In reliquis PP. placuit, quod præcedentibus meis Decisionibus relatio omnis haberetur.

Et ita, me quoque suffragio accedente, decisum fuit.

Utraque etc.

---

## ROMANA

### STIPULATIONIS INSTRUMENTI

### QUOAD

### SUBSTITUTIONEM FIDEICOMMISSARIAM

*Veneris* 26. *Novembris* 1832.

### ARGUMENTUM

Habes in superiori quae confirmatur - DECISIO CCCCIX. -

### SUMMARIUM

1. *Inutile insistere super asserto vitio quod exulare sit compertum.*
2. *Cum neque similitudinaria fideicommissa sint jungenda, absonum est velle diversa colligere* - Et num. 3. -
4. *Substitutio, cujus neque extet vestigium, nullum obicem emendationi damnorum liberaeque solutionis alicujus pretii, parare potest*

### DECISIO CCCCXXIX.

Decisum fuit in Conventu Rotali diei 16 Maii 1830 neque Gallicis, neque Neapolitanis, neque demum Pontificiis Legibus sustineri posse fideicommissariam substitutionem, super Ædibus Ornaniis ad Forum Agonale impositam ex testamento Marchionissæ Cleliæ De Cupis, quare apocam cum Duce Aloysio Verzinio diei 14 Maii anni 1830 conscriptam publicis tabulis committere Fiorinus renuebat, donec sibi non satis daretur. Ex aperta enim Gallicis Codicis litera constabat permissas solum fuisse a Gallis unius gradus substitutiones; substituere nempe filiis, vel fratribus eorum filios, et non ultra. At non hujusce indolis, et naturæ esse

substitutionem a Clelia imperatam faciebant manifestum verba testatricis, quæ non filium sed nepotem restitutionis onere gravavit, et non nepotibus, sed ab nepotibus gratificata fuit; præterea que dum animo suo casum præconcepit, quo nepos absque filiis decederat, hereditatem suam primonato ex germano fratre, vel sorore, Ducis Verzinii restitui voluit, qui etiam primonatus restitutionis onere erga filios suos teneretur; itaque limites prætergressa erat longe substitutionis prædicta lege præmissæ.

Gallica vero Lex fuerat de verbo ad verbum transcripta circa hanc rem sub Neapolitana Sanctione. Ex Pontificio demum jure, quod unum sibi locum vindicabat in hac dirimenda quæstione, quia, Gallis licet dominantibus scriptum fuerit testamentum, et Neapoli etsi testatrix decesserit, tamen, Gallicis exactis, mortem oppetiit testatrix, et controversæ ædes jacent in Urbe; Leges vero sunt spectandæ loci, ubi jacent bona de tempore apertæ successionis. Ex Pontificio, inquam, jure, quamvis restituta fuerit fideicommissa ad quartum usque gradum, coercita res tamen fuit ad ea fideicommissa, quorum æstimatio, ex rebus soli deducenda, *quindecim millium* scutorum pertingeret valorem. Ornaniæ autem Ædes, deductis oneribus, et hypothecis, ne trientem quidem æstimationis attingere erat ita compertum, ut ipsi Fiorinii defensoris cumulanda esse contenderent bona in Territorio Neapolitano sita, quod fuit plene rejectum. Fuse rem tractat præterita Decisio mea per totum.

Perculsus ita autem Fiorinius remotius fideicommissum in medium adduxit, cui obnoxias ædes ipsas cæpit dictitare, condito scilicet fideicommisso ab Cardinali Dominico De Cupis, a quo reapse derivare Ædes istas ajebat. Exagerabat autem fideicommissi istius valorem longe supra summam scutorum *quindecim millium*: tum cumulanda esse bona contendebat a Simone Ornani profecta: in Anconitana Regione præsertim posita. Quibus omnibus congestis, factum est, ut Patres, maturum undique judicium proferre volentes, ac futuris vocatis non auditis præjudicium inferre nolentes, prudenti consilio in Comitiis diei 20 Januarii volventis anni jusserint differri judicium = *accersitis ad causam futuris vocatis* = Curator itaque deputatus fuit futuris vocatis, qui pro eis hodie judicio stetit. At exinde nihil profecit Fiorinius, quandoquidem rogati Patres » *An sit standum, vel recedendum a Decisis* = Responsum dederunt = In Decisis =

1 Profitebatur scilicet curator, quod, Cleliae substantia spectata, non is valor pateret, quem Leges postulabant, ut conditum fideicommissum substineretur, etiamsi extantis jugiter fidecommissi suspicionem gravem creari asseveret exinde, quia, non semel, sed pluries, in exarandis contractibus super rebus a Clelia relictis, vel implorata fuerit fideicommissi derogatio, vel saltem reservata postulatio; quia rursum lis erat indecisa super asserto per Fiorinium vitio datarum SSmo precum, quibus fideicommissi derogatio successerat. Cum vero sit id extra controversiam, quod totius fideicommissariæ substantiæ valor non attingit summam scutorum *quindecim millium*, quam infra summam sustineri fideicommissum non poterat, inutile visum est insistero super infirma extantes fideicommissi suspicione, ob petitam a Sanctissimo, vel reservatam derogationem fideicommissarii vinculi, quod reapse non extabat; eo vel magis quia ad cauthelam hæc facta patebat » *quatenus opus sit* =, nec igitur opponenda: inutile item insistere super asserto vitio precum, quod vitium, exulare, est compertum, statim ac fideicommissi interitus est manifestus.

Rejecta autem Cleliæ substitutione, 2 futile omnino reputarunt Patres, quod disserebatur de Fideicommisso Cardinalis de Cupis, cui obnoxiæ jam primum ædes fuisse dicebantur. Præter quam quod enim rediret circa Cardinalis fideicommissum, quod neque bonorum a Cardinali relictorum, atque jugiter extantium, valor attingit præ-

scriptam summam scutorum *quindecim millium*, id fuit demonstratum, quod ædes istæ liberæ prorsus provenerunt ad Cleliam ab vinculo jam primum ædibus ipsis imposito ab Cardinali De Cupis, quandoquidem, allatis publicis, et solemnibus tabulis patuit partem hanc ædium fuisse datam Cleliæ in solutum ut fideicommissario debito satisfieret, cui satisfieri; atque hastæ ideirco supponi integrum palatium jusserat A. C. Sententia et Voto Rotæ edita, binis nempe præuntibus Decisionibus, quarum titulus *Romana Dotis* 17. *Junii*, *et* 5 *Decembris* 1712 *coram Scotto*.

3 Non futile solum, sed absurdum prorsus id judicarunt autem, quod disserebatur de jungendis bonis ab Simone Ornani derivatis: quandoquidem neque vocationis sedem ullam habebat. Clelia ad fideicommissum illud ad quam fæminas omnino exclusas testator voluerit. Verzinii Dux siquidem habet bonorum illorum partem: at eam non ex juribus Cleliæ est adeptus, sed jure suo, atque ex persona propria. Quod si neque similitudinaria fideicommissa sunt jungenda, *Bonfin. de Jure Fideicomm. Disput.* 17 *num.* 42, *Peregin. de Fideicomm. Artic.* 16., *numer.* 14., *Rota Decis.* 1748 *coram Coccin.*, vere absonum foret diversa prorsum fideicommissa jungere. Adde quod bona illa Anconæ posita, post quam semel sunt libera facta, ex Gallorum Legibus, libera manserunt etiam, ex Pontificia Sanctione.

4 Rerum istarum futilitate adeo sane noverat Fiorinius, qui esse excogitaverat, ut novissime protestationem emiserit quacum declarabat desertam ab se pugnam, et uti merum Spectatorem se adstiturum judicio, unde absolvi se contendebat ab expensis judicii, et causæ onus suspiciendum ab futuris vocatis, quos accersiri fuit jussum. Quantum sed enim protestatio, haec probabat certam conscientiam perditi juris, tantum inanis est visa Patribus, ne suffragari posset Fiorinio. Causa si in eo stetisset, utrum ad liberam stipulationem esset procedendum nec ne; futuris vocatis non auditis, triumphum agere posset Fiorinius eo ipso, quod accersiti fuerint isti. Sed quaestionis subjectum quum fuerit, an asserta substitutio fidecommissaria obest liberae solutioni residui praetii, et emendationi damnorum; et, quum id acriter contenderit Fiorinius, responsum porro fuerit hodie etiam, quod nullum obicem parare potest asserta substitutio, cujus neque extat amplius vestigium, victus ergo Fiorinius perperam protestatur contra factum sui ipsius. Accersiti fuerunt futuri vocati, ne per indirectum inferretur praejudicium juribus ipsorum; numquam vero ut causae onus in se suspicerent. Fiorinius ipse partes contradictoris directe sustinet in causa. Accersiti tum fuerunt, ut rebus a Fiorinio congestis lumen afferent; quum vero ipsi venerint quasi suppetias Fiorinio ferentes, non id est retorquendum in odium ipsorum; quare Fiorinius ipse ad omnes judicii effectus rite, recteque tenetur.

Et ita etc. me etiam suffragante:



---

## ROMANA

### STIPULATIONIS INSTRUMENTI

### QUOAD MODUM

*Veneris* 20. *Januarii* 1832.

## ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCCCX. -

### SUMMARIUM

1. *A Contractu semel perfecto nemini licet resilire, aut pacta olim conventa variare, moderari delere, nisi altero assentiente contrahente., Cum omnis actus eo modo dissolvatur quo colligatus est.*
2. *Minuta instrumenti sine subscriptione, mendis, literis abrasionibus et super inductionibus obnoxia contrahentium in idem placitum consensum evincere nequit.*
3. *Verba - Va bene - in minuta apposita consensum perfectum non probant, sed contra-*

*ctus initium a quo facile resiliri potest donec scriptura a partibus adprobata in publicam vel privatam stipulationem redigatur.*

4. *Quando ex pacto committenda res est publicis tabulis, quousque proinde tabularum stipulationi non datur opera, impune recedi a scriptura potest.*

*Ex Mandato Procuras actio quaeritur inter mandantem et mandatarium nullumque jus ex eo in tertium exercetur aut tertius Exercere potest - ibidem. -*

5. *Unus idemque actus nequit ratione individuitatis partim corruere, partim sustineri.*
6. *Transactiones quae stricti juris sunt super uno negocio initae ad aliud diversum porrigi nequeunt invita contrahentium voluntate.*
7. *Venditio facta et approbata ab illo qui jus super re vendita habebat, in dubium revocari nequit.*
8. *Non fit locus actioni damnorum, si damnum non venit aut probatum sit.*

## DECISIO CCCCXXX.

Transactione solemni composita est lis acerrima inter Aloysium De Vera Verzinii Ducem, et Franciscum Fiorinium acta, tam coram A. C., quam penes Sacrum Nostrum Auditorium de nullitate contractus emptionis venditionis portionis nobilium ædium Ornani ad Forum Agonale, quem idem Florinius cum defuncta Clelia De Cupis, Ducis Verzinii avia, celebraverat. In ea tamen apoca, cui contrahentes, de re conciliandi solliciti, anno 1830, medio fere Majo, subscripserunt, cum cautum fuisset, ut apochæ ipsi, non ad perfectionem, quæ satis jam ex apocha constabat, sed ad majorem solemnitatem, publici instrumenti fidei daretur, hinc idem Fiorinius primam exaravit publicarum tabularum præscriptionem, quam tradidit deinde Duci Verzinii, qui pollice suo nonnihil adjecit, ut partim probaret, partim reprobaret quidquid Fiorinius de pena sua præter: et ultra ea, quæ apocha continebat, addere censuerat.

Orta hinc est quæstio, an ad tramites dumtaxat apochæ, vel potius juxta prædictam primam præscriptionem exarandum foret instrumentum. A. C. Manarius Sententia sua Apochæ solum standum esse putavit: sed contextim facultatem Fiorinio fecit pretii partem sibi retinendi, quousque sibi caveretur ob vinculum fideicommissi coemptis ædibus inhærentis. Re ad N. Sacrum Ordinem deducta, in duas partes divisa est controversia, quarum altera ad modum stipulandi instrumenti; altera vero ad substitutionem fideicommissariam spectat, ex qua nihil esse Fiorinio timendum statuit Decisio mea anno superiori ad diem *decimam sextam* Maii vulgata, qua hodie ad examen revocata, comperendinandum judicium Domini Mei duxerunt, accessitis interim ad causam futuris vocatis. Ad modum vero stipulandi instrumenti quod attinet, cum in prædictis Comitiis diei 10 Maii superioris anni dirimendam proposuerim Dubio formulam ita conceptam, = *An et quomodo sit locus stipulationi instrumenti, solutioni pretii, et emendationi damnorum, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = responsum retulit = *Quoad stipulationem, et solutionem pretii affirmative ad formam apochæ, in reliquis negative* =, ut videre est ex alia mea Decisione tunc temporis evulgata, a qua novæ Audientiæ venia Fiorinio concessa fuit. Sed parum ille in novo jurium periculo profecit; cum Patres assueta formula rogati steterint *in Decisis*, adjecta tantum *mente*, ex qua jusserunt, ut relaxatio mandati differatur usque ad exitum alterius Causae super substitutione fideicommissaria.

Redit siquidem ideo ad formam apochae tantum celebrandum esse transactiones instrumentum, quia apocha revera contractum exhibet numeris omnibus absolutum, dum transactionis pacta continet post diuturnam litem conventa, meruitque a contrahentibus subscribi, adjecta tantum lege stipulandi ea de re deinceps instrumentum, sed non quidem ad perfectionem contractus, quae jam abunde scatebat ab apocha, verum ad futuram concordiae memoriam. Jam vero a contractu semel perfecto nemini licet resilire, aut pacta olim conventa variare, moderari, delere, nisi altero etiam assentiente contrahente, cum omnis actus eo 1

modo dissolvatur, quo colligatus est. Adeoque certum est ex sola apocha perfectionem suam transactionis contractui parari, ut constituerint transigentes, quod apocha ipsa vim, robur, et executionem suam nancisceretur ab ineunte Junio anni 1830, utcumque aliqua de caussa instrumenti stipulatio, quæ intra mensem per agenda erat, ad aliud tempus contrahentibus magis commodum protraheretur. Una ergo apocha in publici instrumenti stipulatione spectanda est.

2 Quin officiat potestatem contrahentes in apoca sibi reservasse ea cuncta pacta in stipulatione instrumenti addendi, quae mutuam indemnitatem, securitatemque respicerent. Quidquid enim marte proprio Fiorinius excogitavit, et in prima prescriptione notavit, non ad mutuam tendit utilitatem, sed unum ejusdem Fiorinii commodum secum fert. Nulla itaque de his additionibus habenda ratio est in publicis tabulis exarandis. Urgebat tamen Fiorinius posthaberi primam praescriptionem non debere, utcumque non bene apochae conveniat, quia et ipsa prima paescriptio quasi mutatam ostendit contrahentium voluntatem, qui derogare visi sunt apochae in iis, quae primæ præscriptioni non congruunt. Quocirca ex ea etiam caussa contendebatur despiciendam non esse in stipulatione instrumenti primam præscriptionem, quia norunt omnes in jure tralatitium esse, quod derogant posteriora prioribus. Sed contractum undequaquo perfectum exhibet apocha; non aeque tamen de prima praescriptione dicendum; cum ea nil aliud sit, quam instrumenti mox stipulandi informatio, et veluti prolusio, quæ ideo, tamquam charta informis, die carens, et consulo, ac contrahentium non modo subscriptione destituta, sed pluribus mendis, lituris, abrasionibus, et superinductionibus obnoxia, contrahentium in idem placitum consensum evincere nequit, nullumquo probationis gradum in judicio constituit. Consulatur prima *Decisio* § 3 *et* 4.

3 Inutiliter autem objiciebatur Verzinii Ducem in margine vacuo secus scripturam additiones a Fiorinio factas approbasse ex verbusculis – *va bene* –, quæ ei charactere suo superaddidit. Nam optime respondebatur, non animo contrahendi obligationem approbasse Verzinium eam scripturam, quam sciebat meras praeseferre additiones ad contractum jam initium, ab aisque facile resiliri posse; cum detur poenitentiae locus, donec scriptura, utcumque a partibus approbata, in publicam, vel privatam stipulationem redigatur, ut arguit prima *Dec.* § 5. Verum tantum abest animo sese obligandi verbuscula illa scripturae adjecisse Verzinium, ut quemadmodum multa probavit, quae in scriptura ipsa continebantur, ita quoque multa transverso calami ductu respuit, repudiavitque, veluti contraria naturae contractus, et praecedenti apochao prorsus adversa. Accedit imo, quod, si post haberi solent scripturae illae, quae nullo vitio caeteroquin inquinantur, nec super inductiunibus, lituris que redundant, ideoque posthabentur, quia adamussim non perfectum exhibent contractum; multo sane magis, potiorique jure nullo in calculo babenda est ea, de qua agitur scriptura, quae reddita, postquam invisenda tradita fuerat Verzinio, auctori suo est, qui ideo potuit eam variare, et quidquid magis lubuit addere, delere, moderari.

Caeterum, prout Fiorinio licuisset ab ea scriptura recedere, perindo ac 4
si nunquam in natura rerum extitisset, sic quoque eadem licentia Verzinio danda est, ne ad imparia judicentur, ac in uno eodemque negotio dispar sit conditio contrahentium. Cum autem ex pacto publicis tabulis committenda res foret, quousque pro inde tabularum stipulationi daretur opera, impune recedi a scriptura poterat, quamvis tertio quoque verbo probata, et notario tradita fuerit, et quamvis ipse notarius publicas conscripsisset tabulas, modo tamen stipulatio sequuta non sit, ut, post *Text. in Leg.* 16. *Cod. de Fid. instrum.* innuit superior Caussa *Decis.* § 5 *et* 6. Nihil vero pon-

deris accedit inefficaciae scripturae ex posteriori procurationis mandato, quod Verzinii mater Neapoli, ubi degit, exaravit, et Romam misit ad stipulandum. Procurationis quippe mandatum, aeque ac præscriptio prima, actum præsefert mere præparatorium, adeoque non obligat, ut valeat, re adhuc integra, a mandante revocari. Ex mandato rursus illo actio quæritur inter mandantem, et mandatarium, nullumque jus ex eo in tertium exercetur, aut ipse tertius exercet. Ipsa imo foemina non aliter ex mandato devinciebatur, nisi postquam illud fuisset a mandatario exequutioni commissum, ut expendit praefata *Decis.* § 7.

5 Idque apprime noscebant Fiorinii defensores, qui nihilominus duplicem actum in procurationis mandato contineri reponebant; alterum scilicet, ex quo facultas Verzinio ad stipulandum concedebatur; alterum vero ratihabitionis, cujus ope matrona illa probavit quidquid antea fuerat, sive cum Fiorinio, sive cum aliis de aedibus gestum ad Forum Agonale. Hinc concludebant, haud obligatam utiquo quoad stipulationem censeri mulierem, nisi postquam procurationis mandatum executioni commissum fuisset: sed non ita dicendum quoad ratihabitionem, ex qua mulier ab initio subscriptionis mandati devincta extitit. Unus tamen, idemque actus nequit ratione individuitatis partim corruere, partim sustineri, ex quo si quoad stipulationem vires suas exercere mandatum nequit, nec valet obligare mandantem, nisi postquam executioni traditum est, ita idipsum de objecta ratihabitione censendum: Cæterum, si quidquam in procurationis mandato ratum habuit Verzinii mater, ratum habuit caussa, et occasione ineundae stipulationis instrumenti, adeout, veluti cessata, aut ea non hactenus sequuta, cessat etiam, aut non adhuc sequitur effectus, ita, stipulatione nondum ita, nec ipsa incipit, et vires obtinet ratihabitio. Etiamsi autem per absurdum scinderetur actus individuus, adhuc tamen nihil Fiorinius proficeret, quia non solum haud probatur scientia nullitatis in ritihabente, sed multo magis quia sola secum foemina contraxisset, adeoque stipulatio unilateralis nullum peperisset effectum, ac utriusque, vel omnium, quotquot sunt, contrahentium consensu deficiente, inefficax, et inepta jacuisset.

Tot hisce argumentis quae inefficaciam scripturae, validitatem autem apochae, ad cujus tramites unice celebrandum est instrumentum, tuto ponunt in loco, fastigium veluti imponitur ex eo, quod additiones omnes, de quibus in stipulatione instrumenti faciendis Fiorinius laborat, nullius momenti sunt. Reque vera perperam cupiebat Fiorinius, ut in stipulatione instrumenti probaretur vetustior contractus emptionis venditionis partis nobilium aedium Ornani, quom usque ab anno 1749 cum auctore defunctae Marchionissae Cleliae, nimirum Josepho Verzinii Duce, conciliavit Valerianus quidam, cui postea ex empto ipse pariter Fiorinius successit. Nam, si in apocha ne vocula quidem, aut syllaba de hoc anteriori contractu occurrit, qui cæteroquin nihil commune habet cum posteriori contractu, de quo transactum est; nulla ratio subest, cur prima illa stipulatio ratihabenda sit in instrumento transactionis, quæ alinnde stricti juris est, nec super uno negocio inita ad aliud diversum porrigitur, invita contrahentium voluntate. Idque magis, quia transactio ipsa de Valeriano contractu consistere non posset, et tamquam leonina corrueret ob defectum emolumenti, cum nihil in ratihabitionis caussam datam a Fiorinio fuerit, ut exigit natura transactionis, Recolatur prima *Decis.* § 9. 6

Injuria pariter Fiorinium debeat, a Mater Ducis Verzinii haud fuisse probatam separatam venditionem ab eodem Verzinio proprie nomine sibi factam de tabernis quibusdam, cellis vinariis, ac inferioribus cubiculis ad eum unice, scorsim a matre, pertinentibus. Probato enim exclusivo Ducis Verzinii dominio, utut nulla opus esset Matris approbatione, ea tamen in procurationis mandato huic quoque contractui 7

consensum suum accomodavit, ut major securitas acquirenti pararetur. Frustra ergo Fiorinius postulat, quod intus habet. Idemque valet quoad hypothecas, sequestrationes; et legataquæ ædibus inhærent. Nam hypothecas; et sequestrationes omnes delevit Verzinius; legata autem non obstant; quia sine inscriptione hypothecaria; quæ deest omnino; persequi legatarii ædes nequeunt; adeout nihil metuendum Fiorinio sit. Præterea vero alterum ex legatis, quod cæteris æstimatione præstat, jamdiu evanuit ob legatariæ obitum, cui ex testamento Cleliæ scuta *quatuorcentum* solvebatur. Cætera adeo levia sunt; ut prospici eis possit ex bonis Neapolitanis; quin legatarii opus babeat infensos sese in emptorem ædium Ornani præbere.

8 Quapropter demonstratum est; ad tramites apochæ tantum esse locum stipulationi instrumenti. At cum nullum damnum ex retardata stipulatione instrumenti Dux Verzinii pertulerit, ideo Patres *in Decisis* quoque steterunt quoad actionem damnorum a Virzinio contra Fiorinium propositam; quam iterum profligarunt. Quoniam vero quoad substitutionem fideicommissariam satius reputatum est comperendinari judicium; et ad causam arcessere futuros vocatos; pretio ideo nondum soluto, cum melius sit insistere rei quam actioni, Sacer N. Ordo adjecta *mente*, quæ hic erat aperienda, merito decrevit *differendam esse relationem mandati pro solutione* conventi pretii usque ad exitum alterius Causæ super substitutione fideicommissaria.

Et ita, relatione habita ad primam decisionem, me quoque nunc suffragante, judicatum fuit, utraque etc.



## SABINEN PECUNIALIA

QUOAD SCUTA 1550 27½

*Lunae 4 Junii 1832*

### ARGUMENTUM

Juris praesumptio stat semper pro actus validitate. Neque simulatio unquam praesumitur, nisi causa simulandi, et alia argumenta doli et fraudis concurrant.

SUMMARIUM

*1. Incivile est in discrimen adduci singrapham characteris obsignatam Patris, et ab eodem observatam omnis vitae cursu, maxime a filio haerede.*

*2. Monumenta calida et non dubia requiruntur ad eliminandam auctoritatem, certitudinem, et authenticitatem scriptae syngraphae.*

*3. Omnis juris praesumptio urget pro actorum validitate, ita ut valida, et justa censeri perpetuo debeant donec ficta vel simulata fuisse apertissimis argumentis non constet.*

*4 Plus valere debet quod agitur, quam quod simulate concipitur. Donatio* quincentis solidis *major, etsi solemniis destituta aliquoties constitit - ibid.*

*5 In judiciis de simulatione, debet constare de causa simulandi aliae factum simulatum non praesumitur - ibidem.*

*6 Filius secundo connubio natus, haud in fraudem maternam legis beneficio (*Hac edictal.*) uti potest, quod prioris connubii filiis insigni Imperatorum aequitate tributum fuit.*

## DECISIO CCCCXXXI.

Justum suum debitum, ex paraphernalium Administratione, Petrum Paulum Angelini Paleani syngrapha diei 5 Martii 1815 erga uxorem Aloysiam Bartoli professum fuisse, non simulate egisse, ut veritati, et juribus filiorum illuderet, probavit dati Judicis Callani Sententia; probavit S. N. Auditorii Decisio ab me edita in Comitiis die 26 Martii hujus anni; ita ut exploratum evaserit non absque calumnia Julium Aloysiæ filium, syngraphæ ipsius nullitatem excipere in fraudem maternam. Cum itaque veniam de redeundo ex lege Commissionis, ultro Julius obtinuerit, nihil omnino adducere visus

Digitized by Google

est, quo editæ Decisionis momenta everteret. Assueto itaque dubio a me proposito responsum a Patribus fuit « *In decisis* ».

1 Rediit profecto certam, et omnibus numeris absolutam debiti syngrapham Aloysiam in judicio exhibere, quæ titulum constituit, ex quo agit. Uti enim hæc ab prima ad ultimam coram Petri Pauli charactere obsignata fuit; uti ab eodem probata omnis vitæ observantia; incivile ita est, quod ab filio et hærede in discrimen adducatur; ex translatitio jure, quod firmat præcedens Decisio § 3. Præsertim cum scripta obligatio rationabili, et justæ causæ innitatur. Cum etenim declarati debiti subjectum præcedens paraphernalium administratio constituerit, quam Petrus Paulus exercuit, exploratum est, ac ipsa Julii confessione confirmatur, et veram, et jugem administrationem illam fuisse, ex qua nonnihil æris alieni Petrus Paulus certo certius contraxit. Non igitur de existentia crediti, sed de ipsius liquidatione, et quantitate res erat. Verum id vulgatæ jurisprudentiæ est, quod nulla tutior debiti liquidatio haberi unquam valeat, quam quæ a debitore ipso, scripta obligatione, declaretur.

2 Erat hinc maximæ ineptitudinis ab tanta scriptæ obligationis evidentia declinare ut justa uxorii nominis probatio ab quibusdam computis deduceretur, quæ idcirco exhibita ab Aloysia in judicio fuerant, ut obligationis subjectum, nempe exercitam ab Viro rei suæ administrationem probaret; non ut declarato suo nomini præjudicium inferret. Et re quidem vera, tunc excepta hæc rationalia aliquid concluderent, si non informia, et mutila reperirentur, sed habita legitime fuissent; ab fideli administrati patrimonii censu ducerent initium; certo ordine procederent; plenam denique recepti, et impensi rationem exhiberent. Verum nihil ex hisce in productis administrationis foliolis concurrere PP. visum est, in quibus expendendis inutili ratiocinatoris opera Julius utebatur. Principio namque de vera, ac præcisa bonorum et redituum quantitate notulæ, quibus de agitur, haud certam constituunt probationem. Præterea ignoratur num, et quomodo fundi mulieris de eo tempore essent instructi, unde uberiores fructus ferre valuerint. Potuit insuper Julius eas notulas pro arbitrio recondere, quæ sibi præjudicio essent. Multæ obliterari, vel amitti tempore valuerunt. Tales uno verbo nullatenus sunt, quæ scriptæ syngraphæ auctoritatem, certitudinem, authenticitatem elidant, quem quidem ad effectum monumenta magis etiam valida, certa et authentica exquirebantur.

Quidquid exinde de paraphernalium Aloysiæ extimatione, atque de eorum accessionibus disputatur; quidquid de expensis a Petro Paulo factis, tam pro administratione, quam pro litibus, de quibus expensis fassus est Petrus Paulus sibi ab uxore satisfactum, nec alioqui inverisimile est eam ut patris Usmari hæredem pecuniam idipsum habere e proprio potuisse; quidquid de notulis illis in hæreditate repertis, et in judicium allatis; quidquid demum excipitur de Aloysiæ crediti *improbabilitate*, præter quod aliis, et probationibus, et argumentis quodammodo refelluntur, non id profecto ponderis habent, ut dubia res renunciari possit. Etiam si vero dubietas aliqua adsit, tutius semper est visum Aloysiæ creditum admittere, quæ certe nititur debitoris confessioni. Omnis quippe præsumptio juris urget pro actorum validitate, ita ut valida et justa censeri perpetuo debeant, donec ficta, vel simulata fuisse apertissimis argumentis non constet. Sic, post *Textum in Lege* 13 *ff. de rebus dub.*, *Cyriac. controv.* 261 *num.* 6., *Pacion. de Locat. et conduct. cap.* 14 *num.* 1., *Surd. dec.* 212 *num.* 15., *et Rota dec. num.* 3 *cor. Falconer. de Primogenit.*, *et in Sabinen. Nullitatis Divisionis* 13 *Martii* 1820 *num.* 3 *coram Emo Bussi*, *et in Perusina seu Veliterna Nullitatis Contractus* 18 *Martii* 1823 *num.* 5 *coram bo. me. Martinez.* 3

Nec melius res cederet Julio, etsi admitti pro hypothesi vellet, quod li- 4

beralios aliquantulum vir sese erga uxorem gesserit in syngrapha diei 5 Martii obsignanda, ut aliquid administratorio debito adjunxerit maritalis affectionis ergo. Hanc quippe liberalitatem, quæ certe legitimum filiorum jus non læsit, donatoris mors confirmavit; et superstes uxor ad eam consequendam optimo potitur jure; ceu plenius præcedens Decisio expendit § 7. Nihil autem actus validitati detraheret, vel quod Petrus Paulus non liberalitatem exercere; sed administrationis debitum declarare sibi in syngrapha diei 5 Martii proposuerit; vel quod nullum adhibitum ex solemniis sit, sine quibus donationes inter vivos haud substinentur. Quoad reticitam causam liberalem, nihil id officit, semel ac Julius ipse, et urget, et probat hunc viri animum fuisse; in toto autem jure scriptum est sæpius, quod *plus valere debeat quod agitur, quam quod simulate concipitur*. Futillimus autem solemnitatum defectus: cum nullatenus constet tanta liberalitate virum usum fuisse, ut vim justo administrationis debito adjunxerit *quincentis solidis* majorem, infra quam donationes, etsi solemniis destitutas, consistere juris explorati est.

5 Post hæc ingentis erat absurditatis iterum actus simulationem urgere, vel dispositionem *Legis Hac edictali Cod. de secund. nupt.* Nihil enim in jurisprudentia antiquius, quam in judiciis universis simulationis, quaslibet inter personas, et quacumque de re agatur, id pro actionis fundamento exigi, quod constet de causa simulandi. Superat exinde vel falsam, vel injustam, vel improbabilem vel minus similem vero causam exhibere, ut odiosa exceptio rejiciatur, etsi innumera et firmissima simulationis argumenta impetum undique facerent, veluti ex perpetua Doctorum, et S. Auditorii Nostri jurisprudentia plenissime expendit præcedens Decisio §§ 5 et 10. Atqui ea simulationis exceptione utitur Julius, cui vel nulla, vel futillima simulandi causa opitulatur. Redit enim, quod cum nullo jure adversante, liberalem sese erga uxorem gerere Petrus Paulus valuisset, nulla hinc ratione concipi potest, quare id simulare invicem voluerint, quod sine fraude, et simulatione fieri posse videbatur. *Rota Decis.* 37 *num.* 16 *cor. Crescentio; Decis.* 141 *num.* 15 *cor. Very, et in Romana Nullitatis Contractus* 21 *Januarii* 1828 *num.* 6 *in fine coram Rmo P. D. Meo Spada Decano.*

Quoad vero exceptam Legem *Hac edictali*, ita hanc expendit præcedens mea Decisio § 8 et seq., ut frustaneum PP. visum sit de hac iterum agere. Nec enim Legis auctoritas est in debiti confessione. Debito etiam amoto, haud de excessu liberalitatis constabat. Excessu quoque supposito, nulla unquam actio Julio suppeteret, qui ex secundo connubio natus, haud in fraudem maternam eo Legis beneficio uti potest, quod prioris connubii filiis, insigni Imperatorum æquitate tributum fuit. Post quas si altera erat exceptio, vel spernendam hanc PP. censuerunt, vel in antecedentis Decisionis sensu refellendam, ad quam placuit relationem omnem habere. 6

Et ita, Universa Aula suffragante, decisum fuit. Utraque etc.

---

## SEPTEMPEDANA

### QUOAD SYLVAM LE TORME

*Veneris* 4. *Maii* 1832.

### ARGUMENTUM

Ex ipsa natura est, quod ita pascendi ius exerceatur, uti fundorum qualitas sinit. Nec in Sylva regulari caesioni destinata, pasci, salva substantia, licet nisi ea de incisionis tempore ab animalium pabulo defendatur.

#### SUMMARIUM

1 *Qui sylvam caesit a pedagne ad lignorum fructum percipiendum, Non potest ibi animalia ponere de tempore incisionis, ne nova vegetatio funditus intercludetur.*

2 *Relatio facta a Perito judiciali attendenda est, nec licet ab ea discedere, nisi manifeste de illius errore plenissime doceatur.*

5 *Testium dicto tutius fidendum, quando non de vaga fama deponunt, sed de certa scientia, atque innixi gravissimo facti proprii argumento.*

4 *Natura servitutis id jus, et communis aequitas exigunt, ut pascendi jus iis limitibus coerceatur, quibus servetur fundorum substantia et minor quam fieri possit jactura in sylvarum dominum irrogetur.*

5. *Abnorme, et absurdissimum est, id aliis illicitum ac nefas contendere quod sibi licitum propugnaretur L. Bona fides 33 ff. de Act.*

6 *Nihil ab aequitate juris magis dissonum quam constitutae servitutis modum augere vel novum modum prorsus invito, et reluctante domino inducere L. Quaestus ff. ad L. Falcid.*

7 *Gravissimum est judiciarii cognitoris judicium ita, ut peritiae extrajudiciales, et depositiones incertae testium contra periti relationem non admittantur.*

8 *In judiciis aemulationes reprobantur.*

## DECISIO CCCCXXXII.

Bona Municipii Frontalis, et quæ erant Monacis Sancti Dominici Locati, ab tempore, quod omnem hominum memoriam excedit, promiscuo pascendi jure afficiuntur. Nec mutuum onus remissum tempore fuit, etsi bona illu in dominia extranea migraverint. Patrimonium quippe S. Dominici, institutum prius in Apostolicæ Sedis Commendam, mox Septempedano Virginarium Coenobio, dutis Sacræ titulo, tributum fuit. Bona autem Oppidi Frontalis, collecta una cum fortunis Municipiorum omnium sub Boni Regiminis administratione, anno 1826 distracta fuerunt in tertios, ad publicum æs alienum liberandum. Inter cæteros, qui bona hæc sibi compararunt, Gaspar Valentinius *bis centum, et mille* scutorum prætio coemit = *una montagna arativa, sodiva, sterpata, cedua Vocabolo Lampetema, Costa di Torme, ed altri* = Non diu tamen inter novos dominos res absque jurgiis processit. Dum enim Gaspar pleno dominii jure super re empta uti coeperat, continuas Viginiarum Antistita querelas movebat de violato jure pascendi. Multiplex hinc lis excitatur coram Episcopali Curia Septempedarum, quæ tamen, vix inibi contestata, Decreto Signaturæ Supremæ, ad S. Ordinem ablegatur.

Ea vero princeps quæstio agebatur, num jus Gaspari esset cæduam sylvam = *le Torme* = ab pabulo animalium; infra triennium cæsioni proximum, defendendi. Quare, cum ab PP. in Comitiis die 27 Junii superioris anni quæsiverim = *An constet de jure pascendi in Sylvis Territorii Frontalis etiam de tempore incisionis, ita ut sit deneganda inhibitio in casu etc.* =, æquum est visum judicium protelare, atque operam judicialis cognitoris adsciscere qui de Sylvæ qualitate, aliisque facti adjunctis referret. Ex data hinc facultate, Prætorem Maceratensem in partibus delegavi, qui eligendo perito consuleret; et munus Aloysio Tomassonio commissum, in id juxta S. Ordinis mentem peculiariter instructo, ut referret = *An sylva = le Torme sit caedua et an cæsiones fieri possint a Sgamolla seu fieri pernecesse debeant a pedagna. Quod si ei compertum sit praedictam Sylcam esse exigui redditus, referat, an id praveniat ex illius qualitate, seu potius ex eo quod non fuerit, ut aportebat, a pascuis defensa* =. Præsenti itaque loco diligenter percognito, aliisque omnibus expletis, judicium suum penes acta peritus exhibuit, adeo Gaspari favens, ut cæduam sylvam constituerit, et idoneam suapte natura cæsioni *a pedagna* et de tempore incisionis ab animalium appulsu necessariu defendendam, ne alias sylva ipsa, vel nullius vel futillimi redditus maximo Gasparis detrimento efficiatur. Re itaque ex periti judicio ferme absoluta, cum PP. eadem formula dubii hoc mane rogaverim, ne lævissime quidem hæserunt, quin petitum ab Virginiis pascendi arbitrium rejecerent, edito responso = *Negative in omnibus* =.

Eam esse indolem vel jugem desti- 1
nationem Sylvæ « *le Torme* », ut regulari coesioni subsit, atque illud incisionis medium suapte natura exquirat, quod audit « *a pedagna* » post judiciarii cognitoris judicium vix est ut valeat in discrimen adduci. Integer quippe homo, et de re instructissimus re-

Digitized by Google

tulit « *Che la Selva denominata Torme è, per quanto risulta dall'attuali circostanze, di un reddito vistoso etc. Che è cedua, e capace di una regolare ceduazione riguardandola dal bestiame. Che questa ceduazione deve farsi per assoluta necessità a pedagna, e non a sgamollo, e che in fine il pascolo soltanto del bestiame vaccino, pecorino, e Caprino, collo svellere i virgulti, può rendere la sudetta Selva di un tenue prodotto* » Jure igitur suo usus Valentinius est, dum Sylvam caesit « *a pedagna* » ad lignorum fructum percipiendum, et judicium æquissime protulit, ut animalium appulsum, et pauperiem de tempore incisionis prohiberet. Laceratis alias, scissisque ab pecude renascentibus virgultis, nova quæcumque arborum vegetatio funditus intercluderetur ac nomen usque sylvæ brevi deficeret. Atque exinde iniqua ea conditio Gaspari inferretur, ut vel sylvæ coemptæ jacturam faceret, vel ab coesione arborum invitus abstineret, et dominii sui fructibus fraudaretur, qui arborum incisione potissimum continentur. *Leg.* 40 § *cum fundum ff. de contr. empt.*, *Leg. Plenum vers. Sabinus ff. de Usu, et habit. De Onat. de Contract. tom.* 1 *Tractat.* 3 *Disput.* 8 *Sect.* 4 § 84 *Fulgin. de Jure Emphyth. de variis Caduc. Quæst.* 2 *Num.* 25 *Lagunez De Fruct. Part.* 1 *Cap.* 4 *num.* 44 *Rota in Sabinen. Sylvæ quoad jus lignandi* 18 *Junii* 1802 *numer.* 2 *coram Serlupi*, *in Verulana Juris lignandi* 8 *Februarii* 1825 *numer.* 4 *coram R. P. F. Meo Muzzarelli, et in Romana, seu Veliterna Incisionis nemorum* 10 *Martii ejusdem Anni coram Eminentissimo Marco.*

2 Nihil vero erat ex quo Sylva « *Le Torme* » ejus adamussim naturæ haud censeatur, quam re cognita, judicialis peritus constituit. Omnis quippe præsumptio urget pro justitia peritiæ judicialis, itaut ab illa desciscere in judicio minime liceat, et habenda pro veritate ipsa sit, nisi de illius errore expresse et plenissime doceatur *Rota coram Cerro Decis.* 302 *numer.* 14 *cor. Ratto Decis.* 195 *numer.* 2 *cor. Olivatio Dec.* 115 *numer.* 18 *cor. Riminaldo Decis.* 714 *numer.* 2., *in Faventina Laesionis enormissimae* 8 *Maii* 1827 *n.* 6 *cor. R. P. D. Meo Spada, et in Firmana Emendationis Damnorum* 24 *Februarii hujus anni numer.* 6 *coram me.* Præsertim cum tale judicialis cognitor tulerit judicium, quod monumentis publicis gravissimisque facti probationibus omnino adhæret. Cæduam esse Sylvam « *Le Torme* » et regulari incisioni subjectam baud est quod possit in discrimen adduci. Probatur enim ab tabulis Census, quibus non alia designatione sylva, qua de agitur, præfinita fuit, nisi « *Bosco ceduo, forte* ». Probatur ab publicis Municipii actis, quibus vel mense Novembris anni 1749 vel Aprilis anni 1780., vel Januarii anni 1793, sylva ipsa « *le Torme* » distracta sub corona fuit, ut incisioni eis legibus subjiceretur, quæ in regulari qualibet coesione observantur. Accedunt leges Municipales, quibus pecoris appulsus, prohibitus est in sylvam « *Le Torme* » de tempore incisionis, vel de illis sumptæ vindiciæ, qui renascenti nemori pauperiem fecissent.

Nec minus gravis peritia de anno 3 1794 exarata, qua tempore minime suspecto, et extra quamlibet judicii emulationem descripta Sylva « *le Torme* » fuit « *Selva cedua, incominciata a tagliare, e vi esistono una quantità di are per cuocere il carbone* ». Congruunt cum his emptionis venditionis tabulæ, quibus ab Congregatione *Mixta* Prædium in Gasparem distractum sub expressa coeduæ qualitatis designatione. Congruit votum Peritorum extrajudicialium inter quos, et judiciarium inter quos, et judiciarium cognitorem de qualibet nemoris qualitate mirifice convenit. Et culmen probationibus omnibus adjungunt innumeri testes ex Oppido Frontalis, qui dum reservandi nemoris arbitrium favore Gasparis probant, juri vel commodo proprio baud leve inferunt præjudicium. Atque eo tutius testium dicto fidendum quod non de vaga fama deponant sed de certa scientia, atque innixi gravissimo facti proprii argumento. Unus enim deponit « *ho veduto mio padre fare il carbone* » in hac sylva « *le Torme* »:

testatur alter de periodica, et regulari cæsione « *avendo io stesso fatto il carbone* »: omnes vero mirifice in id conveniunt, quod inibi existant « *spesso are da cuocere il carbone* » quod nemus sit omne « di *legna forte* » ; quod « *era foltissimo* » quod « *tagliavasi periodicamente* », quod denique passim reperiebantur – *delle cerquette grosse, che facevano anche le ghiande* » quæ existere haud alias poterant, nisi regularis sylvæ cæsio, et quæ audit « *a pedagna* » necessario admittatur.

4 Ad firmissimas has facti probationes refellendas totæ in eo erant Virginiæ ut promiscuum pascendi jus super universo Territorio Frontalis superabundæ evincerent vel Pontificum Chirographis, vel transactionibus, vel perpetuis judiciis vel observantia bisecentenaria. Verum PP. animadvertebant, quod, uti hæc monumenta quæstionem omnem conficerent, quatenus Gaspar vel jus ipsum pascendi in discrimen revocaret, vel pertrita quæstio ageretur de *prohibitivo* potius quam *activo* pascui jure inducendo; ita aliena ab casu habenda necessario erant, quod de jure pascui sarto tecto servando Valentinius ipse concorditer convenit, et protestatus judicialiter fuit. Haud enim ad prohibendum pecoris appulsum, vel ad coemptam sylvam in libertatem vindicandam, stetit in judicio. Id unum officio Judicis quærit, ne jura servitutis et dominii sese invicem elidant; Quærit quod integrum Monialibus, et cuicumque ex Oppido sit perpetuum pascendi jus super sylva « *le Torme* » experiri, sed unum incisionis tempus juxta locorum omnium consuetudinem, et indolem fundi, et jugem observantiam excipiatur, quo pecus non pasceret, sed germen quodcumque sylvæ abraderet, laceraret, disperderet. Id vero natura ipsa servitutis, id jus, et communis æquitas exigunt, ut pascendi jus iis limitibus coerceatur, quibus servetur fundorum substantia, et minor quam fieri possit jactura in sylvarum dominum irrogetur. *Sper. de Pascuis numer.* 63 *Antonell. Legat. Lib.* 2 *Cap.* 113 *Surd. Decis.* 236 *numer.* 20., *et Rota in Ravennaten. Juris Lignandi* 17 *Januarii* 1757 *numer.* 4 *coram Bussio in Verulana Juris pascendi, et lignandi* 24 *Aprilis* 1758 *numer.* 2 *coram Elephantuzzio, et in adducta Verulana Juris Lignandi* 8 *Februarii* 1828 *coram R. P. D. Meo Muzzarelli.*

Quin immo jus ipsum promiscuum, 5
in quo exceptionis fundamentum Virginiæ constituebant, sylvæ defendendæ jus firmissime includit. Nemora enim, quæ ab Coenobio possidentur eodem pascui onere erga Valentinium, singulosque Frontalis homines afficiuntur, quod Virginiæ in Gasparem tuentur. Uti igitur licuit Monialibus, eo haud obstante jure pascendi, sua nemora de incisionis tempore concludere; atque ab animalium pabulo servare, ita inciviliter et contra omnem æquitatis, vel correspectivi rationem jus ipsum in Gaspare inficiantur. Abnorme enim et absurdissimum est id aliis illicitum, ac nefas contendere, quod sibi licitum propugnetur. *Leg. Bona fides* 53 *ff. de Act. Palma Allegat.* 9 *numer.* 5 *Cyriac. Controv. Foren.* 14 *numer.* 7 *Rota coram Lancetta Decis.* 638 *numer.* 11 *coram Olivatio Decis.* 659 *numer.* 2 *cor. Riminaldo Decis.* 417., *et in Romana Donationis* 15 *Maii* 1755 *cor. Bussio*

Inepte hinc ad Censuales Tabulas 6
confugebatur, quibus liberum pascendi jus favore Coenobii inscribitur absque ulla reservatione; vel excipiebatur regula juris notissima, quæ servientis fundi domino prohibet quominus aliquid in servitutis fraudem molliatur. Cum etenim ex ipsa natura sit, quod ita pascendi jus exerceatur, uti fundorum qualitas sinit, nec in Sylva regulari cæsione destinata, pasci, salva substantia, queat, nisi ea de incisionis tempore ab animalium pabulo defendatur; nullatenus hinc opus erat conditionem eam in Censualibus tabulis exprimere, quæ jure ipso, et sunpte fundi natura præsumenda erat, juxta æquissimam regulam, de qua *Rota in Melevitana super redditione rationum* 1 *Februarii* 1823 § 8 *coram R. P. D. Meo Muzzarelli.* In coempta autem sylva cædenda nihil Gaspar in servitutis

alienæ fraudem molitus foit; sed jus suum exercoit, probatum jugi observantia; et antiquissima sylvæ destinatione. Quin imo novum et abnorme servitutis onos Gaspari injiceretur, quatenus non pascendi tantum arbitrium Virginiarum favore probaretur, sed jus quoque invitum dominum prohibendi ab sui memoris incisione, de quo nec transactio, nec judicialia acta, nec sæcularis observantia, nec titulus alter ab Monialibus exhibitus, vel levissime loquitur. Nihil vero ab æquitate juris dissonum magis, quam constitutæ servitutis modum augere, vel novum modum prorsus invito, et reluctante domino, inducere, *Leg. Quæstus ff. ad Legem Falcidium, Caepolla de servit. rustic. prædior. cap.* 9 *tit. de Pascuis n.* 56; *Rota in Recent. Decis.* 300 *num.* 3., *et seq.*

7 Inane posthæc erat emptionis venditionis tabulis insistere quibus sylva minoris empta proponeretur – *in defalco alle servitù inerenti* –. Una enim pascendi servitus, qua sylva certo certius afficitur, sat superque est ad expressam in tabolis conditionem confirmandam, quin opus hac in specie sit ipsi juris pascendi oueri novum aliquod superaddere. Qui vero, ad ultimam spem, vel extrajudiciales periti, vel testes cumulabantur, quorum dicto nec cædoam esse sylvam – *Le Torme* –, nec subjectam unquam fnisse regulari cæsioni evincere Moniales contendebant, ne audiendi in judicio erant. Obsunt testimoniis hisce, ad litis commodom expiscatis gravissima monumenta, quæ contrarium invicte probant: obsont testes, haud numero minores ab Gaspare inducti, qui præ his attendendi, vel quia monumentis publicis cohaerant, vel quia de jure deponsnant sibi præjudiciali. Obest denique gravissimum judiciarii cognitoris judicium, quod extrajudicislibus omnibus peritiis, vel incertis testium depositionibus adeo prævalet ex jore, ut nulla de hisce ratio haberi ullatenus queat. *Roto in Decis.* 424 *numer.* 6 *coram Riminaldo, in Faventina Læsionis enormissimæ* 5 *Maii* 1826 *numer.* 6 *corom Reverendissimo P. D. Meo Spada' et in citota Firmono Emendationis damnorum* 24 *Februarii* 1832 *num.* 1 *coram Me.*

Quod vero sylva hæc – *le Torme* – 8 ad meridiem spectans, et optima sit, et una idonea ad hyberna pascua universo Municipii pecori soppeditanda, exageratur, magis in judicio, quam serio proponatur. Neque enim sylvæ huic parcunt nives; sique immunis pars maneret, ea ne forte quidem pascua sufficerent ad gregem Dominicom saturandum; constat idcirco Oppidanorum omnium eam esse consuetudinem, et antiquissimum usum, ut pecus universum hybernis mensibus, ad extera territoria traducant, ne herbarum defectu affligatur. Magis igitur reprobandæ æmulationis æstu, qoam ulla necessitatis, vel utilitatis ratione, defendendi nemoris arbitrium in Gaspare oppugnabatur, quo pollet hic ex jore dominii, ex fundi destinatione, ex perenni observantia.

Et ita, me quoque suffragante, decisum fuit. Utraque etc.

---

## SUTRINA

### SOLUTIONIS CANONUM

### QUOAD LOCUM

*Veneris* 1 *Junii* 183?.

### ARGUMENTUM

Non est semper vera regula, quod debitor debeat adire domicilium creditoris; ac præcipue fallit, ubi agatur, de pensionibus locatitiis, censibus, ac canonibus.

#### SUMMARIUM

1. *Omne nomen quod ex re aliqua debetur, ibi praestandum est, ubi res ipsa adsit et jaceat.*

*Debitor ad domicilium creditoris alibi degentis non tenetur solutionem peragere – Ibid –*

2. *Ubi de pensione locatitia, de censu, de canone agatur; fallit regula de fadeunda domo creditoris, sed ipse creditor domum accedere*

*debitoris tenetur ad solutionem obtinendam.*

3. *Jura tantum quae sunt communia transferri possunt, personalia autem nec communicantur, nec ad successorem transeunt.*

4. *Observantiae plurimum est deferendum, rem praecipue si explicet ambiguam* - Et n. 5.-

## DECISIO CCCCXXXIII.

Exeunte Julio anni 1827. Sacra Boni Regiminis Congregatio in emphyteusim concessit Municipibus Oppidi Bassani, penes Sutrium, pascua omnia hiberna et æstiva, quæ antea pleno dominii jure ad ipsos pertinebant Municipes, quæque, una cum cæteris omnium Ecclesiasticæ Ditionis Municiporum bonis occupata a Sacra Congregatione fuerunt, ut ex eis æs alienum Communitatum dimitteretur. Canon hujusce emphyteusis præfinitus fuit in annua summa scutorum *tercentum sexaginta = da pagarsi alla Cassa di detta Amministrazione* ( Bonis Regiminis ) o *a chi per essa nel luogo*, *ed a persona da destinarsi dalla suddetta Sacra Congregazione del Bon Governo.* Publicæ deinde auctioni ad diem decimam octavam Augusti ejusdem anni expositum fuisse constat annum illum canonem, a Communitate Bassani solvendum, illumque coemerunt Augustinus Rempiccius Ven. Sodalitium animam agentium, ac demum, pro rata tantum portione scutorum centum octoginta. Coenobium Jesu, et Mariæ Urbis, a quo soluta hanc in causam fuit summa scutorum *octomillium octingentorum*. Orta mox quæstio est inter Municipes Oppidi Bassani, et Coenobitas quoad locum, ubi fieri solutio canonis debuisset, cum Municipes in Oppido Bassani, Coenobitæ vero Romæ repræsentandum esse canonem contenderent. Præsul autem, qui a secretis erat Sacræ Congregationis causam Coenobitis adjudicavit. Idemque censuit in gradu provocationis eadem Sacra Congregatio; quæ tamen novæ Audientiæ veniam Municipibus imperita fuit. Cum vero, ex novo judiciorum ordine Sacra Congregationi suffectum fuerit Sacrum Nostrum Auditorium, proposui hodie dubii formulam de more conceptam = *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.* = meque etiam suffragante responsum prodiit=*Recedendum a decisis.* =

Ex jure quippe est, ut omne nomen, quod ex re aliqua debeatur, ibi 1
præstandum sit, ubi res ipsa adsit, et jaceat. Jam vero in Oppido Bassani extant pascua emphyteutica, pro quibus canon a Communitate persolvitur. Ergo in Oppido Bassani facienda solutio est, cum non teneatur debitor solutionem peragere ad domicilium creditoris alibi degentis *Leg.* 4 *ff de Censib. quæst.* 86 *num.* 19 *Paction de Locat. et conduct Cap.* 38 *num.* 9 *Polit. de Miscellan. et prætermis. Disert.* 18 *num.* 8 Nec recte Coenobitæ dicebant, ex jure cogi debitorem ferre pecuniam Creditoris domum. Obtinet enim hæc regula ubi creditor et debitor ejusdem sint fori: non vero quoties diversum sit forum diversumque eorum domicilium, quo casu ubique receptum est ut non debitor creditoris domum petere cogatur, nomen suum soluturus, sed immo creditor sit obligatus adire debitorem, ab eoque creditum suum exigere. *Mantic. De Tacit. et ambig. Lib.* 22 *tit.* 27 *num.* 60 *Fulgin. de jur. Emphyt. de solut. can. quæst.* 1 *num.* 123 *Rota in Rec. Decis.* 361 *num.* 62 *Part.* 11 *et in Anagnina solutionis* 12 *Martii hujus anni § cor. R. P. D. Meo Muzzarelli.* Cum itaque diversum in subjecta specie domicilium si creditoris, ac debitoris necessariosequiturcreditorem teneri domum debitoris accedere ad nomen suum exigendum.

Generaliter enim loquendo, ubi de 2
pensione locatitia agatur; ubi de censu res sit, ubi de canone quæratur, ubi uno verbo, de debito disputetur pro re aliqua, et in compendium acceptæ rei promisso, inspiciendum dumtaxat est, ubi sit locata domus, ubi positus fundus censui subjectus, ubi extent prædia vectigalia; fallitque regula de adeunda domo creditoris tenetur ad solutionem obtinendam. Neque dicendum, aliter fuisse in stipulatione conventum. Principio siquidem falsum est, ibi Urbem Romam fuisse designa-

tam. Perspecta porro fuit Dominis Meis frandis machinatio ex allato instrumenti authograpbo, in quo prorsus desiderantur ea verba = *Situata in Roma via della Stelletta n.* 7 = quæ typis impressa a procuratore Coenobitarum fuerunt, ac omnino supplantata, et nominationi adjecta = *della Cassa di Amministrazione* = quasi dictum fuisset, ut eanon solveretur = *alla Cassa di Amministrazione situata in Roma via della Stelletta n.* 7 = quum e converso in authographis tabulis de sola = *Cassa di Amministrazione* = extet facta mentio, nec ulla alia adnotatio adjecta legatur.

3 Præterea facile intelligitur mentionem = *della Cassa di Amministrazione* = neutiquam adhibitam fuisse ad locum solutionis designandum, sed dumtaxat causa demonstrandi creditoris, qui canonem exigere deberet a Communitate Bassani; proindeque ea verba non locum taxativum non Urbem Romam, sed personam significant, quæ pro re Fiscali varia, et incerta erat, atque in dies pro tempore poterat mutari. Nihil pariter turbant alia verba = o *a chi per essa nel luogo, ed a persona da destinarsi* =. Nam de arbitrio ac privilegio agitur, quod de persona ad personam porrigi non potest. Alia res est Fisci, alia privata creditoris. Mutata persona, mutatur arbitrium, quod proinde a jure metiendum est. Esto hinc utique, quod Sacræ Boni Regiminis Congregationi successerint Coenobitæ: non tamen in eos translatum est arbitrium, quo Sacra Congregatio pollebat, vel initio destinandi solutionis locum, vel eum revocandi etiam deinceps. Neminem quippe latet transferri posse ea jura, quæ sunt communia, at quæ præcipua sint, et personalia nullatenus communicari nec ad successorem transire sive singularem sive universalem, comperti juris est. *Rot. in Rec. Decis* 177 *num.* 6 *part.* 12 *Decis.* 684 *part.* 4 *tom.* 3 *n.* 5 *Decis.* 587 *num.* 12 *tom.* 4 *cor. Lancetta, et Decis.* 619 *num.* 19 *cor. Eodem.*

4 Quod vero personale omnino sit jus istud locum, sive personam eligendi, nec ideo transferri in alium quempiam possit, expressum habemus *in Leg. unum et familia § Rogo Leg. Si quis § fin. ff de Legat.* 2 *Cujac. Lib.* 4 *tit.* 5 *Columm.* 968 *sub tit. B. Voet. in Pandect. lib.* 45 § 19 *in fin. Peregrin. de Jure Fisci lib.* 5 *tit.* 1 *num.* 91 *Rota in Rec. Deci.* 301 *num.* 8 *Part.* 14. Jus itaque eligendi locum et personam cui facienda solutio canonis foret, favore Fisci, Sacræ nimirum Congregationis, unice inductum, evanuit illico, et leves abiit in auras, semelac actioni impositus fuit canon emphyteuticus, et partim Augustino Rempicci, partim Ven. Sodalitio animam agentium partim denique Coenobitis Jesus, et Mariae quaesitus fuit ex empto. Idque potissimum retinere debet, quia accedit observantia; fida rerum et contractuum interpres, cui plurimum est deferendum, si præcipue rem explicet ambiguam, et juxtam exhibeat interpretationem. *Card. de Luc. de Donat. Disc.* 48 *num.* 15 *Rota in Rec. Decis.* 582 *num.* 9 *et seq. part.* 19 *coram Cerro Decis.* 742 *num. ult. coram Priolo decis* 441 *num.* 10 *cor. Molines decis.* 1229 *num.* 34 *decis.* 30 *num.* 9 *cor. Olivatio, et decis.* 179 *num.* 22 *cor. Herzan.*

Stat siquidem in facto Bassani communitatem semper persolvere consuevisse canonem extra Urbem, in loco scilicet, nisi sita est res emphyteutica in ipso Oppido Bassani. Quod immo magis est, nec sodalitium animam agentium, nec Augustinus Rempiccius, unquam in ea spem erecti sunt, ut possent debitore cogere ad canonem Romæ solvendum, sed ipsi semper curarunt canonem exigere in prædicto oppido Bassani. Rem itaque omnem absolvit observantia, nec ab ea est recedendum in gratiam creditoris; cum debet in dubio, quod coeteroquin in subjecta materia procul abest, semper responderi pro debitore, quia *favorabiliores rei potius quam actores habentur*, ut scriptum est, in *Leg.* 125 *ff de reg. jur.* ac etiam *in dubio melior esse debeat debitoris, quam creditoris conditio* ut legitur *in Leg. Adrianus ait ff* de *obligat et. act.* 5

Et ita etc. Utraque etc.

## VERULANA SEU PRHUSINATEN

### NULLITATIS EXEQUUTIONIS

*Veneris* 20 *Junii* 1832.

### ARGUMENTUM

Quam citius quidquid ex Rejudicata profluit exequi oportet: nulla autem est exequutio, si ultra summam excedentem mandatum Judicis, facta fuerit.

SUMMARIUM

1. *Quidquid Rejudicata constitutum est, promptam paratamque exequutionem recipere debet, omni remota exceptione.*
2. *Nulla exequutio est si facta sit ultra summam excedentem mandatum Judicis, vel si non habita fuerit ratio solutionum, quae post editam sententiam factae fuerunt.*
3. *Titulos diversos miscere non licet, nec datur compensatio de liquido ad illiquidum.*

### DECISIO CCCCXXXIV.

Aloysius Sodani una cum uxore Francisca, quæ ex Gallicis tum vigentibus legibus rite cum viro poterat obligari, obsignavit anno 1813 syngrapham collybisticam, qua hic se restituturum promittebat sub dio 31 Augusti insequentis anni 1814 scuta octingenta, quæ mutui nomine a Philippo de Camillis recipiebat. Quum dies solutionis advenisset, conjuges Sodani nomen haud dimiserunt, et quum per integrum quadriennium verba dedissent Philippo, hic e re sua esse duxit eosdem rapere in judicium coram Tribunal Primæ Instantiæ Phrusinonis, a quo mandatum judiciale sub die 18 Maii 1818 obtinuit, ut debitam sibi pecuniam assequeretur. Tunc vero Francisca collusorium instituit judicium contra maritum, petens liberationem a molestiis, cuius ope Rescripto Signaturæ utrique conjugi indulta est appellatio suspensiva; et causæ disceptatio rursus inita coram Tribunali Collegiali AC. Hujusce decreto confirmatur Sententia Tribunalis Primæ Instantiæ, et ita solemnis exoritur Rejudicata. Post novam biennii dilationem, quum Philippus nil recepisset a Conjugibus Sodani, exequutioni subjecit nonnullos horum Fundos, tum pro scutis octingentis tum pro expensis litis, quæ ad scuta 85 50 assurgebant.

Ut patratæ exequutionis vim deflecteret Sodanius, et ne ad subhastationem, et deliberationem deveniretur, stetit coram Tribunali Primæ Instantiæ Phrusinonis exequutionis ejusdem nullitatem incusans, ex eo quod ratio habita non fuisset solutionum, quæ post primam Sententiam factæ fuissent, Judices Parusinates censuerunt interlocutorio Decreto diei 28 Februarii 1823 dispungendas esse rationes, et quum idem confirmassent altero decreto diei 18 Maii 1828; Philippus provocavit, detulitque caussam ad Collegiale Tribunal AC. Quum hoc sublatum esset, caussæ disceptatio initur coram Triumviro AC, Pentini, a quo, priusquam pronunciasset, ex novissimis Sacratissimi Principis Legibus caussa defertur Sacri huic Ordini. Itaque in hodiernis Comitiis rogavi DD. Meos dubii formula in hunc modum concepta = *An constet de nullitate exequutionis, seu potius sit locus confectioni computorum in casu ec.* =, et quum conjuges Sodani in judicio non steterint, responsum incunctanter est = *Pro Informante* = hoc est = *Negative in omnibus* =

Sollemni Rejudicata constabat Philippum de Camillis Creditorem esse in scutis *octingentis* conjugum Sodani, qui pro hujusmodi summa literam collybisticam ejus favore obsignaverant. Non ergo poterat Sodanius debiti sui solutionem exceptionibus, aut alio quovis prætextu intercipere, ac remorari, nec poterat incusare validitatem exequutionis expletæ ad normam ipsius Reijudicatæ. Etenim quidquid Rejudicata constitutum est promptam, paratamque exequutionem recipere debet omni remota exceptione *Leg. Post rem judicatam ff. de Judiciis Rota in Recent. decis.* 62 *num.* 2., *decis.* 225 *num.* 1 *Part.* 9., *decis.* 1012. *num.* 2 *coram Lancetta, in Ferrarien. Bonorum quoad fructus super reservatis* 5. *Martii* 1751 §. 2. *coram Molino*, *et in Albanen. Manu-*

*tentionis super exequutione Reijudicatæ* 9. *Decembris* 1785 §. 3 *cor. Origo*

2 Hoc ad exequutionis validitatem convellendam quidquam efficere posset informis notula a Sodanio exhibita, qua se jactitabat rependisse pro Philippo scuta 316 37, quorum ratio habita non est in exequutione patranda scilicet animadvertebant DD. Mei hujusmodi solutiones omnes fere anteriores esse primæ Sententiæ Tribunalis Phrusinatis, proindeque nullo in calculo esse habendas ad evincendam exequutionis nullitatem. Piaaus enim Proceduræ Codex, et Leoninus Reformationis, ille sub *Articulo* 1821, hic sub Art. 728 eo tantum in casu nullam renunciant exequutionem, si facta fuerit ultra summam excedentem mandatum Judicis, vel si habita non fuerit ratio solutionum, quæ factæ fuerint post editam Sententiam = *Se peraltro l' esecuzione siasi fatta oltre la somma contenuta nel mandato*, o *non siansi buonificati li pagamenti fatti al Creditore posteriormente alla Sentenza*, o *decreto la medesima sarà nulla* = Quum vero in notula oblata a Sodanio, quæque assurgit ad scuta 316., *tres* tantum supra *triginta* obuli soluti reperiantur in alios Titulos post latum Decretum diei 7. Julii 1820., profecto exigua hæc summa tanti esse non poterat ut nullitatis vitio inficeret exequutionem.

3 Et id eo magis tenendum erat, qnia tum exilis hæc summa, tum reliquæ solutiones a Sodanio allatæ, factæ non sunt in crediti dimissionem. Præterea ipse retinebat administrationem bonorum, quæ Philippus de Camillis possidebat in agro Phrusinatensi, et pecuniam, quam exinde retrahebatur domino remittere debebat. Porro ex ipsius epistolis patet se rependisse pro Philippo hanc vel illam summam, et adhuc habere apud se aliquid argenti reliquum, quod ipsi pertineret. Hæc sane demonstrabant creditum scatens ex notula producta a Sodanio turbidum omnino esse nec ad liquidum productum. Itaque nequibat in medium produci ad retardandam exequutionem pro liquidis scutis *octingentis*, quia non licet miscere titulos diversos, nec datur compensatio de liquido ad illiquidum ut statuit *Text. Leg. Fin. Cod. de Compensationibus*, *Rota coram Olivat· decis.* 58 *num.* 1 *in Romana Divisionis* 19 *Aprilis* 1822 §. 6 *coram Eminentissimo Marco*. Et in Romana *Locorum Montium* 19. *Novembris* 1827. *coram Eodem*.

Et ita, Altera tantum etc. me quoque ex novissimis legibus suffragium ferente, jus redditum fuit.

---

## ALBANEN IMMISSIONIS

*Veneris* 19. *Aprilis* 1834.

### ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

#### SUMMARIUM

1 *Auctoris obligationem haeres, et universalis successor adimplere debent.*

2. *Quem de evictione tenet actio, eundem agentem, repellit exceptio.*

3. *Ex R. C, A. in contractu adhibita obligatione, oritur privilegiata actio.*

4. *Hereditas non intelligitur, nisi alieno aere subducto.*

*Permissum ex jure est fideicommissaria bona alienare, ut haereditas dissolvatur a debito - ibidem -*

5. *Centenaria obervantia, optimum rei possidendae titulum praebet.*

### DECISIO CCCCXXXV.

Supremo condito elogio, anno 1728 Gregorius Savarelli universæ substantiæ suæ proprietarium vocavit hæredem Joannem Poli, quem solemni adoptionis actu filium sibi jam fecerat, in id assentientibus Alphunso Poli, atque Paula Carpani, Joannis parentibus, quos hæreditatis usufructu, quoad viverent, testator honoraverant. Præcepit post hæc Gregorius ut Savarelliæ gentis prænomen Joannes sumeret, relictamque hæreditatem perpetuo sub fideicommissi vinculo filiis ab se nasci uris restiterat

= *di maschi in maschi primogeniti* =. Severe hic vetuit hæreditariorum bonorum alienationem, detractionemque titulo etiam legitimæ, aut Trebellianicæ, caducitatis adjecta poena. At, vita functo Gregorio, cum hæreditatis ex lege inventarium Alphunsus Joannis pater, atque Franciscus De Romanis, cui voluntatis suæ Gregorius commiserat exequutionem, confecissent, alieno ære onustam illam facile prænoverunt. Consilium idcirco inierunt Alphunsus, atque Franciscus, ut Joannis, tunc minorennis, nomine, censum contraherent ad 600 argentea, quibus fideicommissariam hæreditatem ab debito solverent. Solemnibus revera in id rogatis tabulis, annuum censum scutorum 27 hæreditaria super vinea, Albanensi in Territorio posita, vendiderunt Cajetano Taccini, solutis ab eo 600 argenteis nummis, pacto inito, ut ea deponeret ad Sacram Pietatis Ædem, favore Savarelliæ hæreditatis, ad hoc ut ex pecunia illa, curante Francisco, tot debitorum nomina solidarentur, quemadmodum gestum reapse fuit.

Haud vero toto alieno ære solutam cum post hæc Alphunsus, atque Franciscus vidissent fideicommissariam hæreditatem, curarunt ut Joannes, necessariis solemniis adhibitis, Judicisque intercedente auctoritate, vineam ipsam, in qua census sedebat, divenderet Balthaxarri Fratrix, pretio constituto ad argentea 899 assesque 30, translato in emptorem onere, ex pretii parte, dimittendi censum illum cum Taccinio, aliudque hæreditarium nomen ad 100 scutata; reliquum autem, quod ex pretio superesset, insumeretur ad necessarias fatiscentis hæreditariæ domus sarcitiones conficiendas; liberam insuper vineam quocumque ab onere Joannes in tabulis expromisserat, solemni præterea, emptoris favore, evictione stipulata. Coacto dein creditorum concursu in Baltaxarris patrimonium, cessit is bonis suis. Tunc vineam ipsam, creditorum nomine, patrimonii administrator vendidit Josepho Fabrizj, convento pretio in 900 argenteis quorum ex parte sibi emptor constituit obligationem dimittendi prædictum censum Taccini favore constitutum 600 in nummis; reliqua vero pretii cum symbola solidandi Baltaxarris creditores erant. Cessit tunc administrator Josepho = *tutte e singole* = Baltaxarris jura, et actiones, quæ nactus ille in vinea fuerat, ampliori etiam R. C. A., prout de eo tempore consueverat, adhibita obligatione.

Obierat per id temporis Joannes, ex quo, venerat Savarellium fideicommissum in Cæsarem primo natum, qui, superventis interim Gallicis, Pontificiisque Legibus, fideicommissorum vincula exprobantibus, si 15,000 scutorum vim non attingerent, dein vita functus, Savarelliam hæreditatem liberam omnino filiolæ suæ Aloysiæ communi ex successionum Jure reliquerat. Tunc Anna Cæsaris vidua, qua Aloysiæ mater, ac tutrix, putans ex fideicommissario sublato jure se utiliter postulaturam, filiolæ nomine, immissionem ad divenditam vineam, vadato Josepho Fabrizj juniore, Josephi senioris vineæ emptoris hærede, cor. Civili A. C. Congregatione, voti compos evaserat, immissione probata, una tantum per A. C. Sententiam obligatione in Aloysiam rejecta, tum solvendi Josepho argentea 50 impensa a Balthaxarre Fratrix in fideicommissarii debiti extinctionem, tum subeundi census oneri, ab Joanne in vinea constituto. Facta sed vero utrinque provocatione, venit ad Sac. Ordinem Causa. Dubium itaque cum proposuerim = *An sit locus immissioni in casu etc.* = PP. responderunt = *Negative* =.

Notissimum enim ex jure erat, ut Auctoris obligationem hæres, universalisque successor substineret *Leg.* 2 *Cod. de Hæred. vel act. vend., Leg. pacto* 26 *Cod. de Pactis, Leg. pro hærede* 20 *ff de Acquir. haeredit., Donnell. Comment. Jur. Civ. Lib.* 8 *Cap.* 10 *num.* 5 *et seqq., ac Sacer Ordo Noster in Anconitana, seu S. Angeli Vaden.* 22 *Junii* 1821 *cor. bo. me. Martinez, in Viterbien. Pecuniaria* 16 *Martii* 1827 *cor. R. P. D. meo Spada, et in Romana subhastationis, et praelationis* 30 *Aprilis* 1817 *cor. Emo Isoard.* Quapropter susceptam ab Joanne Auctore suo de præstanda vineæ 1

emptori evictione obligationem effugere nunc Aloysia, qua ejus hæres, nequibat. At negari profecto haud poterat evictionis nomine, erga Balthaxarrem vineæ emptorem, extitisse Joannem jure optimo obligatum. Alieno namque ære obrutam, cum, legali confecto inventario, Alphunsus Joannis pater, atque Franciscus Savarelliæ voluntatis exequutor, fidecommissariam internovissent hæreditatem, ut creditoribus facerent satis suaserat ipsis necessitas, optimam rem se fore acturos si censum conflarent in 600 nummis, illumque imponerent super vinea. Cum vero et tunc necessitas urgeret dimittendi hæreditarium quod supererat nomen ad 100 argentea, reficiendique prætcrea fatiscentem hæreditatis domum, utili sane consilio, vineæ venditione patrata, consultum Joannis, futurorumque vocaturum utilitati fuerat, imposita Baltaxarri emptori solidandi census, alteriusque capitis onere, reliqua pretii insumpta symbola in prædictæ domus sarcitione. Scilicet rum actum ita de Joannis futurorumque vocatorum utilitate per prudentem adeo vinæ venditionem fuerit, utiliter idcirco sane ad evictionis præstationem se Joannes obstrinxerat, quam venditor præstare emptori cogitur, apertissimo ex Jure *in leg. Ex Empto ff de Act. empt., et in Leg. Non dubitatur* 6 *Cod. de Eviction., Gratian. discep. for. Cap.* 793 *num.* 12, *et Sac. Rota dec.* 741 *num.* 3 *tom.* 7 *cor. Ansaldo.*

2 Atqui hujusmodi stipulatæ evictionis obligatione, cum ex hæreditario Joannis nomine teneatur Aloysia, ipsa huc evictionis exceptione, per Josephum eam contra allata, ab obtinenda immissione repellebatur. Scitum enim ab omnibus forense illud adagium = *quem de evictione tenet actio eumdem agentem repellit exceptio* = cui omnia jura cum cohærere PP. intelligerent = *ad Text in Leg. Vindicantem ff. de Evictionibus, et S. Ordo Noster in Dec.* 20. *num.* 1. *de Empt. cor. Falconer, atque in Decis.* 152. *n.* 4. *cor. Riminal.* sequendum illud in themate censuerunt, Aloysiae immissionis idcirco rejecta postulatione. Quin prodissent mulieri quae acriter opposuerat. Quod primum namque disserebat de Josephi persona, cui, utpote singulari Baltaxarris emptoris successori, denegandam de evictione contendebat actionem, sponte ipsa sua redibat in nihilum. Cessione quippe omnium bonorum a Balthaxarre in creditores suos gesta, omnia Balthaxarri ipsius jura in eos venerant, quae inter accensendum jus etiam agendi pro evictione vineae ab Joanne emptae si casus evictionis contigisset. At in venditione ejusmet Vineae per patrimonii Balthaxarris administratorem nomine creditorum, erga Josephum gesta, cessa cum eo fuerint = *tutte, e singole ragioni, ed azioni* = illa in vinea Baltaxarri ipsi competentes translatum quoque, ea inter jura omnia, fuisse jus illud agendi de evictione putandum sano judicio erat: pars namque contineri in toto, tum Juris, tum dialecticae canones decuerunt.

Verum enim vero non una cessionis jura Josephi actionem sustentabant, sed alterum insuper momentosissimum accedebat, ex ampliori nempe R. C. A. in contractu adbibita obligatione. Ea apposita in contractibus obligatione; contractus illius validitatem sustentare cuicumque licet, qui ad tuendum contractum aliquo detineatur interesse, ex formula = *quorum interest.* = quam obligationi illi placuit inserere, ceu tradunt *Seraphin de Privileg. Juram. Privil.* 77. *num.* 16. *Zacchia de Obligat. Camli Quæst.* 31. *ff.* 30. *et S. Rota dec.* 137. *n.* 1 *.cor. Seraphino; dec.* 189. *n.* 13. *cor. Cerro apud Zacch. et in Decis.* 18 *num.* 6. *coram Illma, et Rmo Patrizi* = Inspecta itaque sive amplissima jurium cessione, quam Josephus ab Baltaxarris creditoribus habuerat, sive R. C. obligatione contractui obligationis venditionis vineæ apposita; inanis prorsus de Josephi persona hæc erat exceptio. 3

Nec altera magis se juvare Aloysia poterat, quam sibi deprompserat e prohibitione per Gregorium facta, ne suis ab hæredibus fideicommissaria bona divenderentur ex quo arguebat nequisse Joannem in futurorum vocatorum perniciem, vineam alienare, nec ad illius 4

evictionem sese utiliter obligavisse. Quamquam enim in facto constet, reapse bonorum hæreditariorum alienationem Gregorium vetuisse, attamen cum pariter constaret ex facto divenditam ab Joanne fuisse vineam, ad hoc ut hæreditas alieno, quo gravabatur ære liberaretur, non id fecerat injuria, contra fideicommittentis voluntatem hæreditas quippe in Jure nostro non intelligitur, nisi alieno ære subducto *Leg.* 2. §. *Illud. ff. de Collat. bonor. Leg. final.* §. *Sin autem Cod. de Bonis quæ lib. Gloss. fin. in Leg.* 23 *ff. ac Curat. bon. dando*; *et Sac. Tribunal Decis.* 524 *num.* 4. *Part.* 2 *Recentior. et Decis.* 222 *num* 12 *Tom.* 2 *cor Olivatio* = Haud igitur Gregorii voluntas extendenda ad eas alienationes, quas suasisset necessitas, ut hæreditarii solidarentur creditores, principueque cum permissum ex jure sit fideicommissaria bona alienare ad hoc ut hæreditas dissolvatur a debito = *Voet. ad Pandect. Lib.* 36 *Tit.* 1 *num.* 62 *Petra de Fideicomm. Quæst.* 8 *num.* 549 *et Rota Dec.* 413. *num.* 4 *Somm.* 4. *cor. Olivatio.* =

5 Neque suadere sibi PP. potuerunt in Gregorii voluntatem Joannem peccasse, dum hæreditatis debitum, ex pretio vineæ dimiserat, non autem ex Mobilium venditione, quemadmodum testator in tabulis jusserat. Nulla scilicet allata per Aloysiam probatio fuerat, qua de Mobilium existentia, ac æstimatione doceret. Merito idcirco dubitatum, vel ea Mobilia bona non extitisse in hæreditate, vel eorum pretio non omne solidari alienum æs Joannem potuisse. Verum, dum reapse constabat venditæ vineæ ex pretio dimissa fuisse hæreditatis debita, satis id erat ad hoc ut jure vendere illam Joannes valuisset, solemnemque ex pacto, ac ex jure debitam emptoris evictionem promittere, quam universalis successor, hæresque, pro ut est Aloysia, negare ullo pacto Josepho vineæ possessori nequibat. Quibus omnibus probe rejectis, ac insuper animadverso, quod *centenaria* a venditione exarato cum jam esset præterita, optimum hæc rei possidendæ titulum Josepho præbebat, qui dum se jus evictionis exceptione tuebatur, redibat illud semper, ut eo uno rejiceret Aloysiam ab vineæ immissione, quam injuria maxima postulaverat.

Et ita Utraque, me quoque suffragante, redditum judicium fuit.

---

## ALBANEN REINTEGRATIONIS

*Mercurii* 26. *Junii* 1833.

### ARGUMENTUM

Quamvis omnium bonorum communio adsit, tamen non inde descendit, quod venditionem rei communis inire unus ex sociis tantum possit - Ac id praesertim, si agatur de pupillo, cujus tutor absque solemniis, alienare non potest.

#### SUMMARIUM

*1. Quod nostrum est, sine facto nostro ad alterum transire nequit* - Et num. 2.

*3. Mater pro suo munere filioli utilitatem curare debet.*

*4. Nemo ex sociis plus parte sua potest alienare, etiamsi omnium bonorum socii sint.*

*5. Non est inquirendus de utilitate contractus, ubi est nullus ob consensus defectum.*

*6. In quolibet contractu correspectivitas desideratur.*

*7. Absurdum est impugnare domus existentiam, pro qua solvatur canon.*

*8. Nullus est contractus, quoad pupillum, si initus fuerit, absque solemniis.*

*9. Ubi agitur de contractus nullitate, ob consensus defectum, locum non habet juris dispositio, quoad minoris silentium per quinquennium a die, quo major factus fuerit.*

## DECISIO CCCCXXXVI.

Utile dominium Cyntianensis domus, sitæ = *sulla Piazza del Duomo vecchio*= quod sibi Petrus Garofolo quæsierat jam ab anno 1793, possidebant pro indiviso tres ejus filii, Salvator, Josephus, atque Aloysius. Hujusce utilis dominii cessionem anno 1811, dum Aloysius *undecimum* suæ ætatis agebat annum, Salvator major natu peregerat erga Vincentium Galli, nec nummo pro cessione recepto. Non Aloysii minorennis, non matris tutricis, ac

Digitized by Google

curatricis ex lege filioli sui consensus de cedenda domo intercesserat; sed uno Salvatoris lubitu peracta illa fuit. Major factus Aloysius, deque inutili illa rei suæ cessione doctus, anno 1827, coram A. C. Judice Alberghiniu pulsavit Vincentium cessionarium, ut ipse Aloysius redintegraretur ad possessionem suæ tertiæ partis illius domus, quam ei unus Salvator cesserat. Multum post hæc ob conciliationis tractatum siluit judicium; quo demum ab Aloysio resumpto adversus Antonium, Angelum, atque Aloysium Galli, Vincentii interim emortui filios atque hæredes, voti compos evasit, ejus ad tertiam cessae domus partem ab Juridici A. C. Conventus Judicibus redintegratione jussa. Provocarunt fratres Gallii tunc ad S. Nostrum Ordinem, at inutiliter. Propositum quippe a me bodie mane dubium = *An et quomodo sit locus reintegrationi in casu etc.* = dimiserunt Responso =*Affirmative in omnibus juxta modum, nempe, ad formam Sententiæ A. C. reservato jure compensandi melioramenta cum fructibus* =.

1 Rectum profecto responsum, et æquum. Ambigendum namque haud erat dominium controversæ domus de anno 1811, antequam ab uno Salvatore Garofolo Vincentio Galli cederetur, Aloysio quoque, qui paternam substantism cum fratribus pro indiviso possidebat, pertinuisse, atque ejusdem domus tertiæ partis dominum esse ipsum Aloysium. Ut ergo utiliter, recteque tota domus illa cederetur, necessarius Aloysii erat assensus. Verum cum ipse in cedendo neutiquam intercesserit, dici nequibat ex Jure, ut sua domus symbola, quam reclamabat, cessa utiliter Vincentio a Salvatore fuerit. Quod enim nostrum est, clamant Leges disertissimæ, sine facto nostro ad alterum transire nequit, prout *in Leg. Quodcumque §. Si quis ita ff de Verb. obligat.*, *Leg. Cum Maritus ff de jur. dot.*, *et Leg. In quod nostrum ff de Reg. Jur.*, *Donell. Comment. in Jur. Civ. Lib. 15. Cap. 53 numer. 1, Ameran. Interpret. Jur. Lib. 2. Cap. 15 num. 25*, *atque Rota in Decis. 228 numer. 20 coram Ansaldo*, *et in Dec. 12 num. 27 et seq. cor. Olivatio.*

Nec ut suam tuerentur possessionem 2 fratres Gallii, probabant Aloysii consensum in domus cessione intercessisse. Syngrapham quippe cessionis, quam ipsi in medium; referebant, quin rem propriis conficeret, eum imo Aloysii consensum penitus excluderet, eos repellebat a judicio. Unus siquidem Salvator, cum cessioni subscriberet, asseverabat, se facere cessionem, tam fratris Josephi, quam Agnetis matris suæ, uti Aloysii curatricis nomine, prout sibi in facultate esse ajebat =*dai mandati di procura Speciali, che si annettono originalmente nella presente Apoca di contratto. e che restano presso il Signor Galli* = Contrahentes itaque ipsi viderunt necessitatem consensus Aloysii ut ejus partis domus cessio valide fieret. Ita enim ipsi, dum de cedendi facultate Salvatori tributa, ope specialis mandati, quod cum syngrapha Salvator se tradidisse Vincentio dixerat, sermonem instituerunt, aperte declararunt, sine condomini consensu rem illi pertinentem alienari non posse. Etenim, si non id necessarium agnitum fuisset, non dictum in syngrapha fuisset, sed unus Salvator cessionem certe quidem ex se perfecisset. Verum mandata hujusmodi de cedendo, quæ adeo necessaria Vincentius ipse noverat, quæque ei tradita fuisse syngrapha obtestabatur, fratres Gallii, qui Vincentio successerant, non equidem proferebant. Quare, cum ipsi in necessarissima sui dominii probatione deficerent, quæ ex Aloysii consensu in cessione dimanasset, audienda Aloysii postulatio de reintegratione erat *ad Text. in Leg. Si quis ex Argentariis §. Prætor. ait ff de Eden.*, *in Leg. 2 Cod. de Except. et Rota Dec. 107 num. 2 coram De Ver.*, *Decis. 774 num. 11 cor. Riminaldo*, *et in Perusina Hypothecae 17 Junii 1825 num. 4 coram Illmo, et Rmo Pianetti.*

Quamquam non ab Aloysii matre, 3 non ab Josepho data videbantur mandata illa, sed patebat a veritate procul id fuisse scriptum in syngrapha.

Reque autem vera si reapse mandata ad cedendnm Salvator habuisset, eaque Vincentio ad cessionis protuendam validitatem ille tradidisset, nunc Fratres Galli, Vincentii universales successores, ut Aloysii consensum in cessione probarent, ea in judicium proferrent. Cum autem nil ipsi exhibuerint, præsumi facili conjectura poterat, ut dictum in syngrapha fuerit, quod Aloysii mater, atque Josephus ea Salvatori mandata tribuerant, atque Vincentio ea fuisse tradita, ut ita, si fieri posset, fucus nullitati cessionis fieret, numquam vero reapse illa extitisse. Quod autem eo magis probabile videbatur, cum impossibile penitus esset, ut Aloysii mater, quæ pro suo munere filioli curare utilitatem debuisset, nullo recepto pretio, suum cessioni consensum præbuerit. Quibus omnibus rite perpensis, cum de Aloysii assensu in cessione suæ partis domus, non constitisset, dici haud poterat, rite hanc in Gallium transiisse, cui illam unus Salvator cesserat; ex quo, cum ejus hæredes nullo jure in illius possessione manerent, negari nequibat Aloysio, rem suam vindicanti, petita reintegratio, quam jubendam PP. DD. censuerunt, probata A. C. Juridici Conventus Sententia, a qua fratres Galli provocaverant.

4 Inani profecto conatu, post hæc fratres Gallii, ut Aloysii redintegrationem averterent, cessionisque potuerentur validitatem, insistebant, *tum* Aloysii consensus non necessitati, *tum* cessionis utilitati, quam Aloysio obvenisse eo ex contracto propugnabant. Haud necessarium Aloysii consensum in cessione ii contendebant, eo quod generalis communio, quam inter fratres Garofolo adfuisse præsumebant, facultatem Salvatori tribuebat cedendi rite integram communem domum, seposito etiam suorum fratrum consensu. At sit etiam, ut ipsi magno nisu probare satagunt, fratres Garofulo in generali tunc stetisse omnium bonorum communione, tamen non inde descendit, quod venditionem rei communis inire idcirco Salvator unus rite posset. Nam — *Nemo ex Sociis plus parte sua potest alienare, etiam si totorum bonorum Socii sint* — Ut Statuit *Lex* 69 *ff. Pro Socio*: cui consonat — *Lex* 1. *Cod. Comm. divid.* — ac tradunt — *Zanchius de Societate Pact.* 1 *cap.* 7 *num.* 80; *Duardus de Societ. tit.* 2 *cap.* 1 *quaest.* 1 *num.* 8 *et S. Nostrum Tribunal Dec.* 434 *num.* 8 *coram Ansald.*, *et Dec.* 463 *numer.* 7 *coram Crescentio.* Incassum itaque contra expressam Legis sanctionem fratres Gallii consensus aliorum fratrum Garofolo in domus cessione non necessitatem proponebant, ad universalem bonorum communionem confugientes, quam extantem Salvatorem inter aliosque fratres evincere totis viribus conati ipsi sunt.

Perperam quoque alteram de Aloysii utilitate ex cessione quæstionemGallii movebant, asserentes necessariam illam fuisse, quia domus ex terremotu ruens, subita gravique reparatione indigebat; quam reparationem dominii directi possessores urgebant, nec fratres Garofulo, vacui pecunia, poterant explere. Non enim Aloysius redintegrationem ad domus symbolam postulavit, querelas deferens de contractus cessionis nullitate, sed uno allato consensus sui defectu, non ab se cessam domus partem ajebat, quamobrem eam vindicare ab Galliis, qui ipsam nullo jure possidebant, reintegratione postulata satagebat. Non ergo hac in thesi iniquirendum erat, si utilis, si validus contractus in genere fuerit, sed una inspecta Aloysii consensus deficientia, cum quoad ipsum cessionis contractus non existeret, ei negari, sub utilitatis receptæ fuco, postulata nequibat rei suæ vindicatio, quam dominus obtinere contra non justum possessorem debet, etsi hic rem occupando utile negocium spoliato domino gesserit. 5

At, si posthaberi quoque velit contractus non existentia, quoad Aloysius ex ejus consensus defectu, haud inde magis utilis inquisitio erit pro Galliis, quam de contractus validitate ipsi instituebant. Primo namque in contractu 6

Digitized by Google

hujusmodi correspectivitas desideratur, quæ omibus in contractus, e Salvatore cum Vincentio initus, venditio, vel cessio, nullo tamen in eis intercedente pretio, valere neutiquam possunt. Quidquid enim Gallii dicant de ruinoso domus statu, aliqua tamen hoc etiam in casu utilitas, emolumenti aliquid ex domus cessione Galliis obvenerat. Id ex ipsius Vincentii facto apertissime erumpit; videlicet, si sperare nihil, e diruta domo ipse potuisset, non directariorum consensum in emphytheusis cessione postulasset, nec promisisset Canonem in annuis argenteis 37. Quod grave sane fuisset, si nullius valoris controversa domus ad cessionis diem haberetur. Injuste itaque, nullo soluto pretio, domum illam Gallius accepisset, si de contractus validitate in præsens dimicaretur, ex quo nullus hic esset plane renunciandus.

7 Quæ vero magno conatu a Galliis afferebantur de ruinoso domus statu, ex quo ipsi babendam cam esse contendebant = *come più non esistesse* = non adeo clara apertaque crant, ut multas præciderent conjecturas, quae illam non talem omnino suadebant. Porro, si domus reapse babenda esset = *come più non esistesse* = pro ea non amplius solvendus fuisset canon. Præterea per actis a Vincentio reparationibus, quæ admissa etiam Galliis amica peritia, absque ulla rei inspectione confecta, ad argentea assurgunt 985 domus illa reddere nunc haud posset annuas pensiones in scutis 138 quam pensionum vim domum nunc exibere Gallii ipsii profitentur. Quibus positis, non dubitabant PP. aliquid realis dominii cessam domum pro Garofolis constituere, quod Vincentius sibi acquirere, nullo soluto pretio, nequibat, procul a læsionis vitio.

8 Nec satis. Si contractus validitas quoad Aloysium rectius expendatur, altero nullitatis capite illam claudicare intelligitur ut nullo sustineri fulcro valeat. Pupillari tunc quippe, cum fuit cessa domus Vincentio, in ætate versabatur Aloysius. At Gallicæ Leges, quæ de eo tempore apud nos obtinebant, solemnia multa in pupillorum rebus agendis requirebant, pront ex Napoleoniani Codicis Artic. 457 458 et 459, quæ præteriri absque nullitatis vitio nequibant. Non harum ulla servata in cessionis domus contractu fuerat. Nullus ergo contractus, quoad pupillum Aloysium, altero hoc ex solemnium defectus esset. Concludendum itaque PP. censuerunt, quod quaquaversus spectentur multa, quæ Aloysii actionem substentabant, negari ei reintegratio ad tertiam domus partem, sine justitiæ offensione haud poterat. Contractus enim cessionis suæ partis domus, cum quoad Aloysium non existeret, titulus nec extabat, quo Gallii illius domus partem retinerent: si vero ille existeret, nullus *intrinseco extrinseoque* defectu cum esset, prædire Aloysii redintegrationem nequibat.

Neque hærendum est Aloysii silentio perinde ac si serius reclamasset, quam debuisset. Post quinquennium namque a majoritatis die, tum tantum exulat querela de contractus injustitia, quatenus, qui major est factus, haud ignoraverit se quinquennio emenso, non amplius fore utiliter reclamaturum. Sed hæc scientia non caruisse Aloysium haud a Galliis ostendebatur, etsi ostendendum ab iis fuisset perspicue, ut firmat *Rota in Decis*, 316 *num.* 15 *part.* 20 *in Dec.* 648 *num.* 19 *part.* 21 *Recent. in Dec.* 337 *num.* 12 *coram Emo Isoard. in Verulana Transactionis* 13 *Junii* 1831 § *ult. coram R. P. D. meo Celestino* = Quapropter nec hujusmodi objecto effugere tertiæ partis domus restitutionem Gallii potucre. Eoque magis, quia non quæritur hic de nullitate contractus, sed dumtaxat de illius inexistentia, quo in casu locum minime babet Juris dispositio quoad minoris silentium per quinquennium a die quo major factus fuerit. Vix enim suppeteret et præscriptio longissimi temporis ad protuendam possessionem fratrum Galli, utpote qui sine titulo possident, ac sine ulla bona fide. Verum cum in Aloysii quoque hac parte meliorationes ipsi peregerint, pro justitia sua PP. DD. sartum tectumque Fra- 9

tribus Galliis servarunt jus compensandi in suo congruo judicio peractas meliorationes cum Fructibus, quos reddere potuisset, absque meliorationum impensa pars domus Aloysium pertinens, quæque sibi addicere deficiente possessionis titulo, ac bona fide fratres Galli nequirent.

Et ita meo quoque accedente suffragio, redditum jus fuit, utraque etc.

---

## ANCONITANA DAMNORUM

*Veneris* 21. *Junii* 1833.

### ARGUMENTUM

Qui mercator non est, nec negociationi operam suam praestat, ob vulgatam famam decoctionis, non patitur damnum grave, quia boni nominis sarcitio, plurimi aestimatur, cum agitur de mercatore, parvi censenda est in casu, cum res sit de viro commercialibus negotiis parum intento.

#### SUMMARIUM

1. *De damnis in genere nequit amplius disceptari, postquam quis sponte sententiae, ex qua damna ipsa manabant, nuncium misit.*
2. *In damnorum refectione sunt sarciendi sumptus itinerum, et pro accepta faenebri pecunia.*

   *Ob vulgatam famam decoctionis, nullum debetur damnum, ubi agatur de viro non mercatore* - *ibidem.*
3. *Qui damnum infert damnum sarcire debet.*
4. *Damna extrinseca sunt reficienda, quamvis quis spolium passus fuerit ex Judicis Decreto.*
5. *Nullum discrimen adest inter damnum intrinsecum et extrinsecum, ubi quis tenetur* - a tutti i danni -.
6. *Judicii justitiam agnoscit, qui supplex subministrationem requirit.*
7. *Damna reficere debet nedum qui directe, sed etiam qui indirecte, et per interpositam personam causam iisdem praebuit.*

### DECISIO CCCCXXXVII.

A geminis mei Decisionibus, dierum 7 Aprilis, et 13 Junii 1826, et litis renunciationis in rem judicatam transactis, in primæva sua jura restitutus fuit Hyeronimus Cspoleoni, Patricius Anconitanus, qui inquam passus fuerat executionem super suis bonis ex concursus convocatione indicta a Tribunali Primæ actionis Anconæ, Redintegratus ab ipsa Rejudicata agit Hyeronimus de rationum redditione contra deputatum sui patrimonii administratorem: egit pro damnis contra creditores, qui ex indicto protopraxiæ judicio indebitæ concursus convocationis causam præbuere. De hisce damnis peculiariter rogatus fuit Noster Sacro Ordo, qui responsum dedit die 26 Novembris 1830 *Affirmative, et esse locum emendationi damnorum intrinsecorum tantum, et esse relaxandum mandatum in solidum in summa liquidanda contra Darium, Octavium, Petrum, et Raynerium.* Admissa hæc generica damnorum emendatio adprobata confestim fuit a creditoribus, qui evulgatam Decisionem in actis approbare solliciti fuere. Non item autem sentiit Hyeronimus, qui non intrinseca tantum sibi deberi, sed ad extrinseca damna etiam extendi oportere actionem ex passae injuriæ acerbitate mordicus contendebat. Quapropter, ex concesso novæ Audientiæ beneficia cum quæstio ad trutinam revocata esset, sub die 22 Martii proximo elapsi favorabile Hyeronimo prodiit responsum in *Decisis*, modo adjecto, scilicet, quod reficiendi forent sumptus itinerum, et usuræ pecuniæ a Hyeronimo fænori acceptæ. Justitiam postremæ hujusce Decisionis cum plene compererint Darius Gilius, Octavius Constantinius, et Petrus Mariottius, liti nuncium sponte mittentes, satius sibi duxere rem cum ipso Hyeronimo componere. Aliter autem sentiit vir Princeps Simonettius: ideoque reintegrato certamine, rursus hodie rogavi Patres = *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* = et retuli responsum = *In Decisis* =.

Et merito quidem: nam quod damna 1
in genere sint Hyeronimo reficienda ob injustam perpassam executionem, amplius in dubium revocari nequit, cum in Remjudicatam ob litis renunciationem a creditoribus sponte emissam, transiverint geminæ decisiones, quæ injustitiam Sententiæ Tribunalis Anco-

næ aperte demonstraverant. Deerant enim tres creditores, atque justa ac rationabilis canssam indicendi concursum, ideoque nullam, atque attentatoriam declarari oportuit exequutionem a Hyeronimo passam super suo patrimonio, qua odio et ac æmulatione compulsi creditores, fædere haud laudabili inito, hominem contra omnia Legum præcepta sua substantia expoliare, ab dominii exercitio excludere, et capite usque diminuere conati sunt. Sed Legum sanctitas cum vigilet, ne alteri ab altero iniqua inferatur conditio, et ne pessima hæc frandis, æmulationisque exempla in diem renoventur, Sacer Noster Ordo non solum dolorum fuisse decoctionis judicium declaravit, sed damnorum sarcitionem Hieronymo tribuendam esse definivit, ut exploratum faciunt memoratæ duo Decisiones ab ipsis creditoribus solemniter agnitæ, qui in genere demandatæ damnorum refectioni sese subjecerunt.

2 Cum autem videndum esset de damnis in specie, recte constituit primæ Caussæ Decisio Capolconio esse reficienda damna, quæ ei supervenerant ob devastationem domesticæ suppellectilis, ob neglectam culturam agrorum, ob reparationes aut omissas, aut non bene factas, ob male gestam administrationem, ob sumptus denique litis, quos ipse tulit, ut possessionem suarum rerum recuperaret. Denegavit autem expetitam damnorum refectionem circa sumptus itinerum, ac foenebris pecuniæ, qua indiguit; constituitque denique nihil Hieronymo deberi pro imminuta sua æstimatione ex publicata decoctione. Sed postquam expostulanti Hyeronimo impertita rursus fuit obloquendi venia, facillime viderunt PP. admittendam quoque esse sarcitionem pro itinerum sumptibus, et pro accepta foenebri pecunia, excepta petita compensatione pro boni nominis jactura. Quoad hanc animadverterunt nullum damnum Hyeronimo obvenire potuisse ob vulgatam famam decoctionis. Ipse enim mercator non erat, nec negociationi operam suam præstabat, ita ut ob ipsius decoctionis rumorem damnum irreparabile pati posset boni nominis sarcitio, qua plurimi æstimatur, cum agitur de mercatore, quia a publica opinione moderatur commercium, parvi censenda erat in casu, cum res esset de viro Patricio, commercialibus negotiis minime intento, qui ex indicto creditorum concursu si pro homine inclinatæ fortunæ habebatur, plenissimam obtinuit reparationem ex Rejudicata, quæ Anconitanam Sententiam injustam declaravit, atque irritavit concursus convocationem, uti ex dolo, et machinatione creditorum ortam. Reparato ita bono nomine, atque æxtimatione viri, nulla proinde hoc titulo ei debetur reparatio, cum in facto minime probentur damna, pro quibus Hieronymus sarcitionem requirit.

Non item sentiendum erat, quod alia 3 duo capita, scilicet pro sumptibus itinerum, atque pro fænebri recepta pecunia, ex quibus Hieronymo obvenit verum, ac realem damnum. Certum enim est, atque in facto probatissimum, quod Hieronymus personali mandato cum persequeretur a creditoribus, ne promotæ actioni assentire deberet, nec in carcerem detrudi vellet, fugam ab Ancona necessario arripere debuit, ac Romam convolare, ut melius posset suæ defensioni providere. Omnibus suis bonis (ac fortunis orbatus, cum propriæ alimoniæ, et Causæ sumptibus aliter consulere nequiret, fænebrem pecuniam quærere debuit. Quæ damna cum originem habeant a concursu injuste a creditoribus convocato, ab eisdem refici debent, cum in Jure certum sit, quod qui damnum dat, damnum sarcire debeat.

Nequicquam autem ad evitandam 4 hanc damnorum emendationem objicitur spolium factum fuisse ex Judicis decreto, non ex privata voluntate ideoque damna tantum intrinsecen esse reficienda, non extrinseca, ad quæ creditores referunt expetitas expensas itinerum, et usuras pecuniæ, et quæ in calculo haberi tantum solent in severiori purgandi methodo, quæ dicitur *per viam vigorosam*. Sed PP. animadvertebant vanam, inutilemque prorsus

esso controversiam super damnorum indole, atque qualitate, statim ac a S. Nostro Ordine generice jussa fuerat refectio illorum damnorum, quæ inter necessario recensivit etiam sumptus itinerum, atque usuras pecuniæ, quæ impensæ certo certius Hieronymo non obventuræ fuissent; si creditores contra ipsum subdole non obtinuissent Anconitanam Sententiam, cujus injustitiam ipsi quoque, emissa liti renunciatione, agnoverunt, proindeque ad pedissequam damnorum omnium emendationem sese obligarunt.

5 Quod autem debeatur hæc emendatio, colligitur etiam ex natura ipsius judicii. Creditores enim, = *previa riassunzione* = prioris instantiæ inceptum judicium prosequi cum voluerint, quamvis Capolconius solemni ritu protestatus fuerit = *espressamente di tutti li danni, e preg'udizj* =, tacite ideo promiserunt damna omnia se victori refecturos, si Causa caderent. At, cum editæ Decisiones, emissaque litis renunciatio minime dubitari sinant, quod victor e judicio dicesserit Hieronymus, is itaque jure, meritoque ex quasi contractu victos creditores pulsat ad damnorum emendationem, ad quam indiscriminatim ipsi tenentur, nullo habito respectu, si intrinseca, vel extrinseca sint, semelac probetur omnia eamdem causam ducere ex passo spolio.

6 Nec hujusce definitionis justitia imminuitur objiciendo necessariam non fuisse Hieronymo fugam arripere, cum carceris periculum facile vitare potuisset si suorum bonorum notulam Judici exhibuisset, sicuti nec necessarium ei fuisse pecuniam sub fœnere accipere, cum subministrationem a Judice concursus petere posset, nec ea denegari poterat, cum ipsius alimoniæ inservire debuisset. Etenim hæc omnia facillime corruere deprehendebant Patres Mei, quum animadverterent Hieronymum se abstinere omnino debuisse a quolibet actu, quo admisisset, vel saltem approbasset indictam, concursus convocationem. Ipse certe promotæ actioni indirecte assentisset, si Judicis Decreto parens, in actis expetitam bonorum notulam exhibuisset; sicuti judicii justitiam agnovisset, si supplex subministrationem requisivisset, ut suæ defensionis necessitatibus occurrere posset. Bene recteque igitur se gessit Hieronymus, dum opportuna protestatione agentes creditores in mala fide posuit, qui nihilominus provocatum judicium usque ad exitum cum prosequuti sint, merito damnantur ad refectionem illorum damnorum, quibus causam præbuere illo judicio.

Melius autem animo divexandi Hieronymum, quam caussæ, inservit postrema exceptio viri Principis Simonetti, qui a cæteris creditoribus, cum quibus injustum eoiverat fœdus, derelictus solus in bodierno certamine dimicabat, jugiter conclamans se concursui caussam minime præbuisse, proindeque non teneri ad damnorum emendationem. Sed hoc veritati prorsus repugnabat, quia in facto compertissimum est inter creditores, qui concursus judicium instituerunt, et ipsum Principem Raynerium recenseri. Si ipse prima vice in judicium haud venit, probatissimum tamen est, eodem judicio rursus instaurato ipsum per interpositam personam comparuisse, et sub larvato Maggii nomine certissimum est pugnasse usque ad ipsius judicii exitum. Hujus rei luculentissimum præbet idem Princeps probationem, cum obstrinxerit ipsum Maggium ad relevationem a molestiis, quas eidem intulisset Capolconius. Hoc factum evidentissime commonstrabat rei veritatem, ita ut nullum nunc adesse possit dubium, quin vir Princeps teneatur ad demandatam damnorum emendationem, quorum Princeps causa et ipse fuit. Nam si ad ipsa teneri haud voluisset, abstinendum ei erat ab ulla judicii prosequutione, postquam Judex Primæ actionis Anconæ decreverat nullum fuisse convocatum concursum. Sed cum Raynerius novo initio foedere curaverit ipsum judicium renovare, et in certamine victus discesserit, reficere necessario debet damna, quibus indirecte vel per interpositam personam caussam præbuit, et hæc damna quoad sumptus itinerum, limitari haud possunt ad quæ 7

Digitized by Google

in ipsis itineribus impenderit Hieronymus, sed ad pecuniam quoque extendi debent quum reapse Romæ impendit, et quam Anconæ non impendisset, si in suis laribus tranquille fuisset immoratus, et fugam arripere, ac Romam aufugere ab immani creditorum impetu coactus non fuisset *ad Text. in leg.* 79 *ff de Judiciis*: *Rota* in *Romana Pecuniaria super damnis*, *et interesse* 26 *Junii* 1801 § *fin. coram Bardaxi*; *et in Spoletana Manutentionis super expensis* 1 *Junii* 1820 *num.* 6 *coram Me.*

Et ita videntibus Quinto, et Sexto, me quoque suffragante, decisum fuit, utraque etc.

---

# CAMERINENSIS

## REDUCTIONIS CANONUM

*Lunae* 18 *Martii* 1833.

## ARGUMENTUM

Damnum, quod in emptione venditione contigit, semel accidit tantum; in emphyteusi vero, quae in perpetuum, aut ad multos annos protrahitur, occurrit singulis annis, quamdiu consistit ipsa emphyteusis. Proinde laesio commensuranda est non ex uno anno, sed ex omnibus annis, quibus contractus perdurat.

### SUMMARIUM

1. *Toties locus est imminutioni canonis, quoties certum sit fructus emphyteusis impares esse canoni repraesentando.*
2. *In emphyteusi, si fructus sint infra canonem, deficit ipsa res, quae in contractum deducitur, nempe utile dominium.*
3. *In contractibus successivis laesio commensuranda est non ex uno, sed ex omnibus annis, quibus contractus perdurat.*

   *Maximum discrimen intercedit inter emphyteusim, et contractum emptionis venditionis, quoad laesionem - ibidem. -*
4. *Lex voluit in contractibus fiscalibus observari privilegia addictionis in diem, ac post auctum vigesimam vetuit novam fieri auctionem, nisi hae aequalis foret sextae parti pretii.*
5. *Constitutio Benedectina nedum porrigitur ad contractus Fisci, sed etiam ad contractus ecclesiasticos.*
6. *Peritus omnem fidem sibi vindicat, si ob ipsius relatione provocatio nunquam fuerit interposito.*
7. *Canon in contractu emphyteusis vicem gerit pretii utilis dominii.*

   *Fructus ubi vestiunt naturam capitalis sive bona, sive mala fide percipiantur, semper in restitutionem veniunt - ibidem. -*

## DECISIO CCCCXXXVIII.

Hospitale Pietatis Camertinum in Picæni jam ab anno 1788 agricolis fratribus Perugini dederat in emphyteusim ad tertiam generationem duraturam, prædia, tum rustica, tum urbana, quæ olim spectantia ab Abbatiam sub invocatione Deiparæ = *a piè di Cheinti* =, modo ad idem Xenodochium pertinebant. Emphytheutica bona vix referebant *scuta quingenta et mille* in singulis annis, sed canon constitutus in scutis *quinquaginta* super *bismille et quingenta*, adjectumque præterea quod vectigalia, et publica onera ab Emphytheutis pro rata commodi sustineri debuissent, quæ deinde anno 1707 nulla ex causa ad duas ex quinque vectigalium partibus evehitur. Verum fructus qui ex emphitheuticis prædiis percipiebantur, nimium erant infra conventum canonem, proindeque fratres Perugini unoquoque anno magis impares fiebant ad eumdem persolvendum. Res eo venerat ut apparitores unoquoque semestri, quum tempus solutionis advenisset, raperent fructus vix rollectos, et a moderatoribus Xenodochii institutum fuerit contra emphytheutas judicium devolutionis coram Vicario Generali Camerinensi. Tum Judex, excipientibus Perugini, quod imputandum foret in causam canonum quidquid vectigalium nomine pro rata commodi persolverant deputavit virum peritum, qui retulit canonem immoderatissimum esse, fructusque prædiorum longissime excedere.

Victi tamen in judicio solutionis canonum fratres Perugini novum judicium instituerunt pro reductione canonis ad æqualitatem. Causæ cognitione commissa Sacro Nostro Ordini ab Auditoro Sanctissimi, disputatum est inter Peruginos ac Xenodochium dubium



Digitized by Google

*An, et quo tempore et in qua summa sit locus reductioni canonum ad æqualitatem* = Placuit Partibus primum definitionem rei differre, et exquirere judicium periti, qui referret de valore bonorum = *habito respectu ad epocham contractus, et quoad fructus ad decennium* = Quum peritus delectus in relatione sua constituisset fructus prædiorum impares esse canoni imposito, Patres reductionem admiserunt, respondentes in Comitiis diei 27 Junii 1831 R. P. D. Meo Zacchia sententiam Sacri Ordinis exquirenti = *Affirmative in omnibus a die motæ litis, et in summa scutorum* 277 10. Facto novo periculo Patres in Conventu 24 Februarii 1832 steterunt = *In decisis juxta modum in decisione exprimendum* = Modus autem fuit = *ut quoad datia Cameralia haberetur respectus ad epocham contractus, quoad vero fructus ad recursum Sacrae Congregationis Episcoporum, et Regularium* = ampliaruntque reductionem ad scuta 438 189. Quum tertio audiri obtinuissent Xenodochii Curatores in Comitiis 4 Junii 1832 rejecti sunt, dato responso iterum = *in decisis* = prolataque inde fuit ad normam secundæ et tertiæ decisionis sententia Rotalis. Ab hac provocantibus Hospitalis Curatoribus mihi datum est tralatitia dubii formula exquirere DD. Meos « *An Sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu etc.* Qui rejecta dilatione petita ab iisdem Curatoribus, responderunt incunctanter « *pro informationibus* » hoc est « *Sententiam Rotalem esse confirmandam.*

1 Confirmari profecto merebatur sententia Rotalis, qua constitutum fuerat reducendum esse ad æqualitatem canonem conventum in scutis *quinquaginta supra bismille, et quingenta* pro prædiis, quæ fratres Perugini, emphytheutici contractus titulo, a Xenodochio Camerinensi receperunt. In hæc enim quæstione Juris duæ obtinuerunt in Foro Doctorum opiniones secum invicem repugnantes. Quidam scilicet severiores; nullum discrimen constituentes, inter contractus emphytheuticarios et emptionis venditionis, eadem regula eosdem dijudicandos censuerunt, proindeque locum non esse reductioni Canonis ad æqualitatem, nisi constaret fructus fundi emphytheutici, nec dimidium quidem attingere canonis solvendi. Alii vero docuerunt toties locum esse debere imminutioni canonis, quoties certum sit fructus emphytheusis impares esse canoni repræsentando. Postremam hanc sententiam, quam primus tradidit *Bartholus ad leg.* 1 *Cod. de jure emphytheutico*, quamque receptam in communi Fori usu docent *Peregrinus Cons.* 74 *num.* 2 *Cavedonius de Canon. Emphytheutic. cons.* 7 *quæst.* 8 *num.* 12 *et* 13 *Zaneh. de Lœs. part.* 2 *Cap.* 8 *num.* 94 *et* 95 ob æquitatem magis retinendam esse censuit Sacer Noster Ordo, ut patet ex Voto Rotali, quod extat *cor. Emerix. dec.* 1130. Nec quidquam prodesse Hospitalis Curatoribus potest quod Noster Sacer Ordo deinde descriverit ab iis, quæ in Voto statuerat. Non enim id evenit quia principium juris ante statutum, sed quia constabat in facto canonem haud excedere fructus prædiorum, proindeque deficiebat ratio implorandi Theoricam Bartholi. Idem profecto dicendum de Sacri Nostri Ordinis *decis. in Romana Associat.* 5 *Junii* 1771 *cor. Origo et in Confirmat.* 11 *Maii* 1772 *cor. Ratta*, et aliis decisionibus, quæ a Xenodochii defensoribus aggerebantur, in quibus si rejecta fuit Theorica Bartholi id evenit, quia canon conventus omnino minor erat fructibus.

Cæterum sapienter a Bartholo, et ab iis, qui eumdem sequuti sunt, diversa subducendæ læsionis methodus statuta est in contractibus emphytheuticis, ac in emptione et venditione, in qua non aliter læso soccurritur, quam si ultra semissem, minus justo pretio solutum fuerit. Siquidem, utcumque læsionis labe inquinetur emptionis, venditionis contractus, tamen remanet, quod in contractu deducitur, et traditur emptori. Contra in emphyteusi, si fructus sint infra canonem, deficit ipsa res, quæ in contractum deducitur, nempe utile dominium; et ita emphytheusis, quæ ad meliorandam conditionem suam sæ- 2

pius contrahitur, occasio fieret atque instrumentum eversionis patrimonii, et dominus directus cum dispendio et jactura tantum emphyteutæ ditesceret, quod esset durissimum ut advertit dict. *decis. cor. Emerix. n.* 44 *et* 45 *et Rot. in Cæsenoten. Bonorum* 20 *Februarii* 1728 §. *Cæterum facta est et seqq. cor. Aldrovando, in Confirmatoria diei* 31 *Januarii* 1829 §. *Assequenda, in alia decis.* 27 *Junii ejusdem anni* §. *Potissimum cor. Millino, ac demum in altera Confirmat.* 11 *Decembris* 1730 § *et licet cor. Resta.*

3 Præterea damnum, quod in emptione contigit, semel accidit tantum; in emphytheusi vero, quæ in perpetuum, aut ad multos annos protrahitur, recurrit singulis annis, quamdiu consistit ipsa emphytheusis. Proinde læsio ultra dimidiam, quam exigunt severiores Juris interpretes ad canonem imminuendum, si uno anno non existit, ad esse temporis spatio potest, quia in contractibus successivis læsio commensuranda est non ex uno anno, sed ex omnibus annis, quibus læsio repetitur, et contractus perdurat, ad monita per Rotam *in Cæsenaten. Bonorum* 20 *Februarii* 1718 §. *Cæterum facta, et seqq. coram Aldrovando; in Confirmatorio* 31 *Januarii* 1720 §. *Assequenda; et in alia diei* 27 *Junii ejusdem anni* §. *Potentissimum coram Millino; et in alia* 11 *Decembris* §. *Potissimum coram Ratta.* Maximum itaque discrimen intercedit inter emphytheusim et contractum emptionis venditionis, ideoque Juris ratio repugnat ut in contractibus inter se, saltem quoad effectus, repugnantes, eadem mensura læsio dimetiatur. Atque id eo præsertim, quia, quum fructus sunt infra canonem, enormissima læsio emphyteutæ impingitur. Multa enim onera, multa pericula in se hic recipit, quin quidquam acquirat vicissim, proindeque læsio est de nihilo ad totum, quæ tunc habetur quum ex una parte datur aliquid, et ex alia nihil præstatur, quæque obinde ad summum apicem enormissimæ pervenit, ut notat Noster Sacer Ordo *in Decis. Amerina Transactionis* 17 *Junii* 1725 §. *Nihil coram Aldrovando.*

Nec meliori omine a defensoribus 4 Xenodochii adducebatur Constitutio Summi Pontificis Benedicti XIV diei 22 Novembris 1742 in qua leges impositæ sunt contractibus Fiscalibus, quæque ad contractus Ecclesiæ, Piorumque Locorum translata deinde fuit, ut monet *Constant. Addit. Posth. num.* 622 *et seqq.* Siquidem Sacratissimus Princeps voluit in contractibus Fiscalibus observari privilegia addictionis in diem, ac post auctam vigesimam vetuit novam fieri auctionem, nisi hæc æqualis foret sextæ parti pretii. Hoc in casu jussit Fiscum, vel læsionis titulo, gaudere beneficio « *della restituzione in integrum qual beneficio compete al Fisco, ancorchè l' Appaltatore abbia preso, e si trovi in possesso della cosa locata* ». Verum tribus elapsis mensibus, sancivit Immortalis Pontifex, quod locus amplius non esset « *alla rescissione del Contratto, ma quello debba restar fermo ed irrevocabile per tutto il tempo convenuto, e secondo la forma, e patti concordati nella deliberazione, e solamente alla Camera rimanga salvo il diritto d' impugnare il contratto di lesione ultra dimidiam, quatenus de jure senza alcuna determinazione di tempo.*

Exinde arguebant, qui Xenodochii jura protuebantur, locum esse non posse læsioni a Bartholo invectæ, quia in contractibus Ecclesiasticis, qui Fiscalibus comparantur, post trium mensium spatium læsio ultra dimidiam tantummodo vires exerit suas. Ast animadvertebant Patres censuram Constitutionis referri solum ad contractus locationis conductionis, proindeque extendi haud posse ad contractus emphyteuticarios. Devium ergo erat ab jure eamdem porrigere ad æquitatem Bartholi, quæ in hisce viget; vel constituere quod Ponficia Lege sublata fuerit, ex eo quod omnis læsio in contractibus locationis, et conductionis, præter illam ultra dimidiam, e medio sit erepta. Proinde censebant ipsam adhuc obtinere in contractibus emphyteuticariis Fisci, et idcirco etiam in Ecclesiasticis, ad quos Benedictina Constitutio porrigitur. 5

6 Quod autem in proposita specie locus foret æquitati Bartholi apertissime evincebatur ex eo, quod fructus prædiorum constitutum annuum canonem excederent. Id siquidem constabat concordi duorum peritorum judicio, quorum alter Nicolardius a Judice Firmano, alter Gabrielli a Nostro Sacro Ordine deputatus, utrique in hoc consenserant, quorum postremus ideo majorem sibi vindicat fidem, quia Xenodochii Curatores numquam ab ipsius relatione provocationem interposuerunt Quod sane Curatorum silentium exinde etiam demonstrabat fructus nunquam ad conventum canonem assurexisse, quia quum apud se servent libros administrationis, profecto conati fuissent horumce demonstratione contrarium evincere. Id quum non fecerint, indicium sane praebebant se conscientia muli juris tacuisse; quod sano judicium in certitudinem abibat, inspecta relatione administrationis gestae a Canonico Rossetti. Hic enim, quum administrationem retinuisset Xenodochii, edidit deinde rationes sub anno 1784, ex quibus evincitur praedia in emphytheusim concessa numquam in singulis annis retulisse, detractis vectigalibus, et oneribus, plus quam scuta 1962 41 4.

7 Constituto quod canon sit reducendus ad aequalitatem, confirmanda quoque videbatur Sententia Rotalis in reductione ab cadem constituta in scutis 438 18 9, pru ea scilicet summa in qua fructus canonem conventum exsuperant. Hinc itaque prono veluti alveo fluebat, a quo tempore incohanda foret reductio, quam a reductione implorata apud Congregationem Episcoporum et Regularium initium sumere sancitum fuerat. In hanc sententiam ventum fuerat quia fuit putatum exinde incepisse malam Xenodochii fidem, proindeque quidquid ante fuerat ab eo perceptum restituendum non esse, veluti bona absumptum fide. Ast ulterius inquirentes DD. Mei animadverterunt canonem in contractu emphytheusis non aliam vicem gerere, quam pretii, quorum utile dominium cocmitur. Inde, quum fratres Perugini non agant de reposcendis fructibus, sed de reposcendo pretio, quod non uti fructus, sed ut capitalo reposcitur, loqui profecto nequibat de bona, aut mala fide, quia fructus ubi vestiunt naturam capitalis sive bona sive mala fide percipiantur, semper in restitutionem veniunt, ut monet Romana in *Verulana Immissionis quoad fructus* 31 *Maii* 1737 § *Animadverterent coram Calcagnino.* Idcirco amqliandam Sententiam Rotalem reductionemque incohandam a die initi contractus judicabant.

Et ita, altera tantum etc. Me quoque ex novissimis Legibus suffragante, decisum est.

---

## CIVITATIS PLEBIS

### ASSOCIATIONIS

*Lunae* 10. *Junii* 1833.

### ARGUMENTUM

Habes in superiori quae confirmatur - DECISIO CCCCXIX. -

SUMMARIUM

*1. Res judicata quas liberam emptori tribuit venditi praedii possesionem, non siuit, quod ulla sxcitari posset aciio contra ipsius possessorem.*

*Defectus hypothecarias inscriptionis quoad fructus obicem parut agenti ad petita assequendam associationem - ibiem. -*

*2. Cuique, qui de mandats Judicis solvit, tribui debet plenissima securitas, ut a nemins in posterum inquieteiur.*

*3 Ad liberandum praedium ab hypothecarum nexu nequaquam in jure requiritur, quod omaes hypothecarii creditors solutione dimittaatur, sed satis, ut intra ipsius pretii measuram, qui potiorss, prioresque sunt, pecuniam obtiasant.*

*Nec paululum potest deflecti ex facti circumstantiis, quas posuit res judicata - ibid. -*

*4. Firmata emptionis validitate, sequitur, libsram praedii possessionem transirs in ementsm dsbere.*

*5. Rei judicatas vires obitsr, vel iacidenter everti vel labefactari non possunt.*

6. *Nullum jus, nisi privilegiatum, potest contra tertium possessorem experiri, nisi prius illud legitime inscriptum probetur.*
7. *Leonina Reformatio fructus triennii in inscriptione capitis omnino contineri voluit.*
8. *Concedi nunquam debet associatio, nisi evidenter constet ex certa ac liquida fructuum summa, ut cognosci valeat tempus pro quo debet remedium associationis adhiberi.*
9. *Formulae a legibus praescribuntur in casu, quo simplex emptor et non adjucatarius, divenditum praedium purgare, et exemptum reddere velit a praeexistentibus oneribus.*
10. *Si in judicio graduationis, vitiosam fuisse constat pecuniae distributionem, in congruo et separato judicio actio experiri debet adversus eos creditores, qui pretium exegerunt.*

## DECISIO CCCCXXXIX.

Ut ab uno alteroque cambii debito, quibus premebatur erga Aloysium Dini, se liberaret Perusinus Anastasius Fratini, verbalem cum eo anno 1802 iniit venditionem prædii in Vocabulo « *la Gondiola* », quæ super usque ab anno 1798 favore Seminarii Episcopalis Civitatis Plebis ipse Anastasius censum imposuerat scutatorum *mille quadringentorum* papyraceæ monetæ, imminutum deinde ad argenteos nummos *septingentos quinquaginta sex*, ob factam reductionem, prout imperaverant Leges vigentes tunc temporis. Ignarus emptor Aloysius ipsius census oneris, cum res versaretur inter amicos ac propinquos, empti prædii possessionem adeptus est, quin ullam expleret emptionis stipulationem, vel census creditorem certiorem faceret de inito contractu, vel vendenti Anastasio numeraret pretii discrimen; quod supererat post concreditæ sibi pecuniæ reintegrationem. Ac accidit vero, quod Fratinius interea ære alieno undique oppressus, foro cedere debuerit. Tributorium igitur judicium indictum fuit a creditoribus apud Præsidem Oppidi Plebani, quem privativum concursus Judicem deputari a Sanctissimo Principe jam obtinuerat decoctus Anastasius. Præsente itaque inter cæteros Seminario, ac ejus jura defendente Canonico Orlandi illius administratore, graduatoria prolata fuit sententia, a qua præ primis legitima renunciata fuit venditio prædii « *la Gondiola* », verbo tenus inita inter Fratinium, et Dinium lege tamen huic data, ut ad publicum Instrumentum eamdem venditionem redigeret. Gradum deinde Judex tribuens instantibus creditoribus, posteram adsignavit sedem Seminario pro præcitato census capite, « *et pro fructibus decursis, et non solutis, et decurrendis usque ad effectivam solutionem* », pro quibus vero eidem quælibet deficiebat hypothecaria inscriptio. Cum ab hac Sententia nemo provocaverit, perfectissima proinde orta est res Judicata, vi cujus Aloysius Dini processit ad demandatam instrumenti emptionis venditionisque confectionem, præsente, et stipulante Alphonso Brixi « *curatore legitimo deputato al patrimonio del Sig. Anastasio Fratini, ceduto a favore dei creditori* ».

Interea Venerab. Seminarium, cum perspexisset ex decocti debitoris patrimonio nil superesse, quod in sui crediti extinctionem verti posset, censuit posse molestias retorquere contra censiti prædii possessorem, postulans ad eumdem fundum associationem, ut de fructibus non solutis satisfieret. Datis ideo precibus Sanctæ Mem. Leonis XII, ipsius Seminarii Administrator sanari vitium obtinuit, quod ex defectu non numeratæ pecuniæ inter stipulandum in census contractum irrepserat, et impetravit quoque, quod associationis quæstio contra Dinium promovenda Sac. Nostro Ordini committeretur sub lege judicium absolvendi « *prævis duabus Decisionibus, Videntibus omnibus DOMINIS, et appellatione remota* ». Proposita itaque causa in Comitiis diei 18 Aprilis anni 1831 sub concinnata dubii formula « *An sit locus Associationi, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* », in contumacia Aloysii editum fuit Rescriptum « *Affirmative, et esse relaxandum mandatum* », quod confirmatum fuit die *decimanona* insequentis Junii, vadimonium iterum deserente eodem Aloysio. Sed hic tandem cum sua jura deducere valuerit, repente judicii alea immutata est, nam in veriori

Digitized by Google

factorum expositione Patres recedere a suscepta sententia haud hæsitarunt, dato in Comitis *diei* 3 *Februarii* superioris anni responso « *Recedendum a Decisis* ». Sed super hujusce rescripti viribus novum experiri periculum in votis Seminarii cum fuerit, ob veniam rursus obloquendi eidem concessam, PP. Meos iterum hac mane rogavi sub assueta dubii formula « *An sit standum in primo, et secundo, vel potius in tertio loco Decisis in casu etc.* « et responsum retuli « *In tertio loco decisis* ».

1 Duplex æque invictum concurrebat argumentum, ex quo PP. mei in suscepta sententia persistere omnino deberent. Unum desumebatur a re judicata, quæ liberam emptori tribuens venditi prædii possessionem, minime sinebat, quod ulla exritari posset actio contra ipsius possessorem. Alterum autem defluebat ab hypothecariæ inscriptionis quoad fructus defectu, qui insuperabilem agenti Seminario obicem parabat ad petitam assequendam associationem. Et revera, quod liberum, atque ab omni onere solutum transiverit in ementem Aloysium venditum prædium « *la Gondiola* » planissimam rem efficiebat memorata sententia graduatoria Præsidis Oppidi Plebani a creditoribus Anastasii prumota. Hæc apertissimis verbis cum cogooverit rite antea avulsum fuisse a debitoris patrimonio idem prædium, hujusce emptionem legitime a Dinio expletam fuisse iterum et solemniter renunciavit, adprobavitque, peculiarem insuper designans modum; quo emptor Aloysius residuam statuti pretii quantitatem distribuere deberet, inter præsentes, et non contradicentes Anastasii creditores, quos inter adnumerabatur quoque et idem Ven. Seminarium. Constitutus enim ipsius procurator Canonicus Orlandi, coram Judice concursus non solum contra prædii venditionem aliquid deducere haud valuit, sed ne quidem post latam Sententiam ab hac gravatum se persensit quoad reclamatam suorum jurium potioritatem, cum ex intermissa appellatione in rem Judicatam abire illam permiserit, implicite perinde confitens Seminarii jura nequidquam imminuta fuisse ab eadem sententia, contra quam inciviliter, ac intempestive idipsum Seminarium hodie consurgit.

Nec ad imminuendam venditionis firmitatem objici valet, quod Aloysius prædium emerit multo ante indictum concursum; nam contra adest judiciaria ipsius venditionis ratihabitio, quæ importat, quod, etsi privative antea conciliata fuerit ipsa venditio, hodie ea censeri debet, ut inita ex officio Judicis concursus, ita ut amplius in discrimen revocari nequeat, cum præsidio semper ei sit præcitata resjudicata, quæ legitimam, et non convellendam constituit illam venditionem. Nec a materiali tantummodo rei judicatæ existentia probaretur nullam posse competere actionem contra legitimum prædii possessorem; nam momentosissimum alteram accedebat factum, nempe quod præstitutum prætium Anastasii creditoribus solutum fuerit ab Aloysio de mandato ipsius Judicis concursus. In proposito est enim præmonendum quod de tempore venditionis Dinius empti prædii integram assequi valuisset liberationem, si, citatis omnibus interesse habentibus, pretium distribuisset inter priores potioresque creditores. Quod ipse cum tunc omiserit, ad nil aliud proinde ipse tenebatur juxta inductarum Legum præscriptum, quam pretium ipsum deponere sub banca Judicis, ut de mandato ipsius, et non ex proprio arbitrio inter creditores distribueretur. Cum igitur Judex modum præstituerit dirimendi ipsum pretium inter creditores, et cum Aloysius Judicis mandato paruerit, necessario consequi oportuit; quod libera, ac ab omni onere dissoluta in eum transire debuerit empti prædii possessio. Cuique enim, qui de mandato Judicis solvit, tribui debet *plenissima securitas*, *ut nemo in posterum inquietetur* ut docet *Text. in Leg.* 25 *Cod, de Administrat. Tutorum*; quin relevet, quod, vel minor fuerit ille, cui solutum fuerit *Leg.* 7 § 1 *ff de Minor.* 25 *ann.* vel sit creditor posterior, prout in casu a Seminario præsumitur; nam semper firma, et legiti- 2

ma haberi oportebit facta solutio, nec emptor timere debebit molestias anteriorum creditorum *Salgad. Laberynt. credit. Part.* 3 *Cap.* 9 § 20; *et S. Rota in Decis.* 1934 *n.* 5 *cor. Coccino*, *Decis.* 343 *n.* 1 *part.* 1 *Recent.*, *et alibi passim*; ex præcipua ratione; quod Judici potius, qui jussit, quam emptori, qui solvendo Judicis mandato paruit, imputandum sit, si minus recte inter creditores distributa fuerit pecunia; prout perbelle animadvertit *Faber. ad Cod. in lib.* 8 *tit.* 17 *Definit.* 19.

3 Merito igitur, hanc juris præscriptionem PP. mei sectantes, perspiciebant, quam incivile foret in præsenti caussa disquisitionem excitari, an creditores, hypothecaria inscriptione pollentes super fundo vendito, dimissi fuerint, et quis ex iis, uti potior, ut solutione præferendus esset. Nam ad liberandum prædium ab hypothecarum nexu nequaquam in jure requiritur, quod omnes hypothecarii creditores solutione dimittantur, sed satis est, ut intra ipsius pretii mensuram, qui potiores, prioresque sunt, pecuniam obtineant. Ne certe Seminarium, quod potioritatem sui crediti hodie proponit rite tunc petere valuisset, quod emptor Aloysius sullicitus esse deberet de gradu creditorum. Id enim unice spectabat ad Judicem concursus, et si hic peculiares uniuscumque gradus minus recte cognovit, ab ejus sententia provocare debebat Seminarium, et instare tenebatur apud Judicem, ad quem ut utilior sedes sibi adsignaretur. Sed editæ Sententiæ justitiam cum idem Seminarium agnoverit, et cum, ob omissam appellationem efficitur, quod licitum ei amplius esse nequeat aliud obmussitare circa id, quod constitutum reperiatur in ipsa Sententia, nam agenti Seminario super opponi rite potest resjudicata, post quam nihil quæri potest, *Leg.* 1 *Cod. de re Jud.* donec ope restitutionis in integrum sublata ea non sit. Hæc enim *pro veritate habetur ad Text. in Leg.* 36 *ff de re Judic.* Nec diversimode licet definire cum justitia et notissimae Fori Jurisque regulæ minime permittant, quod ne paululum possit deflecti a facti circumstantiis, quas posuit res Judicata prout monet *S. Rota in Romana Pecuniaria* 22 *Junii* 1808 *coram Emo Isoard, in Civitatis Castelli super Immissione* 11 *Decembris* 1807 § *ult. cor. Cesarei, in Romana Pecuniaria super cauthela Angeli* 11 *Martii* 1808§ 4 *cor. Resta. et pressius in Romana, seu Terracinen, Damnorum super liquidatione* 10 *Jun.* 1833 § 5 *cor. R. P. D. meo De Retz.*

Firmata itaque emptionis validitate, ex necessitate consequi oportebat, quod libera venditi prædii possessio transire debuerit in ementem Aloysium, contra quem ideo inutiliter, ob memoratæ rei judicatæ impedimentum, Seminarium agere cupit, quælibet possit esse actio, qua in præsens uti idipsum valeat ad vindicandam suorum jurium potioritatem. Nec diversa utique efficeretur Aloysii conditio, etsi Seminarium in integrum restitui obtineret. Indultum hoc extraordinarium beneficium, etsi editae rei judicatæ injustitiam evinceret, nequidquam vero demonstrare valeret, quod emptor non legitime adeptus sit empti prædii possessionem, vel ejus dominium a se dimittere teneatur, sed impertito illo beneficiu tantummodo oriretur Seminario jus petendi contra dimissos creditores receptæ pecuniæ reportationem apud Judicem concursus, ut de ea æquior juxta jura neviter deducta expleretur inter creditores distributio. Ad id assequendum præcipue tendit obligatio de repurtando pecunia, quæ in pretii partitione exigitur a dimissis creditoribus, minime vero a solvente emptore, qui statim ac juxta Judicis præceptum protium solvit, integram assequi valet suam liberationem, prout superius innuimus § 4. 4

Si vero ex rationibus huc usque deductis satis aperte scatet nullam in genere posse promoveri actionem contra ementem Aloysium, multo magis in specie non admittenda videbatur associationis instantia a Ven. Seminario promota ad assequendam fructuum solutionem. Nam si petita associatio locum in casu habere posset, amplius tunc in pacifica empti predii fruitione 5

versari nequiret emptor Aloysius, et oblique eversa esset memorata rejudicata contra Legum omnium præscriptum, cum neminem lateat reijudicatæ vires obiter, vel incidenter everti vel labefactari non posse *Leg.* 1 *Cod. Quando Appell. non necess. Rota cor. Falconerio decis.* 21 *n.* 10 *tit. de inventar. Decis. Tyburtina Confinium* 3 *Julii* 1771 § 3 *cor. de Veri*, et cum actionum diversitas nullo sit in numero habenda, et naturali præscriptione quod quid una via prohibeatur alicui, ad id is alia via non debeat admitti. Qua de re minime sinendum videbatur quod Seminarium indirecte, reijudicatæ momentis in discrimen adductis ad interdictam emptionis oppugnationem alia via pervenire posset, docente ipsa S. Rota *in Decis. Romana, seu Portuen, Remotionis Fovei* 8 *Aprilis* 1786 § 2 *coram Rmo Consalvi, Romana Damnorum* 22 *Feb.* 1826 *cor. R. P. D. Pianetti Episcopo Viterbien.*

6 Nihilominus, si paulis per despectam ipsam remjudicatam habere placeat, non ex hoc utique consequeretur quod legitime admitti posset contra Aloysium, tertium censiti prædii possessorem, propositum Associationis remedium. Neminem enim hodie in Foro latet compertissimum illud Juris principium, quod ex vigentibus nuperrimis hypothecariis Legibus nullum jus, etsi privilegiatum, possit consistere, et contra tertium possessorem experiri, nisi prius illud legitime inscriptum probetur, quacumque despecta distinctione inter capitis et fructuum creditum. At hypothecaria hæc inscriptio prorsus desiderabatur quoad fructus, pro quorum solutione, associationem ad censiti prædi possessionem urgebat Seminarium. Nec hæc inscriptionis necessitas excludi poterat objiciendo, quod usque ab initio census creditor ex depacta clausula constituti et præcarii dominium prædii censiti adeptus fuerit, ita ut eidem Seminario etiam prædii fructus percipiendi jus esset, quamdiu de decursis census fructibus eis satisfactum non esset. Quidquid enim in subjecta specie constituere potuerit vetus jus, prout animadvertit superior mea Decisio in § 6 indubium attamen hodie est, quod diversum omnino invaluerit Juris principium post invectas hypothecarias Leges, cum ex earum præscriptione nil amplius eae clausulae proficere valeant ad obtinendam contra tertium associationem, nisi quoque a creditore probetur fructuum nomen pro quibus urget associationem in hypothecariis codicibus pariter inscripsisse, prout apertissime disponit Lex anni 1816 Art. 45 et codex hypothecarius S. M. Leonis XII. Cap. I Art. 8 et semper retinuit S. Nostrum Auditorium testibus *Decis. Romana Associationis* 6 *Martii* 1326 § 7 *cor. Martinez Del Campo, et Decis.* 77 § 7 *et* 8 *cor. R. P. D. Patrizi.*

Quamvis vero Leonina Reformatio contra duriorem sanctionem Legis Pii VII. SS. Mem. fructus trienni in inscriptione capitis omnino contineri voluerit etiam absque explicita eorum mentione, et quoad fructus insolutos et extra triennium, vel peculiarem de iis mentionem fieri in capitis inscriptione jussit, vel expressum inscriptionis onus injunxit: sine qua condici adversus tertium possessorem ipsi fructus nequeunt *cit. Cod. Leonini diei* 30 *Januarii* 1828 *art.* 52. At Venerabile Seminarium cum unum censuale nomen, non autem fructus inscripserit, ex præcitata Legis Sententia sequitur, ipsum minime posse pro fructibus agere adversus Aloysium, tertium fundi censiti possessorem ex ratione quod iidem fructus separatum constituebant crediti caput, quod ad tramites præcitati *Art.* 25 *Leoninae Reformationis*, vel peculiari mentione in capitis inscriptione, vel altera separata exdigebat inscriptione, vel altera separata exdigebat inscriptione, prout ad rem optime arguit S. Noster Ordo in memorata *Dec. cor. Martinez sub* § 8. 7

Taxativa autem hæc juris, Praxeosque disciplina in discrimen adduci haud certe poterat, obiiciendo, quod Venerabile Seminarium inscriptionem pro capite susceperit, Gallis summam rerum obtinentibus, ex quorum Legibus 8

nulla opus erat inscriptione, vel peculiari mentione pro fructibus trienii. Nam. PP. mei animadvertebant, quantum de eo tempore inscripto fuisset, tantum inutilis evasit post exactos Gallos, et post novarum legum publicationem, cum apertissime in hisce sancitum fuerit, quod omnes hypothecariæ inscriptiones ad novi juris tramites corrigi, et emendari deberent, ut suum deinceps sortiri ipsæ possent effectum. At Ven. Seminarii moderatores, cum omnino neglexerint, novis editis Pontificiis Legibus, hypothecaria inscriptione fulciri decursorum fructuum creditum patens est quod ex hac omissione nulla eidem præsto esse possit hypothecaria actio qua vindicare valeat fructus ante hypothecariarum Legum promulgationem decursos. Quod dicendum quoque est de fructibus triennii, cum pro hisce nullum jus mutuari valeat idipsum Seminarium a Leonina reformatione ex relata ratione, quod suæ hypothecæ correctionem ad tramites novarum Legum confici omnino neglexerit. Hæc autem est ratio, cur PP. mei denegare rati sunt Seminario petitam associationem quæ præterea haud decerni potuisset, cum in specie nec certa, nec determinata sit fructuum quantitas, pro quibus urget Seminarium associationem ad fundum censitum. Est enim in Foro receptissima Juris regula, quod concedi nunquam debeat associatio, nisi evidenter constet de certa, ac liquida fructuum summa ut cognosci valeat tempus pro quo debet remedium associationis adhiberi, ad monita *Pacionii de Salv. interdict. Inspect.* 1 *cap.* 5 *n.* 2 *et S. Rota decis.* 551 *n,* 3 *coram Bichio. Decis.* 185 *n.* 10 *cor. Eodem et Decis.* 106 *n.* 10 *cor. Tanario.* At in themate ab Judice concursus habetur tantum in genere admissum ipsorum fructuum creditum, et insuper in casu valde arduam et implexum esse videtur fundamentum liquidationis ineundæ. cum dubitari possit, an ipsi fructus legitime decurrere potuerint antequam prodiret Pontificium Chirographum a Ven. Seminario imploratum ad sanandum vitium nullitati census ex defectu numeratæ pecuniæ; maxime quia recte ambigi potest, an concessa ipsa Principis venia verti debeat in præjudicium Aloysii, qui ignarus census existentiæ, bona fide coemerat censitum prædium cujus pacificam possessionem jam antea firmaverat memorata resjudicata, orta præsente, et non contradicente ipso Seminario cui Aloysio præjudicii proinde videtur esse non posse Sacratissimi Principis rescriptum.

Perperam vero Seminarium contendebat haud deficere in casu inscriptionem, quæ etsi post empti prædi transcriptionem suscepta fuerit, attamen efficax æstimari debeat ex ratione, quod ea transcriptio nulla judicanda sit ob præexistentiam oneris scientiam in emente Aloysio, et stante prætermissione formularum, quæ ex Lege omnino ab illo observari debebant in dimittendis creditoribus. At facile intelligebatur, quam leviter ea objicerentur a Ven. Seminario. Ad omnimodam enim excludendam contractus simulationem, et ad plene comprobandam objectæ scientiæ inefficaciam, firmissimum præbebat augumentum factum ipsius Aloysi, scilicet, quod non venditori Anastasio, sed ejus creditoribus pretium persolverit, prout antea constituerat Judex concursus in sua Sententia. Admissa itaque reali pretii solutione, non inficiata ejus distributione inter creditores usque ad integram ipsius quantitatis absumptionem, quælibet necessario exulare debet simulationis causa, et indifferens omnino in Aloysio haberi debet oneris scientia quæ nunquam præjudicii esse potest emptori, qui de mandato Judicis integrum conventum prætium inter creditores distribuit. Quoad vero formularum præteritionem, facile videbantur, quod non absque malitia Seminarii defensores conabantur confusionem ingerere in præsenti quæstione. Cuicumque enim perspectissimum est, quod eæ formulæ a Legibus præscribuntur in casu, quo simplex emptor, et non adjudicatarius, divenditum prædium purgare, et exemptum reddere velit a 9

praeexistentibus oneribus. Minime vero ipsæ requiruntur ad impediendam novarum hypothecarum inscriptionem, cum ad avertendum hoc discrimen sufficiat ipsa transcriptio, prout munuit S. Noster Ordo *in Decis.* 212 § 10 *coram Eminentissimo Marco*; *et Urbevetana Rescissionis contractus diei* 1 *Februarii* 1830 *cor. R. P. D. Rivadeneyra*.

10 Despectis autem aliis quæstionum capitibus, quæ extranea omnino a præsenti controversia visa sunt in præcedenti mea Decisione, quæ confirmatur, simpliciter PP. mei judicantes super petito associationis remedio, ex rationibus huc usque enucleatis rati sunt hoc concedi minime posse instanti Seminario, non solum ob adhuc existentem rem judicatam, in vim cujus emptor Aloysius liberam empti prædii possessionem nactus est, sed etiam, attento hypothecariæ inscriptionis defectu, quod in ævum ei agenti obicis erit, ut molestias rite movere valeat contra tertium ipsius possessorem. Potius idem Ven. Seminarium, si sua jura pessumdata præsentiat, si vitiosam fuisse pecuniae distributionem putet, obtenta prius a praecitata rejudicata in integrum restitutione, in congruo, et separato judicio agat adversus eos creditores quos constat pretium exegisse, pro pecuniae reportatione, vel aliud congruum proponat judicium contra debitorem ad census caput vindicandum una cum non solutis fructibus. Sed interim desistat molestias ulterius inferre contra insontem Aloysium, qui, cum jam legitimo modo a Judice praestituto pretium solverit, nullo jure cogi potest ad iterandam ipsius praetii solutionem.

Et ita habita relatione ad praecedentem meam Decisionem, in alacri partium conflictu, decisum fuit VV. OO. DD.



# FULGINATEN

## RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

*Lunae* 16 *Decembris* 1833.

### ARGUMENTUM

Qui reali caret jure, quo impetere pro associatione censitum fundum valeat, associationem obtinere nequit.

SUMMARIUM

1. *Jus reale, quo census possessor pollet, cum non deductum apud Judicem, exercitumque a creditore sit praeemptia urget, ac dispositio juris locum sibi vindicat, quod illud remiserit, una sibi servata personali contra debitorem actione.*
2. *Deficiente reali jure in actore, quo censitam impetere utiliter pro associatione valeat fundum, si deneganda associatio.*
3. *Impleta legis praescriptione, cavillationi non est locus.*
   *Ignorantia facti creditorem minime excusat, cum factum ipsum publice ex programmatibus legibus appareat - ibidem. -*
4. *Tunc debitor personaliter creditores manere tenetur, cum ab eodem patrata sit venditio.*
5. *Inutiliter hypotheca inscribitur in fundo, qui jam pleno dominii jure in tertium possessorem transiverit.*
6. *Longaevum temporis spatium, quod transeat ab emptionis die ad diem suscepti associationis judicii, quemlibet respuit a postulatione.*

## DECISIO CCCCXL.

Urgente Cajetano Crivelli, postquam publice fuere affixa venditionis peragendæ programmata, cæteraque omnia gesta, quæ fieri judiciali in venditione tunc leges jubebant, anno 1795 divenditus ad hastam fuerat fundus = *Moggiano* =, quem Nicolao Mariani, Cajetani debitori, pleno dominii jure pertinebat. Optimo omnino oblatori præconis voce adjudicatus fuit fundus illo Sancti Lepri, pro persona nominanda, quam postea personam is nominavit, nempe fratres Jo. Baptistam ac Sanctem Innamorati. Deposito ab iis pretio in Æde Sacra, immissionisque implorato a Judice mandato, venere, ap-

paritore duce, in fundi possessionem. Fundum at illum Nicolaus supposuerat censui argenteorum *biscentum*, quem venditionis peractæ tempore possidebat Hieronymus Maggi. Non hic suum reale census jus deduxerat, dum fundus vendebatur, sed, deliberatione jam peracta, prælationem in fundi emptione jure census postulavit, amicamque ea de re a Fulginatensi Generali Vicario Sententiam obtinuit. Rejecto at deinde prælationis judicio, quod interpesita per fratres Innamorati appellatione tunc erat definiendum, satius duxit postulare in graduationis judicio sortis census atque insolutorum fructuum pensitationem.

Vita post hæc functo Hieronymo, venit ad illius hæreditatem Eleonora Seracchi, quæ anno 1810 detulit ad hypothecarum tabularium inscriptionem pro census capite, ac pro aliis argenteis 50 nomine fructuum non solutorum. Hypothecam hanc renovavit Eleonoræ filius Hieronymus Rossi, cui in maternæ hæreditatis divisione datus a fratribus census fuerat. Anno tandem 1830 vocavit is in judicium Laurentium Innamorati, ab quatuor ultra triginta annis fundi = *Moggiano* = possessorem, ut decerneretur a Fulginei Gubernatore sibi jus esse obtinendi associationem ad fundum censitum, quod ei concessum per illius Judicis Sententiam fuit. Haud profuit Laurentio provocasse Sententia ab illa apud Primarum Actionum Fulginatenses judices, qui album calculum Gubernatoris pronunciationi adjecerunt, unde resjudicata orta fuit, quæ associationem Hieronymo tribuit. Convolavit inde Laurentius ad Signaturæ Tribunal, imploraturus restitutionis in integrum beneficium quod ei cum fuerit impertitum, pugnam, ex novissimis Legibus, datum est ei hodie mane instituere coram S. Ordine Nostro, a quo rejudicatæ vis adempta fuit Responso, me postulante accepto = *Esse locum restitutioni in integrum, et extendatur Decisio* =.

1 Et merito quidem. Injusta quippe Resjudicata suis stare viribus nequibat, succurrendumque læso Laurentio restitutionis in integrum beneficio erat, ad hoc ut non damnaretur injuria ad fundi amissionem, quam ipse legitimo, optimoque omnium titulo, ab quatuor supra triginta annis possidebat. Census quippe reale jus, quod erat petitæ per Hieronymum associationis fundamentum, nullum erat, ac inane, cum illud amiserit jam ejus auctor Hieronymus Maggi, dum fundos censitus fuerat ad hastam divenditus. Reque autem vera, jus illud reale, quod census possessor eo de tempore retinebat, provocata judiciali venditione, ac publice editis venditionis programmatibus, cum non deductum apud Judicem, exercitumque a creditore fuerit, præsumptio urgebat, ac dispositio Juris locum sibi vindicabat, quod non exercente monito creditore suum reale jus, videretur illud remisisse, una sibi servata personali contra debitorem actione, prout literaliter cautum *in Leg.* 6 *Cod. de Remis. pignor. ac* traditum *a Bartolo in Leg. sicut § Non videretur ff Quibus modis pign. vel hypoth. solv. Brunemann. Comm. ad d. Legem* 6 *Cod de remiss. pign. atque a Cujacio ad Tit. de remis. pign. Tom.* 9 *pag.* 1226.

Atqui, editis publice programmatibus, statutaque in iis venditionis peragendæ die, venum expositus reapse a Nicolai Mariani creditore censitus fundus = *Moggiano* = fuerat, nec, qui tunc illo super fundo reale jus ex censu fovebat, Hieronimus Maggi venerat ullo modo ad hastam, reale ipsum, quo putiebatur jus super devincto sibi fundo experturus, unde recte equidem concludebatur ipsum reale jus Hieronymum amisisse, quod ex censu in fundum = *Moggiano* = habebat; Nequibat igitur Hieronymi Maggi successor, qui erat hodie Hieronymus Rossi Montogli, refricare ad obtinendam associationem jus illud reale, quod ejus auctor jamdudum amiserat, nec transmittere idcirco in eum ullo modo potuit. Injustissime itaque, deficiente in Actore Hieronymo reali jure, quo censitum impetere utiliter pro associatione fundum valuisset, concessa rejudicata ipsa associatio fuerat, quam merito idcirco ei denegandam hodie 2

mane PP. DD. censuerunt = *Rota in Ferrarien. Salviani* 28 *Novembris* 7735 § *Duplici cor. cl. me. Calcagnino*; *in Perusina Salviani* 16 *Junii* 1752 § 2 *cor. bo. me. Amadeo*, *et in dec.* 214 *num.* 3 *coram Riminaldo.*

3 At non citatus personaliter fuit Hieronymus Maggi ad venditionis diem; ita actor Hieronymus ajebat; cum ergo careret ipse scientia venditionis, nec sibi cavere ob illius ignorantiam potuerit, reale jus non amisit. Sed nulliter hæc proferebantur. Aperte Lex namque præcipiebat monendos = *programmate* = esse creditores, non vero citatione personali. Impleta igitur Legis præscriptione, cavillationi non erat locus: eoque magis, quia non una citatione sed tantum per programmatum affixionem moneri Hieronymus potuisset. Invectæ quippe eo de tempore quum non essent hypothecariæ Leges, ex quibus, cum unusquisque realis creditor tenetur deferre ad hypothecarum tabularium sui crediti titulum, facili quidem dignosci ratione valet, qui sint reales creditores unoquoque in fundo; dignoscere vero id unus ea tempestate debitor poterat, qui contractum subsignaverat. A Crivello tamen, Nicolai creditore, qui fundi venditionem curaverat, nonoscendum non id erat, nec curandum; sed, cum ejus respectu Nicolai Mariani creditores incerti essent, ac ignoti, editis publice programmatibus factum undequaque satis Legis præscriptioni ab eo fuerat, ad hoc ut reales creditores de peragenda venditione admonerentur; quamobrem, si vellent, cavere ii possent, ne per illam suis realibus juribus damnum inferretur; quemadmodum fieri in re simili de ignotis incertisque creditoribus debere, monet *Posth de Subhast. Inspect.* 23 *num.* 62 *Surd, Cons.* 181 *n.* 23, *atque Marant. de Citat. Part.* 6. *Membr.* 1 *n.* 89.

4 Exulabat profecto a thesi auctoritas Decisionum Nostri S. Ordinis, ac præsertim illus, cui titulus *Faventina. Salviani* 13. *Junii* 1722. *cor. Ratto.* Nam hæ omnes agunt de venditione patrata ab ipso debitore, qui, cum noscere suos creditores posset, illos utique tenetur personaliter monere, nec aptandæ sunt præsenti controversiæ, in qua agitur de venditione patrata Juris ministerio a debitoris creditore, qui cum illos nec nosceret, nec noscere eo de tempore valeret, nulla tenebatur obligatione ad eorum citationem personaliter peragendam. Cæterum, quæ de Hieronymi census possessoris venditionis ignorantia pro substinenda Reijudicatæ validitate proferebantur, erant omnia a veritate alienissima. Nisi enim rescisset ipse censiti fundi venditionem, haud venire potuisset apud Judicem, postulaturus ex census jure prælationem in eamet fundi venditione; nec deinde sese in graduationis altero judicio protulisset census sortis restitutionem assequuturus. Mandatum denique, quod ille pro hisce omnibus peragendis procuratori tribuerat suo, dum commentum hoc ignorantiæ profligabat, alteram quoque fallaciam destruebat, qua suadere PP. conabatur Hieronymus Rossi. Montogli postulatam prælationem, graduationemque, procul ab auctoris sui voluntate fuisse. Recte inde per consequentiam descendebat, quod cum dubitari ex illius scientia de census possessori monitione nequiret in themate, dubitandum nec erat de illius voluntate in ammittendo reali jure, quo super fundo = *Moggiano* = potiebatur; quod non erat idcirco ab ejus successore utiliter exercendum ad obtinendam associationem, quam resjudicata injuria concesserant.

5 Nec utiliter magis inhærebat Hieronymus Rossi Montogli, pro tuendo suo jere, hypothecariæ inscriptioni, quam de anno 1810 Eleonora Seracchi detulerat eo super fundo ad hypothecarum tabularium, quamque ipse stato tempore renovavit; nam hypotheca illa, sublato census titulo, nullos gignere valebat effectus, nec inscribi utiliter poterat in fundo, quem jam pleno dominii jure transierat tertium in possessorem Innamoratum. *Lott. Cons.* 474. *num.* 34. *Corneus Cons.* 190. *Num.* 2. *Lib.* 1. *Rot. cor. Buratt. Dec.* 257. *Num.* 14. *cor. Priolo Dec.* 137. *Num.* 2. *in Viterbien. Pecuniaria* 16. *Martii* § 5.

*coram Rmo P. D. Meo Spada Decano, atque in Bononien. Deletionis Hypothecæ* 6. *Julii ejusmet anni* § 2. *coram R. P. D. Meo Bofondi.* Nec culpandus Innamoratus erat, si acquisiti fundi = *Moggiano* = transcriptionem non peregit, prorsus ut, ea neglecta, sumptæ hypothecæ effecum sustinere ipse debuerit. Dum enim fundum acquisiere sui auctores Jo: Baptista, ac Sanctes anno 1795. non latæ tunc hypothecariæ Leges cum fuissent, nulla hi tenebantur obligatione peragendæ transcriptionis, ad hoc ut liberam dominii translationem assequerentur, quam unis adhibitis clausulis constituti, atque precarii statim transibat in emptore. Lex enim non agit retro = *Leg.* 7. *Cod. de Leg. et Rota in Veliterna Executionis* 27. *Februarii* 1818. *cor. bo me: Zinanni, et in Romana Pecuniaria* 10. *Decembris* 1819. § 2. *cor. Emo Odescalchi* Qui vero ante hypothecarias Leges acquisierant fundos, transcriptione non egebant, ut essent tuti ab superioductis hypothecis = *Rota in Anconitana Hypothecæ super III Dubio* 13. *Januarii* 1826 § 5, *cor. Emo Marco.*

6 Verum enim vero non hæc una Hieronymi actionem pro assequenda associatione profligabant. Longævum temporis spatium, quod transierat ab emptionis die ad diem suscepti associationis judicii, eum respuebat a postulatione. Triginta quippe ultra quatuor lapsus annorum, quot nempe decursi sunt ea inter termina, tutum Laurentium reddiderunt a quacumque actione, qua pulsari per Nicolai Mariori creditores potuisset *ad Text. in Leg.* 3. *Cod. de Præscript.* 30. *vel* 40. *ann. et ad firmat. in Bononien. Actionis hypothecariæ* 12. *Maii* 1828. *cor. R. P. D. Meo Muzzarelli* § 5. Nec audiendus Hieronymus, dum præscriptioni opponebat Sacramenti religionem, cameralisque obligationis effectum, quibus munitum census impositionis instrumentum fuerat. Non enim juraverat Laurentius, nec ipse Camerali sese supposuerat obligationi, nec universalis Nicolai Mariani successor fuerat. Illi fuissent hæc omnia opponenda, non autem Laurentio, que in tutum longæva sua in possessione, ex justo optimoque omnium titulo dimanante, contra Hieronymi conatus merito PP. renunciarunt, præsertim, dum hic reale jus non habebat, quo impetere pro associatione censitum fundum valeret ex Jure.

Et ita etc. utraque etc. me etiam suffragante redditum judicium fuit. VV. OO. DD.

---

## PERUSINA GRADUATIONIS

*Lunae* 13. *Maii* 1833.

### ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCCLVIII. -

#### SUMMARIUM

1. *Quisque ex anterioritate inscriptionis, potiori jure gaudet super pretio rei hypothecae devinctae.*
2. *In judicio purgationis hypothecae, pretium dividi debet, non per contributum, sed juxta gradum inscriptionum.*
3. *Si corruit anterior inscriptio, quod sero fuerit exarata, corruat necesse est, etiam posterior.*
4. *Standum est pro actus validitate, quando deficit certissima nullitatis demonstratio.*
   *Ad declarandum aliquem formaliter decoctum, necesse est, ut intercedat Judicis sententia, convocetur concursus creditorum, vel expleatur bonorum cessio - ibidem. -*
5. *Lex nullas declarat illas dumtaxat hypothecas, quae sumuntur contra illos, qui formaliter decoxerint.*

## DECISIO CCCCXLI.

Thomas Boattini Perusinus anno 1830 emit a concive suo Dominico Ticchioni rustica quædam prædia convento pretio scutorum *viginti quinque* supra *triamillia*, quod integrum ex lege dicta in contractu irrogari debuisset in dimittendis potioribus, et anterioribus creditoribus hypothecariis rei divenditæ. Ad placiti fidem, et ad præscriptum *Art.* 94 Codicis hypothecarii emptor dicm dixit omnibus inscriptis cre-

ditoribus coram Prætore Perusino, qui peritum curialem delegit facultatemque fecit Boattinio deponendi pretium in Æde Sacra. Exarata peritia curiali, prodiit deinde Perusini Judicis graduatoria Sententia, qua, prima sede attributa expensis judicii, vel eis, quæ versæ fuerant in communem utilitatem, *secundus*, *tertius*, *et quartus* gradus adsignatur Victoriæ Mattei, Andreæ, ac Liborio Ticchioni, Dominici fratribus, et Vincentio Fazzuoli, speciali hypotheca munitis, utpote qui dominium sibi reservaverant super prædiis, quæ in contractu emptionis venditionis venerant, quum eadem jamdudum Ticchionio vendidissent. Ad *nonum* usque gradum processit Sententia comprehendens, inter alios, Nicchiarelli, Fama, ac Simonelli, et quum prædiorum integrum pretium foret absumptum, non ultra progressa est, quamvis peritia curialis ad *undecimum* gradum perfunctoriæ processisset. Postremus inter creditores inscriptus Joannes Baptista Bacci appellationem interposuit ab hac sententia, quæ ipsum excluserat; delatoque judicio ad Sacrum N. Ordinem, rogavi PP. in comitiis 14 Februarii præsentis anni = *An, et quomodo sit locus graduationi, seu distributioni pecuniarum, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* =, responsumque mihi est, absente Baccio = *Pro informantibus* = nempe *Affirmative in omnibus ad formam Sententiæ* =. Indulto nostræ Audientiæ beneficio, hodie exquisivi a PP. = *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.* =, qui incunctanter responderunt, iterum refugiente Baccio vadimonium = Pro Informantibus =, hoc est = *In decisis* =.

1 Confirmari profecto merebatur Sententia Prætoris Perusini, qua decretum est pretium a Boattinio depositum dirimendum esse inter potiores, et anteriores creditores hypothecarios, dimetita anterioritate, et potioritate ab inscriptione sumpta in publicis tabulis. Ita enim peragens Prætor sequebatur apertissimam legis censuram Codicis hypothecarii, in quo sancitur = *La ipoteca desume il suo grado, e la sua anteriorità dall' epoca della sua iscrizione*, nullumque statuit esse discrimen inter legales, et conventionales hypothecas; exceptis modis = *di eseguirne l'iscrizione, e non rispettivamente alla necessità di farla, ed agli effetti che ne derivano, e perciò indistintamente le ipoteche sono operative secondo l'epoca della loro iscrizione* =. Inde, ut mea notat præterita Decisio § 3, quam Baccius posterior sit in inscriptione iis, qui in graduatoria Sententia recensentur, merito ab Judice exclusus fuit in eadem Sententia. Actionem ipse siquidem habet contra Picchionium, originarium debitorem, ut ab eo recipiat quid quid oi debet, non potest vero convellere quæsita jura reliquorum concreditorum, qui ex anterioritate inscriptiunis potiori jure gaudent super pretio rei hypothecæ devinctæ, et a domino divenditæ, ceu advertit Sacer Noster Ordo *in Romana Graduationis* 11 *Junii* 1824 § 2 *coram Emo Tiberi*.

Nec ullo in calculo haberi poterat 2
quid quid a Baccio proferebatur, quod, exceptis creditoribus locatis in *prima*, *secunda*, *tertia*, *et quarta* sede graduatoriæ Sententiæ, reliqui creditores depositum pretium per contributum inter se dirimere debuissent. Primus siquidem illis hypothecis parcit Baccius, utpote sumptis a reservatariis dominii; reliquas vero omnes culpat, quia inscriptas cum plurimo obrutus ære alieno Ticchiunius ad inupiam vergeret. Hujusmodi etenim disquisitio locum sibi vindicare non poterat in judicio excitato coram Prætore Perusino, apud quem non agebatur de universali concursu creditorum super bonis Decoctionis, sed vix quæstio erat de particulari concursu pro purgatione fundorum, de quibus agitur, ab hypotheris. Merito itaque Judex pretium dividi jussit, non per contributum, sed juxta gradum inscriptionum, quas in publicis tabulis exaraverant creditores super prædiis prædictis; quia in judicio purgationis hypothecæ, cou mea notat præterita *Decisio* § 4, ita præscribitur *Art.* 94. *Motus - Proprii* 16 *Julii* 1816 = *Il prezzo verrà distribuito*

Digitized by Google

*tra i creditori ipotecarii secondo la graduazione delle loro iscrizioni* =, adjiciturque = *Art.* 98 = *Quante volte il prezzo da pagarsi dall' acquirente sia minore delle somme collettive, per le quali il fondo e soggetto alle ipotecarie iscrizioni, potrà l' acquirente medesimo eseguire d'appresso gli ordini del Tribunale il deposito pel pagamento dei crediti anteriori, fino alla continenza del prezzo sudetto* =.

3 Quod eo magis erat retinendum, quia locus esse nequit divisioni pretii per contributum, etiamsi Bacc ius demonstraret, inscriptiones, quas culpat, nullas omnino fore, nulloquo in calculo habendas. Si enim curruant anteriores inscriptiones, quod sero fuerint exaratæ, corruat necesse est illa Bacci, quæ posterior iisdem in tabulis inscripta fuit. Tunc nomina in mera abirent credita contra Ticchionium, qui pretium jure sib i addicere posset, atque in proprios usus insumere. Inde, ut reliqui inscripti creditores, ita Baccius, reali actione destitutus, personali tantum agere posset contra Ticchionium, atque ab eodem solutionem exposcere, nequiret vero vindicare rem aut pretium a Bottinio depositum, et ita omne prorsus excluderetur contributum.

4 Verum nihil adducebatur ad convellendam inscriptarum hypothecarum validitatem, quas validas, et firmas primum suadebat tritissima Juris regula, quod standum sit pro actus validitate, quando deficiat certissima nullitatis demonstratio, ceu monet *Rota in Anconitana Concursus* 5 *Februarii* 1753 § 8 *cor. Calcagnino*; *in Verulana Spolii* 1752 § 7 *cor. Amadeo*; *in Interamnen, Nullitatis Census* 6 *Martii* 1809 § 7 *cor. Piccolomini*; *et in Romana Nullitatis inscriptionis* 15 *Januarii* 1821 § 4 *cor. R. P. D. Muzzarelli*. Omne enim illuc recidebat, quod sumptæ fuerint mense Novembris, vel Decembris anni 1829, quum, plurimo ære alieno distentus, Ticchionius esset in statu latentis decoctionis. Ast non idcirco decoctus dici poterat, ut mea observat præterita *Decisio* § 6; quia non intercesserat declaratoria Judicis Sententia, convocatus creditorum concursus, vel expleta bonorum cessio per Ticchionium, quorum alterum necessarium omnino est ad declarandum aliquem formaliter decoctum, ceu tradit S. Noster Ordo *in Romana Cambii super decoctione* 4 *Martii* 1754 § 4 *et seq. cor. Stadion. et in Veliterna Evictionis* 16 *Martii* 1825 § 6 *cor. Emo Isoard.*

Quod si formaliter decoctus renunciari nequit Ticchionius, sponte sua fluebat quod validæ firmæque forent inscriptiones hypothecariæ, quæ contra eumdem sumptæ fuerunt, Prout enim lex nullas declarat hypothecas sumptas contra eos, qui formaliter decoxerint, ita validas tenet eas, quæ inscriptæ fuerint contra illos qui etsi fortunis non gaudeant, tamen in foro commercioque versantur, nec a quopiam interdicti, aut civiliter mortui habentur, ut firmat *Rota in Bononien. seu Ferrarien. Pecuniaria* 5 *Julii* 1824 § 6, *et in Perusina Graduationis* 21 *Martii* 1831, *utraque cor. me.* Argumento vero erat Ticchionio interdictum habitum non fuisse tempore inscriptarum hypothecarum, dum, quatuor elapsis mensibus ab eorumdem inscriptione, ipse libera adhuc bonorum administratione fruebatur, et rustica prædia vendidit Boattinio. Poterant itaque creditores hypothecas inscribere, ut reapse inscripserunt, absque ulla suspicione decoctionis debitoris; quod, cum peractum etiam fuerit a Baccio, idque posterius reliquis, audiri profecto ipse non merebatur, cum sub specie latentis decoctionis, inscriptas hypothecas in discrimen adduceret. 5

Et ita, altera tantum etc., meo quoque cum suffragio, decisum est.

## PERUSINA GRADUATIONIS

*Veneris* 22. *Novembris* 1833.

### ARGUMENTUM

**Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCCCXXVIII. -**

Digitized by Google

SUMMARIUM

*1. Si emptor velit hypothecarum nexus dissolvere, quibus empti a se fundi detinentur graduationis judicium instituere debet.*

*2. In graduatoria sententia propria sedes creditoribus assignanda est, prout inscriptionis cujusque dies requirit.*

*3. Non est nulla hypotheca inscripta contra hominem non civiliter mortuum, quamquam mala ipse fortuna obruatur.*

*4. Ubi non agitur de universali creditorum concursu, seponenda est quaestio de contributo*

*5. Actionem realem, ope unius validae inscriptionis, exercere creditores possunt.*

## DECISIO CCCCXLII.

Jonnnes Baptista Bacci, ultimus inter hypothecarios creditores viri Perusini Dominici Ticchioni, quum nihil obtinuisset pecuniæ ex pretio quorumdam bonorum, quæ Dominicus vendiderat mense Martio anni 1830 concivi suo Thomæ Boattini, pacto in tabulis adjecto, quod integrum emptor deponeret pretium in Æde Sacra, ut illud dirimeretur a Judice inter eos Dominici creditores, qui divenditos fundos sibi mancipaverant hypothecæ; factum inde est, ut ipse reclamaverit a graduatoria Sententia Prætoris Perusini, edita curante Boattinio ipso, prout imperabat art. 94 Cod. hypothecarii: qua Sententia, postquam Perusinæ Curiæ Advocatus, selectus a Judice in peritum, expensis, cribratisque singulis hypothecis creditorum, graduationem confecerat, tributa fuit sedes *prima* expensis judicii graduationis, vel eis, quæ versæ fuerant in communem utilitatem, *secunda, tertia*, ac *quarta* datæ Victoriæ Mattei, Andreæ, et Liborio Ticchioni Dominici fratribus, atque Vincentio Fazzuoli, qui omnes super divenditis fundis curaverant sibi ponere specialem hypothecam ob dominii reservationem ab iis depactam, dum eosmet fundos vendiderunt Dominico, aliisque sedibus, ad *nonum* usque gradum ( nam deficiente pecunia distribuenda, sistere eo loci Sententia debuit ) concessis creditoribus, qui ratione peractæ inscriptionis, potiori pollebant hypotheca, quos inter Nicchiarellius, Faina, et Simonelli. Quapropter die 4 Februarii hujusce anni Dubium, absque contendentium decertatione haud concinnatum, RR. PP. DD. Meis exhibuit = *An et quomodo sit locus graduationi, seu distributioni pecuniarum, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* =, cui datum, Baccio deserente vadimonium, responsum fuit = *Pro Informantibus* = nempe = *Affirmative in omnibus od formam Sententiæ graduatoriæ* = ; prout narrat mea Decisio ad eam diem evulgata. Bis dein concessa Baccio pugnandi facultate, bis ipse non descendit in arenam: primo die 30 Maii præteriti, qua die PP. stetere *in decisis*, ut altera mea illius diei Decisio exponit; postremo vero hac die, in qua me iterum rogante super Decisionum justitia, confirmari illæ meruerunt adhibito terum responso = *In decisis* =.

Responsum videlicet hujusmodi ju- 1
stitia, legesque suadebant. Nil enim contra leges, justitiamque peccatum, vel in instituendo graduationis judicio, vel in graduatoria, quæ fuerat probata, Perusina Sententia. Deposuerat namque Buattinius, ad pacti conventi fidem, integrum pretium bonorum, quæ emerat a Ticchionio, in Æde Sacra; dein, singulis vadatis creditoribus hypothecariis, steterat ipse apud Judicem, ut pretium illud dirimeretur eos inter, quemadmodum singulorum jura expostulassent. Cum vero id ipse egerat, hypothecariæ legis præscriptum impleverat, a qua art. 94 jussum perspicue fuerat, quod emptor, qui fundos hypothecis mancipatos coemisset, illosque vellet ab earum nexibus dissolvere = *farà intimare i creditori ipotecarii, iscritti sul fondo acquistato, nel domicilio da essi eletto innanzi il Tribunale del Circondario, in cui esiste l'officio di conservazione, acciò compariscano entro il termine di un mese per ricevere il pagamento dei loro crediti, e render libero il fondo dalle ipoteche* =. Rite ergo institutum a Boattinio graduationis judicium fuit, quod instituendum ex lege erat, si emptor vellet hypothecarum nexus dissolvere, quibus

empti a se fundi detinebantur. Injustitiæ præterea nota inurenda nec erat Perusinæ graduationis sententiæ. Ea quippe edita etiam dignoscebatur ad legis justitiæque præscriptum.

2 Expensi namque cum fuissent a perito cognitore cujuscumque hypothecæ gradus, juxta gradus potioritatem data a Judice sedes creditoribus fuit. Id autem ab eo factum rectissime. Scilicet cum hypothecariæ leges juberent, quemadmodum habetur *ad* §. 9 *Cod. hypothecarii* 16 *Julii* 1816 = *La ipoteca desume il suo grado, e la sua anteriorità dall' epoca della sua iscrizione* =, probatumque sæpissime a S. N. Tribunali fuit, præcipue in *Ariminen Graduationis et Consignationis* 23 *Junii* 1828 §. 3 *cor. me.* dum graduatoria Sententia proprias sedes creditoribus assignaverat, prout inscriptionis cujusque dies requirebat, nec in minimo erat reprehendenda. Opponendum nec erat ad illius impugnandam justitiam, si sollicitam non se præbuit Sententia de hypothecarum titulo, indagine despecta circa illarum naturam, si illæ nempe legales essent, vel conditionales. Codex enim hypothecarius et hic præsto erat ad graduationis justitiam protuendam. In eo quippe jubebatur ut hypothecarum discrimen resideret tantum in modo = *di eseguirne la iscrizione, e non rispettivamente alla necessità di farle, ed agli effetti che ne derivano, e perciò tutte indistintamente le ipoteche sono operative secondo l' epoca della loro iscrizione* =. Quorum omnium erat corollarium, non recte Baccium, qui ultimus detulerat ad hypothecarios codices suum nomen, ut contra Ticchionium sumeret hypothecam, insurrexisse in Perusinam graduatoriam Sententiam, quæ, jubente omnino apertissima lege, pretium fundorum a Boattinio emptorum dederat eis creditoribus, qui priusquam sumeret Baccius hypothecam, solliciti de suorum nominum inscriptione fuerant. Remedium unum hoc in casu ex lege suppetebat, ut sui crediti satisfactionem ab originario debitore Dominico expostularet, non vero, ut potiores contra creditores insurgeret, quos, cum legis favore substinerentur, rite Baccio graduatoria sententia prætulit, prout monitum in *ultima mea Dec.* §. 3.

Inania profecto essent, quæ excipere in re clarissima Baccius potuisset. Si enim contendisset ipse, quod, exceptis creditoribus, in *prima, secunda, ac quarta* sede positis, ceteri omnes venire in Dominici substantiam debuissent per contributum, ex eo quod eorum hypothecæ nullæ essent, atque inefficaces, siquidem ab iis inscriptæ dum jam Dominicus in maximas rei familiaris angustias conjectus, multoque jam ære alieno premebatur, facili equidem negocio captiuncula refellebatur. Primum namque oportuisset, ut Baccius probaret Dominicum reapse decoxisse de mense Novembri, vel Decembri anni 1829; quo prælati creditores contra eum inscripserant: siquidem ab hypothecariis legibus nullæ tantum renunciantur hypothecæ, quas inscripserit quisquis contra formaliter decoctos, non autem illæ, quæ fuerint inscriptæ contra hominem non civiliter mortuum, nec a quoquam interdictum, quamquam mala ipse fortuna obruatur, ut firmavit pluries S. Rota, ac, post *Decis. allatas in* §. *fin. præteritæ Dec. meæ*, *in Romana seu Maceraten. Prælationis* 5 *Maii* 1820 *cor. Emo Marco* §. 8, *et in Narnien. Dotis assignamenti* 8 *Februarii* 1822 §. 8 *cor. R. P. D. Meo Spada Decano* = Verum facto ipso Dominici decoctio exulabat. Non enim Dominicum publica Judicis Sententia declaraverat decoctum, nec ipse generalem creditorum concursum convocaverat, vel miserrimum cessionis bonorum petierat privilegium, quorum alterum fuisset necessarium, ut decoctus ille renunciari ex jure posset ad tradita *in Ferrarien. Reintegrationis depositi* 4 *Febr.* 1754 §. 4 *cor. Borul.*, *in Romana Avocationis pecuniar. super fructibus* 13 *Februarii* 1758 §. *fin. coram Frangipane, atque in altera mea dec.* §. 6 = Nec Dominici status in posterum immutatus unquam est, quum ipse neque ad peractæ venditionis diem, nec in præsens decoxerit. Quum itaque va- 3

lidæ debeant renunciari hypothecae creditorum, qui prælati a Perusino Judice fuerunt Baccio, rite se habuit graduatoria. Sententio, ratione contributi seposita, quæ adhiberi per unam injuriam poterat.

4 Quamquam, cum non hic res esset de universali creditorum concursu super Dominici bonis ineundo, seponenda erat contributi ratio in judicio, quod Boattinius instituerat. Insteterat namque ipse, ut depositum a se fundorum pretium dirimeretur hypothecarios inter creditores, quos vadaverat, ad hoc ut fundi hypothecarum a nexibus solverentur. Quid vero faciendum hocce in casu esset, lex ipsa indigitabat. Sic namque præcipit *Art.* 94 *Motus Proprii* 16 *Julii* 1816 = *Il prezzo verrà distribuito tra i creditori ipotecarii secondo la graduazione delle loro iscrizioni* =, *ac in seq. Artic.* 98 = *quante volte il prezzo da pagarsi dall' acquirente sia minore delle somme collettive, per le quali il fonda è soggetta alle ipotecarie iscrizioni, potrà l' acquirente medesimo eseguire d' appresso gli ordini del Tribunale il deposito pel pagamento dei crediti anteriari fino alla continenza del prezza sud.* = Cum gitur nil aliud fecerit Perusinus Prætor sua in sententia, quam depositum a Boattinio pretium dirimere inter creditores hypothecarios = *secondo la graduazione delle loro iscrizioni* =, omne id egit quod fieri ex lege oportuiset in judicio, quod Boattinius instituerat, nec idcirco ab ejus Sententia juste Baccius reclamaverat.

5 Ineptia denique exceptionis magis magisque comperiebatur a PP., dum pro ipsorum prudentia animo attendebant, quod si nullæ fuissent reapse cæteræ inscriptiones omnes contra Dominicum, eo quod sumptæ illæ fuissent dum jam obrutus alieno ære ipse decoxerat, nulla quoque esset Baccii hypotheca, quæ erat omnium postrema. Qua re posita, cum omnes inscriptiones abirent in mera credita contra Dominicum, proinde realis actio exularet, quam, ope unius validæ hypothecæ, exercere creditores potuissent super venditorum bonorum pretio, atque idcirco nec Baccius, nec alii agere valerent pro illius vindicatione, imprdpriumque ex jure esset contributi præsidium exquirere.

Et ita, altera tantum, meo quoque accedente suffragio, jus redditum fuit.

---

## PRAENESTINA

### SOLUTIONIS DOTIS SUPER FRUCTIBUS

*Lunae* 28. *Januarii* 1833.

### ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

Summario non indiget.

### DECISIO CCCCXLIII.

Eo ipso quod Leonellius, dissoluto semel nexu concursus universalis, qui fuerat excitatus super bonis debitorum, judicium resumpsit coram A. C. Colapietro ad dotale suum nomen condicendum, egit de crediti ipsius fructibus, qui ex mora debitorum ad viin magnam conscenderant. Uti autem Primæ Actionis Judex liquidum, certumque dotis creditum aestimavit, quod auctor condicebat, ita et fructuum nomen probavit in argenteis nummis 594, et ob. 28 Marcelli ab hac quoque Sententia provocarunt: cumque in re planissima hoc mane PP rogaverim = *An, et in qua summa constet de credito fructuum, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = responsum dederunt = *Affirmative in summa liquidanda* =.

Et privilegiata dotis indoles, et judiciales petitiones, et inexcusabilis debitorum moro perspectissimum omnino efficiunt jus, quod Actori est una cum dotali suo nomine, et dotis accessiones condicendi. Nulla enim dos sine fructibus consistere potest, quibus sustinentur o- 1

nera matrimonii. Ast jus hoc fructuum in genere tutissimum, admitti non alias potuit in specie, nisi *pro summa liquidonda*. Cum etenim contemporanea decisio Leonellium ad imputandum belluarum pretium adegerit in causam dotis, nec ullatenus constet, quam ad vim pretium ab eodem perceptum conscendat, necessum omnino erat, et fructuum actionem probare *in summo liquidonda*, et de hac mandatum concedere.

Et ita me quoque suffragium ferente decisum fuit. Utraque etc.

---

## ROMANA

CIRCUMSCRIPTIONIS, ET APPELLATIONIS

*Lunae* 17. *Junii* 1833.

### ARGUMENTUM

Mercatores ii dicuntur, qui merces emunt, ut carius vendant. Conductores latifundii, cum pro dominis possideant, tamquam domini censentur, cum frumentum vendunt, ex conductis praediis collectum. Exinde inter mercatores, locum sibi vindicare nequeunt.

SUMMARIUM

1. *Tribunal Commercii est competens tantum ad dirimendas controversias, quae oriuntur inter mercatores, vel super rebus a commercio dependentibus.*
2. *In decernenda Tribunalis competentia non actoris, sed rei forum inspici debet.*
   *Conductor latifundii. haud recenseri potest inter Mercatores - ibidem. -*
3. *Societas coita ob venditionem frumenti, non constituit actum mercatorium.*
4. *Pactio se subiici Tribunali Commercii, non sanat jurisdictionis defectum.*
5. *Quamvis quis steterit ante Commercii Tribunal, et non opposuerit incompetentiam, non ob id remittitur jurisdictionis defectus.*
6. *Societas non est actus mercatorius, si eo non tendit, quod res ematur, ut carius deinde divendatur.*
7. *In constituendis rebus magis attendi debet quod agitur, quam quod simulate concipitur.*
8. *Tribunalia Mercatoria tenentur ex officio propriam declarare incompetentiam.*

## DECISIO CCCCXLIV.

Vincentius Santucci notus in Urbe campestris rei negociator, anno 1831, ad serenda nonnulla prædia, quæ conduxerat, impar effectus, ob pecuniæ defectum, hanc habuit a Gallio Francisco Bessierio in non levi quantitate scutorum 1320. Ut hic de hujusce summæ restitutione, una cum lucro securus foret, quamdam adumbravit societatis speciem, cujus præcipua pacta fuere, quod Santuccius propriis sumptibus rubra biscenta frumenti = *della migliore qualità* =, ex conductis latifundiis suo tempore recolligenda, Romam asportare, atque deponere in quodam ipsius Santucci horreo teneretur, ut Bessierio satisfieret ex translati frumenti venditione, quæ ultra mensem Octobris insequentis anni 1832 protrahi non debuisset. Ne autem species initæ societati deesset, exiguo pretio scutorum *sex*, et obul. 60 pro singulo rubro constituto depactum fuit, ut ipse Bessierius, retenta e frumenti pretio prædicta summa scutorum 1320 dein lucri pro medietate particeps fieret, quatenus pluris ac statutum fuerat, frumentum distraheretur, sicuti e contra, si minus divenderetur, detrimentum æqua lance inter socios dividendum foret. Statutum denique fuit, ut rigide hæc pacta adservarentur; quam in causam sese contrahentes subjecerunt = *per patto espresso inappellabilmente alla decisione del Tribunale di Commercio* =.

Cum pacti fidem non servasset Santuccius, Bessierius apud Urbanum Commercii Tribunal institit, ut eidem certa dies præfigeretur, vel ad tradenda promissa *biscento* rubra frumenti, vel ad solvendum pretium receptum ex inita illius venditione, petiitque etiam damnorum emendationem. Favorabiliter excepta fuit illius petitio a Judicibus Commercii duplicique sententia damnatus fuit Vincentius ad petitam frumenti traditionem, et ad damnorum emendationem. Provocavit Santuccius coram Collegio Juridico A. C a Sententia lata super damnorum li-

Digitized by Google

quidatione, novumque instauravit judicium, ut inita super frumento societas nulla renunciaretur, quæ duo judicia adbuc sub Judice pendent. Quoad vero sententiam latam super frumenti traditione, instetit coram S. Nostro Auditorio, ut illa circumscriptionis gladio deleretur, ob jurisdictionis defectum. Delata hujusce rei cognitione S. Nostro Ordini in Comitiis diei 25 Februarii proximi elapsi rejecta penitufuit Vincentii petitio ex rescripto=*Non esse locum circumscriptioni, et extendatur Decisio* = Sed in hodierno Rotali Conventu meliorem expertus est fortunam, quia Patres in diversam abiiere sententiam, illiusque instantiæ rescripsere = *recedendum a decisis, et extendatur Decisio* =.

1 Nec secus pro S. Nostri Ordinis cognita docilitate, atque justitia erat respondendum. Revocata enim ad trutinam proposita questione, meliusque perspecta, facillime apparuit eamdem exemptam esse a Tribunalis Mercatorii jurisdictione. Institutum enim fuit Commercii Tribunal ad dirimendas controversias, quæ oriri possent inter mercatores vel super rebus a commercio dependentibus. Quæ igitur mercatoriam indolem non præseferunt, a foro illo extranea sunt, et Judices ex officio abstinere in hisce se debent a jure dicendo, ut aperte præscribitur in *Art.* 6. Edictalis Legis, quæ Codici Commercii præponitur = *nelle Cause non commerciali i Tribunali di Commercio dovranno dichiararsi incompetenti ex officio* = Proindeque non potest nec debet servari Sententia contra Vincentiam lata a Commercii Tribunali, quod tam respectu personæ utriusque litigantis, quam ratione materiæ, haud obstante pacto se subjiciendi *inappellabilmente* illius Sententiæ, incompetens omnino est declarandum.

2 Explorati siquidem juris est, quod in decernenda Tribunalis competentia non actoris, sed rei furum inspiciendum sit. In præsenti causa reus erat Santuccius, actor Bessierius. Neuter vero Tribunalis mercatorii jurisdictioni erat subjectus. Bessierius præceptoris munus exercet, Santuccius ad classem pertinet = *dai Mercanti di campogna* =, qui pro negociatoribus nunquam habiti fuere. Mercatores enim ex legum mente, et Jurisconsultorum sententia, ii dicuntur, qui merces emunt, ut carius vendat. Conductores Latifundii autem, cum prodominis possideant, tamquam domini censentur, cum frumentum vendunt, ex conductis prædiis eollectum. Exinde inter mercatores locum sibi vindicare nequeunt, ut decisum fuit a S. Nostro Ordino *in Romana Decoctionis quood competentiam* 22 *Januarii* 1816 *coram Rusconi in confirmatoria* 26 *Aprilis* 1816 *cor. Serlupi; et recentissime in Romona Circumscriptionis* diei 1 *Martii* 1833 *cor. R. P. D. Meo Muzzarelli.*

Exclusa in contrahentibus Mercatoria qualitate, facile etiam probatum fuit Patribus nec commercialem esse materiam, super qua Vincentius, atque Franciscus assertam societatem iniverre. Animadvertebant enim quod ipsius societatis summa in eo erat, quod Santuccius cum Bessiero æque dividere deberet compendium societati obventurum ex venditione rubrurum 200 frumenti, quod colligeretur ex conductis latifundiis = *di Mentana, Conca; e Selvotta* = Quidquid litigiosi igitur contigere poterat super hac conventa venditione Commercii Tribunalis jurisdictionem respicere nequibat; cum præscriptum aperte legatur *in art.* 608. *Cod. Mercatorii* = *non saranno di competenza dei Tribunali di Commercio le azioni promosse contro un proprietario conduttore, Socio parziorio, o coltivatore per vendita di derrate provenienti dal suo fondo.* 3

Hoc autem jurisdictionis defectum ex litigantium persona, atque materiæ ratione sanare profecto haud poterunt contrahentes, dum conveniebant se subiici *inappellabilmente* Sententiæ Tribunalis Commercii. Pactum hoc cum eidem tribueret jurisdictionem, quam ei legislator denegaverat, irritari omnino meretur ob præcipuum ipsius jurisdictionis defectum. Leges enim, ut celerius unicuique jus dici 4

posset, necessitatem agnoverunt nonnullorum Tribunalium, quibus ad legis scopum assequendum, distinctam tribuerunt jurisdictionem Jurisdictio autem constituta fuit, habito respecto vel ad personarum conditionem, vel ad caussarum genus, vel ad harum valorem. Simul ac igitur præfinita fuerit a Legislatore Tribunalium competentia, nemini deinde licitum esse potuit ad Tribunal, quod ei magis placeret, convolare, ne ordo a supremo Principe constitutus pro recta, atque celeriori justitiæ administratione, cum maxima rei publicæ pernicie inverteretur. Sinunt quidem aliquando leges proprio renunciare privilegio, vel Judiciis ampliare jurisdictionem. Sed hæc jurisdictionis ampliatio solum permissa est quoties eversiva non sit ordinis jam constituti, et quoties agatur de Judicibus æquali jurisdictione prædictis, sed qui incompetentes sint, vel ratione domicilii, vel ratione rei sitæ. Siquidem, quum hujusce competentiæ genus inductum a Legibus sit tantum pro litigantium commodo, possunt litigantes juri, sui gratia inducto, renunciare, et hoc in casu non prohibatur jurisdictionis Judicis ampliatio; quæ autem absolute prohibetur, si in personas exceptas, et in materia extranea Judici jurisdictio tribuatur. Perperam igitur Bessicrius, atque Santuccius cognitioni Tribunalis, specialiter a lege constituti pro rebus commercialibus, et pro personis commercio addictis, deferri convenerunt rem, commercium minime respicientem. Super delata hac controversia Judices illius Tribunalis jusdicere cum nequivissent ob jurisdictionis defectum, juxta citatum *Edictum Art.* 6 a ferendo judicio se abstinere debuissent, et quæstionem ex officio remittere Tribunali Ordinario, ut præscribitur *ab art.* 656 *Cod. Comm.* Ipsi enim, jurisdictione carentes, contra apertissimam Legis Sanctionem hanc adquirere certe nequibant ex contrahentium placito, quia illud grave sequeretur absurdum, quod in privatorum arbitrio foret contra apertam Principis voluntatem jurisdictionem Judicibus, ea destitutis, impertiri, et ita deturbare Ordinem jam præstitutum pro recta justitiæ administratione; ut animadvertunt *Vinnius in Tract. de Jurisd. cap.* 11 *num.* 2. *Woetius Comm. in Pandectas lib.* 2 *tit.* 1 *num.* 17, *et S. Noster Ordo in cit. Dec. Romana Decoctionis* 22 *Januarii* 1816 § 2 *coram Rusconi.*

Nec rem mutat, quod Santuccius steterit ante Commercii Tribunal, et ibi judicium prosequutus sit usque ad illius exitum; ita ut eidem hodie jus amplius non sit contra illius Sententiam insurgere, petens ipsius circumscriptionem. 5
Constituta enim ipsius Sententiæ nullitate, ob expositum jurisdictionis defectum; constituto, quod expresso contrahentium placito ampliari non potuerit ipsius Tribunalis competentia; nullius momenti haberi debet, quod a Santuccio huc usque gestum esse appareat. Nam, si ex facto ipsius Vincentii, qui in judicio stetit, ampliata Tribunalis jurisdictio dici deberet, tunc illud absurdi consequeretur, quod plus tacito, quam expresso consensui tribueretur, et libere uniuscujusque facultati remitteretur licite Legum sanctionem subvertere, ut in casu docet *Woetius loc. cit.* § 18 *et* 19.

Nullu pariter in calculo erat habendum quod objicebatur, negotium scilicet inter Franciscum, et Vincentium ad industriam, et lucrum comparandum, societatem esse reputandum; quia hoc etiam in casu allatæ superius conclusiones redibant. Separari nequit depacta frumenti Venditio a conficta Societate, quia unum; et individuum negotium constituunt, et quod de venditione jam dictum fuit, necessario id societati aptari, et congruere debet. Quod si utraque res esset rescindenda, non ideo tamen controversia super ipsa societate orta, competentiæ Tribunalis Commercii effici poterit, cum indubium semper maneat, quod societas non versabatur super emptione frumenti, ut carius deinde divenderetur, sed respexerit venditionem frumenti, ad quod colligendum ex conductis Latifundiis Santuccio pecuniam suppeditaverat ipse 6

Bessierius. Ex indole igitur Societatis firmum semper manebat incompetentes esse Judices Tribunalis Commercii, qui, etiam paulisper si rem introspexissent, facile cognovissent non societatem, sed reprobatum foenus sub fuco emptionis, et societatis a Bessierio constitutum fuisse.

7 Revera, si in constituendis rebus magis attendi debet quod agitur, quam quod simulate concipitur, Commercii Tribunali haud difficile esse poterat noscere præfocationem adhibitam in contractu ad tegendam usurarum pravitatem, et exinde Societatis simulationem. Bessierius siquidem Vincentii necessitatibus occurrere peratum se præbuit, si ex sua pecunia iniquissimum foenus recepturus foret. Contraria sibi erat vigentis Legis præscriptio. In effugiendo itaque ipsius Legis rigore invenitur causa simulandi. Quod autem iniquissimæ usuræ depactæ fuerint, facile id deducitu ex tenuissimo pretio scutorum *sex*, et ob. 60 constituto *biscentis* illis frumenti rubris, quæ in horreum Santucci a Santuccio ipso erant asportanda, quorum pretii coacervatio adamussim creditam summam scutorum 1320 conficiebat. Pretium hoc, infra illud promercale de tempore initi contractus, quolibet removebat periculum super ipsius pecuniæ restitutione, quam experientia doceat pene impossibile esse, quod constitutum frumenti prutium magis imminui possit. Itaque excluso omni periculo ab inita Societate quoad sortis restitutionem, evidenter apparebat sub larva et pallio Societatis immanissima usurarum perceptio, quæ, cum penderet = *dal di più, che si potrà ricavare* = super modico pretio constituto, quod lucrum dividendum ex pacto erat = *per metà per ciascuno* = nullum dubium relinquere poterat, quod immane lucrum Bessierio esset obventurum, et pacto de damno dividendo ad colorandam, atque cohonestandam rem, potius quam ad veram ineundam societatem, interpositum fuisse, ut firmatum *fuit in* § 3 4 *et* 5 *Dec. Romana Nullitatis contractus* diei 18 *Aprilis* 1828 *coram me*. Cum ideo lucrum certum, damnum vero nullum sibi stipulatus fuerit Bessierius evidens erat simulatio Societatis. Tribunalis vero Mercatorii est quidem jus dicere de societate Mercatoria, sed vera, non de fictitia, præsertim si in continenti probetur simulatio. Secùs *Leges verbis non rebus imponerentur*, et quævis usuræ pravitas sub Spectro societatis efficeretur materia jurisdictionis Mercatoriæ, quo nihil incivilius. Tametsi vero fuisset Societas ex animo, et non ut erat larvata, ac fucata, illicita, atque nulla erat renuncianda, quæ utpote inita super frugibus non recollectis, ut inquiunt a *capo salvo*, reprobatur tam a civilibus, quam a Pontificiis Legibus, teste *Zanch'o de societate Part.* 1 *Cap.* 16 *n.* 33 *et* 151, *Covarruv. Variar. Resolut. lib.* 3 *Cap.* 2 *num.* 3, *Leotard. de Usuris quæst.* 31 *num.* 2, *Mantica de Tac. et amb. Lib.* 6 *num.* 1, *et S. Rota Dec.* 552 *num.* 11 *Part.* 1 *in Recent., cit. Romana Nullitatis Contractus diei* 18 *Aprilis* 1828 *cor. me; et Romana Contractus diei* 20 *Feb.* 1818 *cor. Emo Odescalchi.*

Male igitur se gessit Commercii Tribunal dum cognoscere despexit an realis, vel potius simulata societas intercesserit ad tegendam foenoris pravitatem. Si, verborum cortici non inhærens, paulisper pacta conventa pensitasset, facillime constituere potuisset controversiam suæ jurisdictioni non competere, et ex memorati *Art.* 656 *sanctioni illam* remittendam esse Tribunali Civili, despecto pacto = *di stare inappellabilmente alla decisione del Tribunale di Commercio* =; quia ubi pedissequum, et accessorium, corruere; aut saltem sequi debuisset sortem principalis; eo magis, cum non Vincentii initum voluntate, sed ab eo coactione et præfocatione extortum præsunti deberet, ut generatim constituunt *Galles de Obligat. Camer.* § 4 *quaest.* 2 *num.* 25, *Gallerat. De Renunciat. Contr.* 1 *Cap.* 47 *num.* 16 17, *Rot. cor. Ansaldo Dec.* 173 *num.* 7, *cor. Molines Dec.* 1103 *num.* 9, *cor. Crescent. Dec.* 1 *num.* 20; *Romana Pecuniaria* 23 *Feb.* 1801 *cor. Bardaxi.* 8

Et ita, meo quoque accedente suffragio, jus redditum est, Utraque etc.

# ROMANA

## EXFRACTATIONIS ET DAMNORUM

*Lunae* 18. *Martii* 1833.

### ARGUMENTUM

**Non omnis arborum frugiferarum caesio culpae, vel dolo conductoris tribuenda est. Proinde non incidit in caduci poenam conductor, quatenus illae vel naturaliter exaruerint, vel amotae sint ut noxiis umbris vineta liberarentur, vel fuerint excissae ut novae et melioris qualitatis antiquis subrogarentur.**

SUMMARIUM

1. *Conductor expelli potest a fundo, si male in re locata versatus sit, vel fundum non colat, uti oportet.*
   *Non aliter tamen potest expelli conductor ante tempus a fundo, quam si cum dolo et culpa deteriorem rem locatam faciat in proprietate - ibidem. -*
2. *Peritorum relationes omne ferunt punctum ad ea constituenda, quae sunt facti, et quas circa illorum artem, scientiamque versantur.*
3. *Arbitraria caesio arborum frugiferorum, earum nempe, quae fructibus ferendis, non ad lignominie usum idoneae sunt, locatori jus tribuit recedendi a contractu.*
4. *Locator potest urgere, quod conductores ab solita cultionis methodo non discedant, at si ii methodum non immutarunt, nisi ut meliorem efficerent fundi conditionem, cessat actio damnorum, vel caducitatis.*
5. *Ex pactorum vel onerum inadimplemento haud locus fit rescissioni contractus.*
6. *Quod afficitur nexu pignoris Praetorii, distrahi non potest, nisi Judicis accedente mandato.*

## DECISIO CCCCXLV.

Inclementi Cælo usi agrorum cultores quam maxime sunt anno 1830. Hyemali siquidem pluviæ extra modum immoderatus æstivus ardor successit. Germen hinc omne plantarum, et coltio universa vel aquis corrupta, vel ardente Sole arefacta. Nec minus aliis temporum infortunium obpassi sunt fratres Valeriani, quibus Comes Rodulphus Zaulios Faventious conductam suam vineam dedit ad ripam Tyberis, cum solidali Sacerdotis Dominici Ciambelli fidejussione. Haud tamen misertus temporum est Joseph Villettius, qui præest Romæ locatoris negotiis. Usus imo pacto pensionis annuæ repræsentandæ, de hac judicialiter egit in conductores, qui impares suo oneri ferendo victas quodammodo manus dederunt. Missus exinde miles in fundum, qui acerbam adhuc vindemiam armatus custodiret. Moltæ ex hoc querelæ inter locatorem, et conductores excitatæ invicem sunt. Villettius enim non egit solummodo de pensione repræsentanda, sed et indixit acerbum *exfractationis* judicium ex neglecta a Valerianiis vineæ cultione, damnisque in fundum illatis Questi e contra Valeriani sunt de milite in fundo diutius retento, quam par esset, de prædita utili Vini venditione, de damnorum calumnia. A. C. Pentini, qui actionem primam cognovit, conjunctis simul instantiis et damnorum, et exfractationis querelam rejecit, et locatorem erga Valerianios condemnavit ad præstanda damna realia, quæ eisdem intulerat. Provocavit Comes Rodolphus coram S. N. Auditorio. Et probata ex integro A. C. Sententia fuit in prima Causæ propositione, qua Comes haud stetit in judicio. Redintegrato autem certamine in partium contradictione, confirmata Decisio foit quoad *exfractationem*, non item quoad damna, quæ Valerianiis denegata prorsus fuerunt; ceu patet ex Causae Decisione diei 3 Decembris anni nuper elapsi. Atque idem redditum hoc mane judicium fuit; quo cum PP. quaesiverim = *An sit standum in primo, vel secundo loco decisis, seu potius sit recedendum a decisis in casu etc.* = Responsum dederunt = *In secundo loco decisis* =.

Quum in bonae fidei contractum lo- 1
cationis conductionis ita res veniat, ut eadem conductor frui debeat salva substantia, et agricultionem augeat magis, quam evertat, receptum quidem est, quod invitus expelli valeat a fundo, si male in re locata versatus sit, vel fundum non colat, uti oportet; ex conceptissimis verbis *Legis* 3 *Cod. de Locat.*, quam exornant *Sichard. Prælect.*

*in Cod. lib. 4 Tit. 63, Lege 3 de Locat., et Conduct., Cujac. Recit. Solemn. Lib. 14 Tit. 63 de Locat. et Conduct. Tom. 9 pag. 376 et seq.. et Rota in Romana Exfractationis 7 Martii* 1785 *num.* 3 *coram Lancetta, et* in *Romana* 27 *Januarii* 1815 *num.* 5 *et* 6 *coram Gardoqui.* Verum poena odiosa caduci non alias admitti in judicio debet, nisi gravissimae illae urgeant probationes, quae ab aequitate Juris exiguntur, ut quis a jure decidat ex contractu semel quaesito. Atque in casu expellendi conductoris ex eo, quod male versatus sit in re conducta receptum pro Juris canone est, quod non alias caducitati sit locus, nisi tria haec copulative concurrant: Conductorem scilicet male versari, et deteriorem rem ipsam facere in proprietate et substantia, non autem quoad solos fructus: graves esse hujusmodi deteriorationes: ac tandem evenisse ex dolo, vel dissoluta culpa conductoris. Sufficit autem alteram ex hisce rationibus desiderari, ut numquam caducitas odiosissima admittatur; ex iis quae cumulant Causae Decisiones *Prima* § 7. *Altera* § 2, et tradunt *Baldus in Authen. Qui rem num.* 2 *Cod. de Sacr. Eccles., Menoch. de Arbit. cap.* 78 *num.* 6, *Cyriac. Controv.* 268 *num.* 9, *Ciarlin. Controv.* 2 *num.* 2, *Pacion. de Locat. Cap.* 54 *numer.* 5.

2 Ea vero damnorum, sive deteriorationis capita Locator excipiebat, quae singula non uni vel alteri, sed omnibus prorsus caducitatis elementis plenissime carent. Querebatur enim de caesis frugiferis arboribus; de inversa cultionis methodo, de omissa vincti novi plantatione de sepibus denique quibus fundus concluditur, vel amotis, vel minus diligenter custoditis, ita ut pauperies in eo a conterminis possessoribus facta sit. Ast PP. animadvertebant, ad excepta haec damna prorsus rejicienda, satis superque esse judicium unum agnitoris judiciarii qui ex A. C. Pentini mandato venit in locum praesentem, et de re diligentissime inquisivit. Praeter enim omissam vineti novi plantationem, et immutatam in melius cultionem fundi, quae insane prorsus per locatorem excipiebantur ad arguendam amicam sibi Peritiam, sed quod vel cognitoris ipsius judicio, vel gravius ex his, quae in jure posterius constituentur, ne damno quidem, vel ulli fundi praejudicio accenseri valent, quoad reliqua, et conductorum industriam, et optimum fundi statum peritus comprobavit, atque ideam usque amovit exceptae illius deterierationis, ex qua locator urgebat durissimam *exfractationem.* Nihil autem in jure magis exploratum, quam quod judicialium Peritorum relationes omne ferant punctum ad ea constituenda, quae facti sunt, et quae circa illorum artem, scientiamque versantur; ita ut ab illorum judicio desciscere nullatenus liceat, nisi de errore vel laesione plenissime doceatur, ad ea quae firmant Causae Decisiones *Prima* § 4, *et altera* § 3. Nec proderat ad judicium cognitoris judiciarii evertendum, vel expiscata testimonia, vel peritias extra judicium quæsitas atque ad commodum compositas in medium proferre; quarum nullus esse potest usus, et nihil omnino valent, ut vim, et auctoritatem elidant Peritiæ judicialis. *Rota in decis.* 424 *num.* 6 *coram Riminaldo*; *in Faventina Læsionis enormissimæ* 5 *Maii* 1826 *n.* 6 *coram Reverendissimo P. D. Meo Spada Decano*; *in Firmana Emendationis damnorum* 24 *Februarii* 1882 *num.* 1, *et in Septempedana quoad Sylvam = Le forme =* 4 *Maii* 1332 *n.* 9 *cor. me.* 3

Atque eo tutius constitit de auctoritate Peritiæ judicialis, quum nihil statutum in ea fuerit, quod veritati, vel justitiæ apprime non cohæreat. Et re quidem vera, urgebat præ omnibus locator deteriorem effectum fundi conducti statum, et cæsis arboribus frugiferis ad ingentem numerum *centum*, *et sexaginta.* Ast exagerabantur hæc ad invidiam. Non enim ambigitur, quod arbitraria, cæsio arborum frugiferarum, earum nempe, quæ fructibus ferendis, non ad lignaminis usum idoneæ sunt, redeat in substantiale conducti fundi præjudicium, ita ut locatori jus tribuat liberam fundi possessionem vindicandi,

et recedendi a contractu. *Pacion. de Locat. et Conduct. Cap.* 54 *num.* 10 *Rota in Beneventana Locationis super Bono jure* 15 *Aprilis* 1785 *num.* 10 *corom Strasoldo.* Præsertim cum conductores juraverint in contractu de re bene utenda, atque augenda fundi cultione, ex traditis per *Ciarlin. Controv. cap.* 2 *num.* 9, *Cyriac. controv.* 206 *num.* 9, *Pacion. dict. Cap.* 54 n. 40. Verum non omnis arborum frugiferarum cæsio culpæ, vel dolo conductoris tribuenda est; et cessat paena caduci, quatenus illae vel naturaliter exaruerint, vel amotæ sint ut noxiis umbris vineta liberarentur, vel idcirco fuerint, excissae, ut novao, et melioris qualitatis antiquis sufficerentur. Rem, qaae naturali ipsa ratione facile concipitur, planissimam undique faciunt post *Glossam in Lege Divortio* § *Si fundum ff solut. Matrim.*; *Paoion. Cons.* 32 *n.* 5, *et seq.*; *Riminald. Cons.* 74 *num.* 17, *Mantica de Tacit. Lib.* 22 *Tit.* 29 *n.* 14; *Menoch. Soas.* 13 *num.* 17, *Ciarlia Controv.* 2 *aum.* 65 *et seq.*; qui rem Magistraliter expendit. Quotquot vero adductæ sunt causae, quae valeant ad caesionis factum cohonestandum, omnes pro Valerianiis invicte urgeat in casu. Constat praa primis arbores nonnullas naturaliter iateriisse; quod facillimum prorsus in fundo Tiberinis aquis singulo quoque anno, ut plurimum, obundato, ex intemperie vitio, quod agrestes dicunt = *Calda, e fredda* = ceu judicialis cognitor retulit, et ipsa facti evidentia demonstratur· Constat enim plurimas ex arboribus, ab initio comprebensis in conductione, naturali casu defecisse, ita ut nec colligi in traditionis actu valuerint, cui coaductores post aliquid temporis subscripserunt. Naturali autem casui arbores adjunguntur necessario a Valerianiis excisae, ut foveas ingentes ducerent per fundum universum ad palustres aquas amovendas, quæ idcirco non absque calumnia vel conductorum culpæ, vel fundi præjudicio tribuerentur. Et culmen omnibus adjungit, quot totidem ferme arbores novas Valerianii antiquis in conductione traditis suffeceruot, quæ et ætate, et qualitate illis praetiosiores existunt.

Nec minus injusta querela de inversa cultionis mothodo. Fide etenim non bona locator hac de re tempora prorsus disparatissima conjungebat, dum, missis novissime viris peritis in fundum, qui eumdem desertum fermo cognoverunt, vellet hæc ad tempus referre, quo eognitor judiciarius semel, et bis venit in rem præsentem, et de eadem judicialiter retulit. Ast non posterior fundi Status, qui forte, ex facto uno locatoris evenit, ob vexatos conductores, sed antiquus attendi in judicio debet, quo fundus erat de tempore motæ litis. Ea autem methodo fundum a Valerianiis excultum judicialis peritus cognovit, quæ etsi differat a methodo frequentius hic usa, melior tamen reperta facile est, vel quia vites tutius custodiat, vel quia cultionem exigat sumptuosiorem, et magis industriam. Retulit exinde cognitor judiciarius = *Secondo la mia arte, e Perizia, non posso per una tale variazione calcolare verun danno, perchè la vite sta forse meglio appoggiata e più sicura con la suddetta armatura, che quella che sogliono pratticare nelle vigne di Roma* =. Si igitur in fundi cultione versati conductores sunt, uti boni patres famiglias, si præceptam in contractu methodum non alias immutarunt, nisi ut meliorem efficerent fundi conditionem, incivile omnino erat eis dem pænam caduci in singularis industriæ præmium irrogari. Potest quidem locator urgere ex pacto convento, quod conductores ab solita culturam eamdem reducant: sed omnis cessat ex hoc damnorum, vel caducitatis querela. 4

Sequuntur damna, quæ fundo obventa locator contendebat ex certa vincti quantitate non consita, ceu invicem in contractu convenerant. Sed omnem superabat absurditatem ex hoc pacti inadimplemento caducitatem urgere, et odiosam contractus rescissionem. Præprimis PP. ex æquitate, qua pollent, animadvertebant, egregiam cocli et tempestatis inclementiam conductoribus, non leviter suffragari; quum ex pluvis 5

aquis, et fundo obundato, tempus ad vincta conserenda idoneum lapsum inutiliter fuerit extra quamlibet culpam conductorum, qui aliunde omnia jam comparaverant, quibus adimplendæ contractus legi pares evaderent. Cæterum, quidquid hac de re sit, et culposo omissionis facto per hypothesim admisso, haud tamen jus exinde orietur agendi pro contractus rescissione, vel pœna caduci. Juris etenim elementarii est, quod ex pactorum vel onerum inadimplemento, de quibus in contractu nominato convenit, haud locus fiat rescissioni, sed actio tantum suppetat adimplementum, ex his, quæ cumulant causæ decisione *Prima* § 6 *et altera* § 5. Sed omnibus futilior reliqua damnorum querela, desumpta ex sepe, qua fundus concluditur, minus diligenter custodita. Ceu enim hac de re judiciarius peritus animadvertebat, et refert secunda decisio, quæ confirmatur § 5 sepem conductores non extirparunt, sed abraserunt ad humum. Ex hoc autem sequebatur, quod iterum virescere poterit, et juxta ejusdem periti sententiam, duorum annorum spatio ad pristinum statum redire. Tempore vero excitandi judicii non duo, sed quatuor supererant anni ad locationem absolvendam, ita ut per commode Valeriani eamdem septem, finito contractu, restituere poterant, quam acceperant. Præterea sepis cæsio haud damnum constituit, quod respiciat fundi substantiam, cum illa suapte natura sit infrugifera, ac fundo tantum inserviat ad quadrupedem impediendum, ne faciat pauperiem. Hinc erat, quod etiamsi, finito contractu, sepes nondum satis viresceret, poterat interim etiam artificialiter extrui, quin substantia ullum, ne levissimum quidem præjudicium sentiret.

6 Nullum igitur existit ex damnis per locatorem exceptis ad augendam pœnam caduci. Abunde immo constat ex industria, ac diligentia Valerianios in fundi possessione versatos fuisse, ut ex cultione agri prorsus egregia annui vinæ fructus haud parum uberiores evaserint: ita ut, si in locationis conductionis principio vix tria aut quatuor dolia vini afferebat, nunc plus viginti produxit. Ast ex denegata exfractatione, non et damnorum actio suspicienda necessario erat, quæ sibi illata Valerianii contendunt, ex præpedita vini venditione. Ubi enim constituit *secunda causæ decisio* § *fin.* ex legitimo Judicis mandato obtinuerat locator, quod fructus omnes pendentes, jam sibi ex jure obligati, ut suo nomini satisfieret venirent sub pignore prætorio, atque idcirco ab armato milite custodirentur. Nullo hinc jure Valeriani arbitrium sibi propugnabant procedendi ad vini alienationem quod cum nexu afficeretur pignoris Prætorii, distrahi non alias poterat, nisi ad nutum Judicis, atque ipsius accedente mandato. Insuper serio animadvertendum, quod nullatenus constat in specie de damnis conductoribus obventis ob præpeditam hanc vini venditionem. Distractum hoc postmodum fuit pretio eo paululo minori, pro quo emptionem venditionem, privato arbitrio contraxisse Valerianii supponunt. Atque adjiciendum, quod omnis anterioris contractus probatio in ore erat unius testimonii, cujus dictum idem ac dictum nullius haberi debet ex Jure elementari. Quæ autem obtinet de vini venditione et de asello, et de curru dicenda sunt, deque aliis quæ sub Prætorio pignore item venerunt, atque exinde distrahi æque non poterant, nisi ex Judicis mandato.

Atque ita, meo quoque accedente suffragio, atque omni habita relatione ad secundam causæ decisionem, jus redditum fuit. Utraque etc.

---

## ROMANA MANUTENTIONIS

### SUPER BONO JURE

*Lunae 22 Aprilis* 1833.

### ARGUMENTUM

Si in civilibus omnibus judiciis juris regula viget, quod satis reo convento sit vincere ob non jus actoris, eo magis haec suam exerit vim ad repel-

Digitized by Google

lendam servitutem, ita ut, toties libera praedia declarari debent, quoties servitutum jura arctissimi plane probationibus non evincantur.

SUMMARIUM

1. *Qui per latifundia aditum sibi asserit, necesse est vel ut publicitate ejusdem viae, vel servitutis activae titulo id evincat.*
*Toties libera praedia declarari debent, quoties servitutum jura arctissimis probationibus non evincuntur - ibidem. -*
2. *Publica via intelligitur, cujus solum publicum certis finibus dirigitur ab ea; qui jus publicandi habuit, ut per eam omnibus pro lubitu iter agere liceat.*
3. *Privatum diverticulum non est confundendum cum publica via.*
4. *Ex taxarum solutione, recte infertur utrum via sit publica, nec ne.*
5. *Ut testes probent immemorabilem, necesse est, quod testentur de facto proprio, et per annos saltem quadraginta.*
6. *Difficultas transitus, et deficientia necessitatis, faciunt praesumere praediorum libertatem.*

## DECISIO CCCCXLVI.

Secus consularem viam Portuensem ad locum, qui dicitur *Pozzo Pantaleo* alia occurrit via *della Magliana*, quæ ad pontem ejusdem nominis porrigitur. Exinde vero succedunt plura latifundia, maxime Principum Pallavicini, et Barberini, quæ fines habent versus pontem vulgo = *di Galera* = juxta eamdem viam consularem. Jam vero cum anno 1829 a pervehendis plaustris per fundum Barberinium =*alla Marranella*= Petrus Civilius interdiceretur, et deinde etiam Aloysius Gentili, qui retrocedere debuit, tunc primum Princeps Ludovisius Boncompagnius, et cæteri, qui trans pontem *di Galera* prædia possident, inito inter se consilio, Principibus Pallavicinio, et Barberinio ad A. C. Marullum diem dixerunt, mandatum expostulantes manutentionis in *pacifica* possessione transeundi per viam della Magliana usque ad pontem. Judex A. C. periti cognitoris deputationem decrevit, qui de statu viæ opportune referret. At ab hoc Decreto ad S. Tribunal Princeps Pallavicinius, et Barberinius provocarunt. Hinc duplex proposita quæstio, altera super manutentione, altera super deputatione periti; iis tamen vadimonium deserentibus, manutentionis causam Princeps Boncompagnius obtinuit, veluti ex mea Decisione *Romana Manutentionis diei* 24 *Decembris* 1832. Verum instaurato judicio, ut omnis controversia ea de re pœnitus præcideretur, de bono jure cognoscendum etiam ad effectum manutentionis P. P. duxerunt. Quare cum in his Comitiis rogationis formulam proposuerim = *An et cujus favore constet de bono jure, ita ut sit danda manutentio in casu etc.* datum responsum fuit = *Negative in omnibus.*

1 Exploratum est unumquemque esse rei suæ moderatorem, et arbitrum, ut nemini liceat injussu suo in ea versari, et deteriorem facere libertatem, plenumque usum proprietatis. Itaque cum Princeps Boncompagnius, abnuentibus licet Principibus Pallavicinio, et Barberinio, per eorum latifundia aditum sibi adserat in viam *della Magliana* necesse est vel ut publicitate ejusdem viæ, vel servitutis activæ titulo id juris sibi evincat. *Mascard. de probat. Conclus.* 1227 *num.* 3 *Rota Decis.* 1117 *num.* 1 *cor. Ameriz, in Firmana Manutentionis* 21 *Martii* 1753 *num.* 8 *cor. Figueron, in Bononiæ Viæ* 25 *Junii ejusdem anni num.* 4 *coram Vicecomite, et in Reatina Manutentionis super bono jure* 7 *Maii* 1770 *num.* 7. *coram Riccio.* Via enim *della Magliana*; præter pontem ejusdem nominis, nulla gaudet publicitatis nota, neque ulla servitus viæ in Latifundiis, ad Principes Barberinium, et Pallavicinium spectantibus, Principes Boncompagnio constituta deprehenditur. Ex quo inciviliter omnino vir Princeps urgebat odiosam servitutem et viam, atque actum per aliena dominia, et merito Principes Pallavicinius, et Barberinius manutentionis Causam obtinuerunt, de quorum bono jure eo ipso constare dicendum est, quod actor nullo legitimo monumento obligata sibi aliena latifundia demonstrat. Si enim in civilibus omnibus judiciis Juris regula viget, quod satis reo convento sit vincere ob non jus actoris, eo magis hæc suam exerit

vim ad repellendum servitutis odium, ita ut, toties libera prædia declarari debeant, quoties servitutum jura arctissimis plane probationibus non evincantur. *Lege Actor.* 23. *Cod. de Probation. Lege Qui accusare* 4. *Cod.* de *Edendo*; *Alex. Cons.* 46 *num.* 2 *lib.* 5 *Dec. Cons.* 564 *num.* 1. *Marcard. de probat. dict. Conclus.* 1227 *num.* 3 *et* 11 *Rota Decis.* 7 *num.* 1 *cor. Lancetta*, *Dec.* 75 *num.* 10 *cor. Tanara in Cæsenaten Contractu*; 27 *Junii* 1774 *num.* 8 *cor. Soderino*; *in Ferrarien. Immissionis super reservatis* 2 *Junii* 1777 *num.* 21 *cor. Ratto*, *et Romana Donationis super liquidatione* 31. *Januarii ejusdem anni num.* 5 *cor. Soderino.*

2 Quoad enim viæ publicitatem, ex eo hæc potissimum arguitur, quod publicis vis præpositi in eam sartam, tectamque servandam, reficiendamque suam operam conferant. Ipsi enim non tuentur itinera, actusque privatos, quos jure servitutis, vel usus prædia prædiis debent, sed curam tantummodo in publicas vias impendunt = *Rota* in *Recent. Decis* 287 *num.* 6 *par.* 9 *decis.* 477 *num.* 3. *part.* 19, *Decis.* 6 *numer.* 4. *cor. Molines*, *Decis.* 198 *numer.* 2 *cor. Vanara in Bononien. Attentatorum* 2 *Junii* 1742 § *non obstat cor. Millino*; *et in Bononien. Attentatorum* 25 *Junii* 1753 *num.* 6 *cor. Vicecomite* = At vero asseritur, nulloque modo probatur a Principe Piombini controversam viam refici a publici præpositis nisi usque ad pontem = *della Magliana* =, ubi via desinit, et moritur. Deinde post pontem = *della Magliana* = nulla amplius via prosequitur, sed latifundia succedunt, et vix est *un trattoro di rotare senza carrareccia, e senz' alcuna opera manufatta, e senza limite di larghezza, occupando vario spazio a piacere de transitanti, e secondo le stagioni*. ceu peritus narrat, neque ad eam cuique liber patet accessus, cum hic illic ligneis instructa sit repagulis, quod procul dubio omnem ab ea publicitatis speciem removet. Publica namque via intelligitur =, *cujus solum publicum est certis finibus latifundinis directum ab eo, qui jus publicandi habuit, ut per eam omnibus pro lubitu agere liceat* = *Lege* 2 § *Viam ff. Ne quid in loco pub.*, *et Rota in Imolen. seu Ferrarien. Viæ super solutione praetii* 16. *Aprilis* 1790 *numer.* 25 *cor. Malvasia*, *et in Confirmatoria diei* 20. *Aprilis* 1792 *num.* 6 *cor. Eodem.* Quocirca via *della Magliana* = non publicis, sed, ut maxime, viis Consortialibus adnumeranda foret, ita ut per eam jus transeundi habeant, qui conterminos possident fundos: non vero Princeps Boncompagnius, cui prædium est ab ea prossus dissitum traspontem = di *Galera* = juxta viam consolarem, quanti potest, ceu omnes alii possessores utuntur.

Neque ad publicitatem hujuscæ viæ adstruendam confert quidquam tabula, quæ jussu Alexandrii VII. Jam inde ab anno 1660 confecta proponitur, et cui Vir Princeps Boncompagni vel maxime innitebantur, ex eo quod designat, via *della Magliana* haud in publica tabula fuisset, si iter privatumque actum præberet, ceu Rota punctim de tabulis Alexandri VII docet *in Decis.* 1336 *num.* 18 *cor. Lancetta in Romana Reparti viae super primo dubio* 8 *Marti* 1730 *num.* 4 *cor. R. P. D. Meo Spada Decano.* Haec enim tabula caret die, caret consule, certo suo auctore, ut merito omnis ipsius fides in discrimen revocetur. Præsertim cum ea etiam discrepet ab aliis, quæ in Archivio servantur Tribunalis viarum: in iis quippe omnia Latifundia accurate recensetur, per quæ iter fit; vi eque publicæ certa latitudine et proprio nomine distinctæ reperiunt. At opposita tabula nihil exhibet ejusmodi, ut publice viae qualitas, vel existentia ex ea concludenter arguatur. Insuper nec PP. animadvertere praetermiserunt, non certam viae publicae designatiunem tabulam, qua de agitur, exhibere, sed quamdam punctorum seriem, quae ad eumdem ferme locum controversiae viae obsignata conspicitur. Haec autem punctorum series publicam viam minime ostendit, sed ad summum privatum diverticulum ad latifundia quod tabulae auctori. In 3

cam placuit referre. De hac igitur tabula informi, et vetustate absoleta nihil certus actui posse, et nihil tuto ex ea coniici, ad gravissimam de publicitatae viae discrepationem, consideratissime PP. Domini Mei censuerunt.

4 Multo autem minus publicitas viae, de qua agitur, colligi potest ex repetitis taxarum solutionibus, quas obiicit Princeps Boncompagnius. Re quidem vera ad reficiendam viam, quae contenditur adesse trans pontem = *della Magliana* = per latifundia Pallavicini, et Barberini, numquam taxam indictam fuisse apertissimum est. Cum vero *via della Magliana* usque ad Pontem, eaque Portuensis simul emendatae fuerunt, tunc praediorum possessores partem in utriusque emendationem contulerunt. Ast ubi via *della Magliana* tantum instaurata fuit, in contributum non fuerunt vocati, qui ea altera parte *di Porto* latifundiis potiuntur, quod testes instructissimi docent, idemque ex ipsis taxarum indictionibus evidenter depromitur. Haud igitur ex ex illarum solutione controversiæ viæ publicitatem Princeps Boncompagnius concludit. Immo servatus hic modus in taxarum solutione mirifice in Principem retorquebatur ad excludendam viæ publicitatem, Viæ autem publicitate sub mota, corruit plane jus per eam transeundi, quod Princeps Boncompagnius sibi asserit Perperam vero is, ad hoc jus protoundum, servitutem viæ in latifundiis Principum Pallavicini, et Barberinii sibi constitutum contenderet. Hujusmodi enim est servitus, ut numquam præsumatur, sed nitiss'mis argumentis evincenda est, quippe quæ odiosissima res est, et naturali bonorum libertati contraria *Lege fin. ff de servitut. praedior. Lege Altius Cod. de servitut.*, *Lege Titia ff de solut.*, *Surd. Cons.* 74 *num.* 7 *Cephol. Cons.* 369 *num.* 94 *lib.* 3. *Mareseott. Var. resolut. cap.* 85. *num.* 4 *et Nostrum S. Auditorium in Decis.* 2 *num.* 1 *tit. de Servitut. eor. Falconerio, Decis.* 13 *num.* 2 *et seq. Decis.* 133 *num.* 5 *et seq. apud de Vecch. ad Mater. Bon. Regim. et in Imolen. seu Faventina Aggerium super bono jure* 7 *Aprilis* 1758 *num.* 1 *cor. Bussio.* Id autem Princeps Boncompagnius non conficit. Perstat igitur in suo robore immuta pro Latifundiis Pallavicinio, et Barberinio præsumptio libertatis, omnisque servitutis exemptio.

Profecto Princeps Boncompagnius nullum profert monumentum, quo effectiva, et legitima servitutis viæ impositio in iis Latifundiis commostretur. Plures vero testes inducit ad eamdem argnendam per temporis immemorialis præscriptionem, quorum voce et servitutis jus, et usum antiquissimum evinci tradit *Rota in Urberetana Viae super bono jure* 4 *Martii* 1712 § *Plures testes cor. Scotto*, *in Ravennateu. Viae* 7 *Maii* 1755 *num.* 22 *cor. Elephantutio*; *in Reatina Manutentionis super bono jure* 27 *Movembris* 1767 *numer.* 4 *cor. Olivatio confirmatoria diei* 7 *Maii* 1778 *num.* 3 *et* 5 *eor. Riceio, et alibi passim.* Sed plura urgebant in casu ad imparem testium fidem dijudicandam, quæ servitutis otium atque immemorabilem præscriptionem evincat. Nemo enim ex iis testibus præditus est qualitatibus, quas exposcit notissima *Glossa in cap.* 1 *Verb. Memoria de Rescript. in* 6. Alii siquidem testantur de recenti tra situ per latifundia Principum Barberinii, et Pallavicinii, quin de auditu a majoribus verbum faciant, ideoque ad immemorabilem traduci non possunt: alii sunt conductores latifundiorum *Verso Fiumicino*, quorum hic transitus maximi interest, qui proinde in pretio habendi non sunt. Alii denique transitum asserunt de audito a majoribus, sed non addunt, quod hi quoque idem ab aliis senibus audierint. Non ergo probant immemorabilem, quippe ad eam comprobandam exigitur, ut testes de facto proprio, et ex certa scientia testentur per annos saltem *quadraginta*; ut idem audiverint a majoribus, et denique majores ipsi idem a senioribus auditum dicerent, quin rumor unquam in contrarium extiterit. *Rota in Imolen. seu Ferrarien. Viae super solutione pretii* 16

*Aprilis* 1790 *num.* 18 *coram Malvasia.* Præsertim cum multi, et gravissimi testes haud desint, qui ideam usque servitutis excludunt, et vel impeditum pro arbitrio privatæ viæ usum, vel pro arbitrio ab dominis, concessum profitetur iis tamen legibus adjectis, quas o re sua imponere duxerunt. In conflictu autem testium illis hærendum est, qui pro libertate, non pro exosa, et acerbissima servitutis inclusione perhibent testimonium, *Rota cor. Emerix. decis.* 7 *num.* 5, *cor. Ratta Decis.* 66 *num.* 10. *Caesenaten. Servitutis* 26 *Junii* 1738 § *fin. cor. Molino*, *in Camerinen. Juris Molendini* 10 *Xbris* 1703 *num.* 6 *cor. Paraccian*; *in Windonen. Officii Diaconalis* 29 *Februarii* 1779 *num.* 4 *cor. Eodem in Reatina Servitutis super bono jure* 12 *Januarii ejusdem Anni num.* 10 *cor. Olivatio*: *et in Imolen. seu Ferrarien. Manutentionis super bono jure* 30 *Aprilis* 1792 *n.* 10 *cor. Ratta.*

6 Sed ipsa constitutio, et situs prædiorum, quæ sunt trans pontem =*della Galerà*=, mirum in modum hanc servitutem viæ excludunt. Facilis enim est, et comodus ad ea accessus per viam publicam consularem; difficilis contra per latifundia Principum Pallavicini, et Barberini, ubi ne vestigia quidem viæ occurrunt, sed hunc illuc fovei, et cancelli iter impediunt, veluti testes una cum perito agronomo referunt. Quæ sane circumstantiæ, quo magis verosimilem, minusque probabilem reddunt servitutem propter difficultatem transitus, et deficientiam necessitatis, ita quoque rationabilius adstipulari videbantur ad tuendam in Principibus Pallavicinio, et Barberinio tum præsumptam, tum effectivam possessionem libertatis prædiorum. *Card. de Luca de Regol. disc.* 137 *num*, 5 *et* 6; *Palma Nep. Decis. Lucen.* 253 *num.* 12 *et numer.* 14 *Decis.* 883 *num.* 4 *et seq· cor. Cerro*; *et dec.* 60 *post Pacichel. de Distant. num.* 4. Huc accedit neminem unquam transitu per latifundii a supradicta uti potuisse, nisi ab eorum damnis veniam impetrasset. Eos etiam hunc transitum modo concessisse, modo denegasse constat. Si qui autem aliquando, nulla impetrata venia, per ea latifundia sibi iter facere contenderunt, viæ poenam debuerunt luere, vel pignore dato criminali judicio conventi sunt: ceu liquet ex codice hujusmodi querelarum. Neque illud etiam prætereundum, eos qui transire quandoque potuerint, non animo, et jure adquirendae servitutis, sed potius ob refectionem viae publicae, vel precario, aut jore familiaritatis, ut frequenter usuvenit inter conductores fundorum, vel denique clam quoque transiisse. Ex quibus sane, sicuti non dubitari potest, quin exclusus remaneat quilibet legitimus usus praetensae servitutis, ita etiam magis comprobatur controversorum praediorum libertas.

Et ita meo quoque suffragante atque in acri partium certamine jus redditum est.

---

## ROMANA SEU CALLIENSIS

### LIBERATIONIS A MOLESTIIS

*Veneris* 5 *Julii* 1833.

### ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

#### SUMMARIUM

1. *Cum ex apoca transactionis eluceat quod aliquis promiserit se quempiam liberaturum a molestiis, fidem prestare debet.* - Et num. 2. -
3. *Si quis certam nummorum persolvit quantitatem in vim obligationis, a qua liberationem a molestiis promittit, locus illico stipulatae fit liberationi, semulac molestiae adveniant.*

### DECISIO CCCCXLVII.

Ut fusius narratur in mea contemporanea *Romana seu Callien. Pecuniaria* indicta licitatione sub hasta vectigalis impositi frugibus terendi, potior repertus oblator pro conductione vectigalis Provinciarum Perusiæ, Spoleti, et Rheatis fuit Laurentius Pizzuti, qui annuam pensionem scutorum *centum viginti octo*

*millium et quingentarum* pollicebatur. Facto *vigesimae* auctario a Michele quodam Ceccarinio, Marignoli fratres, qui sperabant se ab eo laturos cessionem redemptionis, impetrarunt a Pizzutio, solutis eidem pro præmio scutis *octo millibus*, ne oblatam *vigesimam* æquaret. Verum, quum Ceccarinius durissimas conditiones pro cessione proposuisset, nova fuit a Marignoliis subscripta syngrapha cum Pizzutio, qui sese obstrinxit ad acceptandam *vigesimam*, redemptionemque transferendam ad Marignolios, novo stipulato præmio, vel hostimento, scutorum *quatuor millium*, quæ quatuor æqualibus ratis intra quadriennium persolvi debuissent. Recepta a Marignoliis redemptione, eamdem ipsi post modum cesserunt Comiti Cristophoro Marcelli, cum quo solemnem transactionem inierunt ad componenda plurima, eaque gravissima, et implexa negotia, quæ cum eo intercedebant.

Placuit transigentibus quod Marcellius repræsentaret scuta *quatuor mille* Pizzutio promissa atque ut ipse, cum censeret præfocatoriam et nullitatis vitio infectam stipulationem, defenderet in judicio Marignolios, eosque liberaret a molestiis, quæ hoc nomine ipsi ferre potuissent, accedente uti solidali fidejussore Comite Castruccio Castracane. Venit interea dies solutionis primae ratae, et vadatis a Pizzutio coram Collegio Juridico A. C. fratribus Marignolis, hi vocarunt in judicium Marcellium, ejusque solidalem fidejussorem ut molestias assumeret. Quum vero Marignolii damnati fuissent, pari gradu ipsi obtinuerunt damnari Comites Marcelli, et Castracane ad repræsentandam summam a Pizzutio petitam, inutiliter hisce provocantibus ad Sacrum nostrum Ordinem, qui Judicatum Collegii A, C. Rotali Sententia confirmavit. Pariter, cum institutis judiciis per secunda et tertia rata, A. C. Judices decrevissent eas deberi a Marignoliis, pari decreto damnarunt Marcellium ejusque fidejussorem ad liberationem a molestiis; et in utrisque judiciis, re delata ad S. Nostrum Ordinem PP. appellationem denegarunt. Supererat quarta postrema rata, pro qua Pizzutius a Tribunali A. C. mandatum obtinuit contra Marignolios, qui contemporaneo judicio ab iisdem Judicibus A. C. Sententiam contra Comites Marcelli et Castracane obtinuerunt. Proposita dein quæstione super appellatione ab his judicii apud Sacrum Nostrum Ordinem, placuit Patribus in Comitiis 15 Aprilis præsentis anni rescribere in utroque judicio = *Servetur appellatio in devolutivo tantum* =; proindeque concti Marignolii fuere rependere Pizzutio *scuta mille*. Hodie, instaurato certamine etiam inter Marignolios, ac Marcellium, et Castracane, concepta Dubii formula a PP. quæsivi = *An et in qua summa constet de credito in casu etc.* = et absentibus ab judicio Comitibus Marcelli, et Castracane, responsum tulit = *Pro informantibus* =; hoc est = *Affirmative, et constare de credito scutorum Mille*.

1 Ambigi profecto non poterat de obligatione comitis Marcelli, ejusdem solitalis fidejussoris Castracane repræsentandi Marignoliis scuta *mille*, quæ ab his Pizzutio persoluta sunt pro quarta rata primæ obligationis quatuor *mille* scutorum. Quod enim ad Marcellium attinet, id evidenter exurgit ex apoca transactionis, in pleno validitatis statu manente, in qua ipse, non modo promisit se solutionem scutorum *quatuor mille* præstiturum, sed etiam liberaturum Marignolios a molestiis, quæ a Pizzutio pro assequenda eadem summa inferri potuissent. Quum itaque nec nomen dimiserit, nec probare in judicio potuerit indebite urgeri a Pizzutio solutionem, et ex denegata appellatione suspensiva Marignolii fuerint coacti vere postremam ratam scutorum mille profecto Marcellius ex placiti fide tenetur ad eos indemnes præstandos, summamque ab iisdem solutam restituendam. Aliter inanis, et vacua redderetur promissio sibi a Marignoliis stipulata in correspectivitatem conductionis vectigalis, quam ipsi Marcellio cesserunt.

2 Nec minus evidenter ex eadem tran-

sactionis apoca apparebat obligatio fidejussioris Comitis Castracane, qui disertissimis verbis sese obstrinxit = *solidalmente col Sig. Conte Marcelli a favore dei Signori Marignoli per la liberazione dalle molestie, che ricevino, e possino ricevere in seguito dal Signor Lorenzo Pizzuti per l' enunciato pagamento di scudi quattromila dichiarandosi principale obligato ec.* = Hæc enim verba apprime demonstrabant Comitem Castracane effectum correum debendi cum Comite Marcelli, ad tradita *per Merlin. de pignor. et hypothecis Lib.* 5 *Quæst.* 8 *Gravett. Cons.* 275 *n.* 3 *Rot. Cons.* 50 *Dec.* 34 *n.* 10 *Palma Alleg.* 335 *n.* 14 *Faut. Decis.* 942 *n.* 5 *Constant. Vot. Dec.* 193 *n.* 7 *et Rot. cor. Marco Dec.* 151 *num. quatuor mille* quæ a Marignoliis promissa Pizzutio, solemni transactionis instrumento persolvere promiserunt.

3 Constituto, quod Comes Marcelli, illiusque solidalis fidejussor tenerentur solvere scuta *quatuor mille*, et liberare Marignolius a molestiis, quæ exinde evenire potuissent, sponte sua fluebat eosdem fore damnando ad repraesentanda scuta *mille* ab hisce repensa. Siquidem, quum hæc fuerint persoluta vim obligationis a qua ipsi liberationem promiserunt, sane locus illico fiebat stipulatæ liberationi a molestiis, simulac molestiæ advenerunt, sive hæ justæ, vel injuste sint ut passim notat Sacer Noster Ordo, et præcipue *in Maceraten. super Liberatione a Molestiis* 7 *Aprilis* 1822 § 3 *cor. Martinez.* Quod eo magis retinendum in proposita specie quia orta erat Res Judicata super prima, secunda, et tertia rata, ut inde indigitaretur quale judicium ferri debuisset de quarta, quæ eodem titulo eademque de causa debetur. Quum vero pro ratis præcedentibus indultum fuerit mandatum in execqutionem Reijucatæ denegari profecto non poterat in hodierno judicio nisi impetrato a Comitibus Marcelli, et Castracane beneficio restitutionis in integrum quum nequeat infrigi nec directe, nec indirecte, nec alio quidem sub nomine, quidquid a præcedenti Re-Judicata fuerit definitum, ceu statuit Tuprema Signatura *in Ferrarien. Injunctionis facultatis* 1 *Februarii* 1827 § 5 *cor. R.P.D. Grossi et in Imolen. Circumscriptionis* 24 *Junuarii* 1828 § 2 *cor. Eodem et Rota in Dec.* 21 *n* 51 *et Decis.* 1008 *coram Molines. et in Romana Pecuniaria* 20 *Aprilis* 1802 *cor. Emo Cesarei.*

Ft ita altera tantum etc. meo quoque cum suffragio, decisum est.

---

# ROMANA SEU FIRMANA

## PECUNIARIA

*Lunae* 6 *Maii* 1833.

## ARGUMENTUM

Census, ut simplex creditum, hypothecae nexui devinci non potest. Pro assequenda creditorum securitate perpetuo in inscriptionibus leges requisiverunt, praecisam fundi hypothecati designationem, crediti quantitatem, titolum, nomen debitoris, et creditoris.

### SUMMARIUM

1. *Quaelibet hypotheca inefficax est extra circumdarii fines, in quo inscripta fuit.*
2. *Census, uti simplex creditum, inter res mobiles recensetur.*

   *Res mobiles, antequam vigens hypothecarium regimen invectum foret, hypothecariis nexibus devinci poterant, quamdiu in debitoribus manibus mansissent - ibidem. -*
3. *Canones inscriptionibus hypothecariis devinci possunt.*
4. *Obligatio cameralis, etsi per nuperrimas leges de novo pacisci nequeat, non prohibetur vero, quod conventa tempore habili, suam possit exercere vim.*
5. *Error in debitoris designatione incursus, nullitatem inscriptionis secumfert minime vero error incursus in creditoris persona.*
6. *Lex aperte constituit, quod pro hypotheca inscribenda exhibendus sit titulus originarius.*

## DECISIO CCCCXLVIII.

Inclinastis suis rebus se succurreret Marchio Gundisalvius Nunez, scuta 500 acceperat a Marchionibus Passeri, Patriciis Firmanis, qui, ut hoc nomen

frugiferum redderent, Joanni Baptistæ Petrini, Romæ degenti, mandarunt, ut cambii instrumentum conficeret cum debitore Nunez. Dio igitur 23 Junii 1797. Petrinius, reticito committentium nomine, propria persona solemnes cambii tabulas celebravit, in quibus pro capitis securitate debitor Gundisalvius Camerali obligatione se obstrinxit, promittens semisses, usque ad ejusdem restitutionem, usuras in singula *centum* sollicitus deinde fuit Petrinius aperte declarare, emissa bonæ fidei confessione, confecta ab eodem tabellione, et sub eodem die, quæ obsignatus fuerat cambii contractus, a se nihil aliud præter nomen, præstitutum fuisse in inito contractu, et pecuniam unice spectare ad eosdem Marchiones Passeri. Res ita processerunt usque ad annum 1809, in quo invectum fuit in Pontificia Ditione Hypothecarium Regimen. Cauti tunc fuere Passeri nondum restitutum nomen hypothecaria inscriptione vallare, proindeque Petrinius, uti « *Agente dei Signori Passeri* » generalem hypothecam inscripsit super bonis omnibus debitoris Gundisalvi, « *per sicurezza di scudi* 5000 *capitale di cambio, resultante da Instrumento dei* 12 *Giugno* 1797 *in atti del Ferri Notaro ec.* » quam inscriptionem deinde ronovavit *sub die* 13 *Decembris* 1820 pro majori summa, adjecto scilicet fructuum triennio in summa scutorum 900.

Interea temporis, cum præceps iret fortuna Marchionis Nunez, in ejus bona impetum fecere omnes illius creditores, quos inter Basilius Salvi, qui pro sui crediti satisfactione judiciariam obtinuit adjudicationem cujusdam census impositi super Urbano Palatio *del Cinque*, et duorum canonum, quorum unus per gravabat quamdam domum Albanensem, et alter Palatium Bellisini, Romæ situm. Ex hac bonorum dispersione, cum cognovissent Marchiones Passeri perperam eorum nominis solutionem a debitore expectari posse, freti Camerali obligationi, et subsequenti generali hypothecæ, contra Salvium agere constituere, ab eodem petentes scutorum solutionem 7047, pro sorte et fructibus decursis; sin minus subhastationem creditorum eidem Salvio adjudicatorum usque ab anno 1813.

Strenuo illorum petitioni obstitit Salvius; sed inutili conatu; nam A. C. Collegium admisit Passeriorum instantiam quoad bona Romæ posita, nam quoad alterum canonem Albanensem iidem Passeri præventivam eidem remiserant renunciationem, cum cognoverint sub generali hypotheca inscripta in Romano Tabulario comprehendi nequivisse bona Albani sita.. Quoad vero alia credita Triumvirorum Sententia ipsorum petitionem excepit, sub conditione tamen, quod Marchiones Passeri *intra mensem* favore Salvii explerent cessionem in forma Juris validam omnium jurium eisdem competentium contra debiturem, qua obtenta, præfinivit perinde eidem Salvio terminum *octo* mensium ad solvendam Passeris summam scutorum 3200. = *per quanti furono ad essi aggiudicati gli oggetti ec. altrimenti ec. che imedesimi si espongono al pubblico incanto* = Neutri contendentium arrisit illa Sententia; propertereaque ab ea provocarunt Passeri, qui animadvertentes deinde nihil aliud existere præter bona hypothecata, ultroneum interpositæ appellationi misorunt nuncium. Resjudicata ideo orta est, quam executioni committere cum voluissent, obicem experti sunt in mensis termino jam elapso, a Triumviris A. C. præfinito pro jurium cessione, quam iidem Marchiones non peregerant. Beneficium restitutionis in integrum implorare a Signatura debuere, et facti voti compotes sub ordinaria Dubii formula a S. Nostro Ordino Universo petiere Sententiæ A. C. infirmationem in illa parte, quæ sibi contraria apparebat. At Patres, post Legis declarationem novissime editam, censuerunt Rem Judicatam, ideoque sub assueta formula in revisionem venire non posse. Seposita igitur quacumque quæstione super restitutione in integrum, decreverunt Causam ex intimo merito definiendam esse, ut quælibet alia ordinaria causa. Quapropter hoc mane rogati a me Pater super Dubio = *An constet de credi-*

*to, et hypotheca itaut sit locus præfixioni termini, seu potius solutioni in casu etc.* responsum dedere = *Affirmative in omnibus juxta modum in Decisione exprimendum* = Modus autem est, quod creditum, et hypotheca Marchionis Passeri afficere tantum debeat canonem impositum super Ædibus Bellisini.

1 Et merito quidem Patres censuerunt cohibendam esse hypothecam ad solum Canonem Ædes Bellisini per gravantem nam quoad canonem impositum super modo Albanensi animadverterunt nullius roboris esse posse Passeriorum hypothecam, quia inscripta fuerat in Urbis Tabulario, diverso ab illo Circumdarii, intra cujus fines sita erat Albanensis Domus Statutum enim est a legibus, quibus regimur, quamlibet hypothecam efficacem esse non posse extra Circumdarii fines, in quo inscripta fuerit. Unanimiter in hoc statuendo collimant, tum Leges Gallicæ *in Artic.* 2146 *Codic. Napoleonis, tum Pontificiæ Art.* 34 *Motus-Proprii Piani quo statuitur = se i fondi esistono in diversi circondarj, ed Uffici d'Ipotheche l'Iscrizione deve essere fatta in cadauno Officio, nel cui circondario esistono i fondi* =. Inde Marchiones Passeri, cum perspectissime agnoverint, quod in alieno circumdario hypothecam inscribere idem sit, quam nusquam inscribere, = *Rota in Ariminen. Graduationis, et Consignationis* 4 *Maii* 1829 *coram Me*; *in Urbevetana Pecuniaria diei* 9 *Februarii* § 8 *et in Confirmatoria diei* 6 *Junii anni* 1818 *coram Eminentissimo Odescalchi*, quoad illum canonem solemnem hypothecæ emiserunt renunciationem. Hanc merito in pretio habuit A. C. Sententia, quæ recte animadvertit, quod, si inscriptio vim suam exercere posset etiam extra Circumdarii limites, illud absurdi tunc sequeretur, quod emptor evincenda empti fundi libertate omnia tabularia Pontificiæ Ditionis perlustrare deberet, quod quam absurdum fuisset latius exposui in citata *mea Decis. Ariminen. Graduationis* 4 *Maii anni* 1829.

2 Similiter porrigi nequibat sumpta a Passeris hypothecaria inscriptio ad censum impositum super Æde del Cinque, quia receptum in Jure est censum, uti simplex creditum, inter res mobiles recensi. Res autem mobiles, antequam vigens hypothecarium Regimen invectum foret, hypothecariis nexibus devinci poterant, et illarum obligatio eo perdurabat, quamdiu in debitoris manibus mansissent. Vix autem distrahebantur, ab hypothecæ nexu dissolvebantur, et liberæ efficiebantur, penes tertios possessores. Inductis autem Legibus hypothecariis, res mobiles hypothecæ subiicere vetitum fuit; ideoque census hypothecariis inscriptionibus subigi ambigi amplius non potuit, ita præscribentibus Legibus, tam Gallicis, quam Pontificiis. Ille enim quum censum non agnoverint, constituerunt, quod « *le rendite perpetue* » quas inter res mobiles recensuerant *sub Artic.* 529 *Cod. Nap.*, hypothecarum nexu solutæ forent, quoties in tertios possessores transirent *Art.* 2119. Quod autem præfatæ « *rendite perpetue* » una, eademque res sint cum censibus, pluries definitum fuit a S. Nostro Ordine, et præcipue in*Cæsenaten. Graduationis* 18 *Apr.* 1832 § 16 *coram R. P. D. Meo Ruspoli*. Hanc Gallorum jurisprudentiam nostro in jure invexit Imm. Mem. Pontifex Pius VII., qui etiam explicite imperavit deinde censum hypothecæ vinculis obstringi non posse aperta censura in *Art.* 7. Motus-proprii anni 1816. « *non può porsi Ipoteca sopra alcuna specie di Crediti, e di Azioni, benchè ipotecarie, compresi anche li Censi Consegnativi, e riservativi* =. Idcirco Patres ex patula hujusce Legis sanctione corrigendam esse censuerunt Sententiam A. C., quæ Marchionibus Passeri jus persequendi censum ex actione hypothecaria tribuerat.

Diversum vero judicium ferendum erat quoad canonem impositum super Ædibus Bellisini, cum nulla Lex vetet, quominus canones inscriptionibus hypothecariis devinciantur. Porro hypotheca, quæ ex illorum inscriptione oritur, cum sit jus reale, sequitur quod necessario transire debeat in quemlibet tertium possessorem ex notissimo illo Juris principio, quod res transit 3

cum suo onere; ita ut apud illum eam persequi creditor possit, perinde ac si esset adhuc in dominio principalis debitoris *Leg.* 5 *Cod. de Pign. et hypoth.* Judicarunt ergo Patres in vim susceptæ hypothecæ Marchionibus Passeri jus esse persequendi canonem, posthabita vero injuncta ab A. C. Sententia jurium cessione, et cohibito temporis lapsu, intra quem Salvius solvere debuisset, ad terminum a Lege præfinitum. Quod cessionem enim respicit, nulla extat Lex, quæ Marchionibus illud onus imponat: novum imo in Jure esset, quod creditor qui vult hypothecariam actionem contra tertios exercere, cedere prius teneatur jura sibi competentia. Gravissimum hoc onus minime ferendum erat in casu. Contingere enim poterat, quod Marchiones Passeri, postquam se expoliassent *personali* actione, quam contra debitorem exercere possent, parum vel nihil ex instituta *reali* actione deinde consequerentur. Quod damnum eo magis in pretio haberi oportet, cum Marchionum credito adjiciendum sit alterum fructuum nomen, ad quod condicendos præfata realis actio impar omnino erat. Quoad vero constitutum *octo* mensium spatium, intra quem a Salvio ex Sententia A. C. dimittendum erat creditum Passeriorum, id repugnabat apertissimæ censuræ *Art.* 699 *Piani Codicis*, quæ jubet, quod possessori præfinire debeatur = *un termine non minore di un Mese, e non maggiore di trè* =, proindeque, cum contra claram hujusce Legis dispositionem iverit A. C. Sententia, Patres, eamdem corrigentes, præfiniverunt Salvio *trium* mensium terminum ut instantibus Marchionibus solveret scuta 5900 quo termino inutiliter elapso, publice licitatione subjiciendum esse statuerunt illorum favore canonem, de quo agitur.

4 Nec quidquam movebat Dominos Meos quod a Salvio objiciebatur, haud licere eisdem Marchionibus agere in vim generalis hypothecæ, dum fundos specialiter hypothecatos habebant pro vi scutorum *viginti novem millium*, adjiciendo contrahentium mentem. Jus, et ipsam æquitatem postulare creditorem teneri bona persequi specialiter hypothecata, antequam tertium posses sorem divexaret, cum hic non teneatur nisi in subsidium; quando scilicet creditor alio modo sibi satisfaccre nequeat, quoniam, si excussionis beneficium nullo in pretio habendum esset, inutiles omnino efficerentur speciales hypothecæ, et summa injuria arbitrio creditoris remitteretur pacificis possessoribus perpetuas inferre molestias. Animadvertebant enim Patres hæc omnia nullo in calculo haberi posse, quia canonum possessores libere possunt canones ipsos hypothecis devincere creditorum favore: et, cum perpetua sit inscriptionis causa, onus vinculi nunquam deficit, et idcirco fundi hypothecati adjudicatio juris aliorum creditorum hypotheca pollentium super eodem fundo perimere nequibat *ex Tex. Leg.* 4 *Cod. de Evict.*; sed ipsa hypotheca una cum eodem canone transire debuit in Salvium tertium possessorem, ut firmat *Dec.* 60 *n.* 4 *coram Malvasia*; *et Romana Purgationis Moræ* 6 *Julii* 1832 § 3 *coram me.* Cum igitur in vim generalis hypothecæ Marchiones Passeri sibi devinctum etiam habuerint præfatum canonem, impediri in suæ hypothecæ exercitio non possunt sub prætextu quod prius experiri ab illis debeantur speciales hypothecarum existentia a Salvio non probatur. Quin imo certum apparebat debitorem Nunez nulla bona possedisse, quæ speciali hypothecæ subjici potuissent. Quæ etiamsi existerent, tamen nihil inde ab eisdem juvari posset Salvius, quia favore Marchionum Passeri extabat Cameralis obligatio, adjecta in instrumento anni 1798, quæ illos ab omni excussionis obligatione solvit ad tradita per *Zacchiam de Obligat. Camer. Quæst.* 17 *numer.* 21 *Rota in Recent. Dec.* 449 *num.* 6 *part.* 3 *Decis.* 595 *num.* 2 *coram Riminaldo*; *Decis.* 144 § 12 *post Merlin. De Pignor. Romana Dotis* 13 *Decembris* 1819 § 2 *coram Reverendissimo P. D. Meo Spada Decano; Corana, seu Veliterna Salviani* 5 *Maii ejusdem anni coram Eminentissimo Marco*;

*Recineten.* 9 *Julii* 1832 § 4 *coram R. P. D. Meo Bofondi.* Nec contra Cameralem illam formulam aliquid excipi potest; nam obligatio illa, si per nuperrimas Leges de novo pacisci nequit non prohibetur vero, quod conven'a tempore habili, possit suam exercere vim, atque efficaciam, ut firmatum fuit in *Ferrarien. Pecuniaria* 22 *Novembris* 1822 § 5 *cor. Eminentissimo Tiberi*; *in Callien. Census* 18 *Junii* 1827 *coram R. P. D. Meo Bofondi, et in Bononien. actionis Hypothecariæ* 12 *Maii* 1828 *coram R. P. D. meo Mazzarelli.*

5 Objiciebat insuper idem Salvius Marchiones Passeri nullam exercere posse actionem hypothecariam ex eo, quod inscriptio, a qua repetebant actionem ipsam, suscepta fuerit a Petrinio = *come Agente dei Signori Passeri* = pro credito illo, quod sub anno 1797 fuerat ab ipso Petrinio, non uti gestore, sed nomine proprio contractum, ideo qua minime respicere præfatos Marchiones, sed tantum ipsum Petrinium; quin eisdem prodesse posse interventa bonæ fidei declaratio; quæ, cum in instrumento anni 1787 nec adjuncta, nec memorata fuerit, nec pro sua natura apud tabellionis acta adservaretur bona fide igitur ipse Salvius potuit sibi persuadere controversam inscriptionem consistere non posse, et efficaciter ideo contrahere potuit cum debitore Nunez: eo magis cum ipse Salvius sciret, quod alioquin cuicuique compertum erat, nullo cessionis actu intervento, haud posse rei dominium a Petrinio in Passeros transmigrare. Ex hisce omnibus concludebat nullam esse susceptam inscriptionem, quia defecerit legitimus titulus ad inscribendum. Verum hæc omnia minima a Patribus probabantur; cum animadvertissent inscriptiones præscriptas tantum fuisset, ut cuncti in contrahendo ab eisdem admonerentur de præexistentibus oneribus, quibus res ipsa afficiebatur. Quod si, pro assequenda hac creditorum securitate perpetuo in iisdem inscriptionibus Leges requisiverit præcisam fundi hypothecati designationem, crediti, quantitatem, et titulum, et nomen debitoris, et creditoris, attamen, cum hypothecariarum Legum præcipuum objectum sit creditoris securitas necessarium præ omnibus apprima visum fuit cognoscere, qui erat debitor, et a quo tempore debitum suum sortitum fuerit exordium: quapropter constanter constitutum fuit potiorem, atqua urgentiorem esse debitoris, quam creditoris notitiam. Proinde error in debitoris designatione incursus, dum nullitatis vero inscriptionem afficiebat, e contra error, in creditoris persona occursus, inscriptionis validitatem non infirmare definitum fuit, præcipue, si per æquipollens indicationia defectui suppleri possit; cum si ita salvum Legum objectum, et bonorum acquirentium interesse in tuto reperiatur, quia, posita certa debiti notitia, emptori indifferens omnino redditur cognoscere, quæ reapse sit creditoris persona.

Deficiebat insuper in controversa inscriptione substantialis error; nam, dum in eadem, etsi Petrini, non Marchionum Passeri nomen legatur, attamen cum ipsa hypotheca ab eodem inscripta fuerit = *Agente dei Signori Passeri* = quorum favore contextualem bonæ fidei declarationem emiserat, ab hac Petrini declaratione haud Salvio perdifficile esse poterat arguere veri creditoris personam. Aperte scadebat ab ipsamet inscriptiona Petrinium, uti procuratorem generalem suscepisse hypothecam pro Marchionibus Passeri. Etiam ab illa inscriptione ob rerum connexionem facile potuisset Salvius deducere, quod vel cambii instrumentum anni 1797 procuratorio nomine Passerorum favore stipulatum a Petrinio esse dabuerit, vel saltem intermedio tempore, antequam hypotheca inscriberetur, ab eodem Petrinio cessum fuisse idem cambium, adeo ut ipsi Marchiones, effeci veri, atque legitimi creditores, nomine proprio deinde memoratam inscriptionem suscipere potuerint, absque ipsius cessionis exhibitiona, quæ inutilis omnino erat pro illius inscriptionis validitate. Lex enim aperte constituit quod pro hypotheca inscribenda exhibendus sit titulus ori- 6

ginarius, hypothecam ipsam constituens qui in casu nostro erat instrumentum anni 1797; non vero « *il titolo susseguente, per cui un cessionario avesse acquistato questa ipoteca* » nam « *l' iscrizione, in cui fosse enunciato il titolo del cessionario in luogo del titolo, da cui nasce l'ipoteca, sarebbe viziato di una irregolarità sostanziale, operante nullità* » ut notat *Sireyus Par.* 1 *pag.* 218 referens *Decis. Aulae Cassationis diei* 4 *Aprilis anni* 1810. Cum igitur Salvius præexistentis crediti notitiam certe habuerit; cum ejusdem utilitati omnino indifferens fuisset cognoscere, quis fuerit creditor, parvi inde refert, quod ipse directe, aut *per aequipollens* cognoverit ipsius creditoris personam, ut in durioribus etiam casibus retentum fuit, *teste Grenier Trattate delle Ipoteche part.* 1 *Cap.* 1 *Sez.* 2 § 2 *num.* 72 *et S. Rota in Centumcell. Extinctionis Hypothecae diei* 19 *Martii* 1832 § 9 *cor. R. P. D. Meo Marini, et in ejus confirmat. diei* 8 *Junii eit. annis* § 5 *cor. Eodem.* Ac in susceptam Sententiam eo etiam facilius Patres concesserunt, cum cognovissent Salvium scientiam non solum habuisse de crediti existentia, sed etiam de legitimitate tituli et veri creditoris persona, cum de cunctis hisce edoctus fuerit ab ipso debitore Nunez quando ipse Salvius juridicam obtinuit controversorum bonorum adjudicationem, ut ipse Nunez testatus est, antequam e vita migraret. Incivile igitur compertum est, quod Salvius inscriptionis defectum objiciat ob creditoris pcr.onæ in certitudinem, dum de hac plenam, explicitamque notitiam habuisse compertissima res est.

Et ita, Utraque parte contradicente decisum est.

---

## TUDERTINA CAMBII

*Veneris* 10 *Maii* 1833.

### ARGUMENTUM

In contractibus mulierum, debet semper adesse justa causa. Quae individualis, atque expressa esse debet, quae si defuerit ex hoc uno decernende est nullitas contractus.

### SUMMARIUM

1. *Susceptae a mulieribus, una cum viris suis obligationes nullae ipso jure sunt, nisi probet creditor, pecuniam versam fuisse in mulieris utilitatem.*
2. *Probationem de mulieris utilitate, haud assurgit ex simplici confessione, quam mulier ipsa in tabulis edidit.*

   *Judicis praesentia doli, simulationisque praesumptionem excludit - ibidem. -*

   *Dum cum viro suo mulier suscipit obligationem, adest juris praesumptio, receptam fuisse a viro pecuniam, quin mulier ex ea commodum senserit - ibidem. -*
3. *In mulieribus contractibus, causa, certa, individualis, atque expressa esse debet.*
4. *Juramentum vim suam non exerit, ubi fuerit appositum contractui, ipso jure nullo.*
5. *Per statutariam sanctionem, communi jure derogari non poterat.*

## DECISIO CCCCXLXI.

Quam, solemnibus rogatis tabulis *die* 8 *Novembris* 1804 Agnes Leonardi, una cum viro Suo Philippo Bartoli susceperat obligationem rependendi Angelo Berti, post quadriennium, collybum argenteorum 310 et. quoadusque sortem restitueretur pensitandi *sexunces* usuras, cum validam renunciasset Perusinus Prætor *die* 22 *Aprilis anno* 1825 relaxato in Agnetis extradotalia bona mandato, nullam deinde pronunciaverat A. C. tunc Judex Colapietro, sententia lata ad diem 14 Martii 1828 quam postea infirmavit altera A. C. Manari pronunciato *diei* 15 *Novembris* 1830 Hisce ab dimicantibus se se inter Sententiis appellationis beneficium a Signaturæ Tribunali Agnes obtinuit. Novum subiit tunc Causa discrimen *diei* 25 *Februarii* currentis anni, qua die, cum RR. PP. DD. Meos rogaverim = *An sit servandum instrumentum anni* 1804 *ita ut; et in qua Summa constat de credito, et sit relaxandum mandatum in casu* = Responsum retuli = *Negative in omnibus* = ceu fusius enarrat Decisio mea pubblici juris ad eam diem facta. Nova autem dimicandi fa-

Digitized by Google

cultate Angelo tributa, hodie mane Dubium de more proposui = *An sit standum vel recedendum a Decisis in casu* = cui P. P. responderunt sine mora = *In Decisis* =

1 Nec aliud inferri Caussa judicium per Leges poterat Sanctio enim apertissima Legis obstabat instrumenti observantiæ, atque crediti, quod ex eo dimanabat, contra Agnetem existentiæ Nulla si quidem mulieris obligatio, non uno tantum ex capite erat. Primum namque manabat illius nullitas ex præscripto *Aut. si qua Mulier Cod. ad Sen. Consultum Vellejan atque Nov.* 134 *Cap.* 8 Sancitum inibi ab Justiniana fuit, quod susceptæ a mulieribus, una cum viris suis, obligationes nullæ ipso jure essent, nisi probasset creditor versam fuisse in mulieris utilitatem pecuniam, pro qua cum viro seipsam obligaverat. Expressi sunt *Text. Cit. Auth si qua Mulier Cod. ad Sen. Con. Vel. Nov.* 134 *Capt* 8 *ibique Baldus Salicetus, costrensis traduntque De Affict. Dec.* 209 *num.* 1 *Gaill. Lib.* 2 *Observat.* 89 *Tiraquell. de Jure ma riti Closса* 8 *num.* 285. *atque Perez Praelet. Cod. Lib.* 4 *Tit.* 29 *num.* 12 *et S. Rota Dec.* 4 *num.* 1., *et Dec.* 5 *num.* 1 *sub. Tit. de Sen. Vellej cor. Falconer. Decis.* 775 *num.* 2 *et* 3. *cor. Farinaccio et Dec.* 160 *num.* 3 *cor. cor. Riminaldo*; atqui Agnetem debitricem collybi erga Angelum una cum viro suo Philippo Bartoli, se constituisse publicis ex tabulis assurgebat, non ergo adversus illam se convertere Angelus poterat; nisi, ad Legum præcepta, de Agnetis utilitate in contrahendo collybo docuisset, versamque in ejus rem receptam ab ea pecuniam fuisse. Id autem quum non fecerit Angelus ullo modo, optime PP. perseverarunt in respuenda ejus actione, qua Collybi instrumentum observandum ab Agnete, atque debitum collybi, usurarumque ab ea esse persolvendum contendebat inciviliter,

2 Incassum, sed vero Angelus putabat probationem de mulieris utilitate, deque pecunia ejus in rem versa, assurgere e confessione, quam mulier ipsa in tabulis ediderat de receptis ab ipsa, una cum viro, argenteis *decem super tercenta.* Scilicet, cum ex Jure præsumptio adsit hisce in contractibus, qui a mulieribus cum viris suis ineuntur, non ex veritate, sed blanditiis adhibitis, metuque ac reverentia, suscipi ut plurimum a mulieribus obligationes consuescere; *Castren. Cons.* 41 *Lib.* 21 *Cemin. in Cap.* 2 *de Poenis in* 6 *Menoch. de Præsumpt.* 22 *num.* 4 *Lib.* 3 *Rota Dec.* 613 *num.* 3 *Part.* 19 *Tom.* 2 *Recentior.* rite exinde arguitur simulationis, ac doli præsumptione infectam esse mulieris quoque confessionem, quæ idcirco requisitæ a Jure probationis de mulieris utilitate, deque in ejus compendium pecuniæ versione, vices haud poterat sustinere quam probationem tunc illa ex Agnetis confessione Angelus rite præberet, si apud Judicem, et penes acta, confessa mulier fuisset; quia una præsentia Judicis doli omnem, simulationisque præsumptionem excluderet, ut animadvertunt *Baldus in Auth. Si qua mulier; atque Menoch. de Præsumpt. præsumpt.* 22 *num.* 9 *Lib.* 3 *atque Perez. Prœlect. in Cod. Lib.* 4 *tit.* 29 *num.* 13 Verum PP. animadvertebant eo magis clariurem de recepta pecunia a muliere requiri in themate ab Angelo probationem opurtuisse, tum quia, dum cum viro suo mulier suscipit obligationem, adest Juris præsumptio, receptam fuisse a viro pecuniam, quin ullum ex ea mulier commodum senserit *per Text. in Auth. sive a me Cod. ad Sen. Cons. Vellejan., et post Bald. Loc. cit. tradunt Alex. Cons.* 209 *Lib.* 4 *et Cons.* 182 *num.* 16 *Lib.* 5 *atq. Menoch. loc. cit. num.* 1. = tum quia non pauca suspicionem induxerant contractum collybum fuisse non præsenti pecunia allata, sed ut præexistens Philippi Bartoli debitum, pene desperatum, in tuto Angelus collocaret, illius uxoris addita obligatione, quod omnino requisitam probationem de mulieris utilitate excluderet.

Quamquam non hic unus erat defectus, ut initio ajebam, ex quo servari collybi instrumentum nequibat, atque Angeli actionem contra Agnetem re- 3

pellere oportebat. Aderat quoque justæ causæ defectus, sine qua obligari omnino se mulier haud valuisset. Justa attamen in mulierum contractibus causa, quæ certa individualis, atque expressa esse debet, si defuerit, ex hoc uno decerni nullitas contractus debet. Perspicui sunt — *Text. in Leg.* 1. §. *Hæc verba ff. Ne vis fiat*, *et Leg. si ex falsis Cod. de Transact.*, *Cyriac. Controv. Jur.* 237 *num.* 15 *et S. Noster Ordo cor. Priolo Dec.* 88. *num.* 21., *Dec.* 499 *num* 9 *cor. Molin.*, *atque Dec.* 116 *num.* 15 *cor.* *Olivatio*, *cum aliis relatis in præterita Dec. mea* §. 2. Nullam sed autem suscipiendæ erga Angelum obligationis caussam adfuisse in Agnete ex ipso collybi instrumento erumpebat. Nihil etenim aliud declaratum in instrumento fuit, nisi quod mulier cum viro pecuniam recipiebat, obligatione solidali suscepta rependendi collybum, persolvendique sexunces conventas usuras: Cum igitur nec videatur in instrumento scripta causa cur se mulier obligasset, neque Angelus Actor de causae interventu doceret, nullitatem instrumenti, altero hoc etiam ex capite PP. Domini decernendam, optimo sane consilio, putarunt. Futiles exceptiones ab Angelo propositæ, ut nullitatem ab instrumento propulsaret, nihili insuper faciendæ erant ex Jure.

4 Confugiebat siquidem, inani consilio, ad emissam per Agnetem renunciationem tum *Auth. Si qua Mulier*, *tum Senatus Consulti Vellejani exceptioni*, emissumque a muliere in confirmandis tabulis juramentum. Quoad namque renunciationem, nisi ea fuerit affirmativo sensu, peculiarique sermone expressa, haud tanti esse poterat ut fœminam certo juris privilegio expoliaret, præsertim vero, cum renunciatio isthæc alias inter assuetas clausulas fuisset de more adhibita, prorsus ut non deliberato animo ab imperita muliere dici debet emissa, sed uno tabellionis arbitratu alias inter clausulas præsumi debet coacervata, ad ea quæ tradita sunt in superiori *Decisione mea* §. 5 Nec aliquid adhibitum juramentum efficere poterat illo in contractu. Cum enim illud fuisset adhibitum in contractu, ipso jure nullo; intrinseco ex nullitatis vitio, quo mulier contractu decepta fuerat, sibique trimentum attulerat, non sinunt Leges, ut veneranda quam maxime Sacramenti religio, in vinculum iniquitatis convertatur, ita ut ex eo adstringendam mulierem non esse PP. decreverint, ac si illud non protulisset ullo modo, quemadmodum firmavit allatis auctoritatibus in §. 5 præterita mea Decis. Hisce autem omnibus adjungebatur, quod, cum Agnes pro suæ dotis restitutione *sextum* gradum obtinuisset inter viri sui creditores, quod omnem ei abstulit spem suæ recipiendæ dotis, neque aliud possideat nunc nisi prædiolum, cujus æstimatio vix *biscenta* attingit argentea, eo pronius liberandam ab Angeli actione illam PP. censuerunt, ne, concesso Angelo jure agendi contra eam pro collybi restitutione, indotata prorsus remaneret, quod, optima æquitatis ratione, haud sinendum PP. Ipsi putabant, Legum innixi præcepto, cui prorsus est deferendum, ne, Reipublicæ cum detrimento, concederetur, ut fœminæ manerent indotatæ.

Inutiliter quidem post hæc omnia 5 sermonem instituerat Angelus de servata in conficiendo contractu Tudertini statuti præscriptione, deque non necessitate solemnium, quæ Benedectina notissima Constitutio in mulierum contractibus præceperat esse adhibenda. Etsi enim hac quoque in parte Angelus perditam adiisset provinciam, ceu probatur in §. *ultimo mæ Decisionis*; quæ confirmatur, putarunt tamen PP. de ea non oportere iniri disputationem, dum, uno Communi inspecto Jure, cui per Statutariam Tuderti sanctionem haud certe fuerat derogatum, nec derogari poterat, contractus cum Agnete initus nullitate apertissima laboraret; quare respuenda omnino ab Angelo intentata in eam actio per Leges erat.

Et ita utraque ec., me quoque suffragium ferente, redditum jus fuit.

Digitized by Google

## VELITERNA IMMISSIONIS

*Veneris* 5 *Julii* 1833.

### ARGUMENTUM

**Renuncians, quamvis verbis amplissimis, atque effrenatissimis cessionem expleverit, nunquam tamen renunciasse censetur legitimae renunciatarii hereditati, cum praesumi non possit renunciantem explere voluisse actum, quod sibi noceat, nihilque prosit renunciatario.**

**SUMMARIUM**

*1. Abdicativa, et realis dicitur renunciatio, si emissa sit non intuitu alicujus personae, sed si impersonaliter facta fuerit pro omnibus, et quibusvis.*

*In renunciatione abdicativa, renuncians, nullo tempore, et quavis concurrente persona, potest ad renunciata compendia regressum habere – Ibidem –*

*2. Resolvitur renunciatio, quoties deficiat ipse renunciatarius, nulla relicta herede testamentario, vel proximiore.*

*3. Renuncians, quamvis verbis effraenatissimis cessionem expleverit, nunquam tamen censetur renunciasse legitimae renunciatarii hereditati.*

*4. Utrum sit abdicativa, vel translativa renunciatio, eruitur a diserta personarum contemplatione; et a causis, quae animum moverunt ad emittendam renunciationem.*

*5. Personalis dicenda est renunciatio, si per donationis actum fuerit expleta.*

*6. Renunciatio est strictissimi juris, et ideo extendi nequit ad casus, qui letteraliter expressi in eadem non fuerint.*

*7. Clausulae, quamvis amplae, suum robur exercere non possunt, nisi intra illud personarum genus, quod contemplatum fuit in actu, cui adjiciuntur.* – Et num. 8. –

*9. Quod agnationis, et cognominis amor non fuerit causa renunciationis, colligitur ex vocabulo* – extranei – *adjecto contemplatis heredibus.*

*10. Mulierum, vel minorum renunciationes sunt nullae, nisi correspectivam causam praebeant*

*11. Nullum est testamentum, si evidenter de voluntate non constat.*

### DECISIO CCCCL.

Definitioni S. Nostri Ordinis reproponitur quæstio, an generalis renunciatio emissa ab Anna Colonnesi favore fratris Dominici, antequam in sacra Joannis Baptistæ Prosperi transiret, comprehensiva dici possit successionis ipsi renunciatario. In rei ambiguitate Geraldus Colonnesi, sibi favorabiliorem amplectens interpretationem, quamvis quarto gradu cum defuncto Dominico conjunctus esset, nihilo secius ipsius hæreditatis possessionem occupavit. Obstitit Anna, illique diem dixit coram A. C. Collegio, ad fraternam hæreditatem expostulans immissionem. Sed Judices ejus petitionem rejecerunt. Delata in gradu appellationis hujusce Caussæ cognitione ad S. Nostrum Ordinem, concinnato Dubio, = *An sit locus immissioni, seu potius obstet renunciatio in casu etc.* =, refugiente vadimonium Geraldo sub die 26 Aprilis currentis Anni datum fuit responsum = *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam* =. Rursus hodie certamine reintegrato, prodiit confestim confirmatorium Responsum = *In Decisis* =.

Tota quæstio in eo consistit, utrum 1
Annæ renunciatio translativa, et personalis, vel potius abdicativa, atque extinctiva reputanda sit. Priori in casu renunciatarii Dominici hæreditatem non comprehendi in Annæ renunciatione, tralatitii Juris est, ut docent *Alexand. Cons.* 93 *num.* 2, *Cons.* 37 *num.* 9 10 11; *Perug. de Fideicom. Art.* 20 *num.* 21, *Rota post Gallerat. de renunciat. Dec.* 9 *num.* 3; *et in Ariminen. Immissionis* 30 *Junii* 1749 § 7 *coram Molino*. Controversæ renunciationis si verba quædam tantum attendatur, primo intuitu abdicativa videri potest Annæ renunciatio; sed, re intimius perpensa, translativa, ac personalis existimari necessario debet. Ex Jure enim abdicativam, realem, ac extinctivam concipimus renunciationem, cum hæc non intuitu alicujus personæ a renunciante emissa fuerit, sed in genere, atque impersonaliter facta sit pro omnibus, et quibusvis, ad quos quolibet casu, et gradu successio abdicata deferri valent, ut docet *Card. De Luca de Renunciat. Disc.* 1 *num.* 3 *et* 8; *et in Summa num.* 10; itaut renuncians, nullo unquam casu, nullo tempore, et quavis concurrente persona, posset ad renunciata compendia regressum habere, et tamquam mortuus ha-

beatur, atque ex ipsius remotione ad jura renunciata veniant alii proximiores renunciatario. Quocirca ratæ sunt renunciationes generaliter abdicativæ, atque reales, quæ in facto consistant; cum abdicativæ, ac extinctivæ tantum præsumantur erga illud personarum genus, cujus favore emissa fuerit ipsa renunciatio.

2 Perperam igitur Geraldi defensores plurimis sunt usi auctoritatibus in præsenti causæ periculo, ut revincerent abdicativam, atque extinctivam in genere fuisse renunciationem ab Anna expletam germani favore, exindeque eidem jus non esse ad petitam immissionem. Universæ enim allatæ auctoritates, et quotquot aliæ deferri possunt, docent utique, quod sorores, quæ abdicative suis juribus etiam futuris renunciarunt, pro mortuis baberi tantum debeant ad eventum, ut ipsæ regressum habere unquam possint ad bona renunciata, licet eisdem præmoriatur renunciatarius, et aliæ personæ in ipsa renunciatione comprehensæ. At vero minime constituunt, quod renuncians in intestata hæreditate renunciatarii succedere non possit; sæpe contra docent, resolvi ipsam renunciationem, quoties deficiat ipse renunciatarius, nullo relicto hærede testamentario, vel proximiore, cui intestata hæreditas defratur, ut ducet *Rota post Gallerat. de renunciat. disc.* 33 *num.* 31: *et post Torr. de Pactis fut. success. Decis.* 116 *n.* 16 *et seq.*; quia nihil est tam naturale, quam ut in renunciatarii defectu, absque liberis et hæredibus testamentariis, renunciatio resolvatur, cum ita deficiunt personæ, quarum favora ipsa renunciatio emissa fuit; ut advertit *Rot. in decis.* 25 *num.* 2 *cor. Crispo*; *in Auximan. Successionis* 5 *Junii* 1798 § 16 *coram Strasoldo*; *et in Confir.* 14 *Junii* 1790 § 12 *coram eodem.*

3 Cum vero Anna proximior sit renunciatario, ipsiusqua ideo hæres ab intestato, incivile sane est illam repellere ab hæreditate fraterna sub specie, quod bæc quoque in emissa generali renunciatione contineatur. Compertissimum enim in jure est, quod renuncians, quamvis verbis amplissimis, atque effrænatissimis cessionem expleverit, nunquam tamen renunciasse censetur legitimæ renunciatarii hæreditati, cum præsumi non possit renunciantem explere voluisse actum, quod sibi noceat, nihilque prosit renunciatario, ut tradit *Card. de Luca de renunciat. disc.* 3 *num.* 8 *et sequen.*, *et Rota coram Emerix Sen. decis.* 99 *num.* 12; *coram Rusconi dec.* 69 *in Firmana, seu Florent. Manutentionis super bono jure* 18 *Martii* 1791 § 6 *coram Origo*, *et in Ariminen. Immissionis* 14 *Junii* 1784 § 3 *coram Molino*. Hoc Juris principium eo magis erat retinendum in facto, quia renunciatio ab Anna emissa fuit favore germani Dominici = *e suoi eredi*, *e successori* =. Defacto itaque renunciatario sine liberis, et sine testamento, ipsa Anna, uti proximior, a Legibus vocabatur ad illius hæreditatem; et cum in eadem confunderetur renunciantis, et renunciatarii persona, necessario resolvi debebat ipsa renunciatio, ut notat memoratus *Card. de Luca de Renunciat. disc.* 3 *num.* 8, *et seqq.*, *et Rota in Tolentina Manutentionis super bono jure* 18 *Martii* 1791 § 6 *coram Origo.* Quin attendi valcat, quidquid objiciebatur a Geraldo, qui, cum defuncti Dominici nec filius, nec hæres esset, nec intra certum personarum genus in renunciatione contemplatum comprehendatur, nec audiendus quidem esset, etiamsi realis, et extinctiva censeretur Annæ renunciatio.

Quod autem hæc renunciatio nec abdicativa, nec realis, nec extinctiva fuerit, sed potius personalis, atque translativa, eruebatur non modo a diserta personarum contemplatione = *favore del suo fratello, e suoi eredi, e successori* = ut supra perpensum est, sed etiam a causis, quæ Annæ animum movere ad emittendam ipsam renunciationem, et ab urgentissimo nonnullarum præsumptionum concursu. Siquidem inter causas fuere = *la conservazione*, *e l'aumento della sua Casa* = *l'affetto*, *amore*, *e gratitudine* = erga fratrem, qui renuncianti constituerat = *la congrua dote* =. Si igitur ob amorem, et grati animi ergo, renunciatio illa facta fuit, tran- 4

slativa, atque personalis dici debet; cum Anna unice intenderit in splendorem illius, a quo dotem, et beneficium acceperat. Præsumptiones autem plurimæ aderant, quæ evincebant, Annam in sua renunciatione minime respexisse ad fraternam hæreditatem. Argumento primum erat, quod incredibile pene videbatur, camdem excogitasse casum, quo Dominicus prior e vita migrasset, nullo hærede testamentario, vel legitimo proximiore relicto. Accedebat, quod Anna, dum renunciabat Dominico = *e suoi eredi, e successori* = testatam tantum causam, minime vero intestatam respexisse videbatur. Deinde vero in mentem venire non poterat, quod Dominicus tam sollicitus esse voluerit pro remotis intestatis hæredibus, itaut eorum favore quoque ab Anna renunciationem quærere voluerit quoad bona illa, quæ ipsa possidebat, et de quibus illorum favore pro lubitu disponere potuisset. Calculum hisce adjiciebat, quod Mulier non generice valedixerit = *alle successioni* = sed tantum renunciaverit fratri, illiusque hæredibus, ac successoribus = *tutti e singoli beni* =. Certum est, priori illa dictione abdicari rem ipsam non unius, sed omnium favore; dum posteriori personalis, atque translativa renunciatio tantum designatur; veluti ex recepta communi distinctione notat *Card. de Luca de Renunc. disc.* 6 *n.* 12, *et disc.* 8 *num.* 6, *et Rota cor. Bichiu dec.* 631 *num.* 8.

5 Translativam etiam demonstrabant renunciationem dictiones = *ha ceduto, e cede, ha donato, e dona* =, *renunzia, cessione, e donazione fra vivi* =. Hæc etenim verba excludunt abdicativam qualitatem, et fortius personalem, et translativam demonstrant renunciationis naturam, ceu docet S. Noster Ordo *in Bononien. Immissionis* 12 *Januarii* 1753 § 8 *coram Figueroa*: *et decis.* 15 *n.* 13 *coram Emo Gamberini*. Porro, si verba illa convenire possent extinctivæ, ac reali renunciationi, tunc illud consequeretur absurdum, quod donata censeri deberent bona illa, ad quæ, sublato renunciantis obstaculo, ex proprio jure subingredi possent remotiores conjuncti. Quapropter personalis dicenda est renunciatio per donationis actum ab Anna concepta, ut arguit *Card. de Luca de renunciat disc.* 7 *num.* 4 *et* 7, *disc.* 3 *num.* 11; eo magis cum emissa fuerit favore fratris = *e suoi* =, quo nomine liberi tantum, et descendentes ex renunciatario veniunt, ut docet *Rota in decis.* 25 *num.* 22 *cor. Herzan, et in decis.* 63 *num.* 23 *coram Malvasia* = Perperam vero torquebantur verba illa = *successori qualunque anche estranei* = ut eliceretur, ad eos quoque pertinere renunciationem, qui non essent ex liberis, et descendentibus renunciatarii. Quia cum Dominicus testamento instituere potuisset etiam extraneos, seu non conjunctos, palam est ad hos quoque porrectam fuisse renunciationem, nec vero sub nomine *extranei* venire posse nisi testamentarios successores. Et quoniam esse poterant bujusmodi etiam successores ex donatione, cessione, vel actu quolibet inter vivos, hinc merito utrumque vocabulum copulavit Instrumentum = *eredi, e successori qualunque anche estranei* =.

Animadvertendum insuper est agi de renunciatione, quæ strictissimi Juris est, et odii plena: et quæ ideo extendi nequit ad casus, qui litteraliter expressi in eadem non fuerint. Cum vero controversa renunciatio unice faveret renunciatario Dominici, illiusque hæredibus, ac successoribus, evidentissimum est præter illos nullum alium admitti posse; et in dubio, cum restrictiva interpretatio capi debeat, non realis, sed personalis judicari debet ipsa Annæ renunciatio, ad tradita *per Surdum Cons.* 517 *num.* 14 *Honded. Cons.* 58 *num. fin.*; *Gobriel. Cons.* 89 *num.* 2; *Rota post Gallerat. de Renunciat. Decis.* 44 *num.* 7. Hinc personalem esse etiam suadebat illud, quod non emittebatur a virgine, quæ se Deo vovens, monasticæ vitæ institutum amplecteretur, sed a puella nubente in sæculo, quæ a similitudine veri abhorreat omnino, quod pro mortua ita se vellet haberi, ut sibi ad bona donata nullo unquam tempore, nulloque casu regressus patere posset, ut adnotavit *Card. de Lu-* 6

*ca de Renunciat. Disc.* 3 *num.* 9 *et seq.*; et docet Noster S. Ordo *in Forolivien. Successionis* 27 *Julii* 1753 § 9 *cor. Elephantutio*; *in Auximana Successionis* 5 *Junii* 1789 § 15 *cor. Strasoldo*; *et decis.* 15 *num.* 13 *cor. Emo Gamberini.* Et in eo magis retinendum, cum expressim reservatum in renunciatione sibi voluerit Anna, quidquid ex extra eorum liberalitate sibi pervenisset; insuperque, posteriori stipulatione inita cum renunciatario, adjecerit eaque ex conjunctorum institutionibus et derivare potuissent. Hujusmodi siquidem reservationes plene demonstrant, renunciantem non omnibus bonis, omnibusque juribus nuncium misisse, sed personalem tantum renunciationem emittere curasse; ceu advertit Noster S. Ordo *in Auximana Successionis* 5 *Junii* 1789 § 17 *cor. Strasoldo*; *et in Confirmatoria* 17 *Maii* 1790 § 13 *coram Eodem.*

7 Nec Annæ denegari poterat immissio ex eo, quod in sua renunciatione comprehenderit etiam bona = *fraterna* =. Hæc enim expressio intelligi debet adjecta per oscitantiam a tabellione, qui consuetas clausulas inconsulto exaravit. Quod si ita illa expressio intelligenda non esset, tunc absurdum consequeretur, quod Anna vel renunciasset fratri jura, quæ ipsius propria erant, vel suæ utilitati valedicens non enti restituere se obligasset illius hæreditatem, quo magis ineptum nil concipi posset. Inde concludere oportet clausulas, quamvis amplæ atque effrenatæ sint, suum tamen robur atque efficaciam exercere non posse, nisi intra certum illud personarum genus, quod contemplatum fuit in actu, cui adjiciuntur. Quæ consequentia urgentissima eo magis redditur ex adnexa clausula = *Ad averla*, *e goderla colla piena clausula del costituto*, *e precario in forma* =, quæ rei dominium, ac proprietatem una cum naturali, ac civili possessione cum transferat, per Rotam in *Romana Consuccessionis* 8 *Junii* 1818 § 5 *cor. Emo Isoard*; *Fundana Manutentionis* 6 *Februarii* 1829 § 5 *coram R. P. D. Spada Decano, et in Confirmat.* 3 *Julii ejusdem anni cor. Eodem*; *et in Anconitana Immissionis diei* 18 *Junii* 1830 *coram me*, uti accessoria actum principem immutare nequit, sed ei imo famulatur, ejusque sequitur naturam, atque effectus per tradita *a Ridolphino in Prax. Jud. Part.* 2 *Cap.* 3 *num.* 20, *Cenc. de Cens. quæst.* 98 *n.* 23 *et* 24, *Rota Divers. Part.* 1 *Dec.* 349 *n.* 5, *cor. Cavalerio, Dec.* 5 *n.* 6 *coram Buratto Dec.* 957 *n.* 16; *et in Rec.* 261 *n.* 19 *Part.* 7; *et in Anconitana Immissionis cor. me diei* 13 *Maii* 1832 § 14: *et in ipsius Confirmatoria* 10 *Febr.* 1832 § 12. Propereaque, cum hæc clausulæ cessionarium directo constituant renunciatarium, adversa fronte opponitur abdicativæ renunciationi, in qua, qui veniunt, non ex jure cesso capiunt hæreditatem, sed indirecte vocantur ob impedimenti remotionem, quæ remotio unice scatet ab emissa proximioris abdicativa renunciatione.

Nec ullo in pretio haberi poterat, 8
quod in tabulis renunciatio appellatur abdicativa, ac realis = *che debba essere intesa per reale, abdicativa, ed estintiva* = Animadvertebant enim Patres, hujusmodi verba plerumque scribi de more a tabellionibus, sed tanti non esse, ut renunciationis limites extendere possint ultra renunciantis mentem, quemadmodum adnotavit *Card. De Luca de Renunciat. disc.* 3 *n.* 12; *et Rota in memorata Auximana Success.* 5 *Junii* 1789 § 20 *cor. Strasoldo.* Quandoquidem verba illa non impersonaliter, atque in genere accipienda sunt, sed in specie revocari debent ad personarum genus, quod fuit contemplatum in renunciatione. Revera; si personalis retinenda est renunciatio, sublata tantum renunciatarii persona, haud possent ipsius hæredes renunciatæ possessionis compendium sibi quærere, cum arceri semper possent a renunciante ex exceptione solam renunciatarii personam contemplatam fuisse in emissa renunciatione. Quod periculum ut evitaretur, necessarium erat consulere hæredum incolumitati post ipsius renunciatarii obitum. Hoc obtinebatur cum clausula, quod renunciatio esse deberet realis, atque abdica-

Digitized by Google

tiva, non concepta scilicet in unam personam renunciatarii, sed in rem, ad quam vocati erant ipsius hæredes, atque successores, non vero extranei. Ad quos nunquam ullum babitus fuerat respectus. Proinde facile comperitur, abdicativam, ac realem fuisse renunciationem pro personis contemplatis; iisdem vero non concurrentibus, personalem esse, et resolvi ipsam renunciationem, cum hæc consistere haud possit in defectu personarum, quarum favore emissa fuit, ad monita per *Torr. de pact. futur. success. Lib.* 2 *Cap.* 10 *n.* 42 *et seq.*; *Rota cor. Emerix Decis.* 90 *n.* 18: *cor. Tanara Dec.* 193 *n.* 3; *cor. Ansaldo Decis.* 48 *n.* 24; *in Bononien. Immiss.* 12 *Jan.* 1753 § 12 *cor. Figueroa, et in Auximana Successionis* 5 *Januar.* 1789 § 20 *cor. Strasoldo.*

9 Perperam, atque falso objiciebatur a Gerardo Colonnesi agnationis votum, quod deducit a verbis, quibus suam renunciationem emiserat Anna = *per la conservazione, ed aumento della sua Casa* =. Hæc verba in primis nihil aliud indigitant, quam amorem erga fratrem, a quo congruam dotem ipsa recipiebat, et cujus favore renunciationem exinde emittebat, ob gratum sui animi sensum, ut hic domum suam facilius sustinere posset, *ut notant Constont. Vol.* 477 *n.* 7; *Valente de Contract. Vol.* 43 *num.* 77, *et seqq.*; *Rota in Recent. part.* 5 *Tom.* 2 *Dec.* 479 *n.* 6; *cor. Bichio Dec.* 586 *n.* 14; *in Ariminen. Fideicom. de Bandis super Immissione* 26 *Martii* 1756 § 1 *cor. Stadion.* Propterea, cum fratris illiusque familiæ amor causam renunciationi præbuerit, iniquum omnino esset, fratre defecto, defectoque illius genere, ab illius successione intestata, ad quam ex Lege vocabatur, Annam excludere, ut monet *Mans, Consult.* 467 *n.* 27, *et seqq.*; *Rota cor. Dunozet. Dec.* 341 *n.* 35, *et Dec,* 641 *num.* 34; *in Ariminen. Immissionis* 28 *Junii* 1748 § 6 *coram Vicecomite*; *et in Confirmatoria* 16 *Febr.* 1750 § 40 *coram Eodem*; et vocare Geraldum, qui generi contemplato omnino extraneus, atque in gradu remotior, nullum jus proferre potest ad retinendam Dominici hæreditatem. Insuper, retenta abdicativæ renunciationis definitione, facile perspicitur, quantum ipsius naturæ adversetur objectum votum agnationis, quæ cohibere vocationem ad certum tantum personarum genus, in renunciatione expressum, non est qui ignoret. Quod vero Agnationis, et cognominis amor non fuerit causa renunciationis, perspicue etiam colligitur ex vocabulo = *estranei* = adjecto contemplatis hæredibus, ac successoribus. Dictio illa = *estranei* = omnino se refert ad vocatos per testamentum, qui oppido Agnationem omnino excludunt; ut ea exclusa etiam fuisset in casu, quo Dominicus filiam reliquisset, quia hæc agnationis finem, et principium cognationis constituisset, *Baldus Cons.* 200 *n* 2, *Torr. de Primogen. Lib.* 1 *Cap.* 15 *num.* 34; *Fusar, de Substit. quæst.* 346 *n.* 15, *Rota in Recent. Par.* 8 *Decis.* 199, *in adnotat. n.* 174, *Part.* 11 *Decis.* 33 *n.* 2; *Dec.* 693 *n.* 4 *cor. Ansaldo* =.

Ex urgentissimis præsumptionibus huc 10 usque allatis, moti fuere Patres, personalem, atque translatitiam decernere Annæ renunciationem. Eidem igitur competit jus super intestata Dominici hæreditate, ad quam ex Legum censura vocatur, veluti arctiori sanguinis vinculo cum defuncto conjuncta. Quod semper obventurum fuisset, etiamsi in pretio, per falsissimam hypothesim, haberi debuisset ipsa renunciatio; cum nemini ignotum sit in jure, mulierum, vel minorum, renunciationes nullas, atque irritas esse, nisi aliquam correspectivam renunciationis causam præbeant, seu a renunciatariis aliquod de proprio tradatur renuncianti ultra id, quod eidem de jure debetur, ut statuit Noster S. Ordo *coram Tanora in Decis.* 27 *n.* 28, *et cor. Olivat. Decis* 123 *n.* 2. At in renunciatione, de qua agitur, cum non appareat, quod Dominicus Annæ præstiterit aliud, quam dotem, quam ei dare omnino debebat ex paterna substantia, quin de proprio aliquid, ultra ipsam dotem, præbuerit, renunciationem igitur ob correspectivitatis defectum non consistere dici opor-

teret; prout firmavit *Rota in Pontiscurvi Immissionis* 10 *Februarii* 1803 § 6 *coram Guardoqui*; *in Æsina Consucessionis* 19 *Junii* 1820 § 8 *cor. Emo Gamberini*; *in Realina Successionis* 25 *Januarii* 1822 § 10 *cor. Eodem*; *et in Signina petitionis hæreditatis* 22 *Martii* 1822 *cor. Martinez*.

11 Futilia vero videbantur PP. quæcumque proferebat Geraldus circa cujusdam Dominici testamenti existentiam. Quæcumque fuerit ipsius Dominici voluntas testamenti faciendi, necessarium omnino erat, ut evidenter de hac voluntate constaret. Atqui, cum nec Parochus, nec testes specialiter ad hoc rogati fuerint a Dominico, cum ipse nullo certo, stabilique judicio Geraldi filium Cajetanum vocaverit, sed perfunctorie tantum in extremo suæ vite agone, dum de institutione minime agebat, illius mentionem fecerit, certum est, nullum composuisse testamentum dici oportere, ideoque intestatam illius hæreditatem esse deferendam Annæ, quæ, uti proximior, ab ipsius successione, non obstante renunciatione, repelli nequit.

Et ita, me quoque suffragante, in acerrimo partium conflictu jus redditum est.

---

# VELITERNA IMMISSIONIS

*Veneris* 13 *Decembris* 1833.

## ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCCCL. -

### SUMMARIUM

1. *Renunciatio emissa a virgine, quae monasticae vitae instituta amplectitur, habetur uti abdicativa, et realis.*

   *Contrarium praesumi debet de virgine nubente in saeculo, quae praesumi non potest, quod pro mortua se velit haberi* - *ibidem*. -
2. *Renunciatio emissa ob amorem, et gratum animum, habetur uti translativa, atque personalis*
3. *In abdicativis renunciationibus res non ceduntur, nec donantur, sed tamquam derelictae habentur.*
4. *Renunciationes extendi non debent ultra renunciantis mentis in verborum obsequium.*
5. *In personalibus renunciationibus, haud comprehenditur ipsius renunciatarii hereditas.*
6. *In odiosissima renunciationum materia, viget principium, quod causa suppleri nequit ex interpretatione.*
7. *Evanescit ipsa renunciatio, si deficiat renunciatarius, vel aliquis ipsius heres.*
8. *Renunciatio concurrentibus heredibus renunciantis, quamvis abdicativa fuerit, illis deficientibus, in personalem resolvitur.*
9. *Absurdum esset, quod jura quae repudiata fuerunt, ut melius familiae splendor sustineretur, inservire deberent ad augendum commodum extraneae domus.*
10. *Quod agnationis, et cognominis amor non fuerit causa renunciationis, colligitur ex vocabulo* - estranei - *adjecto heredibus ac successoribus.*

## DECISIO CCCCLI.

Anna Colonnesi, nuptura Joanni Baptistæ Prosperi, quum a Germano fratre Dominico congruam dotem reciperet, generalem favore ipsius, ejusque hæredum, ac successorum, etiam extraneorum, emisit renunciationem jurium, quæ sibi quocumque modo, tam in præsens, quam pro futuro tempore pertinere possent, exceptis tantum legatis, institutionibus, et substitutionibus, quæ ex conjuge, vel illius conjunctis in se pervenissent. Conciliato matrimonio, quum nimis effrænata appareret ista renunciatio, de communi placito per solemnem transactionem fuit ipsa cohibita, atque nulla declarata quod successiones, et legata, quæ renuncianti provenire possent ex ultimis voluntatibus, atque ex donationibus, tam inter vivos, quam ex causa mortis. Rebus ita compositis, accidit, quod renunciatarius Dominicus sine sobole, nulloque scripto hærede e vita migraverit. Tunc Gerardus Colonnesi, quamvis quarto tantum gradu cum eo conjunctus, authumavit sibi deferri illius successionem, exclusa Anna, cui arbitrabatur omissam renunciationem obstare. Bona itaque hæreditaria occupavit, renuente Anna, quæ illum ra-

Digitized by Google

poit coram A. C. Collegio Juridico, a quo tamen ille in capta possessione servatus fuit. Provocatione a succumbente interposita, immutatæ sunt hujusce Causæ sortes; nam S. N. Ordo duabus Decisionibus conformibus, editis coram me sub die 26 Aprilis, et 5 Julii labentis anni, constituit, Annæ renunciationem ad intestatam ipsius fratris Dominici hæreditatem porrigi haud posse. Sed petenti Gerardo data cum fuerit venia rursus obloqoendi, in hodiernis Comitiis, tralatitia Dubii formula, requisivi PP. = *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* =, cui confestim responderunt = *in Decisis* =.

1 Animadvertebant enim Patres, inutili studio cumdem Gerardum, verborum cortici unice inhærentem, torsisse jura, ut insinueret renunciationem ab Anna emissam recenseri oportere inter abdicativas, et reales. Raræ S. Ordini videbantur renunciationes generaliter abdicativæ, quæ in facto consistere possent. Nam in realium renunciationum specie, nullus adesse potest renunciatarius, cum genorice concipiantur, nullo respectu habito ad personas. In iisdem is, qui renunciat, tamquam mortnus habetur; ita ut ex illius romotione ad jura renunciata veniant proximiores, qui repudiatis juribus potiuntur, atque libere utuntur, quin renuncians ullo casu, ullo tempore, ot quevis concurrente persona, ad renunciata compendia regressum babere possit, ut docet *Card. de Luca de renunciat. Disc.* 1 *num.* 5 *et* 8, *et in Summ. num.* 10. Ex quo in Jure prævaluit, quod renunciatio emissa a virgine, quæ Monasticæ vitæ instituta amplectatur, uti abdicativa, et realis babeatur, quia mundo valedicere, et Deo se vovere, habeantur tamquam causæ impulsivæ hujusce renunciationis. Sed contrarium aemper visum fuit de virgine nubente in sæculo, quæ præsumi non potest, quod pro mortua se velit haberi ita, ut ei ad bona donata nullo tempore, nulloque casu rogressus patere possit, prout adnotavit cit. *Card. De Luca de Renunciat. Disc.* 3 *num.* 9 *et seq.*, *et docet Noster S. Ordo in Forolivien. Successionis* 27 *Julii* 1753 § 9 *cor. Elephantutio*; *in Auximana Successionis* 5 *Junii* 1789 § 15 *coram Strasoldo*; *et Dec.* 15 § 13 *cor. Emo Gamberini.*

Urgentissima autem hæc Juris præsumptio eo magis augetur, inspecto subjecto, et causa impulsiva illius actus, quo Anna valedixit suis juribus. Ipsa enim controversam renunciationem emisit, dum a fratre dotem recipiebat, et grati animi ergo suis juribus valedixit, et ea transtulit = *al fratello e suoi Eredi, e Successori qualsivoglia, anche estranei* =, ea do causa scilicet = *per la conservazione, e l'aumento della sua Casa* =; ot præsertim = *per l'affetto, amore, e gratitudine* = erga fratrem, qui ei nubenti constituerat = *la dote congrua* =. Si igitur ob amorem et gratum animum orga fratrem Anna renunciavit suis juribus, illius renunciatio translativa, atque personalis dici debet, cum ipsa renuncians perspectum unice haberet splendorem domus illius, a quo dotem acceperat. Verba eutem, quibus usa ost Anna, et quae renunciationis abdicativæ, realisque speciem præseferrent, intelligi baud possunt nisi in subjecta materia, scilicet ut explicent, non vero ut destruant paciscentium voluntatem. Designatæ in eadem renunciatione leguntur personæ, quibus Annæ placuit transmittere sua jura. Frater renunciatarius, et, post ejus funus, sui hæredes, et successores tantum lucrari debebant hæreditates, qoæ aliquo modo pervenire possent superstiti renuncianti. Cum itaque Anna verbia personalibus usa fuissot, semper hæredibus Dominici obsistere potuisset, post hujus obitum, objiciens, quod fratris personæ solummodo sua jura renunciaverit, et quod in illius hæredes transire nequiverint cessa jura, ideoquo ad hæc se reintegrari necessario oportere. Quod nt everteretur, utque post renunciatarii obitum possent etiam illius bæredes quoquo casu, quoquo tempore potiri bæreditatibus, quæ ad Annam deferri possent, necessarium erat ipsam renunciationem ita concipere, ut ipsa-

met Anna renuncians uti mortua censeri deberet, quoties frater, vel ipsius baeredes existerent. Et sub hoc obtutu realis, abdicativa et extinctiva dicta fuit renunciatio emissa ab Anna, quae a suorum jurium reintegratione repelli semper debuisset ab existentibus haeredibus scriptis renunciatarii Dominici, vel intestatis ei proximioribus ipsa Anna, pro quibus tantum abdicativam indolem praeseferebat emissa renunciatio. Sed, mortuo fratre, nulloque relicto haerede legitimo, sibi proximiore praedicta Anna, vel testamentario, in personalem necessario resolvi oportebat ipsa renunciatio, quae ideo in auras abire debebat ob defectum personarum, quarum favore emissa fuit ipsamet renunciatio ad monita *per Torr. de Pact. fut. succes. Lib.* 2 *Cop.* 10 *num.* 42 *et seq. Rota cor. Emerix dec.* 90 *num* 18, *coram Tonara dec.* 193 *num.* 3, *cor. Ansaldo dec.* 48 *num.* 24, *in Bonon. Immissionis* 12 *Jonuarii* 1753 § 12 *coram Figueroa*; *et in Auxim. Success.* 5 *Jonuarii* 1789 § 20 *coram Strasoldo.*

3 Nec diversam speciem praeseferunt verba, et clausulae jurium translationem importantes, quibus Anna usa est = *ha ceduto*, e *cede*, *ha donato*, a *dona* = *rinunzia*, *cessione*, e *donazione fra vivi* =: haec enim verba excludunt abdicativam qualitatem, cum in abdicativis renunciationibus res non cedantur, nec donentur, sed tamquam derelictae habeantur; et tunc, cum nullus sit renunciatarius, iisdem necessario potiuntur ii, qui in casu intestatae successionis ex Lege vocati sunt; sed fortius vero demonstrant personalem et translativam esse renunciationis naturam, prout docet S. Noster Ordo *in Bononien. Immissionis* 12 *Jon.* 1753 *cor. Figueroa*, *et dec.* 5 *n.* 13 *cor. Emo Garini.* Porro si verba illa convenire possent extinctivae, ac reali renunciationi, tunc illud consequeretur absurdum, quod donata censeri deberent bona illa, ad quae, sublato renunciationis obstaculo, ex proprio jure subingredi possent remotiores conjuncti. Quapropter personalis dicenda est renunciatio per donationis actum ab Anna concepta, ut arguit *Card. De Luca de Renunciat. Disc.* 7 *num.* 4 *et* 7, *Disc.* 3 *num.* 11, eo magis cum emissa fuerit favore fratris = e *suoi* =, quo nomine liberi tantum, et descendentes renunciatario veniunt, ut docet *Rota in dec.* 25 *num.* 22 *cor. Herzan.*, *et in dec.* 63 *n.* 25 *coram Malvasia.*

Nec prætereundum, quamlibet in Instrumento specialem deficere stipulationem de renunciata Fratris intestata hæreditate; quo casu dici recte potest, quod paciscentes de illa loqui neutiquam intellexerint. Quod si fuit illorum consilium, eorum voluntati stare oportet, ne renunciationis limites extendantur ultra renunciantis mentem in verborum obsequium, quemadmodum adnotavit *Card. de Luca de Renunciat. disc.* 3 *num.* 12, *et Rota in memorata Auximana Successionis* 5 *Junii* 1789 § 20 *cor. Strasoldo.* Proinde illa verba = *che la renuncia debba essere intesa per reale, abdicativa, e con patto espresso di mai più succedere* = referri debent ad personam fratris, illiusque hæredum, et successorum, quos quolibet modo post suum funus vocare potuisset, vel ei proximiorum Anna renunciante, sed extendi nequeunt ad casum, in quo ipsimet hæredes, et successores deficerent, quia tunc reviviscebant jura Annæ, quæ præsupponi non potest, quod abdicative et realiter omnibus suis juribus valedicere senserit, vel voluerit. 4

Et revera quod Anna absolute suis juribus non valedixerit, plene etiam probatur ex legatis, et institutionibus, quas reservatas sibi voluit in ipsamet renunciatione, et quas, sequuto matrimonio, etiam ampliavit ad quælibet alia relicta, tam per testamentum, quam ex donationibus. Istæ reservationes patenter demonstrant, nunquam sensisse Annam pro mortua se haberi, sed solummodo personalem renunciationem emittere curasse, ceu advertit Noster *S. Ordo in Auximono Successionis* 5 *Junii* 1789 § 17 *cor. Strasoldo*, *et in Confirmatoria* 17 *Maii* 1790 § 13 *corom Eodem*, favore fratris ob congruam dotem, quam ab eo receperat. Si igitur frater tantum, non alius ex ea lucrari potuit jura cessa ab Anna, ad horum 5

fruitionem reintegrari ipso jure oportet eamdem Annam, quae nunquam expresse renunciavit ipsius Dominici baereditati, nec implicite fingi potest hujusmodi renunciatio, quum tralatitii Juris sit, in personalibus renunciationibus haud comprehendi ipsius renunciatarii bæreditatem, prout docent *Alexand. Cons.* 95 *num.* 2; *Cons.* 36 *num.* 9. 10. 11; *Peregr. de Fideicomm. Art.* 20 *num.* 31; *Rota post Gallerat. de Renunciat. dec.* 9 *num.* 3; *et in Ariminen. Immissienis* 30 *Junii* 1749 § 7 *cor. Molino.* Præsupponi enim non potest, quod Anna explere voluerit actum, quod dum sibi maxime nocebat, nullam utilitatem renunciatario ferebat, ut tradit *Card. de Luca de Renunciat. disc.* 3 *num.* 8 *et seq, Rota cor. Emerix Sen. dec.* 99 *num.* 12, *cor. Rusconi dec.* 69; *in Firmana, seu Flor. Manutentienis super bone jur.* 18 *Martii* 1691 § 6 *cor. Origo, et in Ariminen. Immission.* 14 *Junii* 1784 § 3 *coram Molino.*

6 Perperam autem sibi fingit Gerardus, se ad defuncti Dominici hæreditatem vocatum fuisse ab ipsa Anna, quæ renunciaverat sua jura favere etiam = *di qualunque erede estranee.* Siquidem sub nomine = *Estranei* = venire tantum debent ii, quos in defectu liberorum ex suo testamento Dominicus vocasset ad suorum bonorum compendium. De hisce apposite loqui necessarum omnino erat Nam accidere poterat, quod post Dominici funus aperiretur quælibet successio intestata, ad quam, uti proximior; Anna vocata fuisset. Si igitur renunciatario Dominico placuit, ut in testata illa bæreditas deferretur ad extraneos sibi hæredes institutos, necessarium omnino erat, quod hoc literaliter depactum fuissent in ipsa renunciatione: Alias nunquam illam lucratori fuissent instituti bæredes, qui repulsi semper fuisset ab Anna proximiore. Sed Geraldus, cum ex tabulis se hæredem esse Dominici probare nequeat, comprebendi haud potest in specie extraneorum bæredum ipsius Dominici, de quibus obloqui intellexit renunciataria Anna, quæ merito expelli postulat eumdem Gerardum ab indebite capta bonorum possessione. Nec intelligi potest, quomodo ipse in proprium commodum extendere voluerit dictionem illam = *estranei* = quæ, ut vidimus, referri debet ad extraneos institutos per Dominicum, ut inde absurdum insinuaret, quod Anna, in sæculo nubens, renunciare valuerit hæreditati fratris, ut hæc deinde lucraretur ab extraneo, minime comprehenso intra certum personarum genus in ipsamet renunciatione contemplatum, et pro cujus favore agere certe nequibat causa impulsiva ipsius renunciationis. Generaliter in contractibus *ex Leg. Quidquid* 99 *p. ff de verb. obligat.*, et pressius in odiosissima renunciationum materia viget illud Juris principium, quod hæc causa suppleri nequeat ex interpretatione: *Gallerat, de renunciat. Lib.* 1 *Cap.* 9 *et seq.*; *Rota Nullius, seu Farphen. Immissienis* 11 *Martii* 1793 *num.* 11 *cor. Malvasia.* Præsumi ideo non potest, quod Anna tempore renunciationis, si interpellata fuisset, an successionem intestatam fratris abdicare voluerit, suum assensum præbuisset: quod si contigisset, tunc nec verbum esset de bac controversia. Sed cum in facto consta he hac repudiatione minime fuisse Annam expresse monitam, baud potest deduci, quod Anna ultra conventionis limites, ac dictiones, personasque in ea comprebensas, voluerit futurum ac non prævidibile jus succedendi ipsi fratri tacite remittere, ac condonare commodo illius Gerardi, de quo nec cogitavit, nec babita fuit ratio in ipsius renunciationis contextu.

Nec tricari potest ex eo, quod renunciatio comprehenderit etiam bona 7
= *fraterna* = Nam hæe expressiu intelligi debet adjecta per oscitantiam a tabellione, qui consuetas clausulas inconsulto exaravit. Et revera, aut agebatur de successione testata vel intestata. In prime casu inutilis omnino erat renunciatio, cum in Dominici potestate esset de rebus suis libere disponere favore illius quem magis prædilexisset. Si vero de intestata successione loquatur, tunc cum a Lege vocaretur proximior, qui in casu erat renunciataria Anna, inu-

tilis atque inefficax etiam in hac secunda hypothesi efficiebatur renunciatio, cum in ipsamet Anna necessario confundi oporterent jura renunciantis, et renunciatarii, et evanesceret ipsa renunciatio, quæ consistere nequit, si deficiat renunciatarius, vel aliquis ipsius hæres, ut docet *Rota post. Gallerat. de Renunciat. disc.* 3. *num.* 31, *et post. Torr. de Pactis fut. success. dec.* 116. *num. et seq.* Quapropter, cum Gerardus hæres scriptus non fuerit a Dominico, nec in defectu ipsius testamenti vocetur a Lege, ob proximioris agnati existentiam, merito arcendus est ab occupata ipsius Dominici hæreditate, quin ei præsidii esse possint verba, et clausulæ amplæ, atque effrænatæ, quibus concepta fuit ipsa renunciatio; quia verba intelligi debent modo, ut non intervertant paciscentium voluntatem. Proinde illorum robur, atque efficacia exerceri minime possunt extra genus personarum, quod contemplatum fuit

8 Cum igitur frater, illiusque hæredes, et successores fuerint subjectum, et causa finalis renunciationis emissæ ab Anna, prono alveo fluit, quod ipse Gerardus, cum extiterit renunciatario Dominico extraneus, necessario extraneus renunciationi dici debet: Proindeque renunciatio, quæ, concurrentibus hæredibus Dominici, abdicativa fuisset, illis deficientibus, in personalem resolvi debet ad monita de *Torr. de Pactis fut. success. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 42. *et seqq. Rot. cor. Emerix dec.* 90. *num.* 18. *cor. Tanara dec* 193. *num.* 3. *cor. Ansaldo dec.* 48. *num.* 28. *in Bononien. Immissionis* 12. *Januarii* 1753 § 12. *cor. Figuero*; *et in Auximana Successionis* 5. *Junii* 1788. *et in Confirmatoria* 5. *Januarii* 1780. *cor. Ansaldo*. Quæ consequentia urgentissima eo magis redditur ex adnexa clausula = *ad averla e goderla colla piena clausola del costituto, e precario in forma etc.* quæ re dominium, ac proprietatem una cum naturali, ac civili possessione cum transferat, per *Rotam in Romana Consuccessionis* 8 *Junii* 1818 § 5. *cor. Emo Isoard. Fundana Manutentionis* 6. *Februarii* 1829. § 5 *cor. Rmo Spada Decano*, *et in Confirm.* 3. *Junii ejusdem anni cor Eodem. et in Anconitana Immissionis* 15. *Junii* 1830. § 13. *coram me* uti accessoria actum principem immutare nequit, sed ei imo famulatur, ejusque sequitur naturam atque effectus per tradita a *Ridolphin. in Praxi Judiciaria par.* 2. *cap.* 3. *num.* 20. *Coc. de Cens. quæst.* 98. *num.* 23, *et* 24. *Rot. Divers. part.* 1. *dec.* 349 *num.* 5. *cor. Cavaler. dec.* 5. *et* 6. *cor. Buratt. dec.* 9571. *num.* 16. *in Recent. dec.* 261. *num.* 19. *part.* 7. *et in Anconit. Immiss. coram Me diei* 13. *Maii* 1382. § 14, *et in ipsius Confirmat.* 10. *Februarii* 1833. § 12. =

Inutili autem studio objiciebat Gerardus agnationis votum, quod decebat a causa impulsiva ipsius renunciationis, scilicet = *per la conservazione, ed aumento della Casa* = In primis hæc verba ostendunt solummodo amorem, quo Anna suum fratrem pro recepta dote, grati animi ergo, jurium renunciationem emittebat, ut facilius suam domum sustinere posset, ut notant *Constantin. Vot.* 476 *numer.* 7. *Valentini de Contract. vol.* 43 *num.* 77, *et seq.*, *Rota in Recent. part.* 5 *tom.* 2 *dec.* 479 *numer.* 6, *cor. Bichio dec.* 586 *num.* 14, *in Ariminen. Fideicom. de Bandis super Immiss.* 26 *Martii* 1746 § 11 *cor. Stadion.* Sed defecto fratre, defectoque illius genere, exulabat omnino causa impulsiva illius renunciationis, et rationi omnino contrarium fuisset, quod jura, quæ ab Anna repudiata fuerant, ut melius familiæ fratris splendor sustineretur, inservire deberent ad augendum commodum extraneæ domus, uti adamussim contingeret, si ad Dominici hæreditatem, per summam injuriam, exclusa Anna, vocaretur Gerardus, ut monet *Mansius Consult.* 469 *num.* 27 *et seqq. Rot. cor. Dunizzet, dec.* 341 *num.* 35, *et dec.* 641 *num.* 24, *in Ariminen. Immissionis* 28 *Junii* 1748 § 6 *cor. Vicecomite, et in Confirmat.* 16 *Februarii* 1750 § 40 *cor. Eodem.* 9

Quod vero agnationis, et cognominis amor non fuerit causa renunciationis, perspicue etiam colligitur ex vocabulo = *estranei* = adjecto hæredibus, ac successoribus contemplatis in Annæ renun- 10

ciatione. Dictio illa = *estranei* = omnino se refert ad vocatos per testamentum, qui oppido agnationem omnino excludunt; ut ea exclusa etiam fuisset in casu, quo Dominicus filiam reliquisset, quia hæc agnationis finem et principium cognationis constituisset, ut docet *Baldus Cons.* 200 *num.* 2, *Torr. de Primogenit. lib.* 1 *cap.* 15 *num.* 35. *Rota in Rec. part.* 8 *dec.* 199 *in Adnotat. numer.* 174, *dec.* 233 *num.* 2, *dec.* 693 *num.* 4 *coram Ansaldo*. Animadvertere denique oportet, agi de renunciatione, quæ donationem cum sapiat, Juris præsumptionem habet contrariam teste *Paulo in Leg. cum de indebito* 25 *ff de Probat.*, et stricte interpretari debet, nec protendi ad casus, qui litteraliter in eadem non fuerint expressi. Quapropter, cum controversa renunciatio faveret renunciatario Dominico, illiusque, vel legitimis, vel testamentariis hæredibus, ac successoribus, evidentissimum est, præter illos nullum alium admitti posse. Etsi vero aliquod dubium etiam remaneret, cum restrictiva interpretatio capi debeat, non realis, sed personalis judicari debet renunciatio, ad tradita per *Surdum Cons.* 517 *num.* 15, *Honded. Cons.* 58 *n. fin.*, *Cabriel. Cons.* 89 *num.* 2, *Rota post Gallerat. de Renunciat. dec.* 44 *n.* 7.

Et ita, habita relatione ad superiores Decisiones, ad quas PP. se omnimode referre voluerunt, decisum fuit, Me quoque suffragante in alacri partium conflictu.

---

## UTI PRAELATO

## VELITERNA MANUTENTIONIS

## ET EMEMDATIONIS DAMNORUM

*Veneris 11 Januarii* 1833.

### ARGUMENTUM

Continuata ultra annum possessio, valet ad prohibendum judicium summarium, ab edictalibus legibus indictum quoad novationes annales. Ast non tutum facit possidendi titulum, qui in judicio ordinario, et juris ordine servato, expendi potest.

SUMMARIUM

1 *Redintegratio est concedenda, ubi quis per plures annos non clam, non vi, non precario in possessione versatus fuerit.*
2. *Interdictum* uti possidetis, *illi opitulatur, qui rem per continuum annum possedit.*
3. *Possessio continuata intra annum valet quidem ad prohibendum judicium summarium, ast non tutum facit possidendi titulum.*
4. *Nemini licet in pendentia judicii ordinarii, ad summarium convolare.*
5. *Fundum immutare, dummodo sit ob meliorem culturam, unicuique permissum est.*
6. *Inter arborem, et arborem, servari debet illa distantia, quae ab agrariis legibus praecipitur.*
7. *Foret absurdum, ex imperata ab legibus edictalibus continua arborum consitione, ne locum quidem vel arae vel arundineta relictum arguere.*
8. *Sua fraus nemini debet patrocinari, et magis valere debet, quod geritur, quam quod simulate concipitur.*

## DECISIO CCCCLII.

**P**ascui jus, quo fruitur Municipium Veliternum super omnibus territorii agris cessantibus et apertis, exercitum perpetuo ita fuit, ut nunquam fundorum cultioni, quæ, vel Municipio, vel civibus longissime pretiosior, obicem ullum pararet. Nulla exinde Lex Edictalis ab Episcopis et Principibus Veliternarum lata fuit ad pascui jus vindicandum, quæ sepiendi arbitrium civibus singulis latissime non tribuerit: dummodo ex eo emponemata fierent, ut vacua arva, et otiosa vel in pomaria, vel in vineas, vel in oliveta adducerentur. Hoc Legum arbitrio Eques Paulus Filippus usus prudentissime fuit; qui idcirco prædia = *Paganico* = *Colle Ottone* = *et Arrigone* = Multis ab hinc annis conclusit, ut eadem in meliorem culturam redigeret, vel vineis lætissimis positis, vel consito oliveto. Et sumptuosæ agricolationis jure tranquille fruebatur, cum Antonius Gallettus, Municipalium redditum conductor, qui Paullum ordinario judicio ab justa cultione exturbare incassum tentaverat, facta improba machinatione et sepes diu servatas per viam facti, subque Municipii larva, perfregit, et miserabili pecudum

Digitized by Google

pauperie vineam, arbores, fundos denique omnes vastavit. Reintegrationis, et damnorum actio, in id ab Filippio indicta, et ad S. N. Auditorium, speciali commissione delata, semel et iterum probata fuit in Comitiis *diei 4 Julii* 1831, *et* 22 *Junii* 1832. Nec nova jura, laboriose per Antonium deducta, valuerunt, ut PP. in Sententiam diversam abirent. Quum etenim hoc mane, *uti Prælatus*, assueta Dubii formula quæsiverim = *An sit standum vel recedendum a Decisis in casu etc.* = responsum plane fuit = *In Decisis* =.

Prædiis = *Paganico* = *Calle Ottone* = *et Arrigane* = conclusis, et ad meliorem
1 culturam redactis Paullum ab antiquissimo tempore usum fuisse adeo certis probationibus confirmatur, ut in facto tutissimum omnino sit. Judicialia namque acta demonstrant ab anno usque 1804 prædium = *Paganico* = conclusum ab Filippio fuisse, ut in Olivetum redigeretur. Et licet de insidio nisa plantatione questum Municipium fuerit, haud tamen constat, vel ad repagula amovenda, vel ad statutam in Edictalibus Legis multam præstandam Filippium perstrictum fuisse; qui imo quietam ex eo tempore diuturnamque restricti possessionem exercuit. Reliqui vero fundi = *Calle Ottone* =, et olivetum = *Arigane* = non ab sæculo ineunte, sed ab tempore, quod memoriam ferme hominum excedit, sepibus fuere vallati, et ab pascui servitute exemptos Paullus eos retinuit. Atque, ubi argumenta reliqua deficerent, unum Antonii factum hac de re quæstionem omnem amoveret, qui judicio in Paullum excitato, ut prædia insidiose, uti contendebat, conclusa ex Judicis decreto paterent, non ab anno 1827, quo judicialiter egit, sed ab primo ipso die initæ Municipalium bonorum, et reddituum conductionis, herbarum pretium condixit. Ex quo antiquum conclusionis factum apertissime, et judiciali confessione declaravit. Superabat exinde jugis hæc, et tranquilla possessio, ut manutentio, vel redintegratio favore Filippii decerneretur quem constat per plures annos non clam, non vi, non præcario in possessione versatum fuisse: eeu constituit in jure utraque causæ Decisio §§ 4 et 6.

Nec ad unum redintegrationis effe- 2
ctum proderat jugis possessionis exceptio. Quæstionem imo omnem absolvit super injusta repagulorum amotione, vel studioso pecudis appulsu, cui sub nomine Municipii, atque abusus Edictalium Legum dispositione Antonius processit. Quum etenim Leges ipsas Edictales ab Velitrarum Episcopis et Principibus latas de jure pascui graviorem quoque ad trutinam PP. Mei Domini revocaverint, quibus Antonius vehementissime innitebatur, probatum tertio fuit, vel spiritum, vel expressa Legum verba nil aliud præseferre nisi jus Municipio datum, ut quotannis ad menses constitutos Vice Præses Civitatis agros territorii universos, adscitis agrimensoribus, inviseret; ut si quid infra annum fraudis caussa factum cognosceret, et Municipii jus vendicaret, et noxios ad multam cogeret, herbarumque pretium repræsentandum. Quolibet namque anno indicta prædiorum cognitione, haud certe alteræ, nisi annales novationes coercitæ ab legibus fuerunt; dum alias, vel injustitia, vel absurditas Legum in propatulo essent. Et forent præprimis injustæ: Dum summaria rei cognitio, et præceps *per viam facti* judicium quantum possessioni convenit, ne per annum quidem continuatæ, ea abnorme et gravissimum fuisset in casu antiquæ prædiorum conclusionis. Jugis namque possessio titulum aliquem ferme semper præsumit; nec ulla fingi Legum acerbitas valet, quæ tertios ad quæsitis possidendi titulis exturbet, quin copiam eis faciat sua saltem jura deducendi. Idcirco igitur in quolibet anno imperata fundorum cognitio fuit, ne summarium judicium inferret; neque communis juris dispositio pessum daretur, quæ proprio dato Interdicto, ita illi opitulatur, qui rem per continuum annum possedit, ut nequeat a sua possessione exturbari: veluti, ex natura Interdictorum omnium *Uti possidetis*: firmant præcedentes causæ Decisiones *prima* § 5 *et altera* § 7.

Evidenti autem injustitiæ absurditas 3

Legum accederet. Loquuntur namque de sationibus lupinorum, deque occlusionibus recognoscendis, quæ duo sane demonstrant eas annalibus tantum fraudibus cavere voluisse cum uno quoque anno serantur lupini, et abnorme sit visitationem præripere fundorum jamdiu occlusorum, cum hac de re ex superiorum annosum visitationibus constare potuisset. Nec ex plana hac Legum interpretatione ea manant absurda, quæ per Antonium objiciuntur; scilicet quod pascui jus, ex Municipalium Procuratorum in curia in id discriminis adduci valeat, ut annuis prædiorum conclusionibus minus diligenter percognitis, universum pascui jus infra brevem annorum cursum prorsus deficiat. Et re quidem vera, continuata ultra annum defensi predii possessio valet quidem ad probibendum summarium et facti judicium, ab Edictalibus Legibus indictum quo ed novationes annales. Ast non tutom facit possidendi titulum, qui in ordinario judicio, et juris ordine servato, expendi nequeat. Municipium exinde, cui annales fraudes per summariam viam coercendi jus est ex Legibus Edictalibus, nullatenus præpeditur de insidiosis agrorum cultionibus post multos quoque annos inquirere, et jus suum vindicare, iis tamen mediis adhibitis, quæ passim inter cives adhibentur ad suum jus propugnandum.

4 Quæ omnia, etsi ab recta interpretatione, et Legum litera evidenter probentur evidentissima prorsus evadunt ex judiciali Antonii agnitione. Si namque Legum Edictalium ea auctoritas esset, ut ex his Municipii Ministris liceret immemorabilem quoque possessionem per viam facti exturbare, haud certe ipse ad ordinarium Judicem anno 1829 confugisset, ut judiciario ordine servato, de sepibus ab Paullo insidiose extractis constaret. Uti enim annuam fundum visitationem Gallettius indicere pro arbitrio valuisset, imo ad camdem ex suscepto in contracto onere adigebatur, qui exinde paratissimam viam facti habeat ad Municipii jus incunctancter vindicandum hanc dubio procul optasset, non egisset in via ordinaria, quæ et implexior, et sumptuosior nec alias sequenda, nisi ubi medium quodcumque alterum deficiat. Quin imo expetita Ordinarii Judicis auctoritate, et illud gravissimum urget, quod omne Edictalium Legum privilegium, et summaria cognitio et si in casu competiisset, prorsus expiraverit. Quum etenim super justitia, vel fraude restrictorum prædiodiorum præventivum judicium Gallettius excitaverit, haud certe vel huic, vel alteri cuilibet licebat aliquid in pendentia litis novare, vel ordinario judicio deserto, summariæ cognitionis privilegium adhibere; ceu ad rem docent *Pauimoll. Decis.* 13 *Adnot.* 3 *n.* 6 *Klok de contribut. Cap.* 18 *num.* 126, *Constantin. Vol. decisiv.* 9 *n.* 4 *et Rota in Romana Circumscriptionis* 9 *Aprilis* 1832 *num.* 13 *coram Me.*

Hisce autem pro culmine adjungitur, 5 quod nullatenus stat de insidiosa agricultione; quum idcirco conclusa a Filippo prædia sua fuerint, ut eadem cum ingentissimo sumptu ad culturam illam redigeret, ex qua Edictales Leges sinebant, quod ab pascui servitute liberarentur. Ceu namque plenius expeddunt præcedentes decisione, prima § 6 ad 9 et altera § 9 ad 11 constat Paullum non minus *sex millibus* argenteorum nummorum in id impendisse, vineis lætissimis consitis. nec non insigni oliveto. Atque ita non fendorum effecit, quod nunc ex prædiis conclusis ennum proventum assequitur, dum ex pascui jure vix scuta *quadraginta* annua percepisset. Nec proderat superius relatas Edictales Leges objicere, quibus arborum consitiones probatæ non alias sunt, nisi reperirentur = *Unite da ogni lato, nel mezzo, ed in ogni altra parte secondo l'uso e lo stile della Città di Velletri* = Veliternæ siquidem Civitatis consuetudinem, imo consuetudinem Locorum omnium in agrorum cultione Philippium diligenter observasse non nisi quam per invidiam in discrimen adducitur. Constat namque ita navum patrem familias prædia universa culturæ destinasse, ut longissi-

Digitized by Google

mas olearum lineas passim conseruerit, ulmos cum vitibus conjuxerit, geminos denique, et continuos vitium ordines inter arborem et arborem duxerit, ea servata distantia, qua ad cerealium sationem agi in media aratrum posset, ut ita gauderet triplici terræ fructu, nec soli spatium maneret, quod ab egregia cultione vacaret, vel suum proventum non redderet.

6 Futillium exinde erat excipere haud distantiam illam inter arborem et arborem servatam fuisse, quæ ab agrariis Legibus, vel consuetudine Velitrarum præcipitur. Præprimis namque Leges Edictales insidiosas quidem consitiones damnarunt, quibus una vel altera arborum linea posita in exteriori, non alias pomarii, vel oliveti species simularetur, nisi ad fraudandum Municipale jus pascui. Sed nunquam distantiam constituerunt inter arborem et arborem adamussim servandam, perinde ac si cultori non liceret majorem, vel minorem plantarum spissitudinem variæ soli feracitati accomodare, vel ita concluso fundo uti, ut magis prosperet agricoltio, atque opimiores fructus ex hac habeantur. Accedit autem quod ex Velitrarum consuotudine nullatenus constat de certo spatio, quo arbores distare inter se necessario debeant. Judicialia porro acta, quæ exhibet Gallettius, atque monumenta omnia, hinc inde deducta omnino demonstrant modo unam, modo alteram distantiam servatam hac de re fuisse, pro diversa agrorum feracitate destinatione. Et expositione, quantitate, hisce etiam missis, irregularis consitionis calumniam id pene omnibus evincebat, quod in exaggeranda arborum distantia, haud ratio de vitibus habita sit, quæ gemino ordine inter arborem et arborem ductæ constantissime fuerunt. Patet itaque, quod dum ex distantiæ ratione ab Gallettio proposita, *decem* vel *undecim* plantarum *millia* latississime superarent ad justam agriculatione evincendam, atque ut nulla intraret Edictalium legum coercitio, egregia sane cultione Filippium non minus *centum mille* plantis sevisse cum ingentissimo sumptu scutorum *sex millium*.

Supervacaneum post hæc erat de interstitiis iterum agere, quæ Filippius inculta reliquit, et quæ per facti commentum ad multa terræ rubra amplificantur. Et unanimi enim honestissimorum hominum testimonio, nec non ex suspicio silentio hac de re ab peritis servato, quos Gallettus misit in rem præsentem ac actionem suam coadjuvandam, satis tutum P. P. habuerunt, quatuor tantum spatia inculta Paullum reliquisse quorum *duo* arundinibus plactandis, *tertium* terendo frumento destinavit; *quintum* vero, ob perversam soli naturam, aultione quacumquo vacat. Foret exinde absurdissimum ex imperata ab legibus Edictalibus continua arborum consitione, ne locum quidem vel aræ vel arundineto relictum arguere, quibus culta omnia prædia vehementissime indigent: Præsertim cum leges ipsæ servandem agrorum custodiam præcipiant non modo si pomaria, vel oliveta, vel vites consitæ jam fuerint, sed generatim quoad agros = *che avranno piantato*, o *potranno piantare* = Nec officeret quod, tempore præcedenti, plantationis irregularitas, ad effectum restringendi, agros extitisset, ut Gallettius asserit vel bonorum pascua Philippius locaverit. Quoad nempe consitionis defectuum, de hoc non antiquus fundi status, sed præsens agrorum cultio attendenda procul dubio est de tempore, quo Gallettins anno 1829 Paullum ab jugi possessione detrusit, et pecus ad pascendum inmisit. Locatio autem agrorum ad pascua haud Filippii culpæ verti ullatenus valet, qui in id temporis municipale pascendi jus possidens ex legittimo contractu, rei suæ moderator et arbiter, de eadem ad libitum disponere nullo juris impedimento præpediebatur. 7

Constat igitur de passo spolio, de inversa Edictalium legum dispositione, de repagulis privato pessimoque arbitrio in Filippii fraudem amotis, de ingentibus damnis ex miserabili injustoque pecoris appulsu derivatis. Non una exinde redintegratio Filippio competit ad 8

tumultuarie creptam possessionem, sed damna universa reficienda illi sunt, quæ ab spolio ipso manarunt. Quod vero de hisce non innocuum Velitrarum Municipium, sed Gallettius unus teneatur, absque hæsitatione PP. noviter confirmarunt. Si enim in prima Causæ propositione ex opilionis præsentia, et continenti pecudis appulsu præsumpta Gallettii fraus fuit, ita ut unus ad reficienda damna condemnaretur, haud hodie Machinationis reprobandæ suspicio, sed probationes omnino plenissimæ concurrunt, quæ Antonium unum spolii, et damnorum *auctorem* evincunt. Constant enim ab longa epistolarum serie ipsum præceps visitationis actum provocasse, impetum in Filippi prædia fecisse, omnia denique ea privato odio perfecisse, quæ ex insigni fraude nonnisi quam sub nomine Municipii palam gerebantur. Ast sua fraus nemini debet patrocinari, et in toto jure scriptum est sæpius, quod magis valere debeat quod geritur, quam quod simulato concipitur. Damna igitur auctorem suum sequantur oportet signanter cum illata hæc potissimum fuerint non ex indicta visitatione, sed ex præcipiti Decreti exequutione, quod repagulorum amotionem imperavit. Exequutionis vero auctricem vel adjutricem minime se præbuit communitas, cujus partes tantum fuerunt nomen exhibere petitioni visitationis, ex quidem post jussa Cardinalis Episcopi ac Principis Velitrarum, ab uno conductore generali ipsa quoque provocata. Judicis autem factum injustum, non nisi quam partis factum existimatur, veluti precedentes Decisiones § finali constituunt ad quas placuit PP. Meis Dominis relationem habere.

Et ita in triangulari, et acerrimo conflictu, et meo quoque accedente suffragio decisum fuit.



# VELITERNA SOLUTIONIS PRETII

*Veneris* 5 *Decembris* 1833.

## ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

### SUMMARIUM

1. *Apocha, trino subsignata teste, omnem fidem sibi vindicat in judicio.*
2. *Ubi nullus solutionis pretii fuerit in venditionis apocha terminus praestitutus, intrat arbitrium boni viri, quod decem annorum curriculum egredi non debet.*

## DECISIO CCCCLIII.

In coæva Decisione mea super *simulatione contractus* narravit Josephum Galeatium vendisse die *trigesima* Martii an. 1822, Paulo Censi nepoti suo, totum bovilium, atque equinum armentum, quod possidebat, conventum prœterea, alias inter pactiones multas fuisse, quod « *la valuta, ossia prezzo di tutto il sud. bestiame è stato di comun piacimento, e consenso fissato, e stabilito nella somma di sc. settemila duecento cinquanta moneta, che và a dividersi a scudi venticinque per ogni capo vaccino, e cavallino, come di sopra aggrossato* »; nullumque hujusce pretii solutioni terminum fuisse præstitutum; postulasse demum Galeatium, Censio a pactorum implemento desciscente, anno 1829 coram A. C. Manari, alia inter contra eum instituta judicia, conventi pretii solutionem, ad quam, Caussam prosequente Dominico Galeatio ab Josepho in sua jura ex testamento vocato, damnatus hic fuit e Collegialium Judicum A. C. Sententia, qui per mutatum Praxis ordinem in Causa pronunciarunt, indulto tamen debitori triennali solutionis conficiendæ spatio, peractaque intra mensem armenti descriptione, ac emissa per Censum jurata cautione de non distrahendo pecude in fraudem Galeatii, jussaque præteroa expensarum omnium compensatione. Litigatores provocarunt insimul ab Sententia illa; quapropter proposui ego

hodie mane in Aula hac super quæstione Dubium « *An constet de credito scut.* 7250, *et sit locus condemnationi in expensis, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* « habuiquo responsum » *Affirmative in omnibus juxta modum in Decisione exprimendum* ».

1 Qui enim emit emptæ rei conventum solvere pretium debet ad apertissimos *Textus in Leg.* 13 § 19 *ff de action. empt. vend., ac docent Ruin. Cons.* 141 *n.* 5 *lib.* 1 *Surd. Dec.* 253 *n.* 8; *et S. Ordo Noster in Dec.* 363 *n.* 2 *coram Riminald.*, *et in Bononien. pecun. super liberatione a molestiis quoad summam scut.* 10,000 5 *Feb.* 1827 § 7 *coram Emo Isoard* ». Atqui bovilium, ac equinum armentum omne emisse Paulum Censi a Josepho Galeatio evidentissimum manebat ex venditionis apocha, trino subsignata teste, quæ sibi veritatis fidem vindicabat, quin contra venditionem simulationis invidiam Census creare valuisset, qua apocha armenti pretium ipse expromisit « *nella somma di sc. settemila duecento cinquanta* ». Illud autem ad hanc usque diem non numeravit; negari ergo Galeatio nequibat jus condicendi illius summæ creditum, pro quo in præsenti judicio egerat.

2 Nec condemnationem effugere Censius potuit, eo quod nullus solutionis pretii fuerat in venditionis apocha terminus præstitotus, atque in suo relictum fuerit arbitrio pretium, quo tempore ei placuisset, persolvere. Arbitrium quippe hujusmodi moderamdum boni viri arbitrio erat; quod per receptissimam in Jure sanctionem decem annorum curriculum non egrediebatur, prout tenuit semper S. N. Tribunal, ac præsertim *in Dec.* 753 *n.* 11 *cor. Cerro*; *in Senogal. pecun.* 21 *Junii* 1805 § 2 *cor. Emo Cesarei, in Rom. seu Portuen. pecun.* 11 *Maii* 1807 § 4 *et* 5 *coram Emo Bussio, atque in Rom. seu Bononien. pecun.* 20 *Martii* 1820 § 2 *cor. Emo Gamberini* = Verum, quum ex nulla temporis præfinitione contractus illi venditionis adjecta, Judicis arbitrium adhiberi commode potuisset: quumque ageretur de ingenti argenteorum 7250 summa per Censium exsolvenda, utut decennium a Lege præfinitum a contractus initi die jam totum præteriisset, ne Censius redigeretur ad incitas, indulgendum ei tamen pro ipsorum æquitate PP. DD. censuerunt terminum aliorum trium annorum, a quo nec actor abhorrebat, post quem Censium esse adigendum ad pretii solutionem mandato concesso judicarunt. At, ne æquitate adhibita damnum inde Galeatio obveniret, prudenti sane consilio PP. DD. imperarunt, ut idoneam de pretii integro nomine cautionem ad Juris tramites ei Censius præberet. Quibus in rebus versabatur modus per me in Decisione exprimendus. Cum demum altero et hoc in judicio sese temerarium litigatorem Censius in Galeantium præbuisset, ex quo perditi judicii expensas sufferre ex Jure debet, damnatus propterea a PP. fuit, ut expensas quoque Galeatio refunderet.

Et ita, utraque redditum judicium fuit, meo etiam accedente suffragio.

---

## VITERBIEN JURISPATRONATUS

*Lunae* 9. *Maii* 1833.

### ARGUMENTUM

A Potentibus personis rigorosae admodum juxta *Concilium Tridentinum seu* 25 *cap.* 9, exiguntur probationes, adeo ut oporteat jus patronatus evincere prolato titulo foundationis, vel dotationis: contra vero quoad privatas personas nihil innovavit Tridentinum Concilium, eisque fas est jus patronatus ostendere juxta communis juris censuram.

SUMMARIUM

1. *Ubi agitur de personis potentibus, jus patronatus evinci debet, vel ex titulo fundationis, vel donationis, quae ex authentico ecatsat documento.*

*Privatis personis fas est jus patronatus ostendere, vel observantia, vel confessione partis, vel publica voce, et fama - ibid.-*

2. *Dos est alter ex modis, quibus juspatronatus acquiritur.*

3. *Titulus ex centenaria deductus, vero aequiparatur titulo fundationis, et donotionis.*
4. *Nequit Episcopus Visitator imperare refectiones Sacelli, sed unus jurispatronatus titulus causam praebet Episcopo cogendi patronum ad instaurationes peragendas.*
5. *Confessione partis dum res est de privatis personis, juspatronatus optime probatur.*
6. *Res inter alios acta, tertio nocere non potest.*
7. *Tantum distat usus Ecclesiae a jure patronatus Ecclesiae, quantum differt usufructuarius a proprietario.*

## DECISIO CCCCLIV.

Ut jura patronatus Sacelli Divo Antonio Patavino dicati, et in Collegiata, ac parochiali Ecclesia S. Joannis Oppidi Balneariæ in S. Petri Patrimonio erecti, quæ sibi ab antiquo tempore asserebat, Advocatus Vincentius Cordeschius sarta tecta servaret, et ab alienis perturbationibus vindicaret, judicium instituit coram Vicario generali Viterbii adversus Municipes ejusdem Oppidi Balneariæ, qui, capta occasione, qua vitreis clathris crystallorum laminæ recens subrogatæ fuerunt, jus ipsum patronatus convellere adnisi sunt, inscriptionem proprietatis tesseram in fronte, et super epistylio Sacelli apponi ab albario toctore curantes binis verbis, sed literis cubitalibus conceptam = *Communitas patrona* = Post rem diu actam, atque discussam apud Judicem illum, sententia tandem prodiit anno 1828 die 6 Septembris, quæ in jurispatronatus possessione Cordeschium retinendum esse, delerique inscriptionem jussit. Quoniam vero ex notissima Constitutione S. M. Benedicti XIV; si semel causa ceciderint, prohibentur Municipes, quominus litem prosequantur, nisi a singulis obligatione facta, tum de sumptibus judiciorum ære proprio subeundis, tum de expensis victori reficiendis, si sortem inimicam iterum experiantur; ita municipes omnes, cum in unum post editam Sententiam convenissent, deserendam litem duxerunt, præter unum Advocatum Dominicum Lelium, qui ut veniam prosequendi litem a S. Congregatione Boni Regiminis, publico reductante Municipii Consilio, obtineret, non modo præscriptæ obligationi se voluit subjugatum, sed primæ actionis etiam expensas a Communitate rependere ære proprio, ac dimittere, amissa lite, spopondit. Ita igitur a prædicta Vicarii generalis Viterbii sententia provocavit, adsciloque nomine Municipii, controversiæ cognitionem deduxit ad Sacrum Nostrum Auditorium, ubi quædam, veluti judicii prolusio, ferbuit de rogatione concinnanda, quæ in hæc verba constituta est = *An, et cujus favore constet de jure patronatus, ita ut, et cui sit danda manutentio in casu etc.* = Hæc autem Dubii formula cum in disquisitionem venerit in Comitiis habitiis ad diem *primam* supra *vigesimam* Junii superioris anni, quæstione non bene illustrata, comperendinare definitionem oportuit, adjecta lege, ut interim augerentur ab utraque Parte probationes, et in acta referri deberet integrum instrumentum, quod Municipes ad probandum sibi ab antiquo tempore quæsitum totius Ecclesiæ Collegiatæ, et parochialis dominium, ac ad infirmandum Cordeschii jurispatronatus, in medium proferebant. Instaurata hodie controversia, rogationi propositæ responsum est = *Affirmative in omnibus favore Vincentii* =.

Dum de probando agitur jure patronatus, discrimen ineundum est inter personas potentes, et de usurpatione suspectas, ac Personas privatas. 1 A potentibus, ac de usurpatione suspectis personis rigorosæ admodum juxta Concilium Tridentinum *sess.*25 *cap.*9 exiguntur probationes, adeo ut oporteat jus patronatus evincere, prolato titulo fundationis, vel dotationis, quæ ex authentico scateat documento: contra vero quoad privatas personas nihil innovavit Tridentinum Concilium, eique fas est juspatronatus ostendere juxta communis juris censuram, nimirum praesentationibus per quadraginta Annorum lapsum expletis, simplicibus enunciativis, antiqua Antistis sententia, literis Apostolicis, confessione par-

tis, inscriptionibus marmoreis, publica voce, et fama, aliisque id genus argumentis, *Barbosa Jus Eccles. univers. cap.* 12 *num.* 102; *Mascard. de Probat. conclus.* 939 *num.* 1 *et seqq. Gonzalez ad reg. Cancell. reg.* 8 *num.* 16; *Fargn. Comment. ad Can. de jure pat. S. can.* 12 *cas.... Ferrar. Bibliothec. Canon. verb. Jurispatronatus art.* 3 *numer.* 1 *ad* 81.; *Rot. Decis.* 560 *num.*1 *cor. Cavalerio*, *et Decis.* 25 *numer.* 3 *coram Coccino.* Quo posito, licet explicitum juris patronatus titulum non efferat Advocatus Cordeschius, exploratum attamen est eidem favere observantiam plusquam centenariam, actibus conjecturisque non parvi momenti suffultam, quae sane primigenium juris patronatus titulum praeseferre, ac supplere videtur. Ingens in primis praesidium actori suppeditant Visitationes ab Episcopis Viterbiensibus a sacculo XVII ad haec usque tempora peractae. Acta siquidem antiquissima Sacrae Visitationis, quae penes ecclesiasticam Viterbii Curiam asservantur, indubia perhibent de hono jure testimonia, quo Cordeschius potitur ad jurispatronatus Sacelli sibi vindicandum.

2 In visitatione enim anni 1698, ex qua constat a familia Cordeschia Sacellum fuisse erectum, haec habentur = *Altare Divi Antonii laudabilia, ac decentia habet ornamenta, licet non habeat introitus, neque onus, sed provi detur de necessariis per D. Dominicum Cordeschi, filium quondam Sanctis, a quo fuit erectum: et idem Dominicus ex devotione celebrat in eo Festum die* 13 *Junii cum Missis, quas etiam celebrare facit in aliis anni temporibus: et mandavit per eumdem retrotrahi ad pectus celebrantis, et elevari lapidem sacrum* = In visitatione rursus Anni 1704 haec leguntur = *Altare S. Antonii de Padua, quod est bene detentum, et non habet onus, neque introitus, sed providetur de necessariis per D. Cordeschi, filium quondam Sanctis, a quo fuit erectum*= Nec dissimilia in posterioribus visitationibus occurrunt; quibus etiam accedit, tum alterum ex familia juspatronatus asseruisse coram Episcopo visitatore, tum ipsum Dominicum, de quo meminit visitationum litera, Sacellum de jure patronatus familiae suae postea dotasse, et certam in testamento suo pecuniae summam destinasse; ut foeneri collocaretur, ac ex ejus fructu Sacra quibusdam anni diebus, ac præcipue die Festo Divi Antonii peragerentur. Ex quo novum assurgit argumentum ad probandum juspatronatus, quo super Sacello pollet Advocatus Cordeschius, qui de eo servando, et ab alienis jactationibus vindicando in præsens agit. Dos enim est alter ex modis, quibus juspatronatus acquiritur. *Cap. Filiis* 31 *Can.* 16 *quaest.* 7 *Concil. Tridentin. sess.* 14 *de reformat. cap.* 12.

Si itaque Sacellum erectum fuit a familia Cordeschia; si præter erectionem constat etiam postea fuisse dotatum; si denique unus ex familia anno 1767 (scilicet tempore non suspecto) ingenue suum patronatus jus non dubitavit coram Episcopo Visitatore profiteri, prout constat ex prædictis actis visitationum, nemo non intelligit plus præstare Advocatum Cordeschium, quam quod ex jure teneatur eisdemque sese subjicere probationibus, quibus potentes personæ subjiciuntur. Titulus quippe ex *centenaria* deductus vero æquiparatur titulo fundationis, et dotationis, respuitque argumentum conjecturarum omnium, quæ contra proponi possent. *Menoch. de Præsumpt. lib,* 3 *præsumpt.* 131 *num.* 50, *Piton. de Controv. patron. Allegat.* 58 *num.* 34. *Rot. in Recen. Decis.* 29 *num.* 52, *part.* 7, *et in Compostellana Jurispatronatus* 30 *Januarii* 1756 *coram Figueron.* Centenaria autem jurispatronatus possessioni, ex visitationibus Episcoporum erutæ, adstipulantur præsumptiones multae, et conjecturae gravissimae, quae centenariam ipsam confirmant, Constat enim, teste inscriptione, quae ad futuram rei memoriam extat in Sacello, usque ab anno 1655 iconem Divi Antonii sumptibus familiae Cordeschiae pictam alteri fuisse superimpositam. Constat etiam, ejusdem familiae impensa, Episcopo in Visitationis actu 3

jubente, deinceps inconem fuisse refectam. Neque demum ambigitur, familiam ipsam privilegio potiri elegendi custodem; claves cujusdam veluti sacrarii Sacello contigui retinendi, ubi sacrae suppellectiles custodiuntur, sepulcrum in Sacello habendi, Festum demque Divi Antonii celebrandi.

4 Hæc vero omnia a jure patronatus potissimum, non a sola pietate, et religione in Deum, et D. Antonium repetenda sunt. Nequit siquidem Episcopus Visitator, ex mera pietate imperare instaurationes, et refectiones aut Sacelli, aut iconis, aut sacrarum supellectilium; sed unus jurispatronatus titulus causam præbet Episcopo cogendi patronum ad instaurationes istas peragendas ne secus a jure patronatus se facile decidere patiatur, mera quin imo ista religionis, pietatisque exempla quæ a libera Christifidelium, piorumque hominum voluntate proficiscuntur, numquam in actis, Sacrarum Visitationum referri solent, quia quisquis ea semel profiteatur, et exerceat, nullam obligationem contrahit idipsum in posterum faciendi. Quapropter si de iis mentio in sacris visitationibus habetur, eorum profecto memoria necessitati tribuenda est, ex qua cogitur unusquisque patronus providere, ut necessariæ peragantur instaurationes in eo Sacello, vel Templo, in quo pollet jure patronatus. Quod si præsumptionum harum omnium cumulus maximi voleret etiam contra Episcopum Ecclesiæ, vel Sacelli libertatem vindicantem, adversus quem, uti monent. *Lotter. de re benefic. lib.* 2 *Quæst.* 8 *num.* 113 *et Gonzalez ad reg. Cancell. reg.* 8 *Gloss.* 18 *num.* 58 pleniores jurispatronatus probationes requiruntur: multo magis faciunt adversus extraneum, contra quem leviores sufficiunt probationes; dum potissimum actori suffragatur centenaria possessio, ex actibus sacrarum visitationum deducta.

5 Idque magis retinendum, quia in themate non desiderantur testes, qui juspatronatus familiæ Cordeschiæ confirmant; eoque majorem sibi vindicant fidem, quo magis ad præscriptum deponunt famigeratæ Glossæ *in Cap. Memoria de Præscript. in* 6 et gravitate ac existimatione præfulgent. Nec parvi pendendum est, quod anno 1792 quo tempore ne vel a longe quidem suspicari poterat, ut in posterum jus istud patronatus, jugiter antea servatum, a quopiam in discrimen adduceretor, inter herciscundam familiam fratres Cordeschii peculiari pacto in divisionis tabulis constituerunt, ut sumptus Sacelli Divi Antonii de jure patronatus familiæ æquis partibus invicem sustinerentur. Si demum Advocatus Lelius qui modo, Municipii nomine adscito, litem agit, cogere Cordeschium volebat; ut vitreis clathris Sacelli crystallinas laminas substitueret, is sane facto, et confessione sua aperte demonstravit, jus patronatus Sacelli penes Cordeschium extare, quippe qui non aliter, quam uti patronatus, ad hæc peragenda cogi potuisset. Qua propter illud etiam occurrit, quod ab initio dictum est, confessione partis dum res est de privatis personis jus patronatus optime probari; cumque ea quoque cæteris argumentis adstipulatur, nihil est amplius optandum ut probatum sit Sacelli juspatronatus in gente Cordeschia: cui nec invidendum est, nec ullo modo perturbandum.

Inutiliter autem Municipes ubjiciebant, sibi tantum competere juspatronatus totius Ecclesiæ parochialis, et Collegiatæ ex istrumento donationis anni 1611 cujus ope Pium Sodalitium Confalonis eis cessit, vel donavit certis sub legibus prædictam Ecclesiam. Hoc modo satisfactum arbitrabantur præscriptioni Tridentini Concilii, requirentis a potentibus personis, quas inter Municipia quoque, et Universitates recenset *cit. sess.* 25 *de reformat. cap.* 9 rigorosas juris patronatus probationes, quæ titulum fundationis, vel dotationis evincunt. Utcumque enim omnimoda fides adhibenda foret apographo instrumenti exemplo, quod, tabellio quidem extraxit, non a libris authenticis tabularii sui, sed a privatis supradicti Sodalitii codicibus, nihil attamen instrumentum ipsum valeret ad 6

juspatronatus evertendum, quo super Sacello Divi Antonii fruitur familia do Cordeschiis. Quamvis imo nulla nec mentio, nec vola iisdem in tabulis occurrat prædicti jurispatronatus familiæ Cordeschiæ; non idcirco concludi exinde potest prædictam familiam nullo patronatus jure potiri. Hujusmodi profecto argumentandi ratio, quemadmodum logicis regulis adversatur, ita etiam repugnat juris censuræ, ex qua compertum est rem inter alios actam tertio nocere non posse, ut ait *Imp. in Leg.* 1 *et seq. Cod. res inter alios act.* Quoad gentem Cordeschiam sat est, ut adsint acta tum antiquissima, tum publica sacrarum visitationum, pluribus aliis adminiculis suffulta, quæ indubium revocari nequeunt quæque juspatronatus ipsum apertissime vindicant.

7 Quod si vero ex tabularum contexta patet nil aliud Sodales certis sub legibus, et reservationibus cessisse Municipio, nisi simplicem Ecclesiæ usum ad Sacra peragenda, merito infertur nullum non modo præjudicium ex instrumento illo illatum fuisse jure patronatus familiæ Cordeschiæ; verum etiam nullum ex contractu ipso quæsitum Municipio fuisse juspatronatus totis Ecclesiæ. Tantum namque distat usus Ecclesiæ a jure patronatus Ecclesiæ, quantum differt ususfructuarius a proprietario. Quin præter inanem hanc usus donationem, municipii nomine aliud aliquid afferatur, unde assertum juspatronatus consistat; quod cæteroquin fuisset a Communitate rigorosa probatione firmandum, et qua deficiente, nequit ipsius nomine ullo modo familia Cordeschia in quacumque demum sit possessione molestari. Quin obstet Sacelli patrono Sacrarum Reliquiarum sub ejusdem Sacelli iconem collocatio. Post probatum siquidem a Cordeschio tot argumentis Sacelli juspatronatus, quidquid gestum est a Municipibus in illius detrimentum, aut omni jure redarguendam usurpationem, et æmulationem redolet, qua Municipes sæpe feruntur in privatus cives; ideoque inter personas potentes numerantur; aut factum dici debet bona cum venia pro tempore patronorum. Utroque modo actus illi patrono minime præjudicant, quemadmodum ei non nocent Canonici nonnulli, qui palmodiam cecinerunt. Nam nullius pensi sunt testes, qui cras negant, quod hodie affirmant; idque firmius in præsentia retinendum; postquam omnes, uno Lelio excepto, consiliarii Municipes a prosequenda lite quam injuriæ, et calumniæ proximam renunciarunt, sese abstinuerunt; non solum obligatione negata, quam exigit Benedicti XIV Constitutio, si semel Municipes causa ceciderint, sed reprobata etiam singulari ipsa Lelii sponsione de injusta lite propriis sumptibus Municipii usurpato nomine, adversus Cordeschium proseqnenda.

Et ita etc. Utraqne etc.

---

## AUXIMANA PECUNIARIA

*Lunae* 12. *Januarii* 1834.

### ARGUMENTUM

**Benedictus XIV. in Encyclica, quae incipit -*vix pervenit* § 145. - vetat quemcumque percipere posse ex mutuo fructum, nisi incontinenter legitimeque doctum fuerit de mutuantis damno emergente, lucroque cessante.**

#### SUMMARIUM

1. *Creditum pro quo privatae duae singraphae aque duo instrumenta, stant oppugnari non potest.*
2. *Vires suas Leges haud exerunt in eos, pro quibus latae illue non sunt, nec quos inter de peracta earum promulgatione non constat.*
3. *Jus spectandum, quod tempore initi contractus obtineat.*
4 *Non licet ex Pontificio Jure quecumque fructum percipere ex mutuo, nisi* incontinenter, legitimeque *doctum fuerit de lucro cessante et de damno emergente.*
5. *Jure Canonico haudquaquam probatur compensativorum fructuum perceptio, si mora absit debitoris in restituenda pecunia.*
6 *Una proxenetarum fides de certo ac determinato investimento, praebere titulum haud potest paciscendi fructus.*

*Obeunti damni, amissique lucri probatio certa debet esse ut compensativos fructus liceat percipere. - ibid. -*

7 *Dum ex contractu quincunces tantum fructus ex lege petere aliquis valet, petendi ex eo non sunt fructus decunces.*

8. *Non licet probare pactiones, quae adversa fronte cum Lege pugnant.*

9. *Non licet renunciare licitum, quod Lege improbatur, ex eo quod diutine fuit gestum.*

## DECISIO CCCCLV.

Redierat nondum ad SSmi Pontificis imperium Picena Provincia, et in ea adbuc Germani milites versabantur quum ad diem 1. Octobris anni 1814 R. P. D. Præsul Joannes Carolus Alesii de Castellis, qui a Secretis nunc est Sacræ Congregationis Eminentissimorum Interpretum Tridentini Concili mutua dedit Equiti Auximano, Francisco Consoli, argentea *octingentum supra bismille*, privata in id obsignata syngrapha, qua promisit Consolius pensitationem fructuum *denuncium*. *At die* 3. *Januarii anni* 1817. alteram Præsul Alesius de Castellis, atque Consolius syngrapham exararunt qua adjectis aliis argenteis *biscentum* auctum fuit mutui caput ad scutata *termille* ejusque depacta progressivitate iterum *debunces* fructus Consolius adpromisit. Cum vero Præsul Alesius de Castellis nosceret sese haud fore tutum de mutui capite, deque fructuum perceptione, nisi per solemnes tabulas sibi cavisset de illius securitate conventa hypotheca, atque interpellatis requisitis Pauli De Castro *die* 20. *Junii anni* 1818 solemne confoctum fuit instrumentum quo Consolius promisit capitis restitutionem post tres elapsos annos, præstita interim hypotheca super fundo = *il Ponte delle Tavole* = atque annuos fructus *bessales*, prout ex fide proxenetarum, instrumento alligata, doctum fuit esse fructus quos *ex parato* jam *certoque* investimento habere sibi præsul Alesius De-Castellis potuisset.

Eodem vero temporis momento, quo obsignatæ fuere solemnes tabulæ, privatam alteram conscripsit Consolius doclarationem in qua profitebatur nihil fuisse *novatum* per instrementum quoad fructuum pensitationem, qui exsolvi a se debuissent in præstatione *decunci* ad diem usque restitutionis mutuatæ pecuniæ, quod fideliter ipse, quod vixit, ac suum post funus, Josephus, ejus filius sanctissime præstiterunt. Adventa sed tamen restitutionis die baud renuit Præsul Alesius De-Castellis triennales alteras impertiri Consolio inducias accedente Josephi filii obligatione, quemadmodum gestum fuit altero instrumento *diei* 21 *Novembris* 1825. Caput sed autem mutui, quod restituendum erat *die* 19 *Julii* 1827. cum Josephus Consoli filius atque hæres Francisci, interea mortui, non repræsentaret ullo modo, ivit Præsul Alesius de Castellis ad A. C. Pentinium, expostulans, mutui caput in scutis 3000. atque insolutos fructus in vi scutorum 1050. Tunc Josephus Consoli protulit in medium exceptionem perceptorum fructuum contra legem, contenditque eos rite percipiendos fuisse a Præsule Alesio De Castellis *in* una *quincunci* ratione a die traditi mutui *ad diem* 18. *Junii* 1818. quo solemnes stipulatæ tabulæ fuerunt, ea vero ab die ad illam usque restitutionis capitis *bessali* in modo, ad quem allegata Pauli requisita sese protendebant atque ducto calculo, imputatoque in sortem eo, quod Alesius ultra dictum modum percipit, sese debitorem constituit in unciis argenteis 1136. obulisque 55. quæ solemniter Præsuli obtulit: a quo cum recusata fuisset oblata pecunia, Josephus ab eodem A. C. Judice postulavit, ut validam decerneret oblationem.

Censuit sed tamen Pentinius Judex, reservato Joseph jure agendi pro reductione fructuum perceptorum ante diem 20 Junii 1818 unaque admissa reductione illorum a Præsule post eam diem perceptorum ultra *bessem*, obsignare Sententias quarum una damnavit Josephum in vi argenteorum 3300 assiumque 50 nempe quoad scuta 3000 pro mutui capite quo vero sd scutata 300 obulosque 60 pro fructibus insolutis ad totam *diem* 17 *Decembris* 1830 alteraque reprobavit gestam obla-

tionem argenteorum 1156 assiumqne 55 provocavit ab illis continuo Josephus. Verum Signaturæ Tribunal quoad scuta 1156 obulosque 55. Præsuli oblata, devolutivam tantum concessit appellationem, in reliquis autem suspensivam; quapropter Præsul Alesius de Castellis argentum allatum recepit, detulitque Josephus ad N. S. Ordinem Causas super credito, ac super oblationis validitate. Qno igitur ad creditum de qno agit Decisio hæc nam in coæva de oblatione agendum erit, cum hodie mane PP. DD. Mei exhibuerim Dubium = *An et in qua summa constet, de credito ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = responsum accepi = *Affirmative in omnibus pro summa liquidanda juxta modum in decisione exprimendum* = qui modus est = *ut calculentur fructus ad rationem quincuncem a die primæ stipulationis usque ad diem* 20 *Junii* 1818 *et ad rationem bessalem ab illa die ad diem oblationis realis imputato in diminutionem sortis eo omni, quod creditor ultra perceperit, inito calculo, prout ajunt = a scaletta* =.

1 Et scite sane Josephus enim nec ipse oppugnare valuisset *in genere* Præsulis Alessi de Castellis creditum, pro quo privatæ duæ singraphæ stabant, solemniaque duo instrumenta, multiplicesqne præterea Josephi ipsius confessiones, quæ omnia quum redderent rem certissimam, probare necessario oportebat creditum Præsulis in Josephum, ejusque imperare restitutionem, cujus dies jam venerat, cesseratque, mandato in id opportune concesso. At econtra negari ex æquo haud poterat, quod debitor Josephus condendebat, imminutum scilicet extitisse debitum ex fructibus, quos legimum præter modum Præsul receperat. Etsi namque anno 1814 quo mutuam pecuniam dedit ipse Consolio ex temporum vicissitudinibus lamentosissimis, rarum esset argentum, utilissimusque sibi parare quisquis emptiones posset, e quibus uberrimus perciperet fructus, non inde tamen in mutanda pecunia fas erat discedere a præscripto Legis, quæ tunc obtinebat, qua vetitum disertissime Præsuli erat, ut ante *diem* 20 *Junii* 1818 sumeret fructus ultra mensuram *quincuncem*, eam vere post diem ultra *bessem*.

Gallicæ quippe Leges, quæ in Piceno obtinueruut ad Julium mensem anni 1815 patule imperabant, *l'interesse convenzionale non potrà oltrepassare in materia civile il cinque per cento* = prout se habet *Art.* 1. Decreti Imperialis lati de anno 1807. Atqui mutuum cum Consolio Præsul in Piceno iniverat *die* 3 *Octobris* 1814 prorsus ut effugere Legis jussum in fructuum præstabilienda mensura ultra *quincuncem* nequiret. Incassum vero Præsul invocaverat decretum aliud, ab Gallorum Imperatore editum *die* 22 *Januarii* 1814 quo data contrahentibus facultas fuit augendi fructus quamcumque ad rationem. Latum enim decretum istud Lutetiæ Parisiorum, non pro Piceno latum ab Imperante fuit, ubi præterea constabat nullo modo fuisse promulgatum. Decreto itaque hujusmodi rite uti Piceno neqnibant. Vires enim suas Leges haud exerunt in eos, pro quibus latæ illæ non sunt, nec quos inter de peracta earum promulgatione constat, uti hoc tutissimum Juris dogma tradunt *Sabell. Summ. div.* § *Lex num.* 3. *Gabr. de Leg. et Constit. Conclus.* 4 *n.* 6. *Alex. de leg. Tom.* 1 *dissert.* 4 *Cap.* 5 *Art.* 1 *num.* 3, *Gratian. discept. Forens. Cap.* 469 *n.* 22 *et S. Rota in Perusina Cambii* 22 *Junii* 1801 § 3 *cor. cl. mem. De-Bajane*; *atque in Fulginaten. Cambii* 11 *Junii* 1802 § 4 *cor. clar. mem. Bardaxi de Azara, et Signaturæ Tribunal in Anconitana seu Æsina Circumscriptionis et Appellationis* 10 *Febr.* 1832 § 12 *cor. R. P. D. Grossi*. 2

Nec verum in facto erat alterum quod Præsul Alessius contendebat, exulasse e Piceno Gallicum jus continuo post reditum Pontificis ad sedem suam mense Majo anni 1814, ejusque post datam Cæsenæ Enciclycam, quæ incipit = *Il trionfo della misericordia Divina* = In integram quippe suæ dominationis possessionem haud incunctanter Pontifex rediit, sed primum in Provincia Romana, Campanæ, Umbria; Sabinaque, ad quarum incolas Enciclyca illa admittebatur mox vero, die nempe 5 *Julii* 1815 in altera sui Status parte, pro qua 3

ferre Enciclycam illam haud potuit mense Maii anni 1814 quum tunc suo reddita Imperio non esset. Inde vero extitit notissima distinctio Provincias inter *di prima, e di seconda ricupera* quarum postremas inter, quum Picenum accenseatur, in illudque Pontificis dominium haud fuerit invectum ante Julium anni 1815 per latam Enciclycam, Pontificisque reditum, Gallicum Jus haud fuerat in eo arbrogatum; quod imo tum Neapolitani, tum Germani milites, qui illud tenuerunt usque dum fuit Pontifici restitutum, servasse incolume res notissima cuicumque homini est. Præsuli itaque Jus, per ea tempora obtinens, resistebat ne ex mutuo fructus perciperet ultra *quincuncem* mensuram.

4 Quamquam, si reapse Pontificium jus per ea tempora cum revocatum fuisset ad vitam, illius conditio evasisset deterior. Non licet enim ex Pontificio Jure quemcumque fructum percipere ex mutuo, nisi *incontinenter legitimeque* doctum fuerit de mutuantis damno emergente, lucroque cessante, jubente Benedicto XVI in Encyclica, quæ incipit *Vix pervenit* = 145 § *Peccati* ut firmat passim S. Rota, præcipuequa *in Romana Imputationis usurarum* 8 *Febr.* 1833 § 2 *coram R. P. D. Meo Spada Decano.* Quod cum non præberet ullo modo apocha *diei* 1 *Oct.* 1814, Pontificio ex jure, non uni decunces fructus negandi Præsuli Alexio forent, sed et *quincunces*, quos pacisci licet ex Gallico Jure potuisset. Quum vero in prorogando, augendoque mutuo per alteram syngrapham diei 6 Jan. 1817 de hujusmodi re nihil actum fuisse Præsul ostenderet, neque ab ea die exigere fructus *decunces* potarat, sed in una tantum *quincuncis* exactione persistere.

5 Quin ob Canonici Juris Æquitatem liciti *decunces* fructus evaderant, eo quod Præsul amiserat fructus forte etiam majores, quos e pecunia mutuata facile sibi quæsivisset, eaque ipsa ex pecunia lucrum ingens Consilio obvenerat. Occurrebat enim præ primis responsio, quod de tempore mutuate pecuniæ Canonicum jus silebat omnino, obtinebatque Gallica tantum Lex fructuum modum præfiniens in *quincunci* ratione, prorsus ut ineptum sit modum dare contractui ex Jure quod ad stipulationis diem per abrogationem alte silebat omnino. Præterea, etsi Jus Canonicum obtrudendum in contractu esset, locus fieri nequibat compensativis usuris. Jura quippe Canonico haudquaquam probatur compensativorum fructuum perceptio, dum mora absit debitoris in restituenda pecunia, vel per legitimam requisitorum Castrensium interpellationem doctum non fuerit de damno creditori irrogato, ac de lucro ab eo amisso, prout tenuit semper S. N. Tribunal: ac præsertim *in Romana Fructuum* 5 *Maii* 1823 § 3 *cor. bo. me. Martinez, et in altera Romana Fructuum* 12 *Martii ejusdem anni* § 7 *cor. Me.*

Sed requisitorum interpellatio suppleta, Præsul instabat per æquipollens fuit, atque idcirco depacti legitime fuerunt compensativi fructus *decunces.* Sit id tamen verum in facto; at non eodem modo concludere licet ax Jure. Una namque proxenetarum fides *de certo*, ac *determinato* investimento per mutuantem omisso, ut traderet mutam pecuniam, præbere titulum potest paciscendi fructus, nec supplentia est per æquipollens *S. Rota in Ariminen. Mutui, seu Fructuum loco damnorum, et interesse* 25 *Jan.* 1760 § 8 9 *et* 10 *cor. Cornelio; atque in Cæsenaten. Pecuniaria* 5 *Julii* 1819 § 5 *cor. bo. me. Martinez.* Attamen lucrum, quod ex mutuo Præsul amiserat, damnumque, quod tulerat, non tantum remanebant improbata ex defectu fidei proxenetarum, sed nec probabantur ad rigorem, quod Jua hisce in rebus expostulat, per testes ab eo allatos, qui *generice* deponebant de anno 1813 ac 1814 faciles sese præbere in Piceno occasiones collocandi argumentum suum frugiferis in emptionibus, quibus dare operam Præsul Alesius de Castellis potuisset, si pecuniam mutuam haud dedisset Consolio, quin verbum facerent *de certa ac determinata* emptione; quam Præsul esset conciliaturus, quam omiseritque ut pecuniam mutuam daret Consolio. At sancitum in jure est, quod obventi damni, amissique lucri probatio certa sit *ac specifica* ad hoc, ut compen- 6

Digitized by Google

sativos fructus liceat percipere; *S. Rota in Camerinen. Condictionis indebiti* 27 *Junii* 1796 § 5 *cor. cl. me. Guardoqui*; *in Bononien. fructuum quoad legatum Frizzati* 26 *Nov.* 1827 § 6 *coram Illmo, et Rmo Patrizi*, *atque in Maceraten. Pecuniaria* 25 *Junii* 1832 § 9 *coram R. P. D. Meo Marini*. Cautumque id fuit prudenter sane, ne per genericam probationem fucus Legi fieret. Quaqua igitur ex parte res inspiceretur. certum semper remanebat quod *ante diem* 20 *Junii* 1818 Presul Aliesus unos *quincunce* fructus recipere ex Lege potuisset.

7 Nec post stipulatum ad ea diem solemne instrumentum rite Præsul exegerat fructus ultra *bessem* in eo conventum, ex proxenetarum fide instrumento ipso alligata. Si namque ex jûre est, quod fructus pacisci e pecunia possunt, dum e proxenetarum fide constat de lucro amisso atque obvento damno, altero ex contractu, qui præsto mutanti esset, sique ex fide hujusmodi liquebat quærere Præsulem sibi valuisse fructus = *alla ragione di sc.* 8 *per ogni cantinaja ed anno* = necessario siquebatur non licuisse augere fructus præter hanc mensuram. Quin ex quæstione Juris de novatione non gesta per instrumentum, quo servatum fuit contractum *diei* 1 *Oct.* 1814 sese adjuvare Præsul Alesius posset. Dum enim ex contractu illos unos recipere *quincunces* fructus ex Lege ipse valuisset, petendi ex eo certe non sunt fructus *decunces*: qui cum augeantur *ad bessem* ob legitime factam in instrumento requisitorum Pauli interpellationem per proxenetarum fidem, ab ea discedere nec in obulo licet.

8 Spernendam sed vero PP. DD. existimarunt apocam, quam sub instrumenti die Consolius obsignaverat, ut *in decuncium* fructuum pensitatione prosequeretur. Non licet enim probare pactiones, quæ adversa fronte cum Lege pugnant, quæque justum reddere nequeunt, quod ille jam injustum, nullumque declaraverant = *Constat. Vol. Dec.* 30 *n.* 7 *et S. Rota in Ravennaten. seu Aesina Pecuniaria* 29 *Jan.* 1759 § 9 *cor. Canilliac, in Montisalti seu Firmana Dotis super fructibus* 10 *Martii* 1823 § 5 *cor. me*, et alibi passim. Nihili fecerunt præterea. Consolii confessionem, quam in apoca emisit, sese fore *decunces* usuras pensitaturum, eo quod tunc in Piceno ad eam rationem argentum collocabatur, atque ea ipsa ex pecunia, quam ab Alessio receperat uberrimos sibi fructus comparabat, Confessiones quippe ejusmodi facillime contrahentes emittunt, dum indigent pecunia, actumque foret de Lege si cæcis fidendum oculis esset eis, quæ longe etiam a veritate illi narrant, quamobrem rejectæ semper a S. N. Ordine fuerunt, uc præsertim in cit. *Camerinen. Condictionis indebiti* 27 *Junii* 1796 § 3 *cor. cla. mem. Guardoqui, in Bononien. Fructuum quoad legatum Frizzati* 26 *Novembris* 1827 § 7 *cor. Illmo et Rmo Patrizi atque in Maceraten. Pecuniaria* 25 *Junii* 1832 § 7 *cor. R. P. D. Meo Marini*. Quamquam nec probabatur nec in facto verum reperiebatur utilem adeo fuisse Consolio mutuam pecuniam, quod tamen haud præbere unquam potuisset normam recipiendo fructus qui commensurandi non sunt ex utilitate mutuario obventa ad monitum *D. Hyeronimi in cap.* 18 *Ezechiel. atque Pont. Benedicti XIV. in cit. Encclica Vix pervenit § Neque vero*, ac uti docent *Leotard. de Usuris Quæst.* 78 *num.* 41 sed ex certa una *ac determinata* probatione emergentis damni ucrique cessantis in mutuante.

Observantia demum in decuncium 9
fructuum pensitatione, quam Præsul Alesius opponebat, nihil et ipsa facienda erat ex Jure, quum non liceat renunciare licitum, quod est a Lege improbatum, ex eo quod diutine fuit gestum, cumque mirum non sit ut debitor impar solidando mutui capite religiosum se præbeat in gravi fructuum solutione, qua capitis restitutionem differat. Nullo itaque modo effugere Præsul Alesius de Castellis potuit ut imputaret in mutuati capitis extenuationem fructus, quos convenerat ac receperat a Consoliis, non servata Lege severissima. Id namque aperte jubet

*art.* 3 Gallici Decreti, jubentque Leges nostræ, quarum ad præscriptum jussit id semper S. N. Tribunal, uti *in Dec.* 323 *numer.* 7 *et* 8 *cor. Nolines in Fulginaten. Pecuniaria super non resolutis quond scuta* 8246 67 24 *Aprilis* 1818 § 7 *cor. bo. mem. Piccolomini atque in Eavennaten. seu Mantuana Pecuniaria* 7 *Maii* 1830 § 3 *cor. R. P. D. Meo Zacchia.* Cum vero id promanet ex Jure, reusque conventus tempestive, ac legitime opposuerit fructuum excessivitatem ut ab actore institutam præpediret actionem, salva justitia fieri nequibat, quod de Præsulis Alessii credito nunc decerneretur continentis vero, ac peremptoriæ exceptionis cognitio ad judicium alterum amandaretur, quemadmodum ipse postulabat. Imputet itaque ipse in sortem quidquid percipit ultra *quincuncem* ante instrumentum anni 1818 post vero exaratum illud demat e sorte quantum tenuit supra bessem, diminuta de die in diem fructuum ratione pro gestarum solutionum modo, super extantisque capitis quantitate, ex ineundo calculo, quem vernacule appellant = *a scaletta* = reliquumque quod superit suum creditum efformabit, quemadmodum præ Ipsorum prudentia faciendum PP. DD. imperariunt.

Et ita, Utraque etc. redditum judicium fuit.

---

## CIVITATIS CASTELLI

### IMMISSIONIS IN SPECIE

*Lunae* 9. *Junii* 1834.

### ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCCLXXV. -

#### SUMMARIUM

1. *Cohaeres sibi relictam haereditatis quotam obtinere debet, haereditariorumque bonorum divisionem possessionemque assequi.*
2. *Tralatitii juris est in herciscundae familiae judicio quotam cohaeredibus deberi ex universa haereditate.*
3. *In herciscundae familiae judicio non danda cohaeredi pecuniae aut bonorum quantitas, sed una pars in rebus haereditoriis.*
4. *Immerito quilibet de eo quaerelas effundit.*

### DECISIO CCCCLVI.

Litium, quæ prius cor. Tipherni jusdicente, dein cor. A. C. Mastai, ac demum cor. Ordine S. Nostro exarserant Josephum inter ac Floridum, fratres Chiansini Tiphernantes, quoad divisionem paternæ hæreditatis, quam Julius eorum parens supremis in tabulis, relicto usufructu Catharinæ Belli Uxori suæ, direbuerat quatuor inter masculos filios, finis fuit, ut Rotali Sententia ab Illmo, et Rmo D. Patrizi, nunc Archiepiscopo Philippensi obsignata, atque in rem judicatam prolapsa, Florido jus tribueretur assequendi paternæ hæreditatis quadrantem, quem judicialis, cognitor peritorum, judicio innixus æstimaverat scut. 6953 obul. 99. Hæc inter, ære alieno obruti cum fato cessisset Floridus, atque Josephus, ille, qnem Judex selegerat, ut res patrimonii Floridi curaret, quin de immissione in specie judicium instaret, non nulla hæreditaria bona præpropere occupavit, e quorum irrita possessione illum dejecit alter qui Josephi patrimoni curam susceperat, coactusque fuit patrimonii Floridi curator capta bona; una cum fructibus restituere atque illius judicii impensas solidare, quorum liquidationem, taxationemque, ego, in locum Rmi P. D. Patrizj suffectus, Decreto meo peregi. Sategerunt post hæc ad invicem, qui Josephi hæreditati præerat, ut triens ab Josepho debitus perduceretur ad liquidum, qui autem hæreditatis Floridi res curabat, ut dubium concinnaretur quoad immissionem in specie, de quibus rebus, ut insimul disputaretur jussum a S. Ordine fuit. Ego itaque die 11 *Junii anni* 1830 proposui, quoad *Immissionem in specie*, rogationem ita concinnatam = *An et super quibus bonis sit exequendum mandatum de immittendo in casu etc.* =, quæ dimissa responso fuit utramque

disputationem dirimente = *Affirmative, et ad D. Ponentem pro deputatione periti*; *juxta instructionem dandam* = quæ stabat in eo, ut peritus, vir, quisquis esset, aut agrimensor, aut ratiocinator, portionem Floridi sumeret ex bonis hæreditariis adhuc existentibus, quæ tamen, neque de pejoribus essent, neque de melioribus, veluti latius cuncta narrat mea Decisio sub oa die typis evulgata. Rursus sed autem hodie mane ex indulta nova Audientia PP. DD. eammet super re quæsivi. Qui standum rectissime duxerunt = *In decisis* =, quemadmodum litigatores unanimiter reposcebant.

1 Justa quippe ita erat edita Decisio, ut cavillari in eam nullus posset. Immissio enim, Floridi favore jussa, prœteritæ Rei judicatæ, ac parentis Julii Chiausini testamento innitebatur, quæ nisi duo concuterentur, concuti nec ejus justitia poterat. Quæ præterea immissio ex ipso Juris ministerio descendebat, quo cautum, ut cohæres sibi relictam hæreditatis quotam obtineat, hæreditariorumque bonorum divisionem possessionemque assequatur *ad Text. in Leg. Quoties* 10 *Cod. Famil. hercis.*; *Voet in Pandect. Lib.* 10 *Tit.* 2 *num.* 1. et firmat *præterita Decisio* §. 5 Qua super re nec ullum idcirco litigatores dubium movebant, anteacta etiam in disputatione. Quæstio una efferbuit super modo, quo peragenda divisio esset. At in re planissima temporis nec momento hærere PP. judicium patuit. Tralatitii namque Juris erat in herciscundæ familiæ judicio quotam cohæredibus debitam quandam eis esse universa ex hæreditate, omnibus videlicet e bonis hæreditariis cujuscumque generis, ac speciei, vel melioribus, vel pejoribus, vel frugiferis, vel infrugiferis, vel in numerata pecunia, vel in debitorum nominibus, vel in rebus soli, vel domestica in supellectile extantibus, mobilibus, semoventibus, atque animalibus, uno denique verbo tribuenda cohæredi est sua pars in omni, quæ extat, hæreditaria re: hoc enim nisi fieret, facillime exularet, e divisione æquitas, atque justitia, quæ cum omni dominari in judicio oporteat, dominari præsertim in herciscundæ familiæ judicio debet, ne alter ex cohæredibus, alterius cum detrimento locupletetur prout, post *Text. Institut.* §. *Si familiæ Lib.* 4 *Tit.* 17 *de Officio Jud.*, tradunt passim Doctores, *ac S. Rota in Decisionibus allatis in* §. 6. Decisionis, quæ confirmatur.

2 Absurdissimum itaque renunciatum merito fuerat, quod Floridi hæreditatis curator postulaverat, ut judiciario pignori subjicere sibi liceret tot hæreditaria bona, quot coæquarent æstimationem portionis, Florido per N. S. Ordinis Remjudicatam adscriptæ. Haud enim Floridus Chiausiniæ hæreditatis creditor erat, cui licuisset obtentum mandatum exequi super quibuslibet hæreditatis bonis, sed cum cæteris cohæredibus dominus, qui jus fovebat unum obtinendi hæreditatis symbolam super singulis illius bonis, quin ei bona, quorum dominus ex jure erat, pignoris in sui commodum mancipare per rem omnium absurdissimam licuisset. Et sane, si id fieri permitteretur, tunc Florido indulta fuisset facults capiendi dividenda ex hæreditate quidquid magis placuisset, melioribus quoque sumptis rebus relictisque cohæredibus pejoribus, quod tradito notissimo juri in familiæ herciscundæ judicio adhibendo, repugnaret o diametro. Quod igitur PP. sanxerunt, ut peritus vir Floridi partem sumeret ex hæreditariis existentibus bonis, quæ neque de melioribus essent, neque de pejoribus, cum Juris sanctioni, æquitatique conveniret, firmari rursus hodie mane necessario oportuit, quemadmodum vel ipse Flordi hæreditatis curator, exceptionis agnita inanitate, expostulabat.

3 Quapropter nec refricabat ipse amplius, quæ de rejudicata, vel de gesta male per usufructuariam Catharinam, atque Josephum bonorum administratione, deque hæreditariarum rerum venditione præterito in certamine disputabat. Illa tamen refricasset inutiliter. Non enim e Rejudicata, quæ Floridi partem indicative tantum statuerat in argenteis 6953. obulisque 98., sci-

licet ut quartam Chiausiniæ bæreditatis partem Florido debitam designaret, descendebat solvenda illa esse numerata in pecunia, nec ejus quantitatis in bonis etiam quibuscumque assequendæ creditor Floridus fuerat constitutus. Mutata quippe per eam baud fuerat judicii indoles, atqna natura, sed herciscundæ familiæ judicium integrum Res judicata servavit, quo in judicio non danda cobæredi pecuniæ, aut bonorum quantitas, sed sua pars in rebus hæreditariis erat. Ergo Res judicata designavit, præfinivitque summam, qua Floridi portionem contingere pro suo jure debuisset, non autem ei jus tribuit assequendi illam in numerata pecunia, aut in sibi magis bene visis hæreditariis bonis; qua de re cum nihil dixisset, definienda res erat juxta Communis Juris dispositionem; qua cautum ut cohæredi sua portio tribuatur ex qualibet bæreditariurum bonorum classe, ac qualibet hæreditatis ex gleba, in qua cohæres dominii jus fovet, ad instar legitimarii, qui hæreditatis et ipsum impetere partem scitissimum ex Legibus est. Porro hæc si non fuisset Rei judicatæ mens, nullam haud declarasset S. Tribunal possessionem hæreditariorum prædiorum, quae Floridi curator nactus fuerat in vim mandati præfinientis illius symbolam in scutis 6963 assibusque 98, Si enim S. Nostri Ordinis fuisset mens, ut Rem iudicatam committere, ad eam pecuniae vim assequendam, exequutioni Floridus posset, non vero ut praefiniretur quo haereditaria ejus pars adscenderet, nullitatis gladio patratam haud percussisset exequutionem, quam tamen, utut novisset excessivam, ad debitam summam coarcuisset. Ex bisce itaque demonstrabatur apprime noluisse Rem judicatam ut Floridus ad suam haereditatis symbolam obtinendam impeteret, quae ei libuisset, baoreditaria bona, sed nnam ab ea fuisse constitutam vim, quo relate ad universam haereditatem cujus status tunc firmatus fuerat pertingere Floridi symbola debuisset, sumenda ab eo, prout Leges jubent ex qualibet haereditatis gleba, ac omnibus haereditariis e bonis, quot praefinitam ab Rejudicata quotam singulis suis partibus effurmarent, assurgerentque ad aestimationem argenteorum 6953, obulornmque 98

Neque utiliter oblutu male gestae per Catharinam, atquo Josephum administrattonis bonorum haereditariorum peractarumque ab iis venditionum, haereditatis Floridi curator propugnabat in compensationem perpassorum inde damnorum licuisse sibi, desciscendo ab familiae herciscundae judicio, mandatum exequi super quibuslibet haereditariis bonis, sive haec essent de melioribus, sive de pejoribus, aut tot haereditaria bona quomodocumque sibi addicere, quot saepedictam adaequent quantitatem. Quae enim administrationem respiciebat non hic miscenda, ad confusionem insanissimae ingerendam erant, nec mutare judicii naturam poterant; qua videlicet ex male gesta administratione si quid obiiciendum contra Josephi haereditatem Floridi haereditas habet, congruo id suo damnorum in judicio disquirat, quin extranea ista conferat in praesenti baerciscundae familiae judicio. Quae vero de peractis venditionibus opponebantur, rejicienda et haec ad alterum reintegrationum judicium erant. Attamen insana prursus exceptio venditionum agnoscebatur, cum constaret Floridum venditionibus consensisse; unde immerito quaerelae effunderentur de eo, quud illi jam placuit. Merito itaque fuit omni ex parte confirmatum, quod superior Decisio perito injunxerat, nt tradenda ab Josephi hacreditate paternae successionis pars haereditati Floridi tribueretur extantibus e rebus baereditariis, quae neque do melioribus essent, neque de pejoribus. 4

Et ita etc. Utraque etc. jus redditum fuit, suffragium ferentibus OO. DD.



## AESINA PECUNIARIA

SUPER

## LUCRO DOTALI ET FRUCTIBUS

*Lunae* 3 *Martii* 1834.

### ARGUMENTUM

Leges *a Faeminas, et hac aedictati cod. de secund nuptiis,* » constituunt quod, si uxor, viro superstes, ad secundas nuptias transiverit, quidquid ex voluntate, et liberalitate praedefuncti viri, vel qualibet alio lucrative titolo ab eo sit assequuta, amittere debeat. Haec vero dispositio protendi haud potest ad id, quod ex oneroso titulo, superstes conjux acquisiverit.

#### SUMMARIUM

*1. Inita conventione, quae reciproce conjuges afficiat, haud negari potest superstiti uxori jus urgendi illius executionem.*

*2. Paciscentes propria arbitratu suos possunt componere res.* - Et num. 4. -

*3. Verba* - come sopra, - *in conventione quadam apposita, si casus prius expressi haud dispositionem restringant, ad inversum casum referri debent.*

*5. Statuta non duriter sed leviter, et cum rectae rationis temperamenta sunt adhibenda.*

*6. Dispositio juris, qua constituitur, quod si uxor, viro superstes, ad nuptias secundas transiverit, quidquid ex voluntate defuncti viri, vel qualibet alio lucrativo titulo ab eo sit assequuta amittere debeat, protendi haud potest ad id, quod ex oneroso titulo in superstitem conjugem promanare potuerit.*

*7. Lucrum in jure perpenditur tanquam dotis accessorium.*

*8. Fructus, ut sortis accessorium, aeque cum illa perambulant.*

*9. Obligatio extincta reviviscere nequit.*

*10. Judiciales, sumptus reficiendi sunt mulieri dotem repetendi.*

### DECISIO CCCCLVII.

Occasione Matrimonii inter Æsinos Patricios Felicem Frontini, et Franciscam Fossa, exaratæ fuere nuptiales tabulæ, Camerali obligatione fultae, in quibus nonnulla conventa fuerunt pacta circa constitutae dotis solutionem, ac modos, queis sponsa constante matrimonio tractari debuisset, et quoad receptae dotis restitutionem ac dotale lucrum in casu, quo per obitum alterius conjugis dissolutum fuisset matrimonium. Specialiter itaque sponsam inter, et Felicem aliosque de gente Frontinia conventum fuit, quod si per viri decessum viduaretur Francisca, nec ipsi placoisset amplius in maritali domo persistere, tum a leviris deberetur = *restituirsele la intera dote con il lucro dotale che si fissa fra le parti nel terzo; qual lucro dovrà vicendevolmente lucrare il marito in caso di sopravvivenza alla moglie* =. Post plures ab inito conjugio annos diem vidit supremum Felix, ejusque uxor, viduata viro, novos conciliavit nuptias, transiens in sacra Danielis Stefanoni, non meliori sano omine, quia etiam secundi viri funus deflere debuit. Petiit tunc a Frontiniis suae dotis restitutionem, et conventi lucri solutionem, una cum fructibus. Sed, cum nihil proficeret, eos vadavit cor. A. C. Collegio in Ecclesiasticis, cujus Judices sub die 22 Novembris 1821 Sententiam tulerunt, qua Frontiniis imperata fuit dotis restitutio cum reinvestiendi vinculo, nec non fructuum solutio ad rationem scutorum *quinque* pro qoolibet centenario. Quod autem petitum lucrum decreverunt iidem Judices Franciscae competere tantum fructus quincuncis, vincto capitali in favorem filiorum. Utrique parti displicuit haec Sententia, a qua Frontinii provocarunt. Commissa igitur Causa Nostro Ordini a Sigoatura Justitiae, rogavi hoc mane Patres = *An, et in qua summa sit locus consignationi, seu salutiani lucri dotalis, fructuum tam dotis, quam lucri, et condemnationi in expensis, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = accepique responsum = *Affirmative, et esse locum consignationi lucri dotalis in summa scutorum* 1500 *ad effectum deponendi, et reinvestiendi cum vinculo restitutionis, nec non solutioni fructuum ad rationem quincuncem, et esse relaxandum mandatum, compensatis expensis, tam præsentis, quam præcedentis instantiæ pro medietate tantum* =.

Io dubium verti non poterat jus esse Comitissae Franciscae agendi ex stipu- 1

latu pro assequenda conventi lucri solutione. Certum est enim, quod in tabulis nuptialibus solemniter conventum fuerat, quod, si ob praemorientiam viri dissolveretur matrimonium, tunc eidem Franciscae restitui dos, et ei amplius solvi deberetur tertia ipsius dotis pars, cui lucri nomen appingere contrahentibus placuit ex eo, quod haec ipsa tertia dotis pars ex eodem reciproco pacto adsignata etiam fuerat viro, si uxor ante eum e vivis sublata fuisset. Quum itaque haec conventio reciproce conjuges afficeret, sponte sua sequebatur superstiti uxori negari haud posse jus urgendi illius pacti executionem *ad Text. in Leg.* 3 § *De illa ff de Socio*; *Leg.* 12 *Cod. de Pactis*; ac eo potius, cum conventum pactum nec moribus nec Legibus adversetur, nec prohibitum in Jure sit, quod correspective inter sponsos pacisci possit idem lucrum, docente *Rolando de Lucro Dot. quæst.* 39 *num.* 20, *Card. de Luca de Dote discurs.* 68 *num*, 2, *et Sac. Rota in decis.* 619 § 2 *coram Lancetta*. Quæ conventio in specifico casu etiam pressius observari meretur, cum tabulæ, quibus controversum pactum adjectum fuit, vallatæ fuerint Camerali obligatione, quæ, juramentum cum contineat, quamlibet in contrarium respuit exceptionem, paratamque exhibet executionem prout tradit *Bartol. in Leg. Omnes Populi Cap. Constitutus de Rescriptis*; *Andreol. Controv.* 122 *num.* 4 *Gutier de juramento Part.* 1 *Cap.* 29 *num.* 7 *De Franchis decis.* 81, *Carocc. de Oblat. part.* 2 *quæst.* 10 *num.* 27, *Surd. decis.* 30 *num.* 10, *Stracch. de Doctoribus part.* 2 *num.* 12, *Zacchia de Obligat. Cameral. quæst.* 4 *num.* 25. 27, *quaestion.* 27 *num.* 16, *decis.* 29 *num.* 3 *decis.* 162 *num.* 5 *decis.* 277 *num.* 4 *coram Eodem, decis.* 306 *num.* 24 *et decis.* 495 *num.* 1 *coram Bichio, et coram Molines decis.* 398 *num.* 2.

2 Constituto igitur, quod paciscentes proprio arbitratu suas possint componere res, ita ut quod constituerint, etsi inæqualiter constitutum sit, validum, ac obligatorium haberi debeat, consequitur, quod pactorum fidei amplius resistere non liceat Frontiniis *ad Textum in Leg.* 1 § *Illud Cod. de Rei Uxor. act.*; *Leg. Si unus* § *Pactus non peteret ff de Pactis*, *Leg. Quoties ff sol. matrim.*, *Surd. Consil.* 113 *num.* 11; *Rolando de Lucro dot. quaest.* 1 *num.* 9; ex juribus expositis *a Gratian. in Leg. Filius familias* § *Divin.* 89 *de legat.* 1; *Decian. Consil.* 29 *num.* 17 *lib.* 1; *Constantin. Vot. Decis.* 216 *num.* 4, *Rota in decis.* 337 § 10 *coram Mantica, decis.* 72 *num.* 11 *coram Ninot.*, *et decis.* 301 *num.* 3 *part.* 3 *recent.*, *et decis.* 102 *part.* 8 *num.* 11; eo magis, quia perfecta æqualitas servata fuerat in ipso lucro constituendo, quando ad ejus fruitionem æque vocabatur uterque contrahens, quin filiorum existentia, vel Statutaria Lex Æsina aliquem obicem parare possent.

Et revera quoad primum, integro 3 inspecto tabularum contextu, nulla invenitur vola quoad amissionem ipsius lucri, liberis superextantibus, cum tantum generice constitutum legatur favore Franciscæ ipsum lucrum, quod unice pendere debebat a conditione præmorientiæ viri, qui vero contextim ipsius lucri compendium debebat = *vicendevolmente lucrare in caso di sopravvivenza alla moglie* =. Insuper in sequenti capitulo declaratum legitur, quod « *morendo la Signora Francesca senza figli* », iidem paciscentes fratres Frontini « *si obbligano come sopra in solidum di fare l'accennata restituzione* »; dotis nempe et lucri: quæ verba « *come sopra* », cum ad casum prius expressum haud dispositionem restringant, referri necessario debent ad inversum casum, quo cum filiis matrimonium fuisset dissolutum. *Tiraquell. de Retract. Leg.* § 8 *Gloss.* 72 *num.* 4, *Flamin. de Resignat. Lib. II Gloss.* 11 *num.* 23, *Marescott. Variar. Resolut. Lib. I. C.* 51, *Barbos. de Claus. Dict.* 396; *Rota coram Ubald. in Romana Pecuniaria* 13 *Maii* 1617, *et in Romana Fideicommissi de Columna* 31 *Maii* 1623 *coram Eodem*. Quo quoque casu, ex pacto memorato, tradi Franciscæ debebatur lucrum, ita suadente præfata diversa dicendi forma, quæ ex discretiva diver-

Digitized by Google

sam necessario inducere debebat ipsius pacti executionem, coarctata tamen ad præcedentis capituli dispositionem natura subsequentis, pront edocuit citat. *Barbosa in dict.* 451 *sub num.* 2, ita ut conventi lucri compendium, independenter a filiorum existontia, unice pendere debuisset a prædecessu unius ex conjugibus, prout monitum legitur *a Paris. Cons.* 30 *num.* 19 *lib.* 4, *Menoch. Cons.* 259 *num.* 60, *et* 70, *Surd. Cons.* 154 *num.* 7, *Mantica de Conject. Lib.* 6 *tit.* 9 *num.* 6, *et Sac. Rota coram Priolo dec.* 176 n. 18.

4 Quo circa, sive soboles existeret, vel non, semper tamen in vim pacti conventi solvendum erat lucrum uxori, quin ejus juri officere posset Statutum, cum hoc suas vires exercere nequaquam posset in casu praesenti. Statutum onim Æsinum tertiae partis praelevationom viro indulgebat, quoties, uxore defuncta absque filiis, dos restituenda foret haeredibus. Huic vero Statutariae Legis praescriptioni relationem non babuerunt Sponsi in tabulis conficiendis. Ipsi enim, cum de dotis restitutione agerent, aperte declararunt, quod quilibet ex conjugibus superesset lucrare deberet quotam ipsius dotis, quam ipsi, minime inspecta Statntaria Lege, sed speciali tantum pacto innixi, ex voluntate praefiniri maluerunt in tertia parte « *che si fissa fra le parti nel terzo* ». Quao praelevatio non uni tantum viro tributa, ut Statutum jubebat, sed uxori etiam a contrahentium placito concessa, urgentius demonstrat minime voluisse paciscentes in ipsius lucri credito praefiniendo, ad Statutariam Legem se referre, sed obstrictos se solummodo habere in vim ipsius conventionis, prout apposite admonuit *Sac. Rota in dec.* 663 *num.* 4 *coram Lancetta.*

5 Nec officere antem possunt verba, quæ in ima cera ipsius Statuti leguntur = *non obstantibus promissionibus quibuscumque factis in contrario et aliquo statuto in contrarium loquente* =. Hæc enim verba se referunt ad infirmanda pacta, queis maritus lucro a Statuto præfinito privaretur: verum eadem omnino differunt a pacto, de quo in specie subjecta agebatur. Siquidem, quoties de dote restituenda res esset, statutum marito lucrum tribuebat, si filii non extarent; nam, si extitissent, necessarium tunc non erat, quod lucrum a Statuto tribueretur, cum ex Communi Jure marito deberetur integra dos, ut bac uti, atque perfrui libere ipse posset. Cum igitur conventio viro adscripserit lucri compendium, hanc stipulationem non adversari, sed imo adhærero eidem Statuto dici debet; quod si idipsum pactum ad idem lucri compendium vocavit otiam uxorem in casu, quod asperstes ipsa viro fuisset, in hac parte quoque dici nequit, quod conventio adversetur in casu, de quo minime loquebuntur Leges Statutariæ, dum vigebant. Quo circa hæc Leges extendi minime possunt ad infirmandum pactum speciale, legibus, et moribus non contrarium, ex regula, quod Statuta non duriter, sed leniter, et cum rectæ rationis temperamento sint intelligenda, ut admonet *Bald. in Leg. omnes Populi, Leg. Si cui ff de Servit. idem Bald. in Leg.* 1 *numer.* 20 *et* § 8 *Cod. Qui accusare non potest, ex leg. Servum Stichum § sequitur ff de verbor. obligat.*, et præcipue quia boc pactum, quoad Franciscam correspectivitatis onus cum contineat, et minimo comprehensum reperiatur in Statutaria dispositione, veniro nequit sub ejus irritante sanctione, nec regi potest ad tramites Statuti, quod unice loquens de casibus simplicibus, et de simplici promissione, quæ largitionem secumferret, extendi hand potest ad casum alterum longe diversum, onerosum, ac correspectivum titulum præseferentem, et præsertim ad exclusionem pacti, quod, cohærens tum natnralibus, tum civilibus, canonicisque Legibus, mirifice intendit ad æqualitatem servandam inter conjuges, prout animadvertit = *Everad. in Capit. oratione Leg. num.* 24 *et* 25. *Controv.* 385 *num.* 14 *et seqq. et num.* 18, *Negusan. in Sylva respons. quæst.* 87 *numer.* 10, *et quæst.* 306 *num.* 12 *Rota in dec.* 156 *num.* 9 *coram Priolo.*

Digitized by Google

6 Perperam vero, ad impediendam Franciscæ conventi lucri perceptionem, fratres Frontinii objiciebant *Text. Legis Foeminae et Leg. Hac Edictali §. His illud Cod. de Secundis nupt.* Leges enim istæ minime attendendae sunt in casu. Constituunt namque quod, si uxor, viro superstes, ad secundas nuptias transiverit, quidquid ex voluntate, et liberalitate prae defuncti viri, vel quolibet alio lucrativo titulo ab eo sit assequuta amittere debeat. Hacc vero dispositio protendi haud potest ad id, quod ex oneroso titulo in superstitem conjugem promanere potuerit. At lucri compendium quod sibi Francisca stipulata est in nuptialibus tabulis, si ipsa viro superstes fuisset, non lucrativo, sed necessario titulo sibi adquisitum dicendum est nam venit in compensationem lucri, quod vir facere potuisset super dote mulieris, si alius fuisset mortis ordo. Nulla igitur invenitur liberalitas in hoc pacto, nec ulla adest suspicio, quod ex inconsiderato amore erga secundum conjugem, qui in casu e vivis ereptus demonstratur defraudati esse possint liberi primi conjugii. Executioni igitur committenda est illa conventio quae inita bona fide, atque ex oneroso titulo, absolutum tribuit Comitissae jus agendi pro ipso lucro assequendo, quod, cum improprie in casu lucrum appelletur, ut *Romanus* adnotavit in *Leg. Si donaturus ff de Condit. ob causam*, percuti haud potest a praefatis Legibus, prout advortit *Woct. in Pandect. Lib.* 23 § 2 *num.* 101 *Somereb. de jure Novere. Cap.* 1 § 10 *et Cap.* 13 *num.* 7 *Card. de Luca de Donat. Disc.* 50 *num.* 15, *et d. Disc.* 140 *num.* 6 *et* 7, *Disc.* 206 *num.* 6; *Ulpian.* in *Leg. Quod autem* § 8. *Si maritus ff de donat. inter vir., et uxor.*, *Gabr. de Secund. nupt. Conclus.* 1 *num.* 39, *Sanchez de Matrim. Lib.* 7. *Disput.* 89 *num.* 32 *Guttier. Cod. Tract. cap.* 109 *num.* 34, *Boss. de dote cap.* 11 *num.* 34; *Gabriel in Summa Verbo Lucrum num.* 12, *Merlin. de Legitima Lib.* 2 *tit.* 1 *quaest.* 19 *num.* 7, *Hodiern. in leg. Hæc Edictali quaest.* 36 *num.* 1. *Conciol. ad Statutum Eugub. lib,* 2 *rubric.* 44 *numer.* 1 *Urceol. de Transact. quaest.* 29 *num.* 1 *Tiraquell, in leg. Si unquam num.* 110; *Faber in Cod. lib.* 5 *tit.* 5 *dec. secundis nuptiis*, *Tondut. quaest. Civil.* 45 *numer.* 7; *et Rota in decis.* 1078 *numer.* 16 *coram Molines*; *dec.* 19 *num.*7 *coram Ansalda* =.

Neque hoc generice a Legibus admissum tantum videtur sed in specie etiam adprobatum reperitur ab ipsis Frontiniis, dum accepto habuerunt Sententiam A. C. quoad decretam dotis restitutionem. Lucrum in Jure perpenditur tamquam ipsius dotis accessorium, atque in casu haberi oportet tamquam pars ejusdem dotis, cum suam repetat originem ab eodem pacto, ac onerosum titulum præseferat, æque ac dos. Cum itaque libenter Frontinii consenserint in restituenda dote, quum pari passu lucrum procedat cum eadem dote, implicite confessi sunt se quoque teneri ad ipsius lucri solutionem, ad quam urgendam aequeFrancisca ex stipulatu agere potest, prout docet *Gallerat. de Renunciat. cap.* 9 *numer.* 20; *Constant. ad Stat. Urb. Adnot.* 33 *art.* 3 *num.* 2, 9 *et* 311; *et in decis.* 224 *numer.* 17. *Gratian. cap.* 823 *num.* 16, *Cyriac. contr.* 275 *num.* 17, *Urceol. Consult.* 363, *Zaul. ad Stat. Favcn. tom.* 1. *Rubr.* 25 *lib.* 3 *num.* 52 57, *Rota coram Duran. dec.* 226 *numer.* 1 *coram Herzan. dec.* 132 *num.* 5 *coram Crescent. dec.* 474 *num.* 14. 7

Admisso autem bono ipsius Franciscæ jure pru vindicanda conventi lucri solutione, censuerunt Patres uun æque decernendam esse mulieri liberam ipsius lucri solutionem. Animadvertebant enim, quod ex soluto matrimonio supererant filii, quibus vigentibus Legibus deferabatur ipsius lucri proprietas; proinde decreverunt instanti Commissæ largiendam esse petitam lucri solutionem cum vinculo investiendi ex ratione, quod mulieri Leges non concedunt nisi usumfructum, sicuti pluries constitutum fuit a Sac. Nostro Ordine, et praecipue *in Beneventana Successionis* 14 *Junii* 1814 § 10 *cor. Zinanni*; *Eadem quoad bona Materna* 8

20 *Martii* 1820 § 1 *cor. Eodem.* Quum vero Franciscæ competeret jus pro assequenda dote, et lucro dotali, prono veluti alveo fluebat eamdem etiam agere posse pro assequendis fructibus decursis usque a die 21 Maii 1821. Hisce enim constitutis, nil exploratius ideo dari poterat, quam quod ei rependendi forent fructus, qui uti sortis accessorium, æque cum illa perambulant, atque debentur ad rationem scutorum *quinque* pru quolibet centenario, prout monuit Sacra Rota *post Turr. de Pact. futuræ succ. dec.* 92 *num.* 1 *et* 2; *coram Coccin Decis.* 917 *numer.* 13 *coram Lancetta. in Nuperrim. Bononien. Census* 10 *Decembris* 1681 §. *Nec calculus coram Matthæjo.*

9 Dum vero attendenda Patribus videbantur in genere fructuum postulatio, in specie contemnenda erat ipsius Franciscæ instantia pro assequendis majoribus usuris. Perperam enim ab ea allegabantur requisita Castrensia, et conventio in nuptialibus tabulis inserta de solvendi usuris ad majorem rationem scutor. 5: 50, pro quolibet centenario. Quoad requisita Castrensia enim ponderabant Patres ipsa interposita fuisse, minime servata forma constitnta a Codice Praxeos in § 1744, proindeque haberi debere, tamquam si nunquam interposita forent. Quoad conventionem idem sentiendum quoque censebant, cum fructus ad rationem scutorum 5 cum dimidio conventi fuerint pro dote constituta, donec ipsius integra solutio impleta non fuisset. Sed, expleta solutione, absoluta erat conventio, neo obligatio extincta amplius poterat reviviscere. Insuper ipsa obligatio extendi haud poterat ad personas diversas, ac ad casum penitus diversum, qualis adamussim est illa de dotis lucro ac Dote restituenda *ad Text. in leg. Cum ex causa ff de remissione pignoris*; *Leg. Quidquid adstringendæ*; *Leg. Si ita stipulatas* §. *Chrisogonus ff de verb. signific.*, *et Rota in Recent. part.* 5 *decis.* 234. Propter eaque firmam retineri censuerunt præfinitam fructuum quantitatem in summa scutorum *quinque* pro quolibet centenario, præcipue cum res sit de dote extra Urbem constituta ejusque de pacto lucro, quæ majorem fructuom quantitatem non afferunt ad tramites notissimæ Constitutionis Innocentii XI et prout sæpe definivit S. Rota præsertim in *Narnien. dotis, et lucri super fructibus* 28 *Februarii* 1817 § 5 *coram Bussi*, *in Seguina dotis et fructum* 12 *Junii* 1818 § 10 *coram Martinez*, *et Anagnina dotis super fructibus* 30 *Aprilis* 1819 § 2 *cor. Emo Isoard*,

Quoad autem expensas, admittenda 10
S. Nostro Ordini videbatur Comitissæ Franciscæ instantia non solum ex recepto in Foro principio, quod judiciales sumptus reficiendi sint mulieri dotem expetenti *Leg. fin. Cod. de Ord. cognit.*, *cap. Ex parte de Accus. Innocent. in cap. Per vestras de donationibus inter vir et uxor*; Sed specialiter etiam, quia ipsorum refusio ex peculiari pacto fuerat conventa. Attamen, inspecto hodierni judicii exitu cum perspectum Patribus fuerit non integram a muliere relatam fuisse victoriam, quia ipsius postulatio quoad expetitam lucri proprietatem plene rejecta fuerit, putarunt ideo pro medietate compensandas esse expensas tam præsentis, quam præcedentis judicii; eoque potius quia quæstio versatur inter personas arctissimo sanguinis vinculo conjunctas, ex quo requiritur quod nemia asperitate haud procedatur in expensarum taxatione.

Et ita, in alacri partium conflictu judicatum fuit, me quoque suffragium ferente.

---

## AESINA PECUNIARIA

SUPER

LUCRO DOTALI ET FRUCTIBUS

*Veneris* 13 *Junii* 1834.

### ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCCCLVII. -

SUMMARIUM

1. *Conventio a lege non improbata plus valet quam ipsa lex si statuta.*
2. *Cum sit inter conjuges conventa reciproca lucri adeptio, nullo verbo facto de filiorum existentia, ipsa conventio cohiberi non debet ad casum simplicem non existentiae sobolis.*
3. *Si in mente conjugum contrahentium sit, quod lucrum nequidquam ullo in sis capiari deberet, in casu quo liberi extent, haud certe contrahentes id dicere omisissent; cum perdifficile haud sit provvidere sobolis ortum.*
4. *Conjuges contrahentes in praefinienda lucri quantitate, peculiarem sibi obligationem imponere queunt ex speciali pacto, quin municipalis ligis prosscriptionem respiciant; a quo vero vetitum non sit quod contrahentes inter se agant.*
5. *Pactum quodcumque tum naturalibus, tum civilibus canonicis quas regulis cohaerere debet.*
6. *Nulla lex extbeat, quae prohibeat sponsis, quod correspective inter se pasisci possunt idem lucrum.*

*Plane servandum quidquid specialiter de lucro assequendo stipulati sunt contrahentes* — *ibidem*. —

7. *Attendendos non sunt exceptiones a leges* Faeminae et hac edictali cod. de secund. nuptiis, *desumptae contra mulierem, quae lucri compendium, quod sibi stipulata sit in nuptialibus tabulis in casu supervivantiae viro, exigat ex titulo necessario, ac correspectivo.*
8. *Lucrum veluti dotis accessorium habetur, cum ab eodem pacto suam repetat originem, ac onerosum titulum aeque ac dos praeseferat.*
9. *Constituto in muliere jure assequendi dotem, eidem et jus assequendi fructus decursus tribuitur.*
10. *Judiciales expensae reficiendae sunt mulieri dotem expetenti.*

## DECISIO CCCCLVIII.

Conciliatis nuptiis inter Aesinos Patricios, Felicem Frontini, et Franciscam Fossa, solemne præmissum fuit dotale instrumentum, in quo multa conventa fuere circa dotis constitutionem, restitutionemque, et circa futuræ Sponsæ exhibitionem, constante matrimonio. Hoc autem dissoluto, ob viri præmorientiam, si contingeret, quod viro viduam Francisca amplius in prædefuncti viri domo morari noluisset, tunc peculiariter conventum fuit, quod eidem a leviris deberetur = *restituirglisi la intiera dote come il lucro dotale, che si fissa fra le parti nel terzo* =; quod quoque = *dovrà vicendevolmente lucrare il marito in caso di sopravvivenza alla moglie* =. Præsentientes insuper contrahentes evenire posse obitum ipsius Franciscæ, nulla relicta prole, in insequenti *Art.* 9 ipsius contractus expresse declararunt, quod = *morendo la Signora Francesca senza figli, si obligano come sopra in solidum tutti li Signori Frontini di fare l'accennata restituzione della sudetta dote a chi sarà di ragione* =: ejus nempe Franciscæ hæredibus vel testatis, vel intestatis, deficientibus filiis, ad quos, ex defuncta, lucrum prædictum reverti debuisset ex jure. Accidit reapse, quod dissolutum remanserit conjugium ob Felicis obitum. Francisca viduitatis suæ proinde pertæsa, transire in sacra Danielis Stefanoni prætulit, sed haud bono omine: nam citius etiam secundi hujus viri funus flere ipsa debuit.

Interim vero Francisca petierat a Frontiniis suæ dotis restitutionem, nec non conventi lucri solutionem, una cum fructibus. Sed ejus petitioni cum obstitissent leviri, judicialiter contra illos agere debuit mulier coram A. C. Collegio in Ecclesiasticis. Die itaque 22 Novembris anni 1821 ab Judicibus illius Tribunalis edita fuit Sententia, qua Frontinii damnati fuere ad dotis restitutionem cum reinvestiendi vinculo, nec non ad fructuum solutionem ad rationem scutorum *quinque* pro quolibet centenario. Quoad autem petitum lucrum eadem Sententia præfinivit, quod nil aliud instanti Mulieri comperetet, extantibus filiis, præter usumfructum, scilicet fructus ipsius lucri ad rationem quincuncem, relicta sorte principali favore filiorum. Utrique Parti displicuit illa Sententia; et, cum ab ea Frontinii provocassent, S. Nostro Ordini commissa fuit causa a Signatura Justitiæ, quæ proposita a me die 3 superioris mensis Martii cum dubio = *An, et in qua summa sit locus consignationi, seu solutioni lucri dotalis, fructuum tam dotis, quam lucri et condemnationi in expensis, ita ut sit relaxandum mandatum in ca-*

*su etc.* = resoluta fuit a Patribus edito Responso = *Affirmative, et esse locum consignationi lucri dotalis in summa scutorum* 1500 *ad effectum deponendi, et reinvestiendi, cum vinculo restitutionis, nec non solutioni fructuum ad rationem quincuncem, et esse relaxandum mandatum, compensatis expensis, tam præsentis, quam præcedentis instantiæ pro medietate tantum.* = Sed circa hujus Decisionis vires cum hoc mano iidem Patres denuo per me sciscitati fuerint assueta Dubii formula = *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* = responsum accepi = *in Decisis* =.

1 Simplicius hodie Patrum reproponebatur hæc controversia: nam Francisca Fossa a concordiæ, pacisque desiderio obmota, de concesso, ut supra, lucri usufructu satisfacta, fasces submiserat quoad petitam ipsius lucri proprietatem; sicuti valedixerat fructuum augmento. E contra contradictores Frontinii, posthabita qualibet contentione quoad plures exceptiones, in superiori Causæ propositione deductas, nervos omnes intenderant pro repellenda insiante Francisca ab dotalis lucri etiam usufructu; cum acriter contenderent eidem competere amplius non posse conventum lucrum ob filiorum supervenientiam; quia hoc in casu, et ipse contractus, et Aesina Statutaria lex adversabantur, ne ipsius lucri compendio ditarentur. Sed Patribus Meis facile perspectum erat, quam malo consilio Frontinii instanti Franciscæ negarent, extantibus filiis, dotalis lucri usumfructum. In præsenti enim controversia nulla circa contrahentium mentem admitti poterat quæstio, cum patula essent contractus verba, sicuti absonum omnino erat in subjecta materia quid constituere posset Assinum Statutum, quia in pretio haberi oportebat quidquid ex stipulatu peculiariter depactum fuerat a contrahentibus, ex inconcussa Juris regula, quod conventio, a Lege non improbata, plus valeat quam ipsa Lex, et Statuta. *Gratian.* in *Leg. Filius familias* § *divin.* 89 *de Legatis*; *Decian. Con.* 29 *numer.* 17 *lib.* 1 *Constantin. vot. Decis.* 216 *numer.* 7 *Rota coram Mantica Decis.* 337 *num.* 10 *Dec.* 72 *numer.* 11 *coram Ninot., Decis.* 26 *coram Andrea*; *Dec.* 301 *numer.* 3 *part.* 3 *in Recent.* Perspectis itaque nuptialibus tabulis, cum æque ad lucri compendium invitatus fuerit uterque conjux, et cum in iisdem nullam volam invenire datum sit, ex qua deduci valeat quod contrahentes ipsum lucrum sibi stipulati fuerint in casu tantum non existentiæ filiorum, et ab eo assequendo repellerentur in casu, quo ipsi liberos reliquissent, concludendum ideo, est quod speciali pacto contrahentes, posthabita Statutaria Lege, voluerit sibi adscribere lucri compendium in præfinita quantitate, sive liberi existerent, vel non existerent.

Et revera in Art. 8. dotalis instrumenti, nulla mentione facta de Statuto, contrahentes peculiari pacto stipulati fuerunt favore utriusque conjugis tertiæ dotis partis compendium, quod 2
non a liberorum inexistentia, cum de illis nullum verbum inveniatur, sed ab unica *præmorientiæ* conditione pendere omnino debebat; cum uterque deberet conventum lucrum absque ulla distinctione = *vicendevolmente lucrare in caso di sopravvivenza* = Minime autem obstare poterat quidquid a Frontiniis regerebatur, quod scilicet filiorum existentia deducta fuerit in conditionem a subsequenti Art. 9 ipsius contractus, in quo legitur quod si Francisca absque filiis decessisset, tunc Frontinii = *si obbligano come sopra in solidum di fare l'accennata restituzione della dote a chi sarà di ragione* =; perinde ac si verba illa = *come sopra* = inducere valeant quod lucri compendium in superiori Art. 8., expromissum, locum sibi vindicare tantum deberet in contemplato inverso casu, quo nempe Francisca secedere maluisset a viri domo, et nulla existerat ab ea suscepta proles. At erronea prorsus et contemnenda apparebat hæc illatio. In Art. enim 8. generice conventa fuit reciproca lucri adeptio, nullo verbo facto de filiorum existentia. Ex indefinito igitur ipsius Articuli loquendi modo concludere oportebat, quod controversum lu-

crum æque conventum fuerit in utroque casu; cum nulla subeat ratio, cur cohiberi debeat ipsa conventio ad casum simplicem non existentiæ sobolis: eo magis, quia stipulatum pactum directe tendebat ad æqualitatem servandam inter conjuges, quæ salva haud fuisset ipsius lucri adquisitio, cum in hisce casibus vir ad lucri compendium vocatus esset a Lege et a Statuto, quibus e contra mulieris favore haud statuebatur, ut idem lucrum ipsa assequi posset. In Art. autem *nono* ulterius progressi sunt paciscentes, et, perspectu casu obitus ipsius Franciscæ absque sobole, quando jam in eam coaluerat ipsum lucrum, etiam quoad proprietatem ob sequutam viri præmorientiam voluere, quod idem lucrum una cum dote, Frontinii restituere tenerentur = *a chi sarà di ragione* = nempe testatis, vel intestatis hæredibus Franciscæ.

3 Hinc igitur verba illa, = *come sopra* = se referunt ad solidalem obligationem qua se obstrictos voluere fratres Frontini erga fratrem pro promissa restitutione dotis, et lucri in quantitate jam designata in superiori Art. 8., et cum ipsius compendium jam adepta esset Francisca ob impletam præmorientiæ viri conditionem specialiter in eodem Art. 9., convenire debuerunt ipsius restitutionem, explendam favore illorum, qui ex testato, vel ab intestato ipsius Franciscæ hæredes extitissent. Quod magis magisque explicatum habetur ex subsequentibus verbis = *l'accennata restituzione* =, quæ in contemplato casu non existentiæ sobolis important, quod a Frontiniis dotis, et lucri restitutio peragenda, esset respectiva, ac relativa ad omnia antea expressa in superiori Art. 8. *Tiraquell. de Retractu leg.* § 8 *Gloss.* 72 *num.* 14.; *Marescott. variar. Resolut. Lib.* 1 *Cap.* 51.; *Barbas de Claus. et dict.* 390., *Rota coram Ubald. in Romana Fideicommissi de Columna* 31 *Maii* 1623 *coram Eodem*; quæ adamussim repetita voluisse contrahentes apprime demonstrant relata verba = *come sopra* = ut tradit *Barbosa in Dict.* 451 *sub num.* 2. = Quapropter si lucrum favore Franciscæ depactum in Art. 8., onice pendebat ab adimplemento conditionis præmorientiæ viri, si libellum erat; ad tramites Juris Communis, inter contrahentes stipulari reciprocum ipsius compendium sive non extiterint, cum in facto contingerit, quod ob viri obitum commissa fuerit stipulatio, merito ideo concludendum est recte ac demisse egisse Franciscam si saltem ad simplicem lucri usufructum suam cohibuerit actionem contra defuncti viri hæreditatem. Et revera si in contrahentium mente fuisset, quod lucrum nequidquam Franciscæ adduci deberet in casu, quo liberi extitissent, haud certe contrahentes id dicere omisissent; cum perdifficile haud esset prævidere sobolis ortum. Sed, cum id dicere omiserint, concludendum est, quod in utroque casu voluerunt ipsius lucri adquisitionem, et omissum casum ad Juris Communis dispositionem retuleriut ad *Text. in leg. Commodi ff. de Lib. et Posth. Grntian. Disc.* 794 *num* 1., *Urceol. consultat. For. Cap.* 39 *num.* 7.; *et Rota in Decis.* 15 *num.* 11 *et Decis.* 66 *num.* 17 *part.* 4 *in Rec.* Nec certe aliquid Juri contrarium præseferebat conventa lucri solutio, cum compensare hæc deberet exhibitionem, quam ipsi leviri ex suscepta obligatione Franciscæ præstare tenebantur in casu quo ipsa præseferret in viri domo persistere. Hæc autem conventa exhibitio correspectiva fuerat dotis; quæ si ipsam exhibitionem, et in ejus vicem definitum lucrum si non stipulata fuisset censendum est, quod ipsa haud Frontinio nupsissent, vel saltem minorem dotis quantitatem ei attulisset.

Constituto lucrum ex pacto deberetur, sive liberi existerent sive non extiterent, dubium tunc promovebant Frontinii, scilicet, an illud Francisca assequi prohiberetur a vigente Lege Municipali Aesii ex eo, quod sponsi cum haud dixerint se stare non velle Statuto, tuno ex Juris præsumptione retineri oporteat ipsos paciscentes se referre voluisse ad patriam Legem, quæ dum viro ipsum lucrum tribuebat in casu, quo uxor decederet sine prole; 4

e contra eidem Franciscæ in universo casu præmorientiæ viri nihil aliud tribuerat, nisi integræ suæ dotis restitutionem. Sed hæc generica, atque nuda juris præsumptio satis superque exclusa apparebat in casu, cum versemur in specie minime a Statuto contemplata, contra quam ideo ipsum Statutum, suas nequit exercere vires, et cum insuper aperte videatur ad Statutariam ipsam Legem haud se retulisse sponsos in nuptialibus tabulis scribendis; quin imo luculenter e contra demonstrarunt nullatenus se velle ejusdem præscriptioni se accomodare. Quod autem ita res sit, unicuique facile persuasum erit si animadvertatur, quod ipsi contrahentes, cum ad conjugii dissolutionem se retulerint, aperte declararunt, quod quilibet ex conjugibus superesset lucrari ipse debuisset quotam ipsius dotis, quam non juxta Æsinii Statuti præscriptionem, sed ex mero voluntatis arbitrio præfinire voluere *« che si fissa frà le parti nel terzo »* Insuper ad ipsius lucri compendium non solum virum admiserunt, quod inutile prorsus fuisset, si ad Statutum se referre maluissent, sed uxorem quoque, quæ etiam ad illud prima vocata fuit, contra ipsius Statuti sanctionem, quod viro lucrum unice elargiens, nihil constituerat favore superstitis uxoris. Quod satis superque demonstrat contrahentium animum in præfinienda lucri quantitate minime respexisse Municipalis Legis præscriptionem, sed tantum peculiarem sibi obligationem ipsos imponere voluisse ex speciali pacto, prout in casu monuit *Rota in Dec.* 654 *n.* 4 *cor. Lancetta.*

5 Nullum autem obicem parare poterant conventionis validitati clausulæ, quæ in ima cera Æsini Statuti leguntur *« non obstantibus promissionibus quibuscumque factis in contrario; et aliquo Statuto in contrariam loquente ».* Hæc enim verba stant ad infirmanda pacta lucrativam caussam præseferentia, cum quibus maritus lucro a statuto præfinito privari posset, sed minime extendi possunt ad infirmandam conventionem diversam, oncrosumque titulum præseferentem, quæ, dum Statuto non adversabatur, e contra speciali pacto ad ipsius lucri compendium assequendum æque invitabat virum, et uxorem, ut perfecta inter conjuges æqualitas adservaretur. Cum igitur memoratum pactum, quod uxor quoque lucrum assequi valeat, constituat separatum casum, de quo Statutaria Lex minime loquitur, dici haud potest, quod eidem Legi adversetur, ita ut ipsa conventio irritari mereatur a præcitatis clausulis irritantibus Æsino Statuto adjectis, ex regula, quod Statuta non duriter, sed leniter sunt intelligenda, *Bald. in Leg. Omnes Populi, et Leg. Si cui ff. de Servitut. idem Bald. in Leg.* 1 *num.* 20 *et* § 8 *Cod. Qui accusare non possunt; et Leg. Servum Stichum* §. *Sequitur ff. De verb. obligat.* et ex ratione, quod Statutum loquitur de casibus simplicibus, et de simplici promissione, quæ elargitionem sccumferens, extendi haud post alterum casum longe diversum, ad ipsamet Statutaria Lege haud contemplatum, onerosum, et correspectivum titulum præseferentem; et præsertim ad exclusionem pacti, quod cohærens tum naturalibus, tum Civilibus, Canonicisque Legibus, mirifice intendit ad æqualitatem servandam inter conjuges, *ad Leg. fin. cod. de Judic. vid. toll., Novell. De Dote Part.* 4 n. 10.; *Negusan. in Sylva respons. Quæst.* 87 n. 10 *et Quæst.* 306 *num.* 12., *Rota in Decis.* 155 *n.* 9 *cor. Priolo.*

Nec dicendum quod controversum 6 lucrum cum ex Statutaria Lege deberetur marito, haud poterat pacisci favore Uxoris, quæ ab ipso Statuto excludebatur; nam animadvertebant præ primis Patres, quod nulla subest Lex, quæ prohibeat sponsis, quod correspective inter se pacisci possint idem lucrum *Lorand. de Lucro Dotali Quæst.* 39 *numer.* 10.; *Card. de Luca de Dote Disc.* 68 *numer.* 2 *et S. Rota in Decis.* 649 § 2 *coram Lancetta*, deinde quod liberum, licitumque sit conjugibus alteram in dotalibus conventionibus inducere formam, ita ut quidquid constituerint, etsi inæqualiter consti'u-

Digitized by Google

:tur, validum attamen, et obligatorium haberi debeat, ex regula, quod speciali conventione non prohibeatur Leges et statuta prætergredi « *Gratian. in Leg. Filius Familias* §. *Divin.* 89 *de Legat. Decian. cons.* 29 *numer.* 17 *Lib.* 1.; *Constant. Vot. Dec.* 216 *numer.* 4 *Rota Dec.* 337 *num.* 10 *coram Mantica*; *Decis.* 72 *numer.* 11 *coram Ninot., Decis.* 26 *coram Andrea*; *et Dec.* 301 *num.* 3 *Part. tertia in Recent.*, Consequitur proinde, quod plane servandum sit quidquid specialiter de lucro assequendo stipulati sunt contrahentes ad Textum *in Leg.* 1 §. *Illud. Cod. de rei Uxor. act. Leg. si unus* §. *Pactus non poterat ff. de Pactis*; *Leg. Quoties ff. Solut. matrim., Surd. Cons.* 113 *numer.* 11., *Roland. de Lucro dotali Quæst.* 1 *numer.* 9; præcipue, quia perfecta æqualitas asservata fuit in ipso lucro constituendo, quando ad ejus fruitionem uterque contrahens æque vocatus. fuit. Qua propter, cum hodie Francisca in vim specialis pacti agat pro assequendo lucri usufructu, ei denegari haud potest ipsius pacti executio, *ad Text. in Leg.* 3 §. *De illa ff. de Socio*; *Leg.* 12 *Cod. de Pactis*; eo magis cum tabulæ, quibus controversum pactum adjectum fuit, vallatæ fuerint Camerali obligatione, quæ juramentum cum contineat, quamlibet in contrarium respuit exceptionem, paratamque exhibet executionem, prout tradit *Bartol. in Leg. Omnes Populi*; *Andreol. contr.* 123 *num.* 4 *Gutier. de Juram. Part.* 1 *Cap.* 29 *num.* 7. *De Franchis Dec.* 81., *Carob. de Oblat. Part.* 2 *Quæst.* 10 *num.* 27 *Surd. Decis.* 36 *num.* 10; *Strach. de Doctoribus Part.* 2 *num.* 12 *Zacchia de obligat. Cameral. quæst.* 27 *num.* 16 *Decis.* 29 *num.* 3. *Dec.* 162 *num.* 5 *Decis.* 227 *numer.* 4 *apud Eumd., Dec.* 306 *num.* 24 *et Decis.* 495 *num.* 1 *cor. Bichio, et Dec.* 398 *cor. Molines.*

7 Attendendæ autem minime erant in casu exceptiones, quas in anteacta causæ propositione fratres Frontinii desumpserant a *LL. Fœminæ, et hac Edictali Cod. de Secund. Nuptiis*: Nam lucri compendium, quod sibi Francisca stipulata fuerat in nuptialibus tabulis in casu superviventiæ viro, non proveniebat a lucrativo titulo, qui contemplatus fuisset a præcitatis Legibus sed vero dimanabat a titulo necessario, ac correspectivo, cum veniret in compensationem lucri, quod vir facere potuisset super ejus dote, si alius fuisset mortis ordo. Attenta itaque commodi reciproco pacto, cum penitus exclusi appareant donationis termini necessarium erat tribuere Comitissæ jus agendi pro ipso lucro assequendo, quod cum improprie in casu lucrum appelletur, ut *Romanus adnotavit in Leg. si donaturus ff de Condit. ob causam*, percuti haud potest a præfatis Legibus *Foeminae et hac Edictali, prout docuerunt Voet. in Pandect. lib.* 23 § 2 *num.* 101 *Sommeran. de jure novercar. cap.* 1 § 10 *et Cap.* 13 *num.* 7 *Card. de Luca de donat Disc.* 50 *n.* 15 *et de Dote* 140 *numer.* 6 *et* 7 *Disc.* 206 *Ulpian. in in Leg. Quod autem* § 8. *Si maritus ff de dona. inter vir et uxor Gab. de Secund. nupta Conclus.* 1 *num.* 39 *Sanchez. de Matrim. Lib.* 7 *Disput.* 89 *n.* 32 *Guttier. Eod. tract. cap.* 109 *num.*5 *Boss. de Dote Cap.* 11 *num.* 34 *Gabliel. in summa, Verb. Lucrum num.* 12 *Merlin. de Legittima Lib.* 2 *tit.* 1 *quæst.* 19 *num.* 7 *Hodiern. in Leg. Hoc edictali quaes.* 36 *num.* 1 *Conciol. ad Statut. Eugubinum lib.* 4 *rubrin.* 44 *num.* 1 *Urceo'. de Transact. quaest.* 29 *num.* 1 *Tiraquell. in Leg. Si unquam num.* 110 *Faber. in cod. lib.* 5 *Tit.* 5 *do Secund. nuptiis, Tondut Quaest. Civ.* 45 *num.* 1 *et Rota in Dec.* 1078 *num.* 16 *cor. Molines dec.* 19 *n.* 7 *cor. Ansaldo.*

Neque in genere a Legibus adamissum tantum erat, sed in specie adprobatum etiam videbatur ab ipsisFrontiniis dum accepto habuerunt A. C. Sententiam quoad decretam dotis restitutionem. Pressius enim in casu firma haberi oportebat juris præsumptio quod lucrum sit dotis accessorum ex ratione, quod in specie conventum lucrum suam repetat originem ab eodem pacto, ac onerosum titulum præseferebat æque, ac dos. Quo circa cum Frontini, libenter dotem restituerint, cum pari passu cum eadem dote pro- 8

Digitized by Google

cedat lucrum, nulla adest congrua ratio, cur ipsum tradere ipsi non debeant, cum solidali expromissione, et adhita Camerali obligatione se obstrinxerint ad ipsius lucri restitutionem; quam ideo urgere ex stipulato merito potest Francisca ex traditis *a Galleran. de Renunciat. cap.* 9 *num.* 20 *Constantin. ad Statutum Urbis Adnot.* 33 *art.* 3 *num.* 219 *et* 311 *et in decis.* 224 *num.* 17. *Gratian. cap.* 823 *num.* 16 *Cyriac. contr.* 275 *num.* 17 *Urceol. consultat.* 363. *Zaul ad statutum Favent. Tom.* 1 *Rub.* 25 *lib.* 3 *num.* 52 57 *Rota cor. Duran. Decis.* 132 *num.* 5 *cor. Crescent. Decis.* 474 *n.* 14.

9 Cum vero ex soluto Matrimonio extiterint filii, censuerunt Patres decernendam non esse favore Franciscæ liberam ipsius lucri solutionem, sed reservata eorum favore si matri superstites sint ipsius lucri proprietate, instanti mulieri non aliud interim concesserunt nisi usufructum; sicuti in simili casu pluries definitum fuit a S. N. Ordine et præcipue *in Beneventana Successionis* 14 *Junii* 1804 § 10 *cor. Zinanni, eadem quoad bona materna* 20 *Martii* 1820 § 1 *cor. Eodem.* Constitutio autem in Francisca jure assequendi dotem, et lucrum jus quoque ei erat assequendi fructus usque a die 21 Maii 1821 quos uti, accessorium sortis, ei tribuere decreverunt Patres ad rationem *quincuncem, Turr. de Pact. futuræ successionis, dec.* 92 *num.* 1 *et* 2 *cor. Coccino dec.* 917 *num.* 15 *coram Lancetta Bonon Census diei* 10 *Decembris* 1681 § *Nec calculus cor. Matthejo* posthabita instantia, qua Francisca insteterat in superiori causæ propositione, ut majores sibi adjicerentur usuræ ex rationibus, quas late profligat superior mea decisio in § 10 de quibus nullum verbum facere satius duxit ipsa Francisca in iterato præsenti Causae periculo.

10 Quoad expensas autem censuit S. Ordo admittendam esse Franciscæ instantiam non solum ex regula in Foro recepta, quod judiciales expensæ reficiendæ sint mulieri dotem repetendi *ad Text in leg. fin. cod. de ord. cognit. cap. ex part de Accusat Innocent. in cap. Per vestras de Donat. inter vir. et uxor.* sed specialiter etiam quia earum refusio fuerat speciali pacto conventa. Nihilominus, attento judicii exitu cum Patres perspicerent non integram a muliere relatam fuisse victoriam, cum ejus postulatio quoad expetitam lucri proprietatem rejecta fuerit, putarunt pro medietate compensandas esse expensas tam præsentis, quam præcedentis iudicii, atque eo magis, quia contro versia erat inter personas arctissimo sanguinis, ac affinitatis vinculo conjunctas, ex quo requiritur quod leniter procedere oporteat in expensarum taxatione.

Et ita, utraque parte dimicante, decisum fuit, me quoque suffragium ferente.

---

## FIRMANA CANONICATUS

*Lunae* 21 *Aprilis* 1834.

### ARGUMENTUM

Oriundi praelationem in beneficiis obtinere nequeunt adversus incolas, dum peracta jam incocolae nominatio rite fuit, sed ea valere potest in casu tantem, quo non adhuc peracta nominatio beneficiati fuerit - Quam regulam probavit jam Apostolica Cancellaria.

### SUMMARIUM

1. *Quod testator voluit, expressit.*
2. *Suprema morientium imperia servanda ad unguem; nec sim licet implorare interpretationes ad eam praesertim arctioribus limitibus perstringendam.* - Et num. 3.
4. *Exclusio unius est inclusio alterius.*
   *Discretiva loquendi ratio in voluntatum interpretatione semper magni in jure est - ibid.* -
5. *Immutandas ex Jure haud sunt ultimae morientium voluntates.*
6. *Testatorum dicta ad sanas interpretationis regulas accomodare licet.*
7. *Qui lares sibi oppido in aliquo figit, possidensque illius Oppidi in Territorio bona stabilia, ac residentiali ibidem fruitur Beneficio, prorsus ex iis civitatem, tum ex Canonico tum ex Civili jure aquirit.*

8. *Quae disputari possunt de praelatione oriundis concedenda adversus incolas, obtinere nequeunt dum peracta jam incolae nominatio rite sit.*
9. *Nulla est observantiae vis facultativis in actibus, nisi haec coactive sit inducta.*

## DECISIO CCCCLIX.

Altera mea Decisio, in vulgus edita die 9 *Decembris anni præteriti*, probavit nominationem, quam Joannes Olivieri Rector Ecclesiæ Sancti Donati, Oppidi Montis Ulmi peregerat ad Cappellaniam sub titulo Divi Francisci do Paula favore Sacerdotis Raphaelis Cicconi Urbis a Cliensis, sed in Monte Ulmo ab anno 1804 degentis, atque inibi Confessarii munus exercentis, multo jam ex tempore. Cum enim Donatus Orsetti anno 1715 condito testamento, jussisset quod universa hæreditas sua erogaretur in tot Cappellaniarum institutionem, annui reditus in singulas argenteorum *quinquaginta* illarumque conferendi liberam facultatem tribuisset Rectori pro tempore Ecclesiæ Divi Donati oppidi Montis Ulmi una sub lege seligendi in Cappellanum = *Un Sacerdote Confessore di buona condizione e fama, e timorato di Dio* = hasque Cappellanias instituisset reapse Alexander Guerra, illius tunc temporis Ecclesiæ Rector, quem Donatus suæ voluntatis fuerat exequutorem, anno 1749 Municipes cupidi, ut jus fruendi Cappellaniarum reditu unis Montulmensibus Civibus esset postularunt ab S. Concili Congne quod Rectori pro tempore imminueretur illimitata, qua pollebat eligendi facultas, atque cohiberetur ad eos unos Præsbyteros = *che siano di Monte dell'Olmo per origine, o per abitazione* = Hac autem superire, prout moris est S. Congregatio requisivit Votum Firmani Archiepiscopi, qui audito Rectore Alexandro Guerra quemadmodum ei jusserat S. Congregatio, postquam ab eo optime instructo de Donati voluntate, acceperat non fuisse in illius votis, quod Oppidani fruerentur privativo jure Cappellaniis ab se institutis immo autem pandidisse illum aperte sane = *che se li Paesani volevano il pane se lo fossero guadagnato* = eum tamen haud renuisset suum postulationi Municipii Rector assensum præbere concedendam archiepiscopus ita censuit = *ut præsbyteri ex oppido oriundi quatenus præferantur extreneis. Si autem Præsbyteri ex eo oppido oriundi his qualitatibus careant, liceat Plebano etiam extraneos ad hujusmodi Cappellanias obtinendas advocare* = ac ita rem fore accipiendam putabat Archiepiscopus, eo quod contigere quandoque poterat = *non reperiri inter praesbyteros conterraneos, ab omni officio liberos, qui qualitatibus omnibus praediti sint a testatore praescriptis* =.

Demisit inde S. Congregatio Municipii preces, tulitque Decretum = *in posterum nominatio fiat juxta Votum Archiepiscopi* = quod notum ei fecit Literis datis per hæc verba = *Eminentissimi PP. inhaerentes sensui amplitudinis tuae quoad restrictionem nominationis ad Cappellanias; de quibus agitur favore sacerdoti oppidanorum tantum rejecerunt instantiam, eosdemque Sacerdotes Oppidanos quatenus praefulgeant qualitatibus a testatore requisitis, censuerunt praeferendos esse extraneis, et in casu, quod non adsint Sacerdotes praedicti posse Plebanum ad dictas Cappellanias etiam extraneos advocare* = narratum quæ idipsum fuit Apostolicis Literis, quibus Pontifex S. M. Clemens XIII. anno 1762. Cappellanias hascc erexit in Canonicatus. Nulla orta contentione, res processit ad annum usque 1831 quo primum elatum denominationibus quærelæ sunt; Quem enim vacasset eo tempore, ob mortem Canonici Seraphini Zamponi, una ex Orsettiis Cappellaniis sub titulo Divi Francisci De Paula, die 3 *Decembris illius anni* nominatus ad eam fuit Sacerdos Raphael Cicconi, mandato in id ab Ecclesiæ S. Donati Rectore, Joanne Olivieri, *tributo* procuratori suo, Cajetano De Minicis, qui nominationem eam sub die posuit penes acta. Hanc itaque in nominationem quum insurrexissent subito Capitulum, atqne Communitas Montis Ulmi, interponendo coram Firmana Curia oppositionem, quam vocant nihil

transeat, probavit eam instituto certamine, primum Firmanus Generalis Vicarius Sententia sua, ac deinde, prout innueram sub initio illam probavit S. Ordo Noster, ad quem delata est controversia, decretante etiam adversus nominationem Sacerdote Michaele Do Angelis quemadmodum jusserat Signaturæ rescriptum Dubii quippo formula non sine controversia concinnata = *An sit servanda nominatio, seu potius quomoda, et cujus favore sit locus nominationi in casu etc.* = dimissa fuit responso adhibito = *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam* = quemadmodum videre est in *citata Decisione mea diei* 9 *Decembris superioris anni*, quam hodie mane, altero nominationem accedende oppugnatore, Sacerdote Jo. Bapta Principi, qui admissus fuerat ad causam PP. DD. confirmarunt assueto responso = *In Decisis* =

1 Firma enim manebat ea omnia quæ peractam nominationem protuebatur, servandumque illam esse præterito suaserunt in certamine. Inane quippe conatu creare rursus invidiam Raphæli Cicconi nominationi pertentabatur, vel ex Donati Cappellaniarum institutoris, testamento, vel ex firmani Archiepiscopi Voto, cujus ad normam legem futuris peragendis nominationibus S. Concilii Congregatio dixit Rescripto suo; vel ex Canonici Juris sanctionibus, contendendo ex iis omnibus dispiciendam Raphælis nominationem esse, siquidem non is erat oriundus Montulmensis, quod requirendum in nominandis arbitrabator, ut in Cappellaniarum assequutione præferrentur. Perlectonam ne quantumvis Donati testamento, ex eo dum probatum undequaque patet nominandi facultatem fuisse concessam Rectori pro tempore Ecclesiæ Divi Donati indeterminate, ac nulla, vel in minimum, restrictione adhibita, eruere nemo poterit voluisse testatorem, ut institutæ a se Cappellaniæ privativo, vel prelevativo saltem jure tribuerentur oriundis e Monte Ulmo: quod si volitum a testatore fuisset, id dixisset utique in testamento suo. Cum autem non id dixerit, concludebatur recte sane de prælatione concedenda oriundis Montulmensibus ipsum nunquam cogitasse. Præterea ex iis, quæ Donatus patefecerat Alexandro Guerra, testamentario exequutori suo, dum ei hac in re voluntatem aperiebat, scilicet = *che se li Paesani volerano il pane, se lo fossero guadagnato* = aperte demonstrabatur ab requirenda in Cappellanis qualitate illa omnino ipsum abhorruisse, ac liberum, solutumque quovis nexu jus nominandi in Rectorem contulisse, qui id unum curare præ ejus votis debuisset, ut nempe Cappellanus esset = *un Sacerdote Confessore di buona condizione, e fama, e timorato di Dio* =

Quapropter eum non adhibuisset Donatus in testamento restrictionem ullam tributo juri nominandi ad Cappellanias Rectori pro tempore Ecclesiæ S. Donati, nec, præter supradictas has qualitates, ullam aliam requisisset in nominandis imo autem sese prorsus alienum exhibuisset ab postulanda oriundorum prælatione, ideo non perstringenda atque coarctanda satis clara ejus voluntas erat, adhibita interpretatione, si quidem cautum ex Jure est ut suprema morientium imperia serventur ad unguem, nec vim licet implorare, interpretationis ad eam præsertim actioribus limitibus perstringendam, *ad Text. in cap. fin. de Scaten. et Rejud. in Leg. Pars. ff de Inoff. test. in Leg.* 1 *Cod. de Sacros. Ecclesiis*, firmatque latius *praeterita dec.*§11. Ineptum itaque erat oppugnare ex Donati testamento peractam Raphælis nominationem quasi ut oriundi qualitatem ille in nominandis Cappellanis requisiisset, vel saltem optasset illa ex qualitate prælativo jure dandas esse Cappellanias oriundis, quod procul utrumque a veritate erat. Magis deinde utiliter haud invocabatur Votum Firmani Archiepiscopi, in quo non hanc rem præceptam fuisse sana ex argumentatione licebat concludere. Non carpenda in Voto illo Verbuscula sunt, sed ex integra Antistitis Sententia est eruendum quid reapse ille statuere voluerit, quemadmodum docet *praecedens Dec. mea* § 3. 2

3 Quod namque verbum *oriundi* excidit in voto, illo lato inibi sensu adhibitum fuisse est dicendum, ut Oppidanos scilicet omnes comprehenderet, non autem ut ex eo evinceretur præcipere Archiepiscopum voluisse, quod oriundi præferendi in Cappellaniarum nominationibus essent, absonam ita rem admittendo atque longinquam a recta Voti illius interpretatione. Requisitus enim Antistes firmanus a S. Concilii Congregatione, quid cogitaret ipse de precibus Municipii, a quo postulatum fuerat, ut jus assequendi Orsettias Cappellania eis unis tribueretur, qui essent = *di Monte dell' Olmo per origine o per abitazione* = postquam consuluit Rectorem Alexandrum Guerra, tenuitque ab eo nun fuisse illam Donati mentem, suum se tamen haud negare assensum quod reapsa præstitit sententiam, quam amplectendam Archiepiscopus putabat, aperuit in Voto illo de quo disceptatur, videlicet non concedendum quemadmodum Municipium petierat, atque Rector Guerra assentitus fuerat, quod privativum jus assequendi Cappellanias tribueretur eis unis = *che siano di Monte dell'Olmo per origine o per abitazione* = sed impertiendum tantummodo esse = *ut praesbyteri ex eo oppido oriundi praeferuntur extraneis* = quod idem fuisset ac dicere ut jus privativum, quod postulabant Municipes non daretur, sed eismet Presbyteris qui essent = *di Monte dell' Olmo per origine*, o *per abitazione* = in Cappellaniarum assequutione concedendam esse supra extraneos prælationem.

4 Urgentissima præsto erant argumenta multa, quæ id pro rei veritate suadebant. Etenim si prælationem unam, non jus privativum concedendum arbitratus ille est eis, qui exteri haud erant, unis videlicet istis ab obtinendis Cappellaniis sepositis, prout expressum fuit in voto concessa prælatio dici debet omnibus aliis, qui extraneorum numero accenseri nequeunt. Notissima id suadebat regula, quod = *exclusio unius est inclusio asterius* = a Legibus semper amplexa ad tradita in *Superiori Dec.' mea* § 10. Atqui, qui Oppidanus est, extraneus esse nequit. Si ergo non extranei Oppidani sunt, de his etiam præferendis in nominatione loquutus necessario Archiepiscopus fuit. Cæterum, dum reddebat votum sum Episcopus, præ oculis postulationes si erant quas porrexerat Municipium, ac super quibus requisitus a S. Concilii Congregatione fuit. Votum propterea Antistitis versari circa postulationes illas debuisset, dicendumque erat ab eo in quo probandæ, in quo autem respuendæ postulatio ex Municipii essent. At non servandam Archiepiscopus postulationem dixit quoad privativi juris concessionem, idque dictum fuit aperte satis in Voto ejus. Tacuit e contra quoad prælationem concedendum unis oriundis, unde merito colligebatur ex discretive loqutionis modo de hac eis unis concedenda Archiepiscopum non cogitasse. Facta sed' enim semper magni ex Jure fuit discretiva loquendi ratio in voluntatum interpretatione *Rota in Romana Immissionis* 4 *Januarii* 1760 *cor. Ubaldo* § 6 *in Forolivien. seu Imolen. Immissionis* 12 *Martii* 1784 § 11 *cor. Resta in Romana Nullitatis Inscriptionis hypothecariae* 17 *Januarii* 1832 § 11 *cor. bo. me. Martinez doce decisio, quae confirmatur* § 9.

Quod si prælationem concedendam 5
Archiepiscopus putasset unis oriundis, ampliasset ita Municipii postulationem, quod de omnibus oppidunis in porrecto libello loquutum fuerat. Atqui constat undique noluisse illum ut proluta ampliaretur postulatio, immo autem censuisse cohibendam eam esse ad jus unum prælationis. Contradictorium itaque esset dicere, Archiepiscopum, qui de postulationis restrictione cogitabat, illius optasse ampliationem, concedendo id, quod Municipes non postulaverunt, prout notat *præterita Dec.* § 9. Consentaneum præterea hoc non esset doctrinæ præstantissimi Archiepiscopi, cui ignotum certe non erat immutandas ex Jure haud esse ultimas morientium voluntates. Id autem ei præ oculis adeo, suam ob doctrinam fuerat, ut censuerit recedendum ab Oppidano-

rum prælatione = *Si Præsbyteri ex eo Oppido oriundis his qualitatibus careant, liceat Plebano etiam extraneos ad hujusmodi Cappellanias obtinendas advocare* =; ea una de causa, quod *quandoque* contingere posset non reperiri inter Presbyteros conterraneos ab omni officio liberos, qui qualitatibus omnibus præditi sint a testatore requisitis, quemadmodum sub ima Voti ipsius cera expressit. Quapropter non nisi injuria contendebatur censuisse Archiepiscopum unos præferendos oriundus esse in Cappellaniarum assequutione, ac vis fiebat inciviliter perspicuæ ejus voluntati et verbo *oriundi*, quo usus quandoque fuerat in Voto. Dici enim commode satis poterat vocem, illam lato fuisse sensu adhibitam ut omnes comprehenderent Oppidanos, cum Archiepiscopi Sententiæ cohæret; cumque præsertim non deessent in Voto ipso aliæ voces *Oppidani*, *Conterranei*, quibus continentur hi omnes, qui vel origine vel incolatu inter Municipes accensentur prout *docet Dec.* quæ confirmatur § 13.

6 Neque autem vera patet intellectum ita, ad sanæ interpretationis regulas, fuisse votum Archiepiscopi a S. Concilii Congregatione, quæ dum nunciabat illi, quod in posterum nominationes faciendæ juxta ejus sententiam erant, per hæc non cavillanda verba = *easdem Sacerdotes Oppidanos præferendas esse extraneis* = demonstravit apertissime, quæ fuisset Archiepiscopi Sententia, quam amplectendam S. ipsa Congregatio in peragendis nominationibus duxerat. Idipsum præterea dictum iterum fuit in Apostolicis Literis S. M. Clementis XIII, quibus elatæ Cappellaniæ ad Canonicatus fuerunt honorem, ex quibus lux accedebat altera eis omnibus, quæ suadebant Sententiam Archiepiscopi fuisse ut prælationem dandam omnibus Oppidanis, non autem unis oriundis, unde vere nugatorium, ac Scurrile remanebat Votum invocare Firmani Antistitis ad interimendam Raphaelis nominationem, inter Oppidanos absque ullo dubio accensendi.

7 Quin utilius convolarent ad Canonici Juris dispositionem, ut quæstionem sui favore dirimerent, qui in Raphaelis nominationem insurrexerant, Canonici quippo Juris dispositio præferendos utique extraneis jubebat eos, qui Ecclesiæ pertinerent, quo situm est Beneficium. At non extraneus Montulmensi Ecclesiæ Raphael erat, qui, præterquam quod ab anno jam 1804 lares eo in Oppido sibi fixerat, residentiali inibi fruebatur Beneficio, possidebatque illius Oppidi in Territorio stabilia bona, prorsus ut civitatem ex iis, ut ex Canonico, tum ex Civili Jure acquisierit *ad Text. in Cap.* 17 § *ult. de Elect. in* 6, *in Leg.* 7 *Cod. de Incolis, et Leg.* 1 *de Municip. et Origin., traduntque Card. Tuscus Commun. Conclus. verbo Cives*, *conclus.* 2785 *num.* 14; *Galeot. controv.* 67 *num.* 1, *Card. De Gross. de Effect. Cleric. in Praem. num.* 297; *præter alios allegatos in Dec. præterita* § 14. Si ergo Raphael exterus non erat, incassum adducebantur in ejus perniciem jura, quæ de exteris a Beneficiorum assequutione arcendis loquebantur. Præterea Juris dispositio non erat ad casum pertrahenda, quo agebatur de specie Beneficii juxta testatoris mentem concedendi, quæ fuit mens, ut Rectori pro tempore liceret nominare quem vellet in Cappellanos, nulla adhibita amplæ tributæ facultati restrictione, nec designato ullo certo genere personarum, a qua re testatorem abborruisse quam maxime constabat tum ex testamenti litera, in qua de eo nihil dictum erat, tum ex iis, quæ Alexandro Guerra suæ voluntatis exequutori Donatus patefecerat, dum ille hac de re adamussim eum curaverat interpellare, quæ hic si adhiberetur Juris dispositio, testatoris voluntas abiret in auras, quod fieri per Leges nequit.

Eoque autem minus adhibenda in 8
themate Canonici Juris dispositio erat post S. Congregationis Concilii rescriptum, quo prælatio concessa omnibus Oppidanis fuit. Raphael erat Oppidanus, non ergo repelli quacumque de causa a Beneficiu poterat. Siquidem Supremæ Congregationis imperia despici nequibant impune. Verum enim vero,

etsi concedendum ex jure esset, oriundis fuisse concessam super Oppidanos prælationem, non inde tamen repellendus foret Raphael ab obtento beneficio, illiusque nominatio esset irridenda. Quæ namque omnia disputabantur de prælatione oriundis concedenda adversus incolas, obtinere nequeunt; dum peracta jam incolæ nominatio rite fuit, sed eo tantum valere possent in casu, quo non adhuc peracta nominatio Beneficiati fuerit; quemadmodum *post Text. in cap. si a Sede de Præben. in 6, in Leg. Impari ff de regul. Jur. ac Tiraquell. de Primogenit. quæst.* 17 *Opin* 11 *num.* 2 *et Opin.* 12 *num.* 2 *et Rotam in dec.* 854 *num.* 3 *coram Emerix, atque in dec.* 18 *num.* 9 *cor. Falconier. tit. de Jure Patr. et Cappell. docet. Rigant. in Regul. Cancell. Regula* 17 *num.* 83 quam regulam ipsam Apostolicæ Cancellariæ etsi nominationis oppugnatores attulissent in sustentaculum prælationis oriundis concedendæ, attamen cum agat illa de iis, qui eadem sub data concurrunt ad Beneficium, evincit e contrario sensu non esse dandam prælationem, ei qui posterior venit ad Beneficii postulationem, licet ipse oriundi qualitate polleat. Raphaelis idcirco nominatio, utpote qui, jam nominatus, in Cappellaniæ quasi possessione versabatur, servari hodie mane debuisset etsi ex non oriundi qualitate per oriundorum prælationem fuisset respuendus, eo quia prælationi in casu esse locus minime poterat.

9 Nullam denique vim sibi vindicabat observantia, quæ favore oriundorum contra incularum nominationem ostentabatur. Incerta namque primum hujusmodi observantiæ continuatio erat, cum Sacerdos Benedictus Zamponi, qui unam ex Orsettiis Cappellaniis tenuit, doceretur non ortum duxisse e Monte Ulmo, sed ex Oppido Murri Vallis. At certa quoque si esset, atque continuata observantia vim facultativis in actibus, nisi hæc fuerit coactive inducta, quemadmodum tenuit S. Ordo Noster *in Dec.* 30 *num.* 17 *et* 18 *coram Falconer. Tit. de Jurepatr. et Capell,, atque in Malevitana Cappellaniæ* 17 *Januarii* 1817 § 11 *coram Emo Odescalchi.* Quam vero attulerant observantiam nominationis oppugnatores non hujusmodi erat: siquidem nullus indigitabatur casus, quo Rector S. Donati coactus fuerit recedere ab incolæ nominatione ut oriundos præferret. Quibus omnibus serio nimirum, ac denuo perpensis probare rursus oportuit Raphaelis Ciceoni nominationem in Cappellaniam Divi Francisci De Paula, cui utique nominationi nullum impingere vitium quacumque de causa Communitas, et Capitulum Montulmensis, una cum Præsbyteris De Angelis, ac Principi valuerunt ex jure, atque ex facto.

Et ita decisum fuit in strenuo Partium certamine, meo etiam accedente suffragio.

---

## PERUSINA

### LIBERATIONIS A MOLESTIIS

*Lunae* 13 *Januarii* 1834.

### ARGUMENTUM

Habes in superiori quae confirmatur - DECISIO XLII. -

#### SUMMARIUM

1. *[illegible]eratio a molestiis ex juris dispositione in contractu emptionis venditionis perpetuo praestanda est.*
2. *Venditor semper tenetur ad assumendas molestias, quas cum quid facti constituant suscipi hinc debent, amota qualibet boni vel mali juris indagine.*

### DECISIO CCCCLX.

**S**i improvide Maria Anna Riccia prædia = *il Rio*, et *Palazzetta* = ab Bernardino Vitiano comparavit, quæ ex hypotheca, et pignore prætorio, ex decreta adjudicatione favore Horatii Vagnucci præcedenter obligabantur, amplissimam plane obligationem Joseph Vitianus suscepit, qui pro venditore fidejussit, et personam, vel bona sua favore Ricciæ devinxit, conventa genera-

li a molestiis omnibus liberatione. Quare, cum illatæ molestiæ, Ricciæ fuere ex hypothecaria actione ab Vagoncciis excitata, hoc quidem judiciom licet Vitianus incunctanter susceperit, et prosequutus mordicus fuerit, haud tamen hoc pacto molestias amovit, quæ gravissimæ Ricciæ obvenerunt ob datum prædiis custodem, et prohibitos colonos, quominus dominicam quotaio fæminæ repræsentarent. De hisce novis, et durioribus molestiis questa est Riccia coram S. N. Anditorio, quæ actionem suam coosonis tribus Decisionibus suscepit in Comitiis = *diei* 22 *Junii* 1832 15 *Martii*, *et* 21 *Junii* 1833. Neque hoc mane ab constanti Sententia recessum est. Quom enim PP. Meos Domioos regaverim, Dubii formula assueta = *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* = Responsum plane dederunt = *in Decisis* =.

1 Omnes quotquot exceptiones Vitianius proferebat refutatæ ad unguem plenissime fuerunt, præsertim *ab Secunda et Tertia* Causæ Decisione, ad quas placuit PP. sese omnino referre. Quod etenim de molestiis teneatur, profluit ab Communis Juris dispositione, cum in emptionis venditionis contractu præstandæ perpetuo sint; profluit ab pacto convento; profluit ab judiciali Vitianii ipsins agnitione. Nec amotæ dici possuot molestiæ, vel sublata earumdem causa, ex suscepto ab Vitiaoo judicio hypothecario. Utique litis susceptio molestias omnes interim amovisset, nec locum præberet ulteriori emptricis quærelæ, dummodo molestiæ omnes in judicio uno versarentur. Sed in casu, præter judicium, durissimas alias molestias actrix obpassa fuit, vel ex impedita fructunm perceptione, vel ex custode apposito prædiis a se comparatis; ita ut qnolibet emptionis jure, vel saltem exercitio expoliata undique fuerit. Si igitur actu Riccia in tot, et tamen gravibus molestiis versatur, incivile omoino est finitas molestias urgere ex suscepto uno judicio hypothecario. Non etenim ab uno litis incommodo emptricem liberare ex convento pacto Vitianius promisit: Sed ab omnibus omnino molestiis, quæ in suum emptionis jus inferri quomodocumqne possent, atqne illud vel coercerent, vel impedirent. Suam igitur obligationem impleat necesse est, et Liberatio *realiter* fieri debet, et *de facto* ut vere cessent molestiæ, et indemnitas molestato præbeatur, ceu docuit S. N. Auditorium *in Decis.* 15 *num.* 1 *cor. Falconerio Tit. de Salv. Interdict.*, et firmant *Secunda, et Tertia Causæ Decisiones* §§ 3 *et* 2.

Nec legitime objiciebator, vel de molestiis hisce, quibus de agitur, non bene constare, vel suo facto eas Ricciam tulisse, quæ de iisdem expromissorem haud legitime interpellavit. Quoad factum molestiarum, tutissime hoc arguitur ab judicialium fide, et ab voce testium instructissimorum, qui fæminam ad eo ad incitas perductam evincuot, novisque molestiis superobrutam fuisse, ut ab perceptione fructuum, ab possessione naturali, ab quolibet deoique emptricis jure ex urgenti Judicis mandato interdidicta fuerit. Nullam vero refutationem merentur, quæ ultimo loco excipiebantur de sequioribus his molestiis tempestive expromissori non denonciatis. Fatuum porro est asserere, quod has Vitianius ignoraverit, cum obvenerint omnino ab originario ipso judicio super fundorum vindicatione, vel jure hypothecæ, quod Vitianius personaliter suscepit, et in quo versatus constantissime fuit. Etsi igitur hic causam in Vignuccios obtinuisset, semper ad assumendas interim molestias cogendus ex pacto erat, quæ cum qoid facti constituant, suscipi hinc debent sine dubio, amota qualibet boni, vel mali juris indagine. 2

Et ita, meo quoque. accedeote Suffragio, decisum fuit. Utraque etc.



## PERUSINA

### LIBERATIONIS A MOLESTIIS

*Veneris* 2 *Maii* 1834.

### ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCCCLX. -

SUMMARIUM

1. *Molestiis existentibus, liberationem praestare ab ipsis tenetur qui hujusmodi onus assumpsit.*
2. *Objectio ex falso deprompta facto nulli ponderis est.*

### DECISIO CCCCLXI.

Dum anno 1810, sub die 7 Septembris, Bernardinus Vitiani vendidit Mariannæ Ricci bina prædia, in Perusino Territorio jacentia, unum in vocabulo = *il Palazzetto* =, alterum in vocabulo = *il Rio* =, una cum domibus colonicis in iis extantibus, statuto pretio scutorum *sexcentum*, quod incontinenti ab emptrice recepit, sese obstrinxit pro » *ogni, e qualunque evizione tanto generale, che particolare, e liberazione da tutte, e singole le liti, molestie, e rifazione di tutte, e singole le spese, danni, ed interessi in qualsivoglia giudizio* =, eique in hac obligatione, favore emptricis, uti fidejussor, accessit ejus frater Joseph Vitiani, declarans, quod = *accede solennemente in sicurtà a favore di detta Signora Marianna, ed insieme, ed in solido si obbliga con il ridetto Sig. Bernardino Viziani a tutte, e singole le cose da esso promesse, e nel presente instrumento contenute, ed espresse, volendo essere tenuto di proprio, come principale principalmente, ed in solido obbligato* =. Peracta hæc vero fuere ope solemnis instrumenti rogati a Perusino tabellione Dominico Torelli, cujus vi divenditorum bonorum dominium libere adepta fuit emptrix Marianna. At in pacifica eorum bonorum possessione brevi versata est Riccia, nam Horatius Vagnucci, resumpto hypothecario judicio super prædiis a debitore Bernardino distractis, die 25 Julii 1811 obtinuit quod procedere ipse posset in intermissa super iis executione quocirca progressus ad acta subhastationis, cum nullus intercesserit oblator, facile obtinuit, ut licitata bona sibi adjudicarentur. Hac fretus sententia ipse Horatius alterum instituit judicium contra Mariannam Ricci circa initæ emptionis nullitatem, et favorabilem retulit sententiam sub die 1 Julii 1812. Ab ea provocatio interposita fuit, et dum in judicii prosecutione morabatur, Vagnuccius pro fructibus decursis, et non solutis separatum instruxit judicium, in cujus sequelam, stante Camerali obligatione sui favore depacta, mandatum personale obtinuit contra Bernardinum, quem detrudere in Arce Perusina curavit. Sed dein a Vinculis liberatus, facile is cum creditore Vagnuccio rem composuit. Die itaque 17 Decembris anni 1814 solemnes subscriptæ fuere transactionis abulæ, quibus debitor sese professus test Bernardinus in quantitate scutorum 3673, pro cujus summæ solutione recepit Vagnutius nonnulla bona rustica, quorum æstimatio proinde conficienda erat a peritis, quos inierim eligi Partes curarunt.

At ex pretio cessorum bonorum cum Vagnutius integram sui crediti satisfactionem assequi nequiret, judicio lacessivit Mariannam Ricci, instans hypothecaria actione, ut ipsa adigeretur ad solutionem ejus quantitatis, cujus se adhuc creditorem jactabat Bernardini Vitiani. Vix possessionis titulum vehementer nutare vidit Marianna, illico molestias fidejussori Josepho Vitiani denunciavit, ut illas ex pacto convento assumeret. Ad promissæ liberationis obligationem excitatam litem reapse suscepit Josephus, et viriliter prosequutus est. Sed male omnia ei cesserunt; ex quo evenit, quod victrices, Horatii jam defuncti filiæ, novas molestias præter litem, ingererent Ricciæ, apposito custode ad prædia, et impedita ei, ex sequestri vinculo fructuum perceptione. De hisce novis, et durioribus molestiis quæsta est Riccia coram Sac. Nostro Auditorio, qui actionem a muliere promotam consonis

quatuor Decisionibus suscepit in Comitiis *diei* 22 *Junii* 1832, 15 *Martii*, *et* 21 *Junii anni* 1833, *et* 13 *Januarii proxime elapsi*. Sed, cum impertita fuerit Vitiano denuo obloquendi facultas, quinto hoc mane proposita per me fuit causa hæc cum altera super merito principali, et dum hanc dimittere placuit Patribus cum Rescripto = *In Decis's juxta modum in Decisione exprimendum* =, præsenti simpliciter rescripserunt = *In Decisis* =.

1 Nec diversa merito proferri poterat Sententia, semel ac compertissima apparebat promotæ instantiæ justitia ex indubie suscepta a Vitiano liberandi Ricciam a molestiis obligatione, et ex facto æque inconcusso, quod reapse promotæ fuerint a Vagnuccio novæ molestiæ contra emptricem Mariannam. Quod enim assumpta fuerit per Josephum molestiarum obligatio, ne levissime dubitari sinebat natura contractus, quæ perpetuo importat præstandam esse a venditore liberationem a molestiis; suadebant quoque pactum explicitum, et agnitio, qua fidejussor Josephus Vitiani ad ferendas litis molestias se paratum esse judicialiter professus fuerat. Nec minus evidenter a judicialium actorum fide, et a voce testium instructissimorum probabatur alterum extremum, scilicet quod reapse novæ molestiæ illatæ Ricciæ fuissent. Ipse enim Joseph nec inficiabatur quod ob custodis appositionem, et ob sequestrum indictum emptrix Marianna fuerit graviter deturbata in bonorum possessione; sed ad declinandam actionem ab eadem promotam objiciebat tantum, quod liberatio a molestiis cum famulativa sit judicii principalis, de ea judicium ferendum non esse nisi postquam ad suum exitum perducta fuerit causa pendens super actione principali; et denique extrema hypothesi subjungebat, quod relevationis oneri ipse jam satisfecerit ex assumpto evictionis judicio, quod actu, et viriliter prosequitur, ita ut, salva bona fide, damnari in id iterum non possit. At DD. Mei facile se extricarunt ab objecta exceptione circa famulativam indolem expetitæ liberationis a molestiis. Probata etenim cum ipsi evidentissime viderent extrema promotæ actionis, nempe disertissime susceptam a molestiis liberandi obligationem, et indubiam promotarum molestiarum existentiam, facile agnoverunt. Ipsi Patres non intercipiendam, vel amplius remorandam esse hujusce causæ definitionem, ut interim absolvetur causa principalis; quæ impedire nequit quod interim absolvetur causa principalis, quæ impedire nequit quod interim obventi damni emendatio petatur, dum negari nullo modo potest, quod existant illatæ molestiæ. Perperam ideo ex jam earum assumptione evitare pertentabat Vitianius, quod denuo contra eum agere posset Marianna, semelac indubie probabantur novæ molestiæ contra ipsam illatæ; nam non simplex liberationis promissio, sed ipsa liberatio *realis*, et de *facto* præstanda erat a relevatore, ut impedire Mariannæ posset, ne ulterius contra illum ageret pro ipsa effectiva liberatione assequenda, ceu docuit Sac. Nostr. Auditorium *in Dec.* 15 *num.* 1 *coram Falconerio tit. de salv. Interdicto, e firmant superiores Causæ Decisiones.*

Inutiliter vero objiciebatur, quod in casu a Marianna non liberatio a molestiis, sed evictionis præstatio peti debebat, quæ vero præstari nequibat, cum ei ablata adhuc non fuissent prædia divendita. Huic objecto enim respondebatur, quod falsum erat in facto, quod bonorum possessio Mariannæ ademta haud fuerit, ita ut ei competit actio ad evictionis præstationem urgendam teste *Donnell. Comm. in Cod. ad tit.* 45 *lib.* 8 *Cod. de Evict. num.* 5, ad quam vero semper tenebatur Vitianus ex absolutissimo pacto reficiendi damna, cum indubium sit, quod evictionis præstatio nihil aliud sit, quam damnorum emendatio, quam examussim petit instans fœmina. Standum autem est superioribus Decisionibus circa futilitatem alterius exceptionis de sequioribus his molestiis tempestive eidem fidejussori Josepho non denunciatis. Fatuum enim esset asserere, quod 2

Vitianus illas ignoraverit, semel ac patenter scatet easdem omnino obvenisse ab originario ipso judicio super fundorum vindicatione, vel jure hypothecæ, quod ipse Vitianus personaliter suscepit, et in quo constantissime versatus est.

Et ita etc., me quoque suffragante; Utraque etc.

---

## MACERATEN SIMULATIONIS

### ET NULLITATIS CONTRACTUS

*Veneris* 10 *Januarii* 1834.

### ARGUMENTUM

Bonorum venditio, si sex menses antea fuerit peracta, priusquam exturet causa, ob quam simulata effingitur, simulationis non praebet argumentum. Nam simulandi causa praecedere simulationem debet immediate, nec incertum futurumque debitum pro justa simulandi causa in jure recipitur.

### SUMMARIUM

1. *Qui odiosissimos insistit simulationis actioni, luculentissime simulationem demonstrare tenetur.*
2. *Simulandi caussa praecedere simulationem debet, nec incertum futurumque debitum pro justa simulandi caussa in jure recipitur.*
3. *Pretium, quod emptionis venditionis contractus necessarissimum est elementum, necessum est a peritis definiri.*
4. *Nemo locare potest rem quod in semet inveniatur dominium.*
5. *Testibus qui in scenam prodeunt post incohatum litem nulla fides adhibenda.*
6. *Incivile est contractus simulationem innuere, quem verum, realemque eloquentissima facta renunciant.*
7. *Actio paulliana, locum habet dum scientia initos fraudis, communis emptori, ac venditori sit.*

## DECISIO CCCCLXII.

Emptionem venditionem quorumdam terræ frustulorum, ac domus propriæ habitationis, censualis æstimationis argenteorum 688 obolorumque 63, quam Franciscus Bozzi peregerat favore Joannis Civalli; pretio constituto in argenteis nummis *mille*; quos Joannes partim numeravit præsenti pecunia, partim vero compensavit susceptis in se censuariis nominibus, quibus empta bona onerabantur, atque remissa actione, qua Franciscus venditor eum erga detinebatur ob mutuam, quam a Joanne receperat pecuniam ad argentea 460, nullam irritamque esse contendebat Francisca Paletti, eo quod propugnabat simulate, ac in suam injuriam initam fuisse illam, ut scilicet Franciscus Bozzius eluderet solutionem litis sumptuum, ad quam ex S. Ordinis Nostri mandato adigebatur causa peractæ litis, in qua victus ille a Francisca fuerat, dum hæc vindicavit fundum « *la Caccia* », quem Joannes emerat a fratribus Paletti; Siquidem fundus ille hypothecariæ pro Franciscæ dote actioni subjiciebatur.

Repudiata at fuerat aspera Franciscæ actio a Primæ Instantiæ Judice Præsule tunc A. C. Manario. Repudiavit illam denuo S. Ordo Noster *die* 28. *Januarii* anni præteriti, qua die, quum nec suffecisset Francisca oneri sibi imposito *die* 14. *Martii* 1832., coadjuvandi videlicet simulationis probationes, Dubium = *An constet de simulatione, et nullitate contractus diei* 28 *Augusti* 1826 *in casu etc.* = quod ego Patribus DD. exhibui dimissum responso fuit = *Negative in omnibus* = Tertio denique cecidit Francisca ab difficillima proposita actione hodie mane, dum calculum adjectum superiori Decisioni fuit responso = *In decisis* =

Et merito quidem. Qui enim aspe- 1
ræ, odiosissimæque insistit simulationis actioni, demonstrare simulationem tenetur luculentissime; indigitata videlicet justa, ac vehementissima simulandi causa, nec non allatis indubiis argumentis, quæ suadeant reapse contractum, de quo agitur, fuisse simulatom, ut, post *Bald. Cons.* 389 *num.* 1 *Lib.* 4; *notat. Marescot. Variar. resolut. Lib.* 2 *Cap.* 123 *num.* 5 *ac docet S. Rota Decis.* 47. *num.* 2. *cor. Ratta Dec.* 798 *num.* 28 *cor. Molines; et Dec.* 1045 *num.* 12 *cor. Emerix Jun.* præ-

ter alias auctoritates, quas adduxit præterita *Dec. mea* §. 5. Quæ vero duo si agens pro simulatione non præstiterit, respuendus ille ab odiosissima actione est. Magis id vero ac magis, dum, prout Francisca pertentat in themate, simulationis nota impingitur solemni, publicoque instrumento, pro quo omnis veritatis ac validitatis præsumptio militat, ad tradita *per Bald. in Leg. Quoties in fin. Cod. de Judic. Surd. Cons.* 535 *num.* 7., *et Rot. in Pisauren. Pecuniaria* 23 *Februarii* 1818 §. 7 *cor. Eminentissimo Odescalchi*, *et in Romana Nullitatis Census* 1 *Junii* 1827 §. 2 *cor. Emo Isoard*; ac illud firmatum a partibus fuerit, peculiari adhibito de cujuscumque rei veritate Sacramento, quod nisi Sacramentum concutiatur, nec concuti instrumentum ex Jure potest, quemadmodum monuit *Dec.* quæ confirmatur, §. 3.

2 At non justam, ac legitimam simulandæ venditionis causam Francisca afferebat, nec concludentes de simulatione indigitabat conjecturas. Causam sed enim simulandi in eo Actrix reponebat quod Franciscus pertimescens solutionem litis sumptuum, quam ipsa egerat litem pro vindicatione fundi = *la Caccia* =, bona vendiderit sua, ut ita jura illa per bonorum deficientiam eluderet, ac effugeret solutionem. Id autem facto non congruebat. Vendidit namque ille bona sua Joanni die 28. Augusti 1826 Hypothecarium sed vero Franciscæ jus in Fundum = *la Caccia* = non ante probatum fuit per N. S. Ordinis rescriptum = *Expediatur* = quam *die* 5 *Februarii anni* 1827, a qua una die litis sumptum debitor Joannes cæpit incedere; siquidem tunc usque incertum undique erat quis amicam Sententiam retulisset. Bonorum itaque venditio; quæ simulationis arguitur, sex antea menses fuerat peracta priusquam extaret caussa; ob quam illa simulata effingitur. At simulandi causa præcedere simulationem debet, nec incertum futurumque debitum pro justa simulandi caussa in jure recipitur ad tradita in superiori Causæ hujusce *Dec. mea* §. 5.

3 Quin Causæ simulandi defectum supplerent conjecturæ, quas de peracta simulatione Francisca proposuerat. Insistebat primo ac iterum regerebat, non adfuisse rationabilem caussam cur Franciscus bona divenderet. Verum hic non levi alieno ære premebatur super iismet divenditis bonis. Insuper S. Tribunali Nostri mandato eo de tempore adigebatur ad solutionem scutorum 100 subministrationis titulo Franciscae indultae. Multas ipse sufferre cogebatur expensas pro illa ipsa lite, quam tunc cum Francisca agebat. Non una itaque tantum sed plures rationabiles aderant causae, quibus ad vendenda bona impelli Franciscus potuit. Hisce autem enucleatis causis fecisse ipse satis per bonorum illorum venditionem ex publico, solemnique instrumento assurgebat. Primae ergo hujusce simulandi conjecturae existentia falso innitebatur supposito. Quam vero alteram deducebat Francisca e Bonorum pretio, quod conventum, seposita peritorum opera, fuit, ludicra, et ipsa erat omnino. Jus enim haud postulat, ut pretium, quod emptionis venditionis contractus necessarissimum est elementum, a peritis viris definiatur; sed reposcit unum, ut certum statuatur, ac justum. Certum autem in themate fuisse reapse statutum *in mille* nummis, venditionis tabulae aperte demonstrant. Justum praeterea pretium illud esse PP. DD. existimarunt censuali inspecta aestimatione ad argentea 688 assesque 63 Addito quippe aestimationi hujusmodi tertii augmento, quemadmodum fieri assolet ad justum statuendum immobilium bonorum valorem, assurgit illud circiter ad conventam argenteorum *mille* vim, quam Joannes exsolvit. Caeterum si deterrimae huic insistere simulationis conjecturae faemina utiliter valuisset, quamdam debuisset afferre probationem de bonorum valore ad diversam vim assurgente; quod cum ipsa non fecerit ullo modo, evanida per se conjectura illa remanebat.

4 Ajebat insuper Francisca, emptorem Joannem hominem esse parvi census, ac proinde imparem solvendae pecu-

niae, vel ante, vel post initum emptionis venditionis contractum, ex quo concludebat alteram simulationis eliciendam esse conjectationem. Oppidanorum at enim testimonia quamplurima resistebant Franciscae dicto; quibus Joannem non miserum, sed industrium, laboriosumque esse evincebatur, ita ut videri facile posset haud caruisse ipsum pecunia, qua sibi bona valuisset comparare. Nec consonum magis veritati erat argumentum alterum simulationis, quod educere Francisca pertentabat ex inhabitatione domus venditae per Joannem post gestum contractum. Quum enim id non aliter contigerit, nisi ex locationis contractu cum emptore Joanne inito, cujus syngrapham Joannes ipse proferebat, ac suadebant pensionis acceptilationes, factum hocce mirifice in Franciscam recidebat. Siquidem, si non reapse domus illa venisset in Joannis emptoris dominium, illam locare Francisco nequiisset, nec rependisset iste pensiones, quae uni domino exsolvuntur, nec sana concipi ratione potest proprii fundi locationem sibimetipsi fieri.

5 Quos demum testes nunc Francisca adduxerat ut simulationem confirmaret, nihili faciendos esse optimo consilio PP. DD. existimarunt. Praeterquamquod enim hi prodierunt in scaenam nunc post incohatam litem, unde nulla eis fides erat adhibenda *Rota in Romana Restitutionis Animalium* 6 *Maii* 1808 *num.* 9 *cor. Bardaxi, et in Romana Census* 12 *Decembris* 1828 §. 8 *cor. R. P. Muzzarelli*, eorum depositiones, vel agunt de altero venditionis mobilium contractu ab Francisco inito cum quodam Morellio, qui nihil commune habet cum venditione immobilium, de qua una hodie disquiritur, vel generice de simulationis voce per auditum referunt, vel de rebus parvissimi momenti a Francisci filiolis in divenditis fundis collectis ajunt, ita ut tales ipsi non sint, qui fidem publico, juratoque instrumento, de venditionis veritate testanti valeant adimere. Res itaque aperte eo recidebat, quod cum Actrix, quae simulationis actionem experiebatur, non demonstrasset concludenter urgentem simulandi causam, nec conjecturas, argumentaque simulationis indigitasset, admitti contractus simulatio per Leges nequibat.

Attamen, re ad unguem perpensa, 6
non haec una necessarissima deficiebant, quae simulationem ad Juris tramites probarent, sed imo concurrebant multa, quae contractus veritatem evincebant. Joannes namque empta bona in census tabulis e Francisci nomine in suum transtulit nomen transcriptionem peregit emptionis ad hypothecarios codices: quod fieri Franciscus haud sivisset, praecipue, si bona ab eo non fuissent reapse vendita, ne scilicet hypothecis, quas contrahere Franciscus poterat, bona sua gravarentur: omnes demum dominii actus non Franciscus, sed Joannes in emptis bonis post contractum peregit, ceu probant iimet testes ab muliere adducti, prorsus ut de rei veritate dubitare nec minimum liceat. Incivile itaque eo magis erat contractus simulationem innuere, quem verum, realemque summa haec factorum eloquentissima renunciabat, nec una praesertim utili adducta conjectatione, per quam de illius veritate dubitari legitime licuisset.

Caeterum Paullianam, quam excer- 7
cere actionem Francisca in Joannem pertentabat, eo tantummodo locum obtinere ex jure poterat, dum scientia initae fraudis communis emptori, ac venditori esset. Verum, etsi per temporismonumentum in simulationem concedere facilius placeat, cum simulandi caussa unum Franciscum Bozzium tangat, nec minimum actrix documentum de fraudis scientia in Joanne afferat, hoc uno cadere causa ipsa debuisset. Tutus enim iste bona fide sua, non subjiciendus rescissorio hujusmodi remedio a Praetore erat, prout ex disertissimo jure praemonuit altera hujusce Causae *Dec. mea* §. *ult.* atque idcirco pronius excludendam PP. DD. Paullianam Franciscae actionem, hodie mane iterum esse pro sua ipsorum jurisprudentia censuerunt.

Et ita redditum jus fuit, meo etiam 8

accedente suffragio, habita in omnibus relatione ad praeteritam Decisionem, quae confirmatur. Utraque ec.

---

## ROMANA CONSUCCESSIONIS

*Veneris 18 Aprilis 1834.*

### ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

#### SUMMARIUM

*1. Jura, cum quibus vivimus, haud permittunt, ut aliquis contra propriam confessionem insurgere possit; sed constituunt plurimum deferri oportere emissae confessioni, quamvis etiam nullus sit actus, in quo relata reperiatur ipsa confessio.* - Et num. 2. -

*3. Benedectina Constutio sub nullitatis paena jubet solemnia quaedam adhiberi in mulierum, minorumque contractibus.*

*4. Solemniam interventus in mulierum minorumque contractibus, suppleri non potest, ex praesumptionibus et per aequipollens.*

### DECISIO CCCCLXIII.

Fusius narrat Mea Decisio diei 30 præteriti mensis Januarj, quod ob mortem Josephi Invernizzi, universa ejus substantia coaluerat ob masculorum defectum in duabus ejus filiabus, Marianna, et Agnete. Nupta hæc Antonio Nonninio judicialiter agere debuit contra patrem Josephum Invernizzi, qui tutorio nomine haud laudabiliter hæreditarias res proprio rexerat arbitratu. Res judicata orta coram Præsule Falzacappa, et deinde confirmata a S. Nostro Ordine, constituerat, quod favore instantis Agnetis ab hæredibus jam defuncti Josephi tutoris interim solvenda essent scuta 2633. 50 atque deinde nova explenda foret rationum redditio, ut melius proinde cognosci posset quid mulieribus Invernizzi ex paterna hæreditate reapse spectare debuerit. Quid posterius evenerit non plene cognoscitur. Certum tamen est, quod res Judicata æque favet alteri sorori Annæ Mariæ, quæ in sacra transierat



Josephi Ghirelli, jam socii defuncti Francisci Invernizzi in fæni negociatione, et qui ejus filiarum tutor extiterat, una cum earum patruo Josepho. Maria Anna, sex enixa filios, quinque masculos et unam foeminam Clementinam, diem vidit supremum anno 1813 dum adhuc in Urbe Galli dominabantur. Susceptæ sobolis educationi unice intentus Joseph Ghirellius, impensis, curisque minime pepercit, ut liberaliter instituerentur. Paternæ sollicitudini apprime respondit eventus. Senio tandem confectus Joseph, universam rerum domesticarum curam committere debuit primonatis liberis, Vincentio, et Francisco, qui omnia proprio lubitu jam moderabantur. Universa domestica negotia componere solliciti fuere hi duo fratres, privata exarata syngrapha anno 1817 qua constitutum fuit, quod diversorium = *Dei tre Re* = prope plateam Divi Marci de Urbe, quod a Dote Materna procedere declaraverunt, una cum mobilibus atque *avviamento* libere deinde possideri deberet ab uno Francisco, qui absque ulla præmissa æstimatione, promisit se intra biennium soluturum fratribus condividentibus pretium scut. 1250 sibi insuper adscripto censu scutorum 5000 quo idipsum diversorium gravabatur, initæ conrordiæ memoria ut proinde maneret, duplex ipsius syngraphæ exaratum fuit exemplar, quorum unum retinuit emptor Franciscus, alterum Vincentius, domesticæ hujus compositionis præcipuus auctor, qui, prætermissis solemnitatibus a Benedectina Constitutione requisitis in contractibus mulierum atque minorum, pro ipsius syngraphæ validitate sat esse retinuit aliorum fratrum, et ipsius Clementinæ simplices subscriptiones, quibus ad abundantiam accessit subscriptio communis parentis Josephi, qui huic negocio omnino extraneus pro forma nondum suum præbuit consensum postremus subscribendo.

Communi fato cedere tandem debuit Joseph Ghirelli. Unusquisque ex filiis, privatis curis distentus, in diverso abiere, Clementina in paterna dumo una

cum fratre Vincentio remansit. Sed citius eam deserere debuit ob simultates obortas, quæ in diem ingravescebant. Nihil babens, quo suam vitam ducere posset, coacta fuit sua jura contra fratres exercere coram Collegio Juridico A. C in Prima Sectione. Tribus igitur separatis libellis egit, primum pro *consuccessione* ad hæreditatem communis genitricis, deinde petiit ut ei constitueretur dos desumenda ex bonis a communi patre relictis, tertio deinde instetit, ut interim ejus favore *alimentorum præstatio* decerneretur. Benigne A. C. Juridici exceperunt Clementinæ instantias. Qnoad petitam consuccessionem, ad quam se refert præsens Decisio, decreverunt eidem competere sextam partem hæreditatis maternæ. Et cum interim probatum esset diversorium, Francisco divenditum, eidem hæreditati pertinuisse, in specie decreverunt jus esse eidem Clementinæ assequendi sextam partem ejusdem diversorii. Peritum insuper deputarunt, qui referret de diversorii valore, et an commode ipsum dividi posset sine damno ejusdem æstimationis. Demum instanti mulieri reservatum voluere jus condicendi fructus, supputatis jam receptis, sicuti reservata ejus favore voluere jura super bonis, quæ maternæ hæreditati pertinere imposterum fortassis deprehenderentur. Displicuitfratribus GhirelliSententia, et in vim appellationis per eosdeminterpositæ delata Causa ad S. Nostrum Tribunal, sub die 30 præteriti mensis Januarj, cum per me rogati fuerint Patres = *An, et quomodo sit locus consuccessioni in casu etc.* = responsum accepi = *Affirmative juxta modum, nempe ad formam Sententiæ A. C.* = Ex indulta rursus obloquendi venia, cum hoc mane reproposita sit causa sub ordinaria Dubii formula = *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* = Patres eam dimiserunt; edito responso = *In Decisis* =.

1 Non controvertitur a fratribus Ghirelli, quod sorori Clementinæ debeatur consuccessio in hæreditate matris, quæ Gallis in Urbe dominantibus, occubuit, prout pacificum est inter Partes. Tota quæstio potissimum in eo est, utrum diversorium = *dei tre re* = inter bona hæreditaria defunctæ genitricis adnumerari debeat, et in casu affirmativo, an Clementinæ tribuenda sit sexta pars pretii scutorum 1250, eidem diversorio constituti in privata syngrapha anni 1817. Utraque propositio acriter oppugnabatur ab iisdem fratribus contradicentibus, qui quoad ipsius diversorii provenientiam, in actis deducta emptionis apocha, a qua probabatur Josephum patrem ipsum diversorium emisse a quodam Grassio, concludebant, idem diversiorium provenire minime posse ex matris hæreditate, nec ideo super eodem dandam esse instanti Clementinæ consuccessionem. Quod si contra videri rem placuisset, tunc propugnabant rem dijudicari oportere juxta syngrapham anni 1817, qua stante nihil aliud Clementina repetere potuisset, quam sextam partem pretii controverso diversorio per illam privatam apocham constituti.

2 Sed neutrum arrisit Patribus, qui, sedulo rem perpendentes quoad controversam diversorii provenientiam, præ primis notabant, quod in specie nihil relevare poterat probatio, quod idipsum diversorium ab anno 1799 emptum fuerit a Josepho Ghirelli, nam hæc emptio non excludebat, quod ipse Joseph deinde fundum ipsum receptæ doti supponere potuerit, ac destinare ad tutam reddendam filiorum favore pecuniam, quam dotis titulo ei derivare potuit ex hæreditate defuncti Francisci Invernizzi. Inutilis, ac frustanea insuper apparebat Patribus quælibet inspectio super ipsa originaria diversorii derivatione, postquam iidem oppugnantes fratres Ghirelli, una cum eorum patre, declaraverant in apocha anni 1817 ex materna hæreditate processisse idem diversiorium. Jura enim, cum quibus vivimus, haud permittunt, ut aliquis contra propriam confessionem insurgere possit *Leg. Generaliter Cod. de Const. pec. et Rota Dec.* 143 *num.* 10 *Dec.* 152 *num.* 11, *et Dec.* 616 *num.* 5 *cor. Olivatio, et alibi pas-*

*sim*; sed e contra constituunt plurimum deferri oportere emissæ confessioni, quamvis etiam nullus sit actus, in quo relata reperiatur ipsa confessio *Bart. in L.* 1. *Si quis ita in fin. ff de Verb. obligat. et in L. si confessus ff de Custod. reor. Guald.* in *Leg. Edita Cod. de Edendo*; *Rota* in *Recent. Dec.* 117 *num.* 2 *Part.* 1 *Decis.* 122 § 2 *part.* 17. *Decis* 159 § 9 *coram Olivatio*; *et Dec.* 56 *tit.* 5 *de contract.* § 8 *coram Eminentissimo Isoard.* Inutiliter ideo asserebant fratres Ghirelli se ex ignorantia, vel errore declarasse controversum diversorium a materna hæreditate processisse; nam Patrum perspicaciæ effugere nequibat inverisimilitudo, qood pater Joseph, et omnes ejus filii ignorare, vel errare potuerint in designanda illius diversorii provenientia; eo magis quia ex ipsorum fratrum declarationibus constabat idipsum diversorium unicum fere, ac præcipuum caput fuisse, quod familia Ghirellia possidebat; quo circa concipi omnino nequibat, quod omnes eodem fuerint errore decepti in declaratione illa emittenda; eo magis quia agebatur de actu serio; et quia illud judicialiter confirmare ipsi fratres non dubitaverant coram Judicibus A. C.

3 Quoad alterum vero propositum, scilicet, quod Clementinæ tribui non posset quam sexta pars pretii diversorii constituit cum apocha anni 1817, huic assentiri nequibat S. Noster Ordo. Animadvertebant enim Patres, quod admitti nullo modo poterat ipsius syngraphæ validitas, qua super omnis innitebatur contraria defensio. Notissima est enim in Foro Benedictina Constitutio, quæ sub nullitatis pæna jubet solemnia quædam adhiberi in mulierum, minorumque contractibus. Sed in apocha privata, de qua agitur, pessumdatæ cum omnino fuerint constitutæ solemnitates, merito Soror Clementina ob earum defectum opponere potest ipsius privatæ syngraphæ nullitatem. *Alexand. Cons.* 248 *num.* 9. *et* 10 *Gratian. Discept. Forens.* 961 *numer.* 6. *Rota*; *in Recentior. Decis.* 592 *num.* 15 *par.* 5 *tom.* 2 *in Centumcellar. Nullitati Executionis* 4 *Julii* 1831 *cor. R. D. Meo Celestini et in Tudertina Cambii diei* 28 *Februarii* 1833 *cor. me.*

Nec pro substinenda ipsius syngraphæ validitate dici valet, quod utilis haberi debeat illa apocha, auctorante patre exarata, et ab eo subscripta, modo ut amplius Clementinæ non liceat hodie eam impugnare, semel ac subscribendo illam omnino approbaverat. Verum hæc omnia juri repugnare videbantur ex eo quod, severissima cum sit Benedictinæ Constitutionis præscriptio, quæ jubet solemnium interventum in mulierum minorumque contractibus, suppleri non potest illarum defectus ex præsumptionibus, et per æquipollens *Bald. in leg.* 1 *ff de reb. hæred. Rolan. a valle cons.* 33 *num.* 15 *Lib.* 1 *Politi de Fideicomm. Diss.* 102 *num.* 28 *Bu. Cons.* 37 *num.* 24, *et seqq. Lib.* 1 *Spad. cons.* 77 *numer.* 9 *lib.* 3; *Surd. cons.* 28 *numer.* 110, *et seq.*; *Constant. ad Stat. Urb. adnot.* 44 *Art.* 1 *num.* 10 *et Sac. Rota in decis.* 294 *part.* 6 *in recent. decis.* 535 *cor. Rembold. decis.* 2 *num.* 27 *cor. Falconer. tit.* 42 *de tut. et cur. et Perusina stipulationis Instrumenti diei* 17 *Junii* 1835 *cor. R. P. D. meo Ruspoli.* Animadvertebant denique Patres minime in facto utilem Clementinæ fuisse initam venditionem, cum nulla præmissa fuerit ejusdem diversorii æstimatio: cognosci idcirco nequibat quis verus esset illius valor. Quod si pretium constitutum in apocha anni 1817 majus apparebat illo ab emente Josepho soluto, cum diversorium illud adeptus est, non ideo consequebatur, quod justum dici deberet pretium constitutum, ex ratione, quod ipsius diversorii pretium necessario deinde excedere debuerit intrinsecum valorem ipsius rei habito respectu ad lucra, quæ ex hospitum concursu, hodierno tempore tam adaucto, diligens exercitor facere potest, et quae in diem variantur juxta temporum, ac commercii vicissitudines. Excludebant denique Patres, quod in facto consisteret Josephum 4

Digitized by Google

fuisse illius venditionis auctorem, et incivile ideo improbumque esse Clementinam contra paternum factum hodie insurgere. Palam enim erat, quod privatae illius syngraphae praecipui auctores fuerint duo fratres Vincentius et Franciscus, qui, re perfecta, patris subscriptionem pro forma requisivere. Si enim Joseph Ghirelli rem illam propria auctoritate composuisset, haud certe se extremo loco subscripsisset, nec filiorum consensu indiguisset. Sed si etiam videri placeat negotium ipsum paterna auctoritate gestum fuisse, non ex eo validam perinde renuciandum foret. In specie enim erat animadvertendum, quod non agebatur de componenda viventis patris successione, sed vero de matris jam defunctae haereditate dividenda, ad quam ex jure vocabatur quoque Clementina. Cum suam rem unusquisque proprio lubitu moderari possit, nullum dubium in primo casu, quod quidquid constituere pater potuisset, id sartum tectumque haberi debuisset etiam a Clementina, quae nulla obligatione cum se obstringeret, nec BenedictinamConstitutionem invocare ideo potuisset, cum haec praesidio sit mulieribus, ne contrahendo decipiantur. At prorsus diversa erat res, de qua actum fuerat in syngrapha illa privata anni 1817. Agebatur namque de distributione haereditatis matris, ad quam a vigentibus tunc Legibus aeque vocabatur Clementina. Nequibat igitur pater uni filio auferre, ut alter lucraretur, contra universalem Civilium ac naturalium Legum apertissimam sanctionem. Colligebant ideo Patres ex hisce omnibus in propatulo apparere damnum Clementinae illatum et proinde, nulla habita ipsa syngrapha, authumarunt decernendum esse instanti mulieri jus ad consuccessionem in haereditate defunctae matris. Inhaerentes idcirco A. C. Sententiae, decreverunt perito committendam esse ipsius diversorii aestimationem, data lege, ut indo peritus se referat ad tempus apertae successionis, quod in calculo habeat – l'avviamento – ipsius diversorii, ac moneat, an absque ipsius detrimento in sex partes commode dividi possit. Cum vero contingere possit, quod Clementinae datum sit de aliorum bonorum existentia docere, quae maternae haereditati pertinere potuerint, ad haec quoque reservata PP. voluere jura ipsius Clementinae.

Et ita, jus redditum fuit in acri partium conflictu, me quoque suffragante.

---

## ROMANA DOTIS

*Veneris* 31 *Januarii* 1834.

### ARGUMENTUM

Faeminae a paterna haereditate seclusae ab haeredibus parentis consequi possunt dotem. Et ubi nec pater, nec avus, nec mater huic oneri possunt satisfacere, vocantur in subsidium fratres etiam consanguinei.

#### SUMMARIUM

1. *Cum faeminae propter fratres arceantur a paterna haereditate, eisdem jus remanet ab haeredibus parentis consequi dotem.*

   *Si haeres ultra haereditarias vires se tenere nolit, uti debet remedio inventarii a lege inducto – ibidem.* –
2. *Contra haeredes semper urget juris praesumptio, quod haereditas opulenta censeri debeat, donec ab haerede, inventarii exhibito, contrarium non probetur.*

   *Cum filii in paterna domo versati sint, nec unquam a patri emancipati, quidquam per privatam industriam adipiscantur, pleno jure patri adquisitum esse censetur – ibidem.* –
3. *Humanae societati valde interest dotatas esse mulieres: unde favore dotis meros necessitatis fines licet praetergredi.*

   *Dos tunc congrua, cum conditioni familiae aptetur – ibidem.* –
4. *Si nullus ex patre, avo, et etiam matre par sit dotis repraesentandae, in subsidium vocantur fratres consanguinei.*
5. *Inventarii defectum nequaquam opponi potest faeminis et minoribus.*

### DECISIO CCCCLXIV.

Narratum est in coaeva mea Decisione *super Consuccessione*, quod Joseph

Ghirelli ex Anna Maria Invernizzi sex procreaverat liberos, quinque masculos, et unam foeminam Clementinam. Quamvis Joseph amplo censu non ditaretur, attamen ex lucris, quæ personali industria, et ex diversorii exercitio sibi quærebat, jugiter curavit ut suscepta proles honesta liberalique educatione institueretur. Paternæ sollicitudini optime arrisit eventus, nam de tempore parentis funeris, quod accidit anno 1824 unusquisque ex fratribus opulenter se exhibebat. Innupta supererat soror Clementina, sed eam retinuit in paterna domo frater Vincentius, qui prætcr cæteros fratres opulentius se gerebat. Sed brevi tempore fratris divitiis perfruita est Clementina. Ortæ enim simultates cum in diem ingravescerent, a fraternis laribus discedere, et aliam separatam domum sibi quærere debuit. Sed necessariis vitæ præsidiis ipsa carens ad Triumviros Trib. A. C. in prima Sect. se vertit, quærendum dotis constitutionem super paternis bonis, tum ad maternam bæreditatem consuccessionem: interim præstationem alimentorum. Ad vires autem paternæ hæreditatis constituendas notulam exhibuit, petiitque ad juramentum æstimatorium admitti. At Triumviri A. C. dum exceperunt in genere instantis foeminæ petitionem; in specie tamen sententia diei 22 Aprilis 1833 decreverunt jus esse Clementinæ dotem a fratribus assequendi in quantitate scutorum 250 tantum. Displicuit mulieri, ob adeo attenuatam dotis quantitatem, hujusmodi Sententia, et interposita appellatione, cum delata fuerit causæ cognitio ad S. Nostrum Auditorium, sciscitanti mihi = *An et in qua summa sit locus constitutioni dotis in casu etc.* = responsum datum fuit = *Affirmative in summa scut.* 1000.

1 Et merito quidem. Quo tempore enim Joseph, vitam cum morte commutavit vigebat Lex Piana exclusiva foeminarum in concursu masculorum. Si igitur Clementina propter fratres arcebatur a paterna hæreditate, eidem jus erat ab hæredibus parentis consequi dotem, teste *Rota in Dec. Ferrarien. supplementi Legitimae* 11 *Decembris* 1829 § 5 *cor. R.P.D. Meo De Retz Dec. Ferrarien. Dotis* 25 *Aprilis* 1828 § 2 *cor. R. P. D. Meo Muzzarelli, et Bononien. Legitimæ* 14 *Martii* 1828 § 4 *cor. Me* = cum apertissima sit illius Edictalis Legis præscriptio in § 113, quo jubetur = *Le figlie escluse per l'esistenza nei figli maschi agnati avranno il diritto a conseguire la dote, la quale equivalga alla porzione che sarebbe loro a titolo di legittima* =. Hæc igitur dotis constitutio legitimum constituebat crediti titulum Clementinæ favore contra paternam hæreditatem, et quoniam communis parentis hæredes sui et necessarii fuerant filii, hi per dominii, et possessionis continuationem cum effecti fuerint ipsius paternæ hæreditatis viri ac legitimi detentores, obstricti contextim etiam sunt pro universo debito, quo hæreditas ipsa gravari, possit ad *Text. in Leg. fin.* § *cum igitur cod. de jure deliberandi.* Tenentur igitur fratres Ghirelli erga sororem Clementinam pro dotis credito, eo magis, quia ipsi a paterna hæreditate se abstinuere baud curarunt nec inventarium conficiendi se sollicitos præbuere. Compertissimum est enim in Jure, quos id hæres ultra hæreditarias vires se teneri nolit, uti debet remedio inventarii a Lege inducto, quod impedit, ne ingeratur confusio jurium hæredum, atque defuncti auctoris ad Textum *in cit. Leg. fin. cod. de Jure deliberandi.* At fratres Ghirelli cum conficere neglexerint inventarium, defuncti patris hæredes extitere puri, et simplici et in solidum idcirco tenent ad solvenda debita bæreditaria, quæ inter præstat dos ipsi Clementinæ tribuenda, prout docent *Cujacius in Comment. lib.* 6 *tit.* 30 *cod. de Jure deliber. in cit. Leg. finali litt. C. Donell. Comment. in cod. tom.* 9 *Eod. num.* 9 *Card. De Luca disc.* 142 *n.* 38 *de Dote et S. Rota in dec.* 471 *num.* 34 *cor. Olivat. tom.* 1 *dec.* 6 § 12 *cor. Falcon. tom.* 1 *in dec.* 854 *n.* 16 *cor. Ansaldo dec. Hortana* 11 *Junii* 1818 § 4 *coram Emo Marco.*

Ad effugiendum autem legum rigo- 2

rem perperam objiciunt fratres Ghirelli quod exilis, aut nulla fuerit hæreditas paterna; nam contra eosdem semper urget Juris præsumptio, quod opulenta censeri debeat, donec ab hærede inventario exhibito, contrarium non probetur, prout docent *Card De Luca de Feudis Disc.* 108 *num.* 5 *et S. Rota in Dec.* 409 *num.* 5 *part.* 4 *tom.* 2 *dec.* 469 *num.* 27 *part.* 9 *tom.* 3 *dec.* 426 *n.* 17 *part.* 19 *tom.* 2. Quousque vero inventarium desideratur, prævalet semper Juris præsumptio quod bona possessa a fratribus Ghirelliis processerint ab hæreditate paterna teste *cit. dec. Hortana Testamenti* 11 *Junii* 1818 § 3 *cor. Emo Marco*, cujus domini per quamdam possessionis continuationem semper extitere ipsi fratres Ghirelli, in quibus legis ministerio coaluit patris substantia ab eo temporis momento, quo parens e vita migravit. Neque hæc Juris præsumptio infirmatur ab exceptione, quod fratres Ghirelli propriam sibi comparaverint fortunam privata industria, ac peculiaribus laboribus, nam ipsi in paterna domo cum semper versati sint nec umquam emancipati a patre fuerint, quidquam per privatam industriam adepti fuerint, pleno jure patri adquisitum esse censetur, prout adnotavit S. Noster Ordo in *Dec. Firmana Donationis* 13 *Junii* 1817 § 5 *cor. Piccolomini.*

3 Interim vero cum fratrum culpa cognosci haud hodie possit quod fuerit as hæreditarium Josephi, conqueri haud possunt illius hæredes si dos constituatur in summa scutorum 1000. In genere siquidem animadvertebant P.P. quod versabamur in casu, quo Lex multum tribuit prudenti Judicum arbitrio, quod humanæ societatis valde interest dotatas esse mulieres *Leg.* 1 *ff de Solut. Mat. Leg. In ambiguis* 86 *ff de regulis Juris Leg.* 2 *ff de Jure dotium* et quod dotis favore liceat quoque meræ necessitatis fines prætergredi, uti tradit Rota *in Dec.* 750 *n.* 4 *cor. Cerro Dec.* 930 *n.* 6 *cor. Molino in Firmana Dotis* 1 *Feb.* 1765 § 4 *cor. Zelada et dec. Camerinen. Nullitatis Apocarum, et Consuecessionis diei* 18 *Martii* 1793 § 5 *cor. Emo Consalvi.* Quibus bene perpensis, posita in fratribus uti hæredibus patris obligatione dotem constituendi sorori et retenta opulenta ipsorum exhibitione, censuerunt PP. quantitatem ut supra præstitutam dotis in scutis 1000 justi et æqui cancellos haud quaquam excedere. Erat suo habenda in calculo educatio, quam Vincentius frater Clementinæ procuraverat nec non dives exhibitio, dum communem cum ipso fratre Vincentio vitam ducebat, nec demum dispiciendum erat quod de una tantum muliere dotanda agitur per quinque fratres, quibus nullius incommodi esse potest pro virili constitutæ summæ absolvere solutionem favore sororis, quæ quinquagesimum suæ ætatis annum cum attingat, potiori jure fulcitur, ut ei dos in majori quantitate constituatur, quam definiri oportuisset, si de florente muliere foret. Ipsorum PP. animo etiam non effugiebat, quod dos a matre relata, et dotes quas receperunt contradicentes fratres, multum excedunt quantitatem dotis Clementinæ adsignatæ, et quamvis S. R. Auditori ponderationi haud effugeret discrimen non leve quod intercedit inter dotes, quæ a familia solvuntur, et quæ recipiuntur, cum primæ tantum adsignari debeant juxta vires patrimonii, attamen a constituta quantitate haud declinare rati sunt, ea præcipue moti ratione, quod congrua esse debeat dos, et congrua dicitur, cum conditioni familiæ aptetur, ut monuit *Rota in cit. Dec. Camerinen. cor. Emo Consalvi sub n.* 4 *et* 10 *et alibi passim.*

Nec ad constitutæ dotis solutionem tenentur tantum fratres Ghirelli ob omissam inventarii confectionem, quia scilicet uti hæredes puri, et simplices libere in paterna hæreditate se immiscuerint, sed ad illam præstandam etiam tenentur uti fratres ipsius Clementinæ. In humano namque consortio adsunt nonnullæ obligationes, quas quibusdam imponit civilis necessitas. Has inter adnumeratur dotis constitutio, ad quam tenentur præ primis pater, et avus, et etiam mater, si ma- 4

Digitized by Google

gna, et probabilis adsint causa. Si vero nullus ex hisce par sit doti repræsentandæ, tunc in subsidium vocantur fratres consangoinei ut habetur ex *argum. leg,s plures* 12 §. *Cum tutor* 3 *ff de Administr. et peric. tut. Bart. in L. Si marito ff de Dote solut. matrim. Mantica de Facitis, et ambig. leg.* 12 *tit.* 18 *n.* 21 *Card. De Luca de dot. disc.* 142 *n.* 57 *et Rota in Recen. Dec.* 25 *num.* 11 *part.* 11 *dec.* 1237 § 3 *cor. Lanceeta Dec.* 188 § 11 *cor. Riminaldo dec.* 280 n. 8 *cor. Acciajoli, Romana Dotis* 18 *Jun.* 1787 § 8 *cor. Lancell, et dec.* 22 § 8 *de Dote cor. Falconieri.*

5 Inani autem studio confugiunt Fratres Ghirelli ad miserum illud præteverum, quod inutilis fuisset inventarii confectio, cum nihil repertum fuerit in paterna hæreditate, et si culpæ adscribendus est inventarii defectus, communis culpa esset cum ipsa Clementina, uti communis patris filia, et cohærede. Falsitas vero, atque insubsistentia primæ objectionis in uniuscujusque oculos insilit, semelae, quod probatissimum est in facto, teoetur, scilicet quod Joseph non exiguam ab uxore dotem acceperit; quod diversorium per amplum = *dei tre Rè* = possederit, et negociationibus diu incubuerit, ita ut potuerit unicuique e filiis optimum præstare educationem. Hoc perficire te nequivisset, si a probrosa egestate afflictaretur. Non meliori consilio autem jus inficiantur Clementinæ agendi pro dotis constitutione, non obstante ipsius inventarii omissione, ex eo quod ipsa quoque hæres communis patris fuerit una cum fratribus. Ipsa enim ex præscriptione memoratæ Legis anni 1816 erat mera ereditrix dotis. Lex illa, quoties dotium constitutionem dimetita est ad tramites legitimæ, adsignari baud voluit hæreditatis quotam sed præfigi tantum voluit modum, quo congrue ipsa taxari posset, ut animadvertit S, Noster Ordo in *Dec. Ferrarien. Supplem. Legitimæ cor. R.P.D. Meo De Retz.* Numquam vero dixit foemioas innuptas hæredes fuisse sed tantum jus habere ad dotis constitutionem urgendam in quantitate ad instar Legitimæ. Sed in quolibet casu nequeunt fratres Ghirelli inventarii defectum obiicere sorori Clementinæ, quæ uti foemina excusator, cum in jure compertissimum sit ejusdem defectum nequaquam opponi posse foeminis et minoribus, prout docent *Card. de Luca de Dote, et Fideicom. disc.* 15 19 48 § 7 15 *Bossius de Aliment. Tract.* 3 § 18 28 31 *Bereald. Con.* 292 § 88 *Rota dec.* 3 8 § 8 *Recent. part.* 17 *Dec.* 18 § 7 *part.* 13 *dec.* 51 § 15 *part.* 14 *Dec.* 280 § 8 *cor. Molineset dec.* 1038 § 8 *ad* § 7 *cor. Lanceeta dec.* 25 § 11 *cor. Crescentio dec. Romana Hæreditatis* 15 *Jun.* 1817 § 7 *cor. bo. me. Zinanni et dec. Romana Nullitatis Testam.* 15 *aprilis* 1818 § 7 *cor. b. m. Piccolomini.*

Et ita ne quoque suffragium ferente, decisum fuit in partium conflictu.

---

## ROMANA FAMILIAE HERCISCUNDAE

### SUPER BONIS STABILIBUS

*Mercurii* 26 *Februarij* 1834.

### ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

#### SUMMARIUM

1. *Nemo invitus cogi potest in communione cum cum altero persistere; eoque fortius si de speciali haeredum communione agatur.*
2. *In haereditatis divisione peragenda praecipue in pretio esse debet testatoris voluntas.*

### DECISIO CCCCLXV.

Tres duplici connubio suscepit filios masculos Alexander Dell'Oste, Andream, nempe, et Aloysium, a Clementina Berrettini, quæ ei dotem attulerat scutorum *quingentum*, et Sebastianum ab Anna Urbinati, quæ ei dotis nomine dederat scuta *biscenta* super *mille*, quam vir augeri curavit aliis scutis *octingentis*. Perventus Alexander ad annum 1816 cedere debuit communi fato. In vim extremi sui elogii, confecti usque ab anno 1810; ejus hæredes pro æquis

partibus fuere tres memorati filii, prælevata tamen quarta parte ipsius hæreditatis, quam primogenito Andreæ testator reliquerat, auctorantibus Gallicis Legibus tunc vigentibus. Ratam acceptamque habuere fratres paternam voluntatem: in ejus executionem minus ipsi dedere subscriptioni substantiæ hæreditariæ. Accurate igitur in inventario adnotata fuere, domestica supplex, credita, et bona stabilia, quæ inter erant plures ædes in Urbe, et præcipue taberna lapidaria nonnullis, ac pretiosioribus marmoribus instructa. Omnibus hisce bonis accessit quoque peculiaris æstimatio, diligenter expleta a peritis ad id specialiter advocatis, ut in posterum cognosci quæ fuissent vires ipsius hæreditatis.

. Universi patrimonii administrationem potissimum suscepit Sebastianus, qui solus cum uxore Anna Noccioli, et ab ea suscepta sobole, in paterna domo habitare continuavit. Sed hic quoque fato percussus, quinque suorum natorum tutelam reliquit uxori Annæ, quæ communis patrimonii administratione potita, incepit domesticas res regere ad lubitum. Quod cum valide displicere leviris Andreæ, et Aloysio Dell'Oste, hi de divisione cæperunt obloqui. Sed, ut rectius procederent, ad viriles portiones statuendas de communi consensu acciti fuere iidem periti, qui anno 1818 in inventarii confectione suam navaverant operam. Divisa itaque eorum officio fuit domestica supplex, et pacifice partita fuere mobilia, quæ adhuc de Alexandri hereditate adservabantur. Dividenda supererant bona stabilia. De hisce quoque peracta fuit divisio. Nihil ideo integræ ipsius divisionis perfectioni deficiebat, nisi quod circa ipsam bonorum stabilium partitionem solemne adstipularetur instrumentum. Sed hoc remoravit obitus Annæ. Hinc Hieronymus, et deinde filius Franciscus Noccioli, qui in patris, et sororis locum suffectus fuerat, ut nepotum tutelam continuaret, jugiter obstitit, quominus in publicas tabulas redigeretur expleta divisio. Nec de hoc contentus, confugit ad Eminentissimum Urbis Vicarium pro obtinendis alimentis pupillorum favore, quæ reapse consequutus est in menstruis scutis *viginti quinque* anticipate solvendis, relata quoque extraordinaria scutorum *centum* subministratione, ut urgentibus pupillorum necessitatibus consulere posset.

Sed fratres Dell'Oste cum bene callerent viribus patrimonii minime convenire posse decretam alimentorum præstationem, tantum gravamen ægre ferentes judicium instruxerunt ante Collegiale Tribunal Capitolii, deinde ante Auditorem Senatoris Urbis eidem suffectum, ut incepta divisio ad finem perduceretur Judex, admissa eorum instantia, in peritum Curialem deputavit Florentium Sirca, nunc defunctum, celeberrimum tunc temporis Advocatum, ut hæreditatis statum firmaret. At, dum hæc peragebantur, extremum diem vidit, et ipse Andreas, qui scripto elogio suum hæredem dixit Joannem Baptistam Fontana. Hic jam editæ peritiæ innixus, institit, ut medietas sibi adsignaretur de hæreditate Alexandri Dell'Oste ad tramites ipsius testamenti. Amice excepit Judex instantiam diem Decembris anni 1830. Peritum Architectum deputavit ad explendam partium divisionem, ut hæ pruinde, sortibus ductis, adsignarentur, et de assequuta adsignatione publicum deinde redigeretur instrumentum. Ab hac Sententia provocaverunt tutor Franciscus Noccioli, et Aloysius Dell'Oste. Sed hic jurgiis valedicens, facile cum instante Fontana rem composuit illius exemplum sequi recusavit Franciscus, qui vero interpositam appellationem prosequi haud curabat. Sejus de moræ denique pertæsus Fontana ad Sac. Nostrum Ordinem conscendit, et Dubium proposuit = *An, et quomodo sit locus divisioni bonorum stabilium in casu etc.* =, cui PP. in ipsius Francisci contumacia statim responderunt = *Pro informante* = scilicet = *Affirmative juxta modum nempe ad formam Sententiae Judicis Capitolini.*

Ut hujusce resolutionis justitia plene refulgeat, animadvertere juvat, quod 1
ex præscripta Dubii formula, duo Patrum definitioni proponebantur. Primum

an instanti Fontana jus esset petendi divisionem bonorum stabilium, deinde vero quomodo ipsa divisio explenda foret. Quoad primam Dubii partem ponderabant. PP. invictissimum esse Juris principium, quod nemo invitus cogi possit in communione ulterius persistere, prout scriptum est *in Leg. In hoc judicium dividendo, Leg. In re communi ff de Servit. Urb. præd., Leg. nulla Societas ff* pro *Socio* =; et Sac. Rota = *in Decis.* 241 *num.* 30 *Part.* 5 *in Recent.*; *Decis. Nullius seu, Farfen. Divisionis* 17 *Junii* 1757 § 2 *cor. Olivat*; *et in Confirmat. diei* 13 *Januarii* 1758 § 2 *cor. Eodem.* Quod si a Legibus in genere constituitur, eo fortius procedere debet in speciali hæredum communione, ad quam servandam adigi nequeunt hæredes, ut post *Text. in Leg. finali Cod. Commun. Divid*, *Leg. Cum Pater* 77 § *Dulcissimis* 20 *ff de Legatis* 2 =, docet = *Sac. Noster Ordo in Decis.* 232 § 1 *cor. Lancetta, et in Confirmat.* 14 *Junii ejusdem anni* § 2 *cor. Eodem.* Retentis itaque hisce in dubiis Juris principiis aperte patet, quod, sicut Andreas Dell'Oste, si adhuc in humanis versaretur, cogi haud posset diu persistere in hæreditariorum bonorum comunione, item ad id adigi nequit instans Joannes Baptista Fontana, qui uti hæres testamentarius, post aditam hæreditatem cum ipsius Andreæ personam repræsentet, juribus omnibus defuncto competentibus libere uti potest, prout habemus a *Leg. Nihil al'ud* 24 *ff de Verb. signif.*: *Leg. Hæreditas* 62 *ff de Reg. Juris.*

2 Constituto autem in Joanne jure urgendi petitam divisionem, haud difficile videbatur PP. modum constituere, quo ipsa divisio fieri potuisset; ad quod spectat altera pars propositi Dubii. Animadvertebant ipsi, quod, cum de dividenda Alexandri hæreditate res esset, in hac divisione peragenda præcipuo in pretio esse debebat testamentaria ipsius Alexandri voluntas. Ipse usus facultate, quam testatoribus elargiebant Gallicæ Leges tunc vigentes, tres suos filios pro virili hæredes scripsit, prælevata tamen quarta suorum bonorum parte quam primogenito Andreæ reliquit. Cum vero ipsius Andreæ heres fuerit Joannes Baptista Fontana; cum ipse etiam redemerit partem Aloysio spectantem; merito instat, ut de quatuor partibus, in quas bona stabilia dispertiri debentur, tres partes ei adsignentur. Quoad autem hæreditariarum ædium æstimationem peragendam, et subsequentem illarum divisionem explendam, modum suppeditavit Capitolini Judicis Sententia, quæ confirmari a PP. hodie promeruit. Deputandus idcirco erit peritus Architectus, qui ipsam æstimationem, atque divisionem perficiat. Statim ac vero peritus deputatus commisso negocio satisfecerit, tres tunc ex quatuor partibus Joanni Baptistæ adsignandæ erunt. Ad quam adsignationem perficiendam, ut quælibet arceatur quærimonia, prælevata prius quarta parte ad formam testamenti, sortibus committi debet quæ cuique pars fuerit adscribenda, prout in similibus hisce casibus fieri solet ad Textum in *Leg. Si duabus* § *Sancimus Codic. Communia de Legat.*, et Sac. Noster observari præscripsit *in Decis.* 383 *num.* 1 *cor. Riminaldo, in Romana Divisionis* 6 *Februarii* 1824 § 3 *et in ejus Confirmat.* 14 *Junii ejusdem anni cor. me.*

Et ita etc. altera tantum etc.

---

# ROMANA FAMILIAE HERCISCUNDAE

## SUPER PRAELEVATIONIBUS

*Mercurii* 26 *Februarii* 1834.

## ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

### SUMMARIUM

1. *Cum dos marito detur ad matrimonii onera ferenda, consequitur, quod, soluto ipso matrimonio, ipsa dos restituenda sit mulieri, vel ejus haeredibus.*
2. *Mundo muliebre semel recepto, amplius novae deductioni locus esse non potest.*
3. *Soluto matrimonio dos permutatur in merum creditum pecuniarium, quod cignere nequit fructus, nisi praecedat formalis requisitorum Castrensium interpellatio.*

*1. Constituta in genere dotium praelevatione, haud est eadem interim concedenda, nisi prius redditae sint rationes gestae administrationis*

## DECISIO CCCCLXVI.

Actum fuit a Joanne Bapsista Fontana coram Auditore Senatoris Urbis de divisione bonorum stabilium ex Alexandri Dell'Oste hæreditate provenientium, cujus primogeniti filii, Andreæ, ipse fuerat testamentarius hæres, prout fuse narrat contextualis mea decisio *super bonis stabilibus*. Contextim alteram ipse Joannes Baptista introduxerat instantiam contra Franciscum Noccioli, tutorem filiorum defuncti Sebastiani Dell'Oste ut sibi de gesta administratione ederentur rationes, prout habet altera mea coæva decisio *super ratione redditione*. Favorabiliter utramque petitionem excepit Judex Capitolinum, qui, ut recte procederet, deputavit in peritum Curialem, celeberrimum tunc temporis Advocatum Benedictum Sicca, cui commisit hæreditarii status firmationem, ut deinde recte dignosci posset, quæ cuique ex hæredibus, quotæ adscribendæ forent in vim postremi elugii ipsius Alexandri. Plures hinc inde promotæ fuere quæstiones, quas omnes prae sua prudentia composuit Advocatus Sicca, Hic in efformando statu passivo hæreditatis prædicti Alexandri, credito instantis Joannis Baptistae Fontana in summa scutorum 450 adscripsit dotem Clementinæ Berrettini matris Andreæ Dell'Oste, cujus hæres fuerat ipse Joannes. Credito autem filiorum Sebastiani adtribuit dotem aviæ Annæ Urbinati in summa scutorum 100, et dotem Annæ Noccioli eorum genitricis in scutis 500, quibus addidit lucrum dotale in summa scutorum 150. Sed de hisce pupillorum creditis peritus decrevit nullam interim habere rationem, nisi prius ab iisdem pupillis reddita fuisset rationis administrationis gestæ ab eorum parentibus. Edito a perito judiciali relatione, persequutum fuit judicium coram Auditore Capitolino, qui Advocati Sicca deductionibus omnino adhærens, die 1 Decembris 1830 decrevit locum non esse petiit prælevationibus nisi prius ab instantibus pupillis exhibita fuisset rationum redditio. Ab hac quoque sententia provocavit ad Sacrum Nostrum Tribunal tutor Franciscus; sed interpositam appellationem prosequi haud curavit. Verum instante Joanne Baptista Fontana, cum per me rogati hac mane fuerint Patres = *An quomodo, et in qua summa sit locus praelevationi dotius, lucri et solutioni fructuum, ita ut sit relaxandum mandatum, seu mandata in casu etc.* injugi ipsius Francisci silentio responsum accepi = *Pro infirmante* = scilicet = *Quoad dotes affirmatibe juxta modum in decisione exprimendum in reliquis autem negative.*

Cum dos marito detur ad matrimonii onera ferenda necessario consequitur, quod, soluto ipso matrimonio, cum cessent ipsius onera, ipsa dos restituenda sit mulieri, vel ejus hæredibus, prout passim advertit Sacra Rota, et præcipue adnotavit *in decis.* § 16. *coram Emo Consalvi* = At Alexander Dell'Oste, cum his se junxerit in matrimonio, et ab utrisque uxoribus dotes quantitativas consecutus sit contextim factus est debitor ipsarum dotius quantitatis *legi Quoties et leg. Si inter ff. de jure dotium*, quam ipse vel ejus hæredes, soluto matrimonio, restituere tenebantur superstiti uxori vel ejus hæredibus. Merito igitur peritus se gessit, dum prælevandas esse censuit dotes, quæ debito ipsius hæreditatis reperiebantur, et rite easdem imminuendas esse constituit a funerum expensis, quæ onus importabant ferendum ab hæredibus mulierum.

Quod de dotibus Clementinæ Berrettini, et Annæ Urbinati constituerant Advocatus Sicca, repetitum etiam voluit quoad alteram dotem latam ab Anna Noccioli, cui insuper adiicere placuit quartum dotale in scutis 125. At vero ejusmodi quartum sive lucrum censuerunt Patres non esse prælevandum ex hæreditate Alexandri, quia id onus sive debitum est viri Sebastiani, et ideo prægravat ejus patrimonium. Neque item debito ipsus hæreditatis putarunt ferendum esse mundum mu-

liebrem, quem indebite postulaverant filii ejusdem Annæ Noccioli. Ex nuptialibus tabulis constabat, quod idem mundus a viro restituendus esset = *in specie dello stesso genere* = Notaverat peritus, quod idem mundum ab ipsa Anna receptus jam fuerat usque a tempore quo inventarium confectum fuerat de hæreditate Alexandri, et proinde, eo semel recepto, amplius novæ ejusdem deductioni locus esse non poterat.

3 Merito denique denegata fuit petentibus pupillis fructuum perceptio super memoratis duobus dotium creditis ex ea ratione, quod soluto matrimonio dos permutetur in merum creditum pecuniarium, quod gignere nequit fructus, nisi præcedat formalis requisitorium Castrensium interpellatio, prout docet S. Rota in *Romana dotis* 12 *Maii* 1806 § 5 *coram Resta*, *in Sutrina cam bii* 14 *Julii* 1817 § 6. *coram Zinanni*; in *Imolen.*, *seu Barenaten. pecuniaria* 4 *Junii* 1819 § 4. *coram eodem*, *in Cesenaten. pecuniaria* 10 *Martii* 1823. § 2. *coram Emo Marco.*; *et in Romana seu Savinen. damnorum et expensarum judicialium* 23 *Aprilis* 1823. § 7. *coram Isoard*, Quod ipsum retinendum erat in themate, præcipue quoad dotem Annæ Noccioli, quia soluto suo matrimonio, nec ipsi eosdem fructus urgere quivisset, cum a comuni patrimonio receperit alimenta, quorum causa tantum eidem Annæ jus fuisset urgendi eosdem fructut.

4 Constituta autem in genere dotium prælevatione, censuerunt PP. haud esse eamdem pupillius interim concedendam nisi prius ab iisdem redditæ forent rationes gestæ a patre et matre administrationis, cum nec debitum, nec creditum dici possit, antequam gestionis ratio reddita sit, prout passim advertit S. Rota, et præsertim in *decis. Roman crediti* 10 *Decembris* 1832. § 2 *et* 4. *coram R. P. D. meo Ruspoli*. Et hic erat modus in decisione exprimendus.

Et ita etc. altera tantum etc.

---

# ROMANA FAMILIAE HERCISCUNDAE

## SUPER BONIS STABILIBUS

*Veneris* 13 *Junii* 1834.

## ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCCCLXV. -

### SUMMARIUM

1. *Nemo invitus cogi potest in communione alterius contra voluntatem persistere.*
   *Nullo modo adigi possunt haeredes ad communionem inter se servandam - ibidem, -*
2. *Optio partium minoribus tribuitur, quoties extra judicium communis inter fratres partiatur haereditas.*
3. *Haud permittitur a legibus actionum limites excedere, vel quaestionem cumulare, quae in concordatis dubiorum formulis comprehensa haud fuerint,* - Et num. 4. -

## DECISIO CCCCLXVII.

Ad plures anno 1816 abierat Alexander dell' Oste, nondum reformato extremo elogio usque ab anno 1811 confecto, quod ad tramites Gallicarum Legum tunc vigentium; pro æquis partibus ab ipsius hæreditatis compendium vocati fuere tres ejus filii masculi Andreas, Aloysius, et Sebastianus, orti duo primi a Clementina Berettini, postremus ab Anna Urbinati, quam dissoluto primo conjugio, sibi junxerat Alexander. Utens testator facultate, quam Gallicæ Leges impertiebant, voluit, quod favore primogeniti Andreæ prælevata fuisset quarta hæreditatis pars, sicuti exclusam voluit a sua successione filiam Flaminiam, quæ accepta dote, jam nupserat, declarans, quod si in vim Legum, quæ anno 1811 vigebant contigisset, quod ipsa æque cum masculis ad suæ successionis compendium vocaretur, ipsa quoque succederet, imposito tamen collationis onere = *Quante volte però ciò non sussistesse, ed avesse perciò luogo la rinunzia da lei fatta intende, e vuole esso Signor Alessandro testatore, che resti priva affatto della suddetta consuccessio-*

*ne , volendo che la medesima debba esser contenta della dote, ed acconcio* —, quod ei nubenti pater dederat.

Ratam, acceptamque habuere fratres paternam voluntatem, et in ejus executionem manus ipsi dedere descriptioni substantiæ hereditariæ. Accurate perinde in inventario adnotarunt domesticam suppellectilem, credita, et bona stabilia, et præcipue tabernam lapidariam nonnullis, ac pretiosioribus marmoribus instructam. Omnibus hisce bonis in inventario descriptis adjecta quoque fuit peculiaris æstimatio, diligenter expleta a peritis, ad id specialiter advocatis, ut in posterum cognosci posset, quæ fuerint vires ipsius hæreditatis. Hinc fratres omnes universa bona paterna in communione possidebant, administrabantque. Lapidariam tabernam potissimum administraverat Sebastianus, qui, uxore ducta Anna Noccioli, solus paternam domum inhabitabat una cum filiis; cum alii fratres jam discessissent. Fato perculso Sebastiano, suorum quinque natorum tutelam suscepit uxor Anna, quæ communiis patrimonii administratione etiam potita, incepit domesticas res regere ad lubitum. Quod cum valde displicuisset leviris Andreæ, et Aloysio fratribus Dell' Oste, hi de divisione cœperunt obloqui. Sed, ut rite procederetur in statuendis quotis hæreditariis, de communi consensu acciti fuere iidem periti, qui anno 1816 in inventarii confectione suam præstiterant operam. Divisa itaque fuit eorum officio domestica suppellex, et pacifice partita fuere mobilia: dividenda tantum supererant bona stabilia. De hisce quoque divisio expleta fuit. Nihil ideo integræ ipsius divisionis perfectioni deficiebat, nisi quod circa ipsam bonorum stabilium partitionem solemne adstipularetur instrumentum. Sed hoc distulit obitus Annæ. Hinc Hieronymus, et deinde ejus filius Franciscus Noccioli, qui in patris, et sororis locum suffectus fuerat, ut nepotum tutelam continuaret, jugiter obstitit, quominus in publicas tabulas redigeretur expleta divisio. Nec de hoc contentus, pupillorum nomine petiit ab Eminentissimo Urbis Vicario alimenta, quæ reapse consequutus est in menstruis scutis *viginti quinque* anticipato solvendis, relata quoque extraordinaria *centum* scutorum subministratione, ut præsentibus pupillorum necessitatibus accurrere posset.

Præsentientes fratres Dell' Oste viribus patrimonii convenire haud posse onus decretæ alimentariæ præstationis, solliciti se præbuere ad judicium instruendum ante Collegiale Tribunal Capitolii, et deinde ante Auditorem Senatoris Urbis eidem suffectum, ut incepta divisio ad suum exitum perducaretur. Judex excepta eorum instantia, commisit Florentio Sirca, celeberrimo illius temporis in Urbe Advocato, ut hæreditatis statum firmaret. Dum hæc peragebantur extremum obiit diem Andreas. Ipsius hæres ex testamento fuit Joannes Baptista Fontana, qui jam editæ peritiæ innixus institit, ut medietas sibi adsignaretur de hæreditaria substantia defuncti Alexandri dell' Oste. Amice excepit Judex instantiam die 1. Decembris anni 1830, et peritum deputavit ad explendam partium divisionem, ut hæ proinde, ductis sortibus, adsignarentur, et, adsignatione expleta, publicum deinde hæc redigeretur ad instrumentum. Contextim duæ aliæ instantiæ reciproce ab utroque contendente promotæ fuerant. Petierat Fontana a Francisco Noccioli, ut de administratione, per defunctum Sebastianum Dell' Oste specialiter gesta, peculiares rei redderentur rationes; Franciscus e contra petierat, quod favore suorum pupillorum dotes, lucrum, et fructus prælevari deberent. At Judex Capitolinus, deductionibus Advocati Sicca omnino adhærens, altera Sententia ejusdem die 1 Decembris anni 1830. decrevit locum non esse petitis prælevationibus, nisi prius ab instantibus pupillis exhibita fuisset rationum redditio. A contrariis hisce Sententiis provocaverunt tutor Franciscus Noccioli, et Aloysius Dell' Oste. Sed hic proinde jurgiis valedicens, facile cum instante Fontana rem composuit. Illius exemplum sequi recusavit Franciscus; qui

Digitized by Google

vero interpositam appellationem prosequi haud curabat. At Fontana, moræ praetesus curavit, ut Capitolini Judicis Sententias confirmaret Sac. Nostrum Tribunal. Tribus itaque propositis Dubiis, scilicet » *An, et quomodo sit locus divisioni bonorum stabilium in casu etc.* » *An sit locus redditioni rationis in casu etc.* — ; *An, quomodo, et in qua summa sit locus prælevationi dotium lucri, et solutioni fructuum, itaut sit relaxandum mandatum seu mandata in casu etc.* » in contumacia pupillorum die 26. superioris mensis Februarii, responsum fuit — *Pro Informante* — ; scilicet — *Affirmative juxta modum, nempe ad formam Sententiæ Judicis Capitolini* — Super harum Decisionum viribus rursus interpellari Patres tutori Francisco cum placuisset in præteritis Comitiis reproposita fuit Causa super *Prælevationibus*, quae dimissa fuit cum Rescripto — *In Decisis juxta modum in decisione exprimendum* —, nempe admissa fuit praelevatio lucri favore pupillorum in quantitate scutorum 150, ducta proportione a scutis *quingentis*, quae tantum expromissae dotis causa soluta fuisse probabatur. Hodiernis autem in Comitiis quoad *divisionis* controversiam, de qua res est, cum tralatitia Dubii formula Patres rogassem — *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* Responsum retuli — *In Decisis* —

1 Duo nimirum definienda principaliter S. Nostro Ordini proponebantur; primum an divisionem bonorum stabilium, quae reliquerat bo. me. Alexander Dell' Oste petere rite posset Joannes Baptista Fontana, deinde quomodo ipsa divisio expleri debuisset. Quoad primam propositi Dubii partem, nulla Patribus videbatur adesse posse difficultatem, semelac in discrimen haud deducebatur a contradictore Francisco Noccioli haereditaria qualitas agentis Fontana. Cum itaque ipse defuncti Andreae Dell' Oste haeres testamentarius extiterit, ipsius personam legittime repraesentans, jure meritoque instare potuerat ut stabilium bonorum divisio expleretur, sibique tribueretur haereditariae substantiae pars illa, quae ipsi Andreae tribui debuisset, si adhuc in humanis versaretur, ex inconcusso Juris principio, quod nemo invitus cogi possit in communione ulterius contra voluntatem persistere, prout statuit. *Lex In hoc judicium* §. *Si convenial, ibique Bartol. aliique ff. Comm. dividundo, Lex In re communi ff. de Servit. Urb. prædior. Lex Nulla Societas ff. Pro Socio, et S. Rota in Decis.* 241 *num.* 30 *Part.* 5 *in Recent., Decis. Nullius, seu Farfen. Divisionis* 17 *Junii* 1757 §. 2 *coram Olivat., et in Confirmat. diei* 13 *Januarii* 1758 §. 2 *coram Eodem* —. Quod genericum Juris principium firmius haberi quoque debet, quoties de speciali haeredum communione sermo sit, cum compertissima sit altera Juris regula, qua praescribitur nullo modo adigi posse haeredes ad communionem inter se servandum ut post *Text. in Leg. finali Cod. Comm. divid. Leg. Cum Pater* 77 §. *Dulcissimis* 20 *ff. de Legatis* 2., docuit S. Noster Ordo *in Decis.* 32 §. 1. *coram Lancetta, et in Confirmatoria* 14 *Junii ejusdem anni* §. 2 *cor Eodem*

Si patens, et indeclinabilis apparebat justitia actionis, qua Joannes Baptista Fontana petierat bonorum stabilium divisionem, nullam parare posse difficultatem Patribus videbatur modus, quo erat ipsa divisio peragenda. 2
Ex testamento enim Alexandri scripto anno 1811, adhuc vigentibus Gallicis Legibus cum æquis partibus hæredes instituti fuerint tres ejus filii, prælevata tantum favore primogeniti Andreæ quarta ipsorum bonorum parte, ad tramites ipsarum Legum, planum perinde est, quod ipsa bona stabilia in quatuor æquales partes dispertiri debeantur, quarum tres spectabant eidem Fontana, scilicet duæ ex illis uti hæredi scripto prædefuncti Andreæ, altera uti cessionario ejusdem fratris Aloysii dell' Oste, sed divisioni cum præire debeat ipsorum bonorum æstimatio, merito igitur superior Decisio confirmandam esse censuit Capitolini Judicis Sententiam, quæ constituerat deputari oportere peritum, ut ipsam æstimationem, et subsequentem divi-

sionem perageret. Postquam autem juxta modum præstitutum expleta fuerit a perito bonorum divisio, ad quamlibet arcendam quærimoniam quoad constitutarum partium adsignationem, præfiniverunt Patres, quod sorti committi deberet earumdem adsignatio, prout in hisce casibus id fieri præscripsit. *Text. in leg. si duabus §. SancimusCod. Communia de Legatis*, *et Sacræ Rota in Decis.* 383 *num.* 1 *coram Riminaldo et in Romana Divisionis* 6 *Februarii* 1824 § 3; *et in ejus Confirmatoria* 14 *Junii ejusdem anni coram me.* Nec præstitutum hunc modum adsignandi hæreditarias quotas invertere certe poterat favor pupillorum, videlicet, quod eisdem elargienda foret ipsarum partium optio, nam animadverti in proposita specie debet, quod petita electio minoribus tribuitur, quoties extra judicium communis inter fratres partiatur hæreditas; quo in casu, ne major ætate, qui partes fecit, decipere possit eligendo fratres minores, eisdem optionem relinquere debet, ita ut, si pupillus minorem partem elegerit, sibi, et non fratri adscribere debeat damnum obventum prout *Fabr. in Cod. lib.* 3 *tit.* 27 *Comm. utriusque Jur. Defin.* 4. At contraria omnino sententia amplectenda erat, quoties Judex prout est in casu, divisionem propria auctoritate peregisset, nam quælibet tunc inæqualis partitionis suspicio prorsus exulabat, et cessante causa, cur papilli eligere deberent, sorti committi debebat ipsarum partium adsignatio, prout constituerat præcedens Decisio, quæ confirmatur, et tradit, articulo formiter discusso, Sacrum Tribunal in *Decis.* 12 *tom.* 4 *cor. Lnacetta.*

3 At Tutor Franciscus justitiam susceptæ sententiæ manibus ipsis cum contrectaret, in iterato præsenti Causæ periculo postulavit tantum, quod superiori Decisioni modus saltem adjiceretur, quo susceptum de divisione bonorum stabilium judicium ampliaretur ad bona etiam mobilia, et credita ejusdem hæreditatis Alexandri dell'Oste. At Patribus, animadvertendo quod ex concinnata Dubii formula strictim contentio, in qua versamur, cobibeatur ad constituendum, an, et quomodo procedi possit ad bonorum stabilium divisionem, neutiquam admitti posse videbatur proposita extranea controversia de mobilibus, et creditis, cum a Legibus, et stylo Sacri Nostri Ordinis haud permittatur actionum limites excedere, vel quæstionem cumulare, quæ in concordatis Dubiorum formulis comprehensæ haud fuerint prout sciunt omnes, et docet *Card. de Luca in Relatione Romanae Curiae de Tribunali*, *seu Auditorio S. Rotae Discurs.* 32 *num.* 50 *et Rota ipsa in Decis.* 567 *num.* 1 *cor. Olivat. Dec.* 232 *num.* 9 *coram Lnacetta*, *et Decis.* 55 *num.* 1 *cor. Marco.*

Multo minus autem Causæ definitio differenda videbatur, quia Flaminia instantiam deduxit coram A. C. Collegio ad jura propria vindicanda super consuccessione patris; nam præterquam quod judicium illud fuerit derelictum, erat quoque in facto observandum nullo jure promotam actionem fulcire posse Flaminiam, cum Alexander illam vocaverit sub conditione, quod Leges, quæ eam invitaverant ad ejus successionem, adhuc consisterent tempore apertæ successionis, At, ob restitutas Pontificias Leges, cum evanuerit conditio, a qua pendebat ejus institutio, consequebatur quod Flaminia consuccessionem petere amplius nequiret, cum arceretur ab ipsa testatoris voluntate, quia ipse Alexander declaraverat = *che la medesima debba essere contenta della dote ed acconcio* = quod nuptiarum occasione ab eo receperat. Insuper Patres animadvertebant, quod Franciscus, aut præ oculis habuit jura ipsius Flaminiæ, et hoc, cum sit exceptio de jure tertii a Francisco allegari minime debebat, præcipue ad effectum præpediendi divisionem. Aut quæstio respicit rem pupillorum, quorum jura in incerto esse possint si post expletam divisionem Flaminia partem consuccessionis sibi debitam postulaverit, quæ proinde ex singolorum parte decerpenda foret; in hac hypo- 4

thesi tutori onus tunc incumbebat vel Causarum unionem postulandi, vel saltem per separatam instantiam vocationem ad Causam contra Flaminiam exposcendi, quæ vero cum a Tutore Francisco omissa omnino fuerint, remorari haud potest prædicta exceptio Causæ definitionem.

Et ita, me quoque suffragante, decisum fuit; Utraque etc.

---

## ROMANA HONORARIORUM

### ET EXPENSARUM

*Lunae* 10 *Martii* 1834.

### ARGUMENTUM

Causidico debitum honorarium fas est assequi; quod si de hoc nulla inter partes conventio inita sit, dispositio juris quoad liquidationem debiti attendenda est.

#### SUMMARIUM

1. *Causidicus, qui operam suam in causis defendendis locare semper consuevit, debitum sibi pro harum defensione honorarium assequi a defenso cliente debet, etiamsi nulla inter partes de honorarii praestatione conventio inita fuerit.*

   *Honorarium causidico debitum liquidari debet ad* Tariffae formam - *ibidem.* - Et num. 3. -
2. *Praesumptio ex jure deprompta, quod subrogatus assumit naturam et qualitatem ejus, cui subrogatur, ad ea haud protenditur quae ex facto hominis procedunt.*
4. *Nulla fides testibus adhibenda, qui obnoxie exceptionibus sint, quique de re incerta deponant, atque de uno tantum auditu.*
5. *Ubi extat creditum in genere, ex facto solutionis, non licet arguere quod fuerit conventum honorarium.* - Et num. 6. -
7. *Evanidae conjectationes minime attendendae in re, quae factis probari debeant luculentissimis.*

### DECISIO CCCCLXVIII.

Ad lites pro ipso apud Urbis Tribunalia agendas Ægidius De Carolis opera utebatur causidici Josephi Rocruè; conscripto ad hoc die 9 Augusti 1826 procurationis mandato, quo amplissima tributa huic Causidico fuit facultas pro harum omnium litium, tam passivarum, quam actione, pluribus explicite pactis adjectis, quæ inter illud erat, quod deberet Ægidius = *pagare, ed effettivomente sborsare al detto Procuratore per di lui emolumento l' annuo onorario di scudi quindici e questi da pagarglisi di sei in sei mesi la rata parte, senza che il detto Procuratore possa altro pretendere per dette Cause*=; atque aliud, quod per Ægidium præstanda esset procuratori in antecessum pecunia pro litium sumptibus =, *a forma di quanto verrà dal detto procuratore domandato, tanto in principio; che in mezzo, e in fine delle Cause medesime* =: uti etiam, quod si Ægidius victor in Causis extitisset, dictus procurator, quoad has Causas, = *sia tenuto di fare contro il soccombente la tassa giudiziaria, e dopo che il debitore avrà effettivamente pagato tanto gli Onorarj doruti al detto Procuratore, a forma della Tassa, quanto tutte le Spese rifattibili, occorse nella difesa di dette Cause, il medesimo sia tenuto* = erga ipsum Ægidium = *di rimborsore, e restituire tutte quelle somme di denaro, che saranno state da lui improntate nel decorso di dette Cause* = Conventum fuit etiam inter paciscentes= *che detta Procura debba durare per anni tre, passati i quali, se così piacerà, dovrà farsi un mese avanti la disdetta da quello, che non volesse più continuare; altrimenti s' intenda rincominciata per anni tre, e così di triennio in triennio* =Declaratum fuit demum, quod = *Della presente ne sono state fatte due Copie, da ritenersene una per parte* =.

Suscepto, ad hujusce conventionis tramites, a Rocruejo munere procurationis, Ægidii, in hoc statim sese gerere incepit, ac binas semestres ratas, expliciti conventi honorarii, nempe scutorum *Septem*; et obulorum *Quinquaginta* in earum singulas, ab Ægidio recepit, diebus 5 Januarii, et 27 Augusti 1827 emissis quoad has solutiones peculiaribus acceptilationibus.

At, elapso viæ anno a die, qua prædicta conventio fuerat inter Ægidium, ac Rocruejum inita, hujus opera non amplius uti voluit Ægidius, ac procuratoris munus pro ipsius Causis agendis commisit alteri causidico, Carolo, Giannellio, ulla absque Speciali, quoad hujus honoraria, pactione. Causas autem pro Ægidio agere caepit Giannellius, exeunte anno 1827 quas inter ea fuit a Recruejo promota adversus Ægidium pro assequendis ab hoc honorariis procurationis, quia dimissus fuerat ab hac procuratione ante exitum triennii, quia in Causa, apud A. C. Tribunal acta, ipse Recruejus victor extitit, ad tramites relatae conventionis eum inter ac Ægidium. Plures vero per annos in hujus procurationis exercitio perstitit Giannellius, multas, multifariasque causas pro Ægidio ante Urbis Tribunalia defendens, quasdam interdum ab hoc pecuniae summas recipiens, emittensque pro iis respondentes acceptilationes, nulla unquam accedente declaratione, quam in causam haesolutiones cedere deberent; an scilicet in calculo habendae essent, quoad expensas in Causis, vel quoad ejus honoraria pro harum Causarum actione; prout, uti superius narratum fuit, declarabatur a Rocruejo in acceptilationibus emissis pro Summis; quas ab Ægidio recipiebat: quod plane demonstrat nunquam inter Ægidium, et Giannellium eam extitisse, relate ad procurationis honoraria, conventionem, quæ extiterat inter eumdem Ægidium, ac Rocruejum.

Res ita Giannellium inter, ac Ægidium processerunt ad exitum usque anni 2831 quo tempore Ægidius a sui procuratoris officio Giannellium dimisit. Tum hic computum exhibuit functionum, juxta taxam legalem, et expensarum in litibus pro Ægidio actis, ad numerum usque *Quinquaginta Septem*; suisque debito adscriptis pecuniae summis ab Ægidio receptis, sese esse creditorem ostendit in scutis *sexcentum viginti septem, ac obulis tribus*, quae amice primum ab eo assequi curavit. Cum vero hae ipsius curae in irritum per anni, et ultra Spatium cessissent, coactus fuit diem Ægidio dicere coram Tribunali A. C. a quo, cum Ægidius exciperet nil aliud Giannellio deberi pro functionibus in praedictis Causis, quam annuum honorarium in scutis *quindecim*, uti debebatur Rocruejo ex conventione cum hoc explicite inita, sicuti superius narratum fuit, Decretum prodiit, quo deputatus fuit peritus Curialis, = *per rincontrare, e tassare i Conti, di cui si tratta, salve le eccezioni, e senza pregiudizio dei diritti delle Parti, ancora riguardo alla incompetenza dell' Azione* = Post hoc Decretum latum 5 Martii 1833 obtulit Ægidius Giannellio judiciales positiones ad eam propositam exceptionem firmandam, ac una simul protulit quatuor testium dicta. Sed, cum Giannellius, respondendo sub Sacramenti religione eis positionibus negasset assertam ab Ægidio conventionem praedictam, eaque depooi non posset ex formali dictorum testium examine, utpote deponentium vel de simplici tractatu, vel de auditu tantum, vel inter se contradicentium, et cum nulla hac de re scripta syngrapha ab Ægidio afferretur, qualis eum inter, ac Rocruejum intercesserat, idem Tribunal Giannellio instante alio Decreto, emisso die 24 Septembris ejusdem anni 1833, persistit =*nel precedente Decreto, tolta però la Clausola della riserva sulla incompetenza dell'azione* = Provocante ab hisce Decretis Ægidio, Causa definienda venit ad S. Nostrum Ordinem, cui hodie resolvendum proposui dubium, ab ipso præscriptum, nempe = *An, et quomodo sit locus taxationi honorariorum, et solutioni expensarum in casu etc.* =et responsum accepi = *Affirmative in omnibus in Summa liquidanda ad formam Tariffæ*.

1 Et merito sane hoc pro Giannellio responsum P. P. dederunt. Quod enim per quadriennium, et oltra, procuratoris officium Giannellius gesserit in litibus pro Ægidio De Carolis agendis apud Urbis Tribunalia, constat in facto neque ab Ægidio in discrimen adducitur. Hoc itaque posito consequitur

in jure quod causidicus Giannellius, qui operam suam in causis defendendis locare semper consuevit, debitum sibi pro harum defensione honorarium assequi a defensu Cliente debeat, uti docet *Zacchias de Salario Quæstione* 82 *num.* 3 =. Ac constanter firmavit Sac. Rota præsertim in *Dec.* 400 *et Decis.* 416 *num.* 1 *cor. Cavalerio et Romana Mercedis* 7 *Junii* 1833 § 2 *cor. R. P. D. Meo Bofondi*: Atque id, etiamsi nulla inter partes de honorarii præstatione conventio inita fuerit. Ad hujus vero honorarii quantitatem in specie statuendam prostant antiquæ, ac novissimæ Leges. quapropter optime PP. declaraverunt deberi Giannellio honorarium juxta hujus liquidationem, ad Tariffæ formam perficiendam. Præter honoraria debetur etiam Giannellio ab Ægidio refectio expensarum, quas Giannellius in Causarum pro Ægidio actione ferre debuit qua super expensarum refectione nulla inter Patres est quæstio cum Ægidius tantum contendat Giannellii bonoraria haud esse ei præstanda ad tramites Legum, ac Tariffæ, sed in annua certa summa scutorum quindecim. Id vero ut ipse obtinet propunit primum Giannellium a se fuisse subrogatum in sui procuratoris officio Rocruejo, quo cum convenerat de ea annua præfinita honorarium quantitate ex quo par sit hac in re ipsius Giannellii, ac Rocrucii credito. Asserit dein, quorumdam testium dictis innixus, conventionem, si non scriptam, verbalem saltem ipsum inter, ac Giannellium extitisse de hac annua præfinita honorariorum mensura. Hinc *demum* conventionem arguere, atque adstruere admititur asserta Giannellii observantia, quam eliciit ex quibusdam illius epistolis, et ex eo, quod illius epistolis, et ex eo, quod ille numquam, dum ab eo Ægidio pecuniæ summæ in litium causam ei præstabantur, acceptilationes, quuad hujus pecuniæ partem bonorariorum nomine emisit.

2 Verum hæc omnia objecta P. P. justitia apertissime duce prorsus respuenda esse censuerunt. Animadverterunt siquidem, quoad essertam Giannellii subrogationem Rocruejo, hanc respexisse tantum actionem Caussarum quæ a Rocruejo pro Ægidio agebantur, nunquam vero protendi posso ad annum præfinitum honorarium, quod, ad conventionis tramites, Rocruejus ab Ægidio præcipere debebat; nam nihil hac de re conventum fuerat Giannellium inter ac Ægidium; ex quo firmiter tenendum sit honorarii, pro Litium defensione Giannellio persolvendi, mensuram relictam a Partibus fuisse sub dispositione juris. Nec quidquam Ægidio prodest præsumptio ex Jure deprompta, quod subrogatus assumit naturam, et qualitatem ejus, cui subrogatur, ita ut habendus sit tamquam hujus persona ad *Textum in Lege si cum §. Qui injuriam ff. Si quis caut. Leg.* 1 *§. Hæc actio ff. Si quis testamento liber. Leg. Filiæ §. Tit. ff de condit. et demonstrat. Leg. Unic §* 1 *ff de rei uxoriae actione*; ad tradita per *Barbos. De Principiis utriusque Juris Lit.* 6 *n.* 16 *et in Axiom. Juris Axiom.* 213 *per tot. Politi Dissert. de renunciation.* 7 *num.* 11 *tom.* 2 *et dissert.* 13 *de Miscellan. et praetermissis n.* 9 *et* ad firmata per S. Nostrum Ordinem, præsertim *coram Coccino dec.* 109 *num.* 8 *tom.* 1 *dec.* 140 *num.* 8 *tom.* 2 *dec.* 1445 *n.* 1 *et dec.* 2251 *num.* 30 *tom.* 5 *cor. Emerix dec.* 1088 *num.* 6 *et dec.* 1181 *num.* 30 *cor. Dunozzet. dec.* 495 *num:* 16 *cor. Molines dec.* 1081 *num.* 13 *et cor. Falconer. de Censibus dec.* 9 *n.* 3 = Præter quam quod enim hæc præsumptio ea tantum respicit quæ ministerio Juris pertinent ad personas, et res quibus facta fuit subrogatio, nec ad ea protenditur, quæ procedant ex facto hominis, illud potissimum accedit quod Ægidius Rocruejus opera non amplius uti voluit, quia ipsum Juris, praxeosque scientia parum præstantem et in causis agendis ignarum expertus fuit, ac potiorem hac in re peritiam, majoremque diligentiam invenire in Giannellio speravit, qui ejus votis quam maxime respondit, ut perspicue demonstrat caussarum ab eo per quinquennium actarum ingens quantitatis, earumque felix pro Ægidio exitus.



Digitized by Google

Quamobrem, cum tanta intercederet inter Rocruejum et Giannellium peritiæ Forensis, industriæque disparitas, exulat prorsus genericæ doctrinæ quoad subrogationis effectus ad Ægidio allatæ ut ad rem tradunt = *Sperell. dec.* 135 *n.* 95 *et seqq. Calcagnin. Observ. Pract. Cons.* 85 *n.* 8 *Decius Cons.* 38 *in fin. Monoch. cons.* 88 *n.* 23 *Alex. Cons.* 106 n. 117 *lib.* 2 *Paris. Cons.* 49 *n.* 8 et firmat S. Rota *in dec.* 119 *p.* 8 *recen. numer.* 19 20.

3 Non itaque ministerio Juris firma, ac prosequens in Giannellio haberi potest honorarii quantitas, quæ explicite præfinita fuerat ad Ægidio syngraphæ ope utrique signatæ Rocrueju, qui pro eo procuratoris munus ante Giannellium gesserat. Sed neque verbali ulla conventione pactum id fuisse Ægidium inter, atque Giannellium erat evidentissimum. Mittam, quod dum conventiones hujuscemodi ab causidicis nostræ Curiæ ineuntur, tradere id literis assolent, quibus cavent, tum de tempore, quo procuratio est duratura tum de præstatione mercedis, deque alii rebus quemadmodum fieri ex propria scientia Urbis Causidici dissertissimo suo firmabant testimonio; egitque Ægidius ipse dum hæc sub pactione in Rocruej Clientelam iverat, quod cum non factum ab eo fuisset quando, hoc posthabito, in illam Giannellii sese contulit, cui simplices unas procuratorias literas dederat, prono veluti alveo fluebat ex omissa confectione syngraphæ, qua procurationis honorarium aliaque pacta statuerentur, atque ex discretivo modo inter electionem Rocruei ac Giannellii in procuratores Egidii non volitum a partibus fuisse ut eo modo quo Rocruejus Ægidio suam præstiterat operam in Causarum defensione præstaret et Giannellius, sed id sub Juris dispositione Partes reliquisse ex quo huic licebat honoraria expostulare ad formam Tariffæ, prout tradit *Lex si cum dotem* 23 *in princip. ff solut, Matrim. Lex* commodisset 10 ff de liber *et posth.* ac docet *Card. de Luca de Donat disc.* 8 n. 23 atque S. Nostrum Tribunal *in dec.* 1120 *n.* 9 *cor. Molines in Romana Immissionis* 15 *Januarii* 1760 § 6 *cor. Ubaldo ac in Romana Nullitatis Inscriptionis hypothecariae* 17 *Januarii* 1823 § 12 *cor. bo. me. Martinez.*

Præterea nullo modo probabat Ægidius verbalem etiam contractum inter ipsum, et Giannellium de præfinita annui honorarii quantitate initum fuisse. Testes enim, quos illo attulerat, ut suam hanc firmaret pacti conventi exceptionem, suspectissimi erant omnes. Quod præterea hi deponebant, incerte, contradictorie, nec unanimiter. Non de propria Scientia deponebant, sed de auditu tantum; præter unum Sabatinium, qui narrabat sese audivisse simplicem fuisse initum tractatum de præfiniendo annuo Giannelli honorario ad eum modum, quo præfinitum Rocruejo fuerat, et qui præterea haud recordabatur, an Giannellius præsens reapse huic tractatui fuisset. Nulla itaque fides erat hisce testibus adhibenda, qui obnoxis exceptionibus quam plurimis erant, quique de re deponebant incerte, atque de uno tantum auditu, prout quoad primum, firmat S. Rota in *Albanen. Emphyteusis* 28 *Junii* 1771 § 10, *et* 12; *in Dec.* 48 *num.* 22 *coram Illmo, et Rmo Patrizi*; *et Maceraten. Coloniæ* 26 *Junii* 1829 § 2 *coram Illmo, et Rmo Rivadeneyra*; quo vero ad alterum, *in Perusina Immissionis* 12 *Junii* 1775; *et in Confirmatoria* 1 *Martii* 1779 § 10 *coram Herzan*; *atque in Dec.* 28 *num.* 10 *coram cl. me. Consalvi.* Quamquam, etsi tractatum de præfiniendo annuo honoraro, illo, quod Rocruejus habuerat iniissent Giannellius, atque Ægidius, non inde concludere licebat in id reapse eos convenisse. Re autem vera conventionem tradere literis ut non curasset Ægidius, si definite in eam convenissent, inverosimile prorsus erat, quemadmodum animadvertit *S. Ordo Noster Decis.* 14 *num.* 3, *Tit. de Probation. coram Falcon.*, *atque Dec.* 105 *num.* 13 *coram Crescen.*, ex quo vehementissima sese offerebat conjectura in pactionem illam, de cujus tractatu testes deponebant, non convenisse utique contrahentes, pactumque illud nec verbis quidem firmatum 4

ab iis fuisse, quamobrem altera hæc quoque verbalis pacti exceptio exulabat adversus justam undique Giannellii actionem pro honorariorum solutione ad formam Tariffæ.

5 Quin conventionem hanc ipsam fas esset dicere ex Giannelli observantia, quam Ægidius assurgere propugnabat e quibusdam illius epistolis, et ex eo quod ille nunquam, dum a se pecunias recipiebat in litium causam, acceptilationis obsignavit honorariorum titulo. Quæ enim Giannellius suis in epistolis scribebat Ægidio, nec levem exhibent ullam conjecturam de annuo præfinito honorario. Expostulabat utique nummos ab Ægidio; sed non in conventi honorarii Caussam imo autem taxative pecuniam reposcebat vel pro Caussarum expensis, vel ut in generali redditione rationum supputarentur. Creditor namque is erat ingentis summæ, tum expensarum titulo, tam titulo honorariorum unde non mirum, Sed naturali rationi cohærens erat, ut nummos, quos reposcebat, supputandos generice reposceret in integro credito suo, cum non fuerit expresse dictum, quam deberent in causam imputari. Quod si de honorariis numquam in epistolis suis ad Ægidium meminit Giannellius. Sed de uno credito in genere, gestæ hac solutiones in illo sunt imputandæ, nec ex epistolis assurgere conjectura potest conventionis, quam Ægidius opposuerat.

6 Nec assertæ hujusce conventionis probatio erumpit epistolio ab illo, quo Giannellius reposcebant ab Ægidiu ordinem argenteorum *quindecim*, quasi hæc, quæ adamussim respondebant annuo honorario, cum Rocruejo depacto expostulavisset ille in causam honorarii sui. Hoc namque io epistolio nulla de annuo honorario mentio excidit, nec licet ex eo quam in causam nummi illi essent eroganti. Attamen præsumi nequit ordinem illum præseferre annuum honorarium. Non erat tunc enim annus præterlapsus ab suscepta Aegidii clientela per Giannellium, quum præsefert epistola diem 31 *Julii anni* 1828. Ergo non reposcere Giannellius poterat honorarium, quod adhuc ad eum diem non erat debitum, quodque solvere Aegidius Rocruejo assueverat in scutis 7 obulisque 50 quolibet elapso Semestri. Si demum multis in Giannellii acceptilationibus nulla de honorariis mentio extat, male Aegidius arguebat id evenisse, quia conventum de annuo præfinito honorario fuerat. Immo autem factum id dicat rectius, quia non conventum illud, quia non gesta honorarii solutio. Si enim solvisset Aegidius honorarium, curasset de illius solutione cavere sibi in acceptilationibus, quemadmodum cum Rocruejo egerat, cui dum conventum solvebat honorarium, respondentes ab illo specificas expostulabat de illius solutione acceptilationes. Quod autem cum non factum fuerit in solutionibus Giannellio gestis, concludendum erat, id factum non fuisse, eo quod annui præfiniti honorarii conventio eos inter non extabat, illud Aegidius non solverat.

Cæterum evanidæ conjectationes hujuscemodi attendendæ, vel minimum erat in re, quæ factis probanda erat luculentissimis. Quapropter, quum Aegidius, qui ad remorandam debitam Giannellio honorariorum Solutionem ad formam Tariffæ in medium protulerat exceptiones ineptas de Subrogatione Rocruejo, deque conventione cum eo inita quoad certam honorarii quantitatem, quum, inquam has non probaverit exceptiones, quemadmodum fieri per eum debuisset, audiendus erat, excipiendaque pronis auribus Giannellii postulatio erat de honorarii solutione ad formam Tariffæ, prout excipiendam justitia Duce PP. DD. censuerunt *Leg.* 18 *ff de Probation.*, *Leg.* 19 *Eodem et S. Rotæ Dec.* 1103 *num.* 14 *cor. Lancetta; Dec.* 16 *n.* 6 *cor. Olivatio;et in Romana reintegrationis* 7 *Maii* 1784§ 9 *cor. Lancellotto.* 7

Atque ita judicatum fuit Utraque parte acriter contendente, meo etiam accedente suffragio.



## ROMANA PECUNIARIA

### SUPER RESERVATIS QUOAD SCUTA 100.

*Lunae* 19 *Novembris* 1834.

### ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Cessionarius tenetur omnes adhibere diligentias pro exigendo nomine cesso, non excluso etiam judiciali mandato pro excussione cessi debitoris, ut possit actionem suam convertere contra cedentem.*
2. *Ad probandam solutionem alicujus nominis multum valent praesumptiones, et indicia.*
3. *In defectu probationis ad jusjurandum partis standum est.*

### DECISIO CCCCLXIX.

Quum Aloysius Capozi debitor esset Antonii Bertazzoli pro pensionibus latifundii — *della Cotarda* —, quod ille ab anno 1817 per novennium conduxerat, in die minutionem debiti sui, ineunte anno 1822, cessit eidem Antonio nomen cujusdam debitoris sui scuturum *quatuorcentum*, Phrusinonis exigendorum. Sub die *quinta* Septembris ejusdem anni Antonius retulit in scriptis se exigisse scuta *biscentum* ex cesso sibi nomine, et scuta *centum* sub die *quinta* insequentis Novembris, nec vola, nec vestigio existente num reliqua scuta *centum* exegerit. Elapso locationis, conductionisque tempore, rapitur in judicium Aloysius a filiis, et hæredibus Antonii Bertazzoli, interea vita functi, pro pensionibus decursis in summa scutorum 790 40 coram Advocato Chiodi, Tribunalis A. C. tunc temporis Assessore, apud quem voti sui compotes ipsi facti sunt decreto diei 15 Decembris anni 1824 Interposita appellatione ab Aloysio post varios judicium cursus causa conscendit ad Sacrum Nostrum Ordinem, et mihi in Comitiis diei 3 Februarii præsentis anni roganti dominos Meos concepto dubio — *An, et in qua summa constet de credito, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* — datum est responsum — *Quoad scuta* 690 02 *affirmative, et esse relaxandum mandatum, quo vero ad scuta* 100 *coadjuventur probationes* —. Hodie vero, instaurato certamine super his scutis *centum*, quia de reliqua summa, accedente Rotali Sententia, orta fuerat res judicata, iterum exquisivi PP. — *An, et in qua summa constet de credito, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* — responsum habui — *Negative, præstito per Aloysium juramento de non reddito ordine, et de non exacta pecunia* —.

1 Certum erat, omnique prorsus vacabat dubitatione, Aloysium Capozzi cessisse Antonio Bertazzoli, et ab hoc accepto habitum fuisse nomen cujusdam debitoris sui pro scutis *quatuorcentum* in pensionum solutiones imputandis, quum ipsi hæredes Antonii proferentes hujusce dati, acceptique tabulas fassi fuerint eorum auctorem recepisse maximam illius nominis partem, nempe scuta *tercentum*. Pro residuis vero *centum* ipsi hæredes asserebant sesse, ve' ip orum partem nihil recepisse, sed non probabant diligentias fuisse adhibitas pro ipsius exactione. Inde merito explodenda erat eorum actio contra decentem Aloysium instituta, ut reliqua *centum* assequerentur; quia explorati juris est cessionarium teneri ad omnes adhibendas diligentias pro exigendo cesso nomine, non excluso etiam judiciali mandato pro excussione cessi debitoris, ut possit actionem suam convertere contra cedentem, et ab eo reposcere quidquid debebat, ut notat mea *superior Decisio* § 5 *et docent Caroccius de excuss. part.* 1 *quæst.* 1, *Scaccia de Judiciis Lib.* 1 *Cap.* 76 *num,* 12, *et in Tractat. de Commerc. numer.* 2 *Gloss.* 5 *num.* 256, *Rota post Merlin., de Pignorib. Decis.* 66 *num.* 11; *Decis.* 460 *num.* 17 *coram Buratto, Decis.* 269 § 5 *coram Ratta, et in Maceraten. Devolutionis* 3 *Junii* 1831 § 12 *coram R. P. D. Meo De Retz.* Quod eo magis erat retinendum in proposita specie, cum non constarct restitutam ab Antonio fuisse tesseram, seu — *Ordine* —, ad quod ipse tenebatur, si re-

poscere voluisset ab Aloysio quidquid ipse a debitore exigere nequiverat, ut late disserit citata *Maceraten. Devolutionis* 3 *Junii* 1831 § 11 *coram Eodem R. P. D. Meo de Retz.*

2 Aderant e contra præsumptiones, quod integra ipsius nominis exactio facta fuerit ab Antonio. Non leve etenim erat indicium pro solutione, quod vix effluxis duobus mensibus ab inita cessione, scilicet sub die 3 Septembris et sub dio 3 Septembris et sub die 5 insequentis Novembris 1822 Antonius receperit scuta *tercentum*. Improbabile siquidem videbatur Patribus, quod debitor cessus tam brevi spatio scuta rependerit *tercentum*, reliqua vero scuta *centum* non persolverit post tanti temporis spatium. Huc accedebat tesseram sive = *Ordine* = nunquam Aloysio fuisse restitutam quod certe Antonius facere haud neglexisset, si debitor in repræsentandis reliquis scutis *centum* moram fecisset. Nec quidquam officere posset, quod a defensoribus hæredum Antonii regerebatur, hunc in suo rationum compendio, quousque ad *primam* diem Januarii 1823 porrigitur, adnotando quidquid a Capotio receperat, scripserit tantum scuta *tercentum* ex eo ordine sibi soluta. Nimirum quum inter Aloysium, et Antonium negotia postea etiam intercederent, potuit hic in posterum reliqua scuta *centum* recipere, præsertim quum non adeo sit longum temporis spatium a die 5 Novembris anni 1822, in qua peracta est secunda solutio scutorum *centum*, ad diem primam Januarii 1825 ut conjici valeat nullam factam fuisse posteriorem solutionem, quando peracta non fuerit eo temporis spatio.

3 Omnia itaque suadebant Antonium recepisse integrum nomen scutorum *quatuorcentum*, propterea que rejiciendam esse actionem ab illius hæredibus institutam pro scutis *centum*, quæ partem cessi nominis efformabant. Verum, ut omnem dubitationem removerent PP. et in propatulo ponerent si quid est obscuri in præsenti quæstione, judicarunt quidem non costare de credito hæredum Antonii, sed voluerunt Aloysium jusjurandi adhibita religione confirmare sibi numquam restitutam fuisse syngrapham cessi nominis, nec cessam pecuniam recepisse.

Et ita in partium conflictu jus redditum est.

---

# ROMANA SEU FLORENTINA

## LEGATI

*Veneris* 11 *Aprilis* 1834.

## ARGUMENTUM

Menteraptus, ac furiosus. de rebus suis per testamentum legitime disponunt, et eorum dispositio substinetur, ac juris praesumptione fulcitur, donec non probetur adversa mentis valetudine laborasse testatorem ad tempus scripti testamenti.

### SUMMARIUM

1. *Interdictio, qua nonnullis prohibetur exercitium liberum rerum suarum, perfici nequit nisi prius solemnis edatur sententia, accurataque Causae cognitio praemittatur.*
2. *Civem interdicere praecipuum constituit actum Supremae Jurisdictionis.*

   *Unius Gentis Rector alterius Populi Rectorem, ut sibi aequalem, spectare debet - ibid. -*

   *Judicenti extra proprium territorium impune resisti permittitur. - Ibid. -*
3. *Ubi Decretum necessarium est, per libellum id Proconsul expedire non potest.*
4. *Licitum ex Lege mentecaptis ac furiosis de rebus suis quomodocumque disponere; et eorum dispositio validitatis praesumptione fulcitur, ac substinetur, donec a contradictore plene non probetur adversa mentis valetudine laborasse testatorem ad tempus scripti testamenti.*
5. *Cum per Ecclesiae disciplinam haud permittatur dementibus, aut furiosis Sacra ministrare, consequens est haud furiosus vel demens extimandus qui Sacramentalem excipiat confessionem.*
6. *Plus fidendum testibus, qui de alicujus mentis sanitate deponunt, quam iis qui contrarium testantur.*
7. *Sententia interdictionis in uno prolata regno, non afficit civem, quoad bona illa quae in altero regno possidet.*

DECISIO CCCCLXX.

Averardus Serristori ex Nobilissima Patricia Gente Florentina originem ducens, pluribus fructus missionibus apud potentissimos Europæ Reges, et nonnullis muneribus in Patria, adeo de suis Concivibus meruerat, ut cumulatus beneficiis, et Senatoria dignitate honestatus etiam ad Supremum Hetruriæ Consilium advocatus fuerit. Sed ingravescente ætate, in id venerat valetudinis discrimen, ut ejus Uxor Lucretia Poccia sub specie, quod ejus mens quoque infirma forte foret, obtinuerit per Sententiam, solemniter Florentiæ evulgatam sub die 7 Sept. anni 1814 eumdem Averardum a suorum bonorum administratione interdici. Hic postra, cum æris in mutationem sibi profuturam existimaret. Romam petiit, in hospitium receptus ab Imperis Gomelli. Tunc vir, qui Magni Getruriæ Ducis apud S. Sedem partes sustinebat, certiorem reddere curavit Eminentissimum, qui a Sacratissimi Principis Arcanis eo tempore erat, de ipsius Averardi interdictione. Inde evenit, quod ipse Cardinalis per epistolium diei 16 Aprilis 1825 monitum fecit R. D. Præsulem Auditorem Cameræ, ut interdictionem contra Averardum Florentiæ indictam publici juris Romæ quoque faceret, quod reapse contigit per programmata, queis moniti fuere = *i sudditi Pontifici* = *ne* = *s'impegnino con lui in illegali contrattazioni, ed a qualunque effetto di ragione* = Post quadriennium Serristorius ad extremum vitæ perventus, accitis apud se tabellione, ac quinque testibus, opiime recordatus se jam testamentarias tabulas exarasse usque ab anno 1811 declaravit se codicillum conscribere, quo Imperiæ Gomelliæ menstrua *scuta quatuor cum dimidio*, et Aloysio Salucci scut. novem, quousque viveret, reliquit = *per il lungo servizio, ed assidua assistenza* = quam ab iisdem acceperat. Elato ejus funere Eques Aloysius Serristori ejus filius, ac hæres impugnavit paternam voluntatem, et inhærens interdictioni, renuit legatariis pensionum præstationem. Vadimonio interim indicto coram A. C. Pales, consonum retulit Decretum, quod in gradu appellationis confirmatum fuit a Sacro Nostro Ordine. Nam per me rogati Patres die 20 Februarii 1832 = *An sit locus præstationi legati, ita ut, et in qua summa constet de credito, et sit relaxandum mandatum in casu etc.* = Responsum retuli = *Negative in omnibus* = Sed instanti Imperiæ Gomelliæ facta venia rursus obloquendi cum denuo eosdem Patres rogassem = *An sit standum vel recedendum a Decisis in casu etc.* = Responsum accepi = *Recedendum a Decisis* =.

1 Quod in obscura factorum expositione constitutum fuerat in præterita Causæ propositione compertissima Sacri Nostri Ordinis docilitas pati nequibat, quod hodie confirmaretur in iterato ipsius Causæ periculo. Instituto enim actioni robur omne in eo erat, ut Romæ haberetur legitime interdictus Averardus Serristori ob simplicem promulgationem Sententiæ, Florentinæ per R. C. Auditor expletam publicatis Edictis. Ipsius Averardi filius, ac hæres Aloysius censuræ Legis *Is qui* 18 *ff Qui testam. facere poss.* innixus propugnabat, quod cum patri Florentiæ fuerit administratio bonorum interdicta, Romæ testamentum condere nequibat; et si fecisset nullo jure consistere poterat. At DD. mei, cum animadverterent interdictionem ob dementiam nihil aliud in facto esse quam publicam Magistratus declarationem, ut liberum interdicto impediretur suorum bonorum exercitium cum odiosissima atque acerbissima res sit aliquem prohibere pro arbitrio disponere de suis rebus. Leges omnes proinde in omni tempore voluerunt, quod id perfici numquam posset, nisi prius solemnis edita foret Sententia, et præmissa accurata Causæ cognitione contra naturalem libertatem quis sine ratione suis juribus expoliaretur. Præmissa itaque Sententiæ promulgationis, et Causæ cognitionis necessitate, pronum alveo fluebat quod Romæ quoque Legis præscriptioni parendum esset; quod factum cum non fuerit, consequens erat; quod, uti interdictus haberi non poterat Serristorius, cui proinde

liberum esset Testamentum facere, ac pro lubitu disponere de rebus, quæ ab eo in Pontificia Ditione possidebantur.

2 Nec quidquam officere poterat Serristorio, ne de suis rebus judicium ferret, Florentinæ Sententiæ existentia. Civem enim interdicere præcipuum constituit actum Supremæ Jurisdictionis; quod exequi certe nequit nisi a legitima auctoritate; et hujus interdictionis vis, ac robur egredi haud potest limites illius Ditionis, qua ipsum interdictionis decretum fuerit probatum. At in casu cum nihil commune sit inter Pontificiam, et Florentinam Ditionem necessario consequebatur, quod mandatum unius in alterius Ditione obligatorium esse non possit. Serristorius, constitutis modis legitime interdictus Florentiæ, haud valide de rebus suis disposoisset in illa Civitate, ac in Hetruria; sed Romam perventus ad integrum suorum jurium exercitium reversabatur, cum ei obstaculo esse nequiret Florentina Sententia, quæ Romæ uti nullius auctoritatis folium haberi debet cum Suprema Potestas, quæ in Pontificis Regionibus imperat, nullo jure teneatur parere Judicatis latis ab exteris Tribunalibus. Nationes enim cum inter se natura æquales sint. *Wolfius de Jure naturæ Part.* 8 § 54 consequitur, quod unius Gentis Rector alterius Populi Rectorem spectare debeat, ut sibi æqualem; *id Wulfius de jure Gentium Cap.* 2 § 250. Et quoniam par pari non imperat, consequens est quoque, quod Magistratus unius Populi alterius Populi Magistratum cogere nequeat, et suis Sententiis obtemperat. Translatium proinde inductum fuit Juris principium, quod Legis imperium egredi nequeat limites Regionis, seu ditionem, qua lata fuit teste eodem *Wolfio Cap.* 2 *de Dominio Gentium* § 284 *Grotio lib.* 2 *Cap.* 5 § 21: *Puffendorf. lib. Cap.* 4 § 16 *et* 20 *et Sac. Rota in dec.* 43 § 9 *et* 10 *cor. Emo Odescalchi.* Quod a jure Civili etiam servatum fuit nam jusdicenti extra proprium Territorium impone resisti permittitur a *leg. ult. ff de Jurisd. omn. jud. in unio. Titul. Cod. Si a non competet. Cap.* 4 *de judic.* et legibus unius Municipii non subjicii bona in alio Territorio sita docuere *Bart. et Bald. in Leg. Cunctos populos. Cod. de Sum. Trinit. et Fid. Cathol., Ancharan. in Capit. Canonum statuta* 214 *de Constit. Card. de Luca de Feudis Disc.* 12 § 4 *et S. Rota in Dec.* 253 *num.* 2 *coram Martino, et alibi passim.*

Nec dici potest, quod locum deficientis Decreti tenere valeat Edictum in Urbe palam expositum per Cameræ Auditorem de mandato Emi a Secretis Status; Nam si efficax esset, tunc consequeretur, quod ipsa Florentina Sententia implicite suas vires exercere posset in aliena ditione; contra jura superius adpncta. Qood admitti cum non possit, inefficax ideo renunciandum est idipsum programma, quod cum ad nullum Decretum in Urbe latum se retulerit, ipsius Decreti vices gerere utique non potest. Nam = *ubi Decretum necessarium est, per libellum id Proconsul expedire non potest* = docuit *Lex ne quidquam* § *Ubi ff de Offic. Procons. Nec citra causæ cognitionem* poterat acerbissima interdictione Romæ Serristorius affici, et posthabitis solemnibus a Leonina lege præstitutis a § 1018 ad 1027 per simplex edictum expoliari sui juribus ut in proposita specie constituit *Lex* 6 *ff de Curat. furios et c.* et plenius suo more *Woetius in suo Comment. ad cit. Titul. ff num.* 3, *et seqq.* Quæ universa Juris principia eo pressius firma haberi debebant in odiosissima hac interdictionis materia ex eo, quod in suo vigore adhuc erat conventio inter Florentiuam, ac Pontificiam Ditionem usque ab anno 1816 constituta qua cautum fuerat = *di fare reciprocamente eseguire nei respettivi dominj la notificazione degli atti giudiziali dei Tribunalli Civili*; quæ conventio confirmata fuit die 1 Martii 1826 *limitata però alla sola notifica degli atti Giudiziali Civili, ed esclusa la esecuzione dei Giudicati.* Quæ postrema verba = *esclusa la esecuzione dei Giudicati* = quælibet esse possit Juris dispositio quoad Legum vires ac robur extra Ditionis fines, et quandocumque effrenata esse possit programmatis verba semper importare necessario L- 3

bebant ejusdem libelli inefficaciam ad odiosissimum effectum interdicendi Virum undique spectatissimum, cum neutiquam posset illud simplex Programma a Peculiari Ministro promulgatum destruere, vel abrogare conventionem inter, duas pascentes Regiones æque obligatoriam, et triduo ferme ante confirmatam mutuo duorum Imperantium consensu. Insuper ipsa conventio, cum a Summo imperante stipulata fuerit, Legis vires adquisivit ideuque ex plenitudine potestatis, et expressa speciali mentione abrogari debebatur, et non per simplex Edictum, pruut docuit *Wannes Consil. Canon.* 245 *num.* 4 *et* 5 *Lauren. in For. Benefic. Sect.* 2 *Cap.* 1 *Quæst* 557 *num.* 2 *Rota cor. Verall. Dec.* 41 *num.* 2 *Part.* 3 *Divers. dec.* 137 *num.* 2 *et seqq.* et adamussim in terminis concordati et contractus *Roman. Cons.* 393 *num.* 13 *et seqq. Cokhier ad reg.* 8 *Cancell. Gloss.* 25 *num.* 11 *num.* 1 *Gonzales ibid. Gloss.* 25 *num* 7 *et seq. Rota coram Crescent. Dec.* 2 *cor. Bichio dec.* 234 *num* 9 *coram Crispo dec.* 235 *num.* 8 *In Leodien. Canonicatus* 1 *Julii* 1818 § *etenim cor. Cerro; et Dec.* 352 *num.* 21 *cor. Rezzonico.*

4 Vindicatio itaque Serristorii jure libere Romæ disponendi de suis rebus, haud bono consilio illius hæres Aloysius in deperditæ actionis auxilium advocabat dementiam, quæ causam præbuit Florentino Judici Solemne interdictionis dicendi Decretum. Ad has incitas Causa reducta, unice inquirendum supererat, in quo statu Testatoris mens esset, dum scripsit codicillos. Legum enim latoribus haud effugerat insaniam, dummodo innata, et naturalis non sit, cessare posse. Absolute ideo mentecaptos testamenti factione privari noluere. Licitum proinde ex Lege semper fuit mentecaptis, ac furiosis de rebus suis quomodocumque disponere, et eorum dispositio validitatis præsumptione fulcirur, ac substinetur, donec a contradictore plene non probetur adversa mentis valetudine laborasse testatorem ad tempus scripti testamenti *Leg. Furiosum* 11 *Cod. Qui testam. facer. poss.* § *Præterea vers. Furiosi Instit. quib. non. est permiss. facer. testam.*; *Rota in rec. dec.* 265 *num.* 14 *et seqq. Part.* 9 *tom.* 2 *Dec.* 566 *num.* 7 *cor. Cavaler*; in *Civitatis Vetralæ Manutentionis* 26 *Januarii* 1770 § 7 *cor. Origo*; *in Ferrarien. Immissionis* 27 *Junii* 1783 § 4 *cor. Soderino*; *et in Confirmat.* 18 *Junii* 1784 § 3 *cor. Eodem.*

5 At quod Averardo infirma non fuerit mens, sed sanum fuerit consilium, saltem tempore, quo codicillum scripsit, invictis demonstratur rationum momentis. In primis enim trium Parochum præsto erat non suspecta fides, qui affirmantes fuisse Serristorium = *in pient sentimenti* = ab eo Sacramentalem exceperunt confessionem, eumque S. Nostræ Religionis Sacramentis munierunt. Simplex hoc factum, atque testimonium satis, superque est, ut exclusa dici debeat in Serristorio imbecillitas, cum per Ecclesiæ disciplinam haud permittetur dementibus, aut furiosis Sacra ministrare *Can. Moritum Dict.* 33 *Bononien. de Irregolar. Disput.* 7 *Quæst.* 2 *num.* 23 *Filucc. oper. Mor. Tom.* 1 *disput.* 15 *Cap.* 7 *num.* 87 *Antoin. Theolog. Mor. Tract. de Euchar. Cap.* 2 *in fin. Rota in Dec.* 178 *num.* 14 *coram Durano*; *In Albanen. Donationis* 9 *Martii* 1711 § *absque eo coram Aldovrado*; *Cec.* 754 *num. Tom.* 3 *cor. Lancetta*; *In Ferrarien. Immissionis* 27 *Junii* 1783 § 7 *cor. Soderino*; *Et in Confirmat.* 18 *Junii* 1784 § 6 *coram Eodem.* Ad Parochorum fidem convalidandam accedit testimonium tabellionis, qui controversos Codicillos de mandatu Serristori coram quinque testibus scripsit. Cum ipse quoque deposuerit de Serristori mentis integritate, maximam sibi fidem meretur, non tantum quia deponat circa rem per eum ex officio gestam *Rot. Recent. Dec.* 502 *num.* 6 *Part.* 18 *Tom.* 2 *In Bononien. Refectionis damnorum* 27 *Junii* 1877 *coram Herrer in Ferrarien. Testamenti* 7 *Aprilis* 1758 § 14 *et* 21 *coram Eodem et Dec.* 101 § 3 *coram Malvasia*; quam etiam, quia sine causa præsumi non dotest, quod ipse una cum testibus, in actu adhibitis declarare volucrit = *sano di mente, senso ed intelletto* = eum qui realiter fatuus, ac

Digitized by Google

ameos esset; veluti ad rem *S. Rota in Romana seu Napolitana Pecuniaria* 4 *Junii* 1784 § 5 *cor. Origo*; *Dec.* 88 § 3 *cor. Malvasia et Dec. Confirmat.* 89 § *cor. Eodem.* Quorum depositio magis magisque corroborabatur a nonnullis aliis testibus, qui de certa scientia Averardi imbecillitatem excludebant; et insuper ad iisdem codicillis, qui nullum absurdum præseferunt, sed e contra sani consilii urgentissima argumenta proferunt; videlicet Averardi *memoriæ* in confirmando testamentum, quod *decem et octo* annos antea condiderat, et ejus *grati animi* quoad Imperiam Gemelli quæ in suis infirmatibus tam ejus salutis sollicita fuerat, ut dignam eam ipse habuerit meostrua præstatione scutorum quatuor cum dimidio.

6 Cum itaque Tribunal tot, et tam gravia testimonia ad trutinam revocaverit, facile perspexit nullo in calculo habendas esse probationes, quæ ab Aloysio Serristorio proferebantur. Retento enim pro Juris theoremate, quod plus fidendum foret testibus, qui de mentis sanitate deponebant; *Rota in Interamnen. Fideicommissi* 3 *Decembris* 1703 §. *Sed quando cor. Priolo*; *in Albanea Donationis* 9 *Martii* § 1711 *Absque cor. Aldovrando*; *Decis.* 6 *num.* 8 *de Tutori coram Falconerio*; quam eis, qui contrarium testabantur, et flocci æstimandum censuit medicorum testimonium, qui nimia severitate de se bene sentientes invictissimum dementiæ argumentum deduxerunt ex eo, quod Serristorius, in extremo vitæ laborans, continuo eosdem a se repulerit. Quod si imbecillitatis argumentum præsefert, concludendum tunc foret dementes omnino fuisse antiquos illos Romanos, qui per duorum sæculorum cursum, fugatis medicis diu, et feliciter suam vitam duxere.

7 Constituto itaque, qood Serristorius, in Urbe degens, libere de suis bonis in Pontificia Regione sitis disponere potuerit, nullios ponderis efficiebatur exceptio, quæ exadverso protuebatur, quod prorsus inutile evaserit Edictum, quod imperante Emo ab Arcanis prolatum fuerat a Cameræ Auditore. Paratum enim PP. habebant responsum, videlicet, quod non utile, sed imo necessarium idem Edictum fuerit, ut uoicuique comperta foret ipsius Serristorii interdictio se obligandi quoad bona in Hetruria sita, stante edita Florentioa Senteotia, quæ ipsius iocapacitatem proounciaverat, ne ex illius igoorantia quisque decipi posset. Sed quoties agabatur de bonis positis in Pontificia Ditione, integra erat eidem Serristorio libera facultas de illis disponeodi, cum nulla Tribunalium Urbis præextiterit Sententia, quæ eidem hanc facultatem adimeret, nec hujus defectum sopplere ullo modo potuerit prolata Florentinæ Sententiæ notitia ex juribus superius expositis.

Et ita in acri partium conflictu, me quoque suffragium ferente, judicatum fuit.

---

## ROMANA SEU FIRMANA

### PECUNIARIA

*Lunae* 16. *Junii* 1834.

### ARGUMENTUM

Habes in superiori quae confirmatur - DECISIO CCCCXLV. -

#### SUMMARIUM

1. *Exceptio fundamentis destituta, contemnenda.*
2. *Ex potissimo defectu tituli nulla censetur inscriptio.*
3. *In inscriptionibus praecisi fundi designatio, definita crediti quantitas et titulus, designatio nominis debitoris et creditoris requiritur.*
4. *Actioni hypothecariae exercitium tribuit inscriptio.*
5. *Inscriptio, quae titulum cessionarii in locum illius ex quo hypotheca promanat, secumferat, substantiali irregularitate vitiatur.*
6. *Cum debitoris utilitatem indifferens omnino sit cognoscere quis esset creditor, parvi refert quod debitor idem directe aut per aequipollens creditoris personam cognoscat.*
7. *Cum Canon habeatur tanquam jus reale, transire debet in quemlibet tertium possessorem, ex regula quod res transit cum suo onere.*



Digitized by Google

*8. Obligatio ex antiquis hypothecis procedens ad res etiam mobiles extendi poterat.*

*9 Novum in Jure esset quod creditor, qui vult hypothecarium actionem contra tertios exercere, cedere prius debeat jura sibi competentia.*

*10. Canonum possessores libere possunt canones ipsos hypothecis devincere creditorum favore.*

## DECISIO CCCCLXXI.

Domesticis angustiis, quibus premebatur Marchio Gundisalvius Nunez, cum suppetias pluries attulissent Marchionis Passeri, Patricii Firmani, creditores ipsius perinde iidem evaserunt in non levi quantitatem scutorum 5000, quam diu infrugiferam ipsi cum habere nollent; Joanni Baptistæ Petrini, qui Romæ eorum negocia curabat, mandarunt, ut de credita pecuniia solemni cambii instrumentum conficeret cum debitore Nunez. Die itaque 12 Junii anni 1797 stipulatum fuit cambii instrumentum, Camerali obligatione vallatum, quo debitor Nunez solemniter se obstrinxit fructuum solutioni ad rationem semissem, usque ab ipsius capitis restitutionem. At Petrinius, reticito committentium nomine, cum propria persona cambium hoc inisset, sollicitus fuit aperte declarare solemni emissa bonæ fidei confessione, exarata ab ipsomet tabellione, et sub eodem die, quo instrumentum scriptum fuerat, cambium omnino, spectare ad committentes Marchiones Passerios, cum a se nihil aliud præstitum fuerit præter nomen.

Absque ulla immutatione processit res usque ad annum 1809. Cum hoc tempore in Pontificia Ditione invectum fuerit novum hypothecarium regimen, oportuit creditoribus Passeri nondum restitutum creditum fulcire hypothecaria inscriptione. Ob id Petrinius, uti = *Agente dei Signori Passeri* =, generalem inscripsit hypothecam super bonis omnibus debitoris Gundislavi = *per sicurezza di scudi* 5000. *Capitale di cambio risultante da istromento dei* 12 *Giugno* 1797 *in atti del Ferri Notaro*, = quam inscriptionem, elapso decennio, renovavit die 13 Decembris 1820, pro majori summa scilicet adjecto fructuum triennio in summa scutorum 900. At, cum præceps in diem rueret afflicta Gundisalvi fortuna, in ejus bona impetum facere creditores omnes, quos inter Basilius Salvi, qui pro suo crediti satisfactione judiciariam obtinuit adjudicationem, cujusdam census impositis super Urbana Æde *del Cinque*, et duorum canonum, quorum unus pergravabat quandam domum Albanensem; et alter Palatium Bellisini Romæ situm. Ex obventa bonorum dispertiune cum sui crediti satisfactionem a debitore Nunez amplius consequi non posse Marchiones Passeri bene perspexerint, in vim Cameralis obligationis, et subsequentis generalis hypothecæ contra adjudicatarium Basilium judicialiter agere constituerunt, ab eo petentes solutionem scutorum 7047. pro sorte, et fructibus decursiis, sin minus subbastationem bonorum, quæ ex adjudicatione de Gundisalvii substantia ad eum pervenerant. Favorabiliter eorum actionem excepit A. C. Tribunal quoad bona Romæ sita, nam quoad canonem Albanensem iidem Passeri, animadvertens, quod in generali hypotheca inscripta in Romano Tabulario comprehendi haud possent bona Albani sita, præventivam eidem emiserant renunciationem.

Quoad bona itaque Romæ sita Triumvirorum Sententia admisit Passeriorum instantiam, sub conditione tamen, quod ipsi Marchiones intra mensem explerent Salvii favore cessionem in forma Juris validam jurium omnium eisdem competentium contra debitorem Nunez, quia obtenta præfinivit eidem Salviu terminum octo mensium ad solvendam agentibus Passeri quantitatem sc. 3200. = *per quanti furono ad essi aggiudicati gli oggetti etc. altrimenti, che i medesimi si espongono al pubblico incanto* = At hæc Sententia cum neutri placuisset, ex interposita appellatione delata fuit Causa ad S. Nostrum Auditorium, et die 6 Maii superioris anni cum per me Patres rogati fuerint super Dubio = *An constet de credito, et hypotheca, ita ut sit locus præfixioni termini, seu potius solutioni in casu etc.* « Responsum acce-

ipi » *Affirmative in omnibus juxta modum in Decisione exprimendum* » qui modus autem fuit, quod creditum, et hypotheca affiηere tantum deberet canonem impositum super ædibus Bellisini. At judicium iterum instaurare Salvio cum placuisset mitiorem haud expertus est fortunam; nam pruposito traslatitio dubio « *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.*, rescriptum hac mane fuit = *in Decisis* ».

1 Promutam per Marchiones Passeri actionem non minori contentione iterum adoriebatur Salvius, qui propositi originarii Dubii formulam undique versus evertere intendens, præ primis mordicus insectabat validitatem, atque quantitatem cambii, quo super Marchionum intentio omnino fundabatur. Aggrediebatur itaque Basilius illius crediti existentiam ex eo, quod Petrini nomine larvata fuerit persona Præsulis Xaverii Passeri, meritissimi tunc Vices-gerentis in Urbe, qui insula insignitu cambium illuc legittime sibi adquirere ex Ecclesiastica disciplina penitus probibebatur. At exceptio hæc, qnia fundamentis destituta, si levissima; Patribus videbatur, contemnenda etiam omnino erat ex contrarii adductis probationibus, quibus indubie evincebatur cambium non a Præsule Xaverio, sed ab ejus Philippo fuisse contractum, cum aperte id erueretur a confessione debitoris Gundisalvii, qui de religione ipsius Præsulis solemne circa boc emiserat testimonium, dum adhuc erat in humanis, et repetitis declarationibus ipsius agentis Petrinii, tempore non suspecto emissis, quæ omnem sibi vindicant credibilitatem quousque contrarium luculentius non evincatur. Non saniori autem consilio agebat Salvius dum fretus Sententia A. C. creditum Passeri in quantitate scutorum 5900 trahere intendebat ad leviorem summam scutorum 3200. pro qua sibi adjudicata fuere bona debitoris. Sanctio enim apertissima Art. 699 Codicis judiciarii optionem possessori tribuit, aut integrum creditum dimittendi, aut bona vencis rursus subjiciendi, ut pretium erogetur creditorum favore « *fino alla concorrenza del Credito* ». Si igitur Salvio rependere haud placet præfatam quantitatem scutor. 5900, prepedire utique nequit quod Marchiones Passeri illius Articuli sanctionem sibi favorabilem invocare valeant pro assequenda eorum crediti satisfactione.

Majoribus autem viribus, nimiaque confidentia, hypothecæ validitatem oppugnabat Salvius. Ipse enim contendebat Marchiones Passeri nullam posse exercere bypothecariam actionem ex eo quod inscriptio, a qua ipsi promotam repetunt actionem, suscepta fuerit a Petrinio « *come agente dei Signori Passeri* » pro credito, quod sub anno 1797 fuerat ab ipso Petrinio, non uti ipsorum Marchionum gestore, sed vero nomine respicere potuerit prædictos Passerios, sed ipsum Petrinium subjungebat, quod eisdem Marchionibus utilis nequaquam esse poterat interventa bonæ fidei declaratio, quia hæc instrumento anni 1797, nec adjuncta, nec memorata fuerit, nec pro sua natura apud tabellionis acta asservabatur, proindeque bona fidei potuisse ipsum Salvium sibi persuasum babere controversam inscriptionem consistere haud posse, et perinde credere efficaciter contrahere se potuisse cum debitore Nunez. Idcirco concludebat nullam censeri oportere susceptam inscriptionem ex potissimo defectu tituli; cum nullus in casu adesset quoad Passerios ut hi sui favore legitime inscribere valerent. 2

Patres nihil probare censuerunt ex iis, quæ a Salvio deducta fuere ad evincendam controversæ inscriptionis ab eo peractæ validitatem. Animadvertebant enim ipsi, inscriptiones a Lege inductas fuisse, et curati in contrahendo ab iisdem admonerentur de præexistentibus oneribus, quibus fundi premebantur. Ne igitur creditorum securitas unquam deficeret perpetuo Leges in inscriptionibus requisiverunt præcisi fundi designationem, definitam voluere crediti quantitatem, e titulum, designatum nomen debitoris, et creditoris. Sed pro optata creditoris securitate necessarium præ omnibus apprime visum fuit 3

cognoscere quis est debitor, et a quo tempore debitum suum sortitum fuerit exordium, quapropter constanter in Jure receptum fuit potiorem, urgentioremque esse debitoris, quam creditoris notitiam, atquo scientiam; hinc error substantialis in debitoris personam irreptus, dum insanabili nullitatis vitio inscriptionem afficiebat; e contra ipsius inscriptionis validitatem haud destruere definitum fuit, si in creditoris designatione excideret, præcipue si per æquipollens indicationis defectui suppleri posset, cum semper in hoc casu salvum esset interesse bonorum adquirentium, quia posita certa aoterioris crediti scientia, emptori indifferens omninn redditur, cognoscere, quæ reapse sit creditoris persona.

4 At in casu non solum haud probatur ullum irreptum fuisse substantialem errorem in controversa Passeriorum crediti inscriptiono, sed e contra ab ipsamet descriptione satis aperte designata apparebat Marchionum Passeri personæ. Si enim actionis hypothecariae exercitium tribuit inscrlptio. ex ipsa inscriptione satis liquet, quod ipsa actio hypothecaria spectare unice debebat ad Marchiones Passeri, et non ad Petriniom, quia, hic unum inscripserit uti = *Agente dei Signori Passeri* = quidquid, en suscepta inscriptione, ei abventurum esset, adquisitum esse debuerat Marchionibus Passeri, ex tritissima Juris regula, qood Mandatarius ad quirit pro suo mandante. Insuper, cum hypothecam Patrium, inscripserit = *per sicurezha di scudi*5000 *capitale di Cambio risultante da istromento dei* 12 *Giugno* 1797 *in atti del Ferri Notaro* = difficile haud erat deducere, quod instrumentum illud nomen Petrinii praeseferens, ab eo confectum quoque esse potuerit, uti procusatore ipsorum Passcrorium, quorum uti gestor inscriptionem susceperat.

5 Nec hic Patribus videbatur probari posse, quod pro ipsius inscriptionis validitate, conservatori exhibere Perinius debuisset ipsius cambii cessionem, vel saltem praexistentem illam bonae fidei declarationem; qua ab eo constitutum jam fuerat usque ab anno 1797 Marchionibus Passeri, et non sibi pertinuisse contractum cambium; nam ad has incitas redacta præsenti controversia. Patribus haud affugerat Petrinium minimo teneri ad exhibendum illum actum secondarium, ex ratione, quod inter Passerios, et Salvium, haud hodie dimicatar de validitate delegationis quo in casu æque desideranda fuisset secundi hujosce actus publicitas, ac notorictas; sed res est de validitate inscriptiunis susceptæ, habita relatione ad titulum originarium anni 1797, quæ relatiu satis erat, ut Basilius, vel quilibet alius certior evaderat de onere præexistenti, ut propriæ incolumitati provideret, quin defectus designationis secundarii actus scientiæ officere possat, nam huic defectui satis provisum fuerat a Petrinio semel ac inscriptione se adnotaverat uti = *Agenti dei Sigaori Passeri* = quod satis erat ad inducendum, quod cambium ab eo etiam, uti Marchionum gestore contractum esse debuerit. Insuper Patres pro renuncianda inscriptionis validitate animadvertebant aperte Legem præscribere, quod exhibendus tantummodo sit titulus originarius hypothecam ipsam constituens, qui in casu, quo versamur ipsum instrumentum anni 1797 a Petrinio incontroversa inscriptione designatum; nec vero ab eo exhibendus crat = *il titolo susseguente per cui il cessionario avesse acquistata questa ipoteca* = nam = *l'iscrizione in cui fosse enunciato il titolo del Cessionario in luogo del titolo da cui nasce l'ipoteca, sarebbe viziata di una irregolarità sostanziale operante nullità* prout admonuit *Sireyus part.* 1 *pag.* 218 *referens Decis, Aulæ Cassationis die* 12 *Aprilis Anni* 1810.

6 Rationi autem invicem minimo apparebat, quod titolus, hypothecam constituens, Joannis Baptistæ Petrini nomen et suscepta inscriptio nomen Marchionum Passeri præseferrent; nam quoties Petrinius inscripsit; Uti = *Agente dei Signori Passeri* = concipi haud difficile erat quod instrumentum anni

Digitized by Google

1797 non Petrinium, sed eosdem Marchiones aliquo modo respicere deberet; quod aperte Barilius cognoscere potuisset si ipsum instrumentum perlustrare voluisset, quia adjectam tunc invenisset declarationem illam quam hodie hypothecem conservatori exhibitam ipse Salvius maluisset. Sed cum praeexistentis crediti notitiam certe habuerit. Salvius, cum ejus utilitatem indifferens omnino fuisset cognoscere quis esse creditor, parvi inde refert, quod ipse directe, aut per æquipollens cognoverit ipsius creditoris personam; ut in durioribus etiam casibus decisum fuit *teste Gredier. Trat. delle ipoteche part.* 1 *cap.* 1 *sez.* 2 § 2 *num.* 72; *et S. Rota in Centumcellar. Extinctionis hypothecæ diei* 19 *Martii* 1832 § 9 *coram R.P. D. Meo Marini*, *et ejus in Confirmatoria diei* 8 *Junii cit. Anni* § 5 *coram eodem.*

7 Profligata objecta inscriptionis nullitate, censuerunt Patres cobibendam esse hypothecam ad canonem tantum, ædes Bellesini, pergravantem. denegata ipsius Inscriptionis validitate,quoad censum impositum super Palatio *del Cinque*. Quoad enim præfatum canonem. Ipsi animadverterunt, quod nulla Lex vetat, quod canones hypothecariis inscriptionibus subjici possint; nam jus percipiendi canonem cum habeatur uti jus reale, capax perinde est hypothecæ, ad instat substantiæ immobilis, in sequelam scilicet dominii, quod canonis emptor adquirit super fundi gravati proprietate. Cum igitur Canon habeatur tamquam jus reale, consequitur quod necessario transire debeat in quemlibet tertium possessorem, ex vulgatissima illa juris regula quod res transit cum suo onere, ita ut creditor contra cam agere possit ac si nondum avulsa fuisset a dominio principalis debitoris *Leg.* 4 *de Pignor. et Hypotec.* Ex hoc itaque incontroverso juris degmate S. Nostrum Auditorium constituit in hac parte confirmandam esse A. C. Sententiam, quam vero confirmare æque quoad censum pergravantem Ædea *Del Cinque* non credidit, cum census nullum secumferant jus proprietatis, et quia in Jure receptum est, quod census uti simplex creditum, recenseri debeat inter res mobiles, quæ inspectis tam Gallicis, quam Pontificiis Legibus hypothecæ subjici non possunt. Nec utique in proposita specie peculiaris desideratur censura, nam in Art. 7. Motus Proprii Anni 1816 aperte sancitum fuit = *non può imporsi ipoteca sopra alcuna specie di Crediti, e di Azioni benchè ipotecarie, compresi anche li Censi consegnativi, e reservativi* =, quæ patula Juris dispositio flexit Nostrum S. Tribunali ad corrigendam A. C. Sententiam, quæ Marchionibus Passeri jus tribuerat persequendi censum ex actione hypothecaria.

Minime autem opponi valet, quod 8
res sit de antiqua hypotheca, quæ antequam vigens hypothecarium Regimen invectum foret, amplecti etiam poterat res mobiles; nam incontroversum utique est, quod obligatio, ex antiquis hypothecis procedens, eo perdurabat, quamdiu in debitoris manibus res mobiles, hypothecæ vinculo obstrictæ, mansissent, et, vix distractæ forent, ab ipsius hypothecæ nexu dissolvebantur, et liberæ efficiebantur penes tertios possessores. Nec pressius rem defendendo recte objciebatur, quod censum hypothecas ex Gallicarum Legum dispositione in implicito earum validitatis statu asservatas fuisse censendum sit, quoties conceptis verbis servati legantur perpetui redditus, quibus præcipue assimilantur nostris census. Nam Patres contra perpendebant, quod Gallicæ Leges haud tanti valere poterant, ut hypothecariæ inscriptioni obnoxium reddere, possent Censum Pianum, qui ipsius inscriptionis capax antea non erat. Quod si etiam illarum Legum imperium temporis intermedio id efficere valuisset, cum perinde, expulsis Gallis, Pontificiæ Constitutiones revixerint, res in casum inciderat, a quo incipere non poterat, et census proinde inscriptionis hypothecariæ incapax rediisset, prout antiquitus erat, antequam Constitutiones Pontificiæ, iterum ad vitam revocatæ, a Gallicis Legibus abrogatæ

Digitized by Google

fuissent. Insuper, maturius re perpensa, haud in facto probabatur, quod directe Pianum Censum respexerint Gallicæ Leges invocatæ. Ipsæ enim in genere tantum loquutæ fuere de redditibus perpetuis, de illis nempe redditibus, qui idonei essent ad jus hypothecæ inscribendum, quique haberi possent pro rebus stabilibus, quorum respectu constitutum fuerat ab ipsis Gallicis Legibus, quod inscriptio servare deberet hypothecas, et privilegia = *ch' esistevano in forza delle antiche leggi* =. At juxta præsistentes Pontificias Leges onera, quibus pergravabantur res mobiles, quas inter adnumerabantur Census, cum oppido cederent, semel ac in tertios possessores res ipsæ per transissent, consequitur quod in illa Gallicarum Legum dispositione compræhensus dici nequiret census, de quo agitur, quia in vim antiquarum Constitutionum ejus privilegia, et hypothecæ cessabant, semel ac in tertios possessores census ipse migrasset.

9 Quod autem jurium cessionem ab A. C. Collegio imperatam diversam amplecti sententiam placuit, S. Nostro Auditorio, cum nulla adsit lex, quæ Marchionibus Passeri cessionis onus imponeret, et quia novum in Jure esset quod creditor, qui vult hypothecariam actionem contra tertios exercere cedere prius deberet jura sibi competentia. Gravissimum hoc onus videbatur PP. DD. Meis minime ferendum, præcipue in casu, in quo versamur. Contingere enim poterat quod Marchiones Passeri postquam se expoliassent personali actione, quam contra debitorem, exercere possent, parum vel nihil ex instituta reali actione deinde consequerentur. Quod damnum eo magis in pretio haberi oportet, cum Marchionum credito adjiciendum sit alterum fructum nomen, ad quod condicendos præfata realis actio impar omnino erat. Reformari quoque merebat A. C. Sententia quoad constitutum octo mentium spatium, intra quod a Salvio dimitti debebat creditum Marchionum Passeri A. C. enim Triumviri directo iverat contra apertissimam censuram Articuli 699 Codicis Piani, quæ jubet, quod possessori præfiniri debeat = *un termine non minore di un mese, e non maggiore di tre* =. Proinde, cum contra claram hujusce Legis dispositionem peccaverit memorata Sententia, Patres Mei, eam corrigentes Præfiniverunt Salvio trium mensium terminum, ad effectum solvendi instantibus Marchionibus scuta 5900, quo termino inutiliter elapso, publicæ licitationi subjiciendum esse statuerunt eorum favore canonem Bellisini, de quo superius actum fuit.

10 A suscepta Sententia Patres nequaquam removerunt quæ extremo loco objiciebantur e Salvio, videlicet quod Marchiones Passeri bona specialiter hypothecæ subjecta persequi prius tenerentur, antequam tertium possessorem divexarent, cum hic non teneantur nisi in subsidium; quod si posthaberi deberetur, inutila in Jure tunc esset excussionis beneficium, inutiles omnino forent speciales hypothecæ, et summa injuria remissum esset creditoris arbitrio pacificis possessoribus perpetuas inferre molestias. At Patres nullo in calculo hæc omnia habere censuerunt, quis canonum possessores libere possunt canones ipsos hypothecis devincere creditorum favore, et, cum perpetua sit inscriptionis causa, onus vinculi nunquam deficit, et idcirco fundi hypothecati adjudicatio jura aliorum creditorum, hypotheca pollentium super eodem fundo, perimere nequibat ex *Text. in Leg.* 4. *Cod. de Evict.*; sed ipsa hypotheca una cum eodem canone transire debuit in Salvium tertium possessorem ut firmat *Decisio* 60 §. 4 *cor. Malnasia, et Romana Purgationis Moræ* 6 *Jul.* 1832 §. 3. *cor. Mc.* Cum igitur in vim generalis hypothecæ Marchiones Passeri sibi devinctum etiam habuerint præfatum canonem, prepediri in suæ Hypothecæ exercitio non possunt sub prætextu, quod prius experiri ab illis debeantur speciales hypothecæ, et id eo præsertim; quia existentia specialium harum hypothecarum a Salvio minime probabatur. Quod

firmius etiam haberi oportet, cum non probetur debitorem Nunez alia bona possedisse, qua specialibus hypothecis subjici possent. Sed si etiam horum bonorum existentia probaretur, attamen minime ab iisdem juvari valuisset Salvius, quia favore Marchionum Passeri extabat Cameralis obligatio, adjecta instrumento anni 1797., quæ illos ab omni excussionis obligatione solvit ad traditu *per Zanchium de obligat. Camer. Quæst.* 17. *num.* 21, *Rota in recent. Dec.* 449 *num.* 6. *Part.* 3., *Dec.* 595 *num.* 3. *cor. Riminaldo, Dec.* 144 §. 12 *post Merlin. de Pignor., Romana Dotis* 13 *Xbris* 1819 §. 2 *cor. R. P. D. Meo Spada Decano*; *Corana seu Veliterna Salviani* 5 *Maii ejusdem Anni cor. Emo Marco*; *Recineten.* 9 *Jun.* 1832. *cor. R. P. D. Meo Bofondi* = Nec contra Cameralem illam formulam aliquid excipi potest; nam obligatio illa si per nuperrimas Leges de novo pacisci nequit, non prohibetur vero, quod, conventa tempore habili, possit suam exercere vim, atque efficaciam, ut firmatum fuit in *Ferrarien. Pecuniaria* 22, 9*bris* 1822 §. 5 *cor. Emo Tiberi, in Callien. Census* 18 *Jun.* 1827 *cor. R. P.D. Meo Bofondi*; *et in Bononien. Actionis hypothecariæ* 12 *Maii* 1828 *cor. R. P. D. Meo Muzzarelli.*

Et ita, utraque Parte contradicente, decisum fuit, me quoque suffragium ferente.

---

## SETINA NULLITATIS EXECUTIONIS

### ET ADJUDICATIONIS

*Lunae* 14 *Aprilis* 1834.

### ARGUMENTUM

**Ad Executionis Adjudicationisque nullitatem ostendendam validissima in promptu succurrere debent argumenta: post autem unius anni lapsum nullitas hujusmodi nequit amplius deduci.**

#### SUMMARIUM

1. *In exequutionis, atque adjudicationis, actibus non liceat insurgere, nisi ea praestantur validissima, quae demonstrent illorum injustitiam, ac nullitatem.*
2. *Plura credita una tantum inadequata solutio extinguere nequit.* – Et num. 3. –
4. *Compensatio fieri de liquido cum illiquido non potest.*
5. *Injusta et incivilis actio ad propugnandam exequutionis, adjudicationisque nullitatem, suum haud sortitur effectum.*
6 *Cujuscumque generis nullitas quoad actus executorios nequit amplius deduci post unius anni lapsum.*
7. *Rejecta nullitatis actione, corruit quod in illius consequentiam postulatur, uti reintegratio, fructuum restitutio, emendatio damnorum.*

## DECISIO CCCCLXXII.

**P**ensionem, quam pro conductione Latifundii = *della Codarda* = in Agro Pontino siti, cum Antonio Bertazzoli per novem annos, a die scilicet 1 *Januarii* 1817 ad diem 31 *Decembris anni* 1825 conciliata solvere unoquoque anno in argenteis nummis 624. Aloysius Capozzi debebat, prout locationis tabulæ obtestantur, insolutam Aloysius reliquerat ad totum *Junium anni* 1824. Obstrictum hypotheca pro pensionis securitate ab Aloysio fuerat prædium = *il Lago* =, quam rite hypothecam Antonius inscripserat *die* 28 *Augusti anni* 1817. Obierat sed autem Antonius mense Aprili anni 1824. Hinc ejus filii, et hæredes, Philippus, Aloysius, atque Cajetanus pulsarunt Aloysium pro obtinenda pensione insoluta, *ad Junium* illius *anni* 1824 usque ad vim scutorum 791. 40, quam ut rependeret damnatus Aloysius Capozzi fuit per Assessoris A. C. Chiodi Sententiam, latam die 15 *Decembris ejusdem anni*. Hæc vero interim aliæ afflictus pensiones decurrebant ad argentea 312, pro ultimo semestri *anni* 1824, ac pro integro *anno* 1825 locationis postremo, ad argentea 624; quæ cum nec solverentur ab Aloysio, denuo pro obtinendis iis agere Bertazzoli in eum debuerunt; ac pro iis etiam mandata obtinuerunt, tum ab A. C. Alberghini, tum ab A. C. Grimaldi: Alterum præterea creditum, finita locatione scatuerat in Aloysium ex

damnis conducto Latifundio illatis, quod etiam creditum Bertazzoliorum A. C. Grimaldius Sententia sua probaverat in scutatis 110.

Multa ut hæc itaque credita Bertazzolii assequeretur, nonnulla indixerunt sequestra Aloysii debitoribus. Curarunt præterea, ut, Judice auctorante, divenderentur aliquæ equæ ex Aloysii proprietate. At is, qui lapsa propemodum fortuna urgebatur, postulavit a S. M. Pontifice Leone XII. *anno* 1827, ut patrimonii sui administratis œconomo committeretur; a qua demum administratione solutus incessit altero Rescripto Sanctissimi Pontificis GREGORII XVI. cujus nunc imperio lætamur, loco die 24 *Aprilis anni* 1832. Interim cum a Sententia Assessoris A. C. Chiodi numquam interposita fuisset appellatio, eam Bertazzolii anno 1828 exequutioni dare curarunt super Aloysii prædio = *Cesarini* =, in Setino territorio, æstimationis argenteorum 1125 pro una interim argenteorum 300 summa. Tum vero statim interposita fuit appellatio, speciali, ut ajunt, expedita citatione. At, cum Signatura Justitiæ anno 1829 in devolutivo tantum eam concessisset cum clausula = *Sine præjudicio* = Bertazzolii institerunt, ut prædium sub executione maneret pro aliis etiam scutis 491. 40, cumque eodem anno renunciassent alteri executioni pro damnis scutorum 110 in vim Sententiæ A. C. Grimaldi, novam super prædio = *Cesarini* = executionem fecerunt, ita ut illud prætorio pignori subesset pro scutis in totum 901. 40, donec, admissa anno 1830 a Bertazzoliis suspensiva appellatione a Sententia Assessoris Chiodi pro rata scut. 213. 78 ex indulgentia, mansit pignus pro sc. 674, 62. Indicta vero prædii subhastationa, nemo venit empturus ad hastam. Novis hinc editis programmatibus, et licitatione indicta pro sc. 845. 75, minus nempe quarta valoris parte, nec ullo alio ad hastam accedente prædium = *Cesarini* = adjudicatum Bertazzoliis creditoribus fuit, quemadmodum fieri Leges sinebant, tertia in creditorum beneficium pretii parte indulta, quod idcirco assurrexit ad argentea 750.

Gestum id fuit *die* 13 *Julii anni* 1830. Pretii symbolam in nummis 75 obulisque 38 deposuere Bertazzolii, Aloysii debitoris favore; cætera vero argentea 674 et obul. 62 in sui crediti dimissionem retinere debuissent. Attamen, quum Petrus Paulus Calabresi hypothecariam exercuisset actionem in adjudicato fundo, quæ probata fuit A. C. Sententia *diei* 3 *Decembris superioris anni*, solvere hinc Bertazzolii ei debuerunt argentea 614 assesque 72 ut liberum sibi prædium tenerent. Cum autem hi deinde urgerent solutionem sui crediti, alteramqua peregissent exequutionem in prædium = *il Lago* = tunc postulavit Aloysius coram A. C. Auditore compensationem hujusce debiti, cum credito, quod sibi asserebat in argenteis 485, quæ bonifici titulo asserebat ei compensanda Antonium Bertazzolium promisisse cum postremi conductionis anni pensionibus; quam postulatam compensationem Bertazzolii, ad quæstiones demum præcidendas, admiserunt, renunciatione etiam emissa quoad ultimam peractam exequutionem in fundum = *il Lago* = Non tamen contentus Aloysius postulavit etiam eodem a R. C. Auditore, ut nullam, irritamque decerneret exequutionem, atque adjudicationem prædii = *Cesarini* =; a quo Judice, cum ablegatus ipse fuerit ad Tribunal, cujus propria esset quæstionis illius competentia, venit apud S. Ordinem nostrum suam hanc experturus actionem, sub Dubii formula = *An constet de nullitate exequutionis, et adjudicationis, itaut ut sit locus reintegrationi, restitution: fructuum, et emendationi damnorum in casu etc.* =; quam cum ego hodie mane P. P. exhibuerim, merito accepi Responsum = *Negative in omnibus* =.

1 Non enim in exequutionis, atque adjudicationis solemnem actum temere licet insurgere, nisi ea præstantur validissima, quæ demonstrent illius injustitiom, ac nullitatem; quibus non præstitis, ferenda semper pro ejus validitate Sententia est; siquidem actus istos validitatis præsumptio tuetur, pront docent jura omnia, ac præsertim *Lex Quo-*

*ties, et Lex Merito ff Pro Socio*; *L. Cum in testamento* § *Hæc verba ff de Hæred. instit.*; *Alciat. Reg.* 3 *Præsumpt.* 42; *Posth. de Subhast.*; *Inspect.* 20 *num.* 40 *et seq.*, *ac S. Rota coram Ratto decis.* 56 *num.* 1, *in Imolen. Spolii* 13 *Martii* 1752 § 2 *coram Amadeo*; *in decis.* 480 *num.* 1 *et* 7, *atque in decis.* 723 *num.* 2 *coram Riminaldo* =. Non hæc vero præstabat Aloysius, qui rejici idcirco ab injusta actione sua per Leges debuit. Neque autem vera crediti existentia, pro quo exequutioni suppositum prædium = *Cesarini* = a Bertazzoliis fuerat negaretur incassum. Probatum illud extabat ad peractæ exequutionis diem in argenteis nummis 791 assibusque 40 per Assessoris Chiodi Sententiam, a qua cum Appellatum non fuisset rite recteque poterat subjici prædium judiciali pignori pro sc. 300, itemque post devolutivam Appellationem cum clausula = *Sine praejudicio* = pro reliquis scutis 491. 40, ac tandem in vim alterius Sententiæ A. C. Grimaldi pro alia summa scutorum 110 damnorum titulo, postquam alteri executioni jam factæ fuerat renunciatum. Hodie vero mane de crediti illius existentia non erat ullo modo dubitandum; Nam quod pertinet ad primam Sententiam Assessoris A. C. Chiodi, orta nunc est res judicata, cum probatum fuerit Bertazzoliorum creditum, edita post Decisionem, cui titulus *Romana Pecuniaria* 3 *Februarii* 1832 *coram me*, Sententia S. N. Ordinis in scutis pro nunc 690. 02. Quod vero pertinet ad alteram Sententiam A. C. Grimaldi, adeo patet creditum in scutis 110 damnorum nomine, ut numquam ab ea fuerit appellatum.

2 Neque id Aloysius oppugnabat. Confugiebat ipse siquidem ad solutiones, quas Bertazzolii vel ex peractis sequestrationibus, vel ex pecunia ab eo tradita receperant, ut suum debitum contenderet pene extinctum, ideoque nullam, atque excessivam gestam exequutionem evinceret. Sed non recte argumentabatur. Non erat namque Bertazzoliis unum creditum in Aloysium ob insolutas pensiones ad totum *Junium anni* 1824. quod probaverat A. C. Chiodi Sententia, et ob refectionem damnorum, quam probaverat altera A. C. Grimaldi Sententia, quarum vi judiciali suppositum pignori prædium = *Cesarini* = fuerat; sed, præter creditum illud, alia quotidie oriebantur credita pro pensionibus reliqui temporis, quo, ad annum usque integrum 1825. steterat ipsa in conductione; ac pro non exigua pecuniæ quantitate, quam judicialium sumptuum nomine rependere Aloysius debuisset. Probata omnia hæc condamnatoriis Sententiis aliis fuerant. Quas ergo solutiones peregit Aloysius, vel præsenti pecunia, vel Bertazzolii obtinuerunt ex indictis sequestrationibus, cesserunt in horum creditorum imminutionem, pro quibus etiam præsto eis judicialis mandata erant.

Supputarunt itaque Bertazzolii ex 3
eorum creditis quidquid habuerunt ab Aloysio; nec de eo conqueri juste ipse potuisset. Quod reapse gestum ab illis fuisse facile quidem negocio internoscebatur. Mandatum enim Assessoris A. C. Chiodi ad vim usque argenteorum 791. obulorumque 40 amandare primum curarunt exequutioni pro unis tantum 300. argenteis; deinde vero pro reliquis scutis 49. 40 sub judiciali pignore manere prædium sategerunt. Vero enim vero, quum ex intricatissima solutionum notula, quam Aloysius proferebat, non appareret clare undique quid Bertazzolii habuerint reapse, standum eorum fidei erat, nisi in hoc odii, et acerbitatis pleno judicio nullitatis executionis, et adjudicationis perspicuis, et evidentibus undique probationibus. Aloysius ostenderet defecisse Bertazzoliorum creditum. Quod eo magis tenendum in causa erat, quum ex sequestrationibus, quas Bertazzolii Aloysii debitoribus transmiserant, in vim Sententiæ Assessoris Chiodi non constaret ante peractam exequutionem exegisse pecuniam sub sequestro positam, non constabat proinde dilucide de prætensu exequutionis excessu.

Argentea at vero 485 quæ bonifici 4
titulo Antonium Bertazzoli Aloysio pro-

misisse asserebatur, compensanda cum anni postremi conductionis pensionibus, supputari ab Assessoris A C., Chiodi Sententia non utique debuissent, quemadmodum Aloysius, ad creandam exequutioni invidiam præsumebat. Hanc enim compensationem de exequutiunis tempore solutionis loco esse minime poterat, cum ex diserto pacto compensandum bonificum esset cum ultima affictus rata, non autem cum pensionibus decursiis *ad Junium* 1824 pro quibus Assessoris A. C. Chiodi tulerat Sententiam suam. Præterea bonifici illius compensationem ad exequutionis tempdus Bertazzolii non comprobaverant; unde illiquidum creditum illud bonifici tunc remanebat; proptereaque compensandum non crat cum liquidissimo altero credito ab Sententia probato juxta notissimam regulam quod compensatio fieri de liquido cum liquido nequit; *ad Text. in leg. fin. § Ita tamen Cod. de compens. et S. Rota decis.* 99. *n.* 4 *cor. de Veri et dec.* 22 *num.* 8 *coram Illmo, et Rmo Patrizi.* =

5 Futillime præterea Aloysius contendebat nullam fuisse exequutionem, eo quod impetitum ea fuerit prædium = *Cesarini* = non autem prædium = *il Lago* = speciali devinctum hypotheca pro Latifundii = *Codarda* = pensionum securitate. Equidem id obtineret, si hypothecariam egissent Bertazzolii actione: at, cum in themate non hypothecariam illi exercuissent actionem, sed una actione personali stipulatu instituta, insolutas postulaverint pensiones, pro quibus Sententiam habuerunt, addita etiam actione alia damnorum, committere illam exequutioni rite poterant quibuscumque super Aloysii bonis, quæ actione illa realiter ac personaliter detinebantur. Reddebant hæc itaque omnia injustam, atque in civilem actionem ab Aloysio institutam ad propugnandam exequutionis, adjudicationisque nullitatem, de quibus vitiis cum non deceret ipse dclucide, et aperte, quemadmodum in re momentosissima fieri per Leges debuisset, repulsus optime sane e judicio fuerit nullitatis denegata existentia.

Attamen, prætermissa etiam indagine num reapse vitia ulla in exequutionem, ac adjudicationem irrepserint, refricare nunc illarum nullitates Aloysius nequit, apertissima ex Legis censura sublata post unius anni lapsum actione, qua ac exequutoriorum actuum nullitatibus licet reclamare. Perspicua in re erat Sanctio Leoninæ Pragmaticæ Legis, per exequutionis; adjudicationisque controversæ tempus obtinentis, quæ *in Lib. VIII. Tit. XVI,* cui inscripta epigraphes = *Delle nullità degli atti esecutorj* = præcipit indeterminate = *Qualunque nullità in ordine ad atti esecutorj non potrà più dedursi dopo trascorso un' anno* = Atqui *quintus* nunc ab exequutione, tertius autem ab gesta adjudicatiune evulvitur annus; prorsus ut ex hoc uno audire amplius Aloysius nequierit. Leonina autem Sanctio non una Lex erat, quæ idipsum juberat, sed jussum idem fuit in notissima S. M. Pii VII Constitutione *Post Diuturnas*, tenendumque id præterea semper censuit Ordo Noster, ne actus, publica gesti auctoritate, semper maneant in incerto, ac dominia, quæ tradita auctorante Judice fuerunt, in discrimen per ævum possent adduci prout videre est in *Nucerina seu Fulginate. Adjudicationis* 18. *Junii* 1784. *cor. Malvasia* § 7. *in Senogallien Subhastationis, et Deliberationis* 24. *Maii* 1807. *coram Serlupi* § 5. *in Romana Læsionis* 5. *Julii* 1822. § 4. *coram Reverendissimo Spada Decano; atque in Anconitana Nullitatis Exequutionis* 13. *Junii* 1031 § 7. *coram R. P. D. Meo Celestini.* 6

Quapropter hoc ipso uno cadebat alterum adjudicationi impictum vitium ab Aloysio de conculcatione termini in programmatum renovatione, quod etsi vitium extaret, non inde renunciari, post nullitatis præscriptam actionem, nulla exequutio, atque adjudicatio poterat. Nec putandum sano consilio erat non præscriptum Aloysii favore actionem illam fuisse, eo quod stetit ipse sub æconomatu. Æconomus namque si nullitates in exequutionem, vel adjudicationem irrepserant, pro earum agere nullitate debuisset; quod

Digitized by Google

cum ille non fecerit, agere ob id nunc Aloysius utiliter nequit, aperta reluctante Lege quæ porro tenenda Legis censura eo potissimum est, cum agatur de publico servando ordine, quem temere invertendum æqui, justitiæ ratio haud sinit. Rejecta itaque nullitatis actione, reiici necessario oportuit, quod in illius consequentiam Aloysius postulabat, quoad reintegrationem, fructuum restitutionem, ac emendationem damnorum, de quibus proposita formula quærebat.

Et ita etc. Utraque etc.

---

## SUTRINA AQUARUM

*Lunae 20 Januarii 1834.*

### ARGUMENTUM

Publice est aqua si publico surgat in loco: privati autem juris si privata in fundo exurgat. Quum agitur de aqua publica, omnium adjacentium possessorum usui patere debet.

#### SUMMARIUM

*1. Dominus fundi, in quo surgit aqua, aquae proprietatem acquirit, illiusque dominus ille est.*

*Aqua, in publico orta fundo, publici est juris - ibidem. -*

*2. Ex concessione aut venditione sibi acquisitum aquae dominium, quipiam ostendere potest.*

*3. Publicam esse aquam, ex ejus corrivatione, atque ductibus, publica Congregationis aquarum cura, publicisque sumptibus gestis, erui potest.*

*4. In prestabilitis diebus, ac horis, adjacentibus omnibus aquae usus tribuitur.*

*5. Utentes aquis publicis e suo naturali fluxu divertere illas haud possunt, sed eis licet uti per unum defluentem cursum quo natura impelluntur.*

*6. Nemo potest usum aquae praeripere in aliorum adjacentium possessorum damnum, qui pari jure fruuntur ad publicae illius aquae usum.*

*7. Publica aqua publico omnium adjacentium usui patere ex jure debet.*

### DECISIO CCCCLXXIII.

Anno 1808, ad trigesimum ab Urbe lapidem in via, quam C. Cassius Romanus Censor straverat, atque ab eo Cassiæ nomen sumpsit, et retinet adhuc, erupit aquarum caput, quod cum viam luxuriante fluxum suo corraderet, ac deturparet, S. Congregatio Viarum Aquarumque negociis præposita, corrivatis venis structisque per interpositus privatorum agros cloacis, cuniculisque, illam coercuit, fluxumque direxit atque immisit ad publicum rivarum, quem dicunt = *delle Pantane* =. Primus omnium Petrus Manetti, qui agrum fluentis aquærivulo proximum possidebat, petiit ab Congregationis Præside, ut sibi aquam illam divenderet. At Præsul negavit venditionem. Cæpit hinc ipse marte proprio uti aqua pro agrorum suorum irrigatione. Verum Paulus, ac Hyerominus Mariani, qui Agros alteros Aquæ finitimus possidebant uti et illa voluissent. Exorta inde eos inter contentio, quæ delata quum fuerit ad plenam Congregationem Aquarum, misit Congregatio ipsa peritos hydraulicos in rem præsentem, quorum post acceptam relationem, aquam videlicet illam publicam esse omnino, nec ejus proprietatem fuisse cuicumque addictam omnibus vocatis aquæ adjacentium agrorum possessoribus, definivit, ut statis diebus, atque horis, possessores = *omnes prædiorum foveæ adjacentium* = aquis uterentur = *pro irrigatione* = severo iis prohibito = *defluxum ab administratione constitutum immutare* = Nunciata resolutio hujusmodi prædiorum possessoribus fuit.

Res inde processit pacifice ad annum 1830, quo tempore, cum Hyeronimus Mariani, structo in fovea muro divertere aquam illam sui in commodum studuisset, tunc Petrus Manetti, fratres Alexander, ac Francisco Venci, et Aloysius Salvatori, qui secus aquæ defluxum finitima prædia possidebant, addicentes sibi aquæ proprietatem, instituto judicio adversus Paulum, ac Hyeronimum Mariani, Cletum Renazzi Romanæ Curiæ Advocatum, atque Comitem Aloysium Flacchi aliorum finimorum aquæ agrorum possessores, postularun t apud Judices Innocentianos ut redintegrarentur, vel manuteneren-

tur in illius aquæ possessione: quod datum eis est obtinere per amicam illorum Judicum Sententiam, latam postquam Flaccbius judicio illi valedixerat. Provocationis at ope conscendit Causa ad Sac. Nostrum Tribunal, in quo Partes decertarunt primum quoad Dubii concinnationem. Verum per Rescriptum diei 13 *Augusti anni* 1832 imperatum fuit, ut disceptaretur sub formula = *An constet de turbata possessione ita ut sit locus manutentioni seu reintegrationi, et emendationi damnorum in casu etc.* = a me postmodum proposita in Comitiis diei 5 Julii superioris anni, qua die comperendinata Causæ resolutio fuit per rescriptum = *Dilata, et videatur de bono jure, etiam ad effectum manutentionis, vocatis ad Causam interesse habentibus* =. Restaurato idcirco hodie mane omnes inter adjacentes certamine super bono partium jure, formulæ Dubii a me exhibitæ = *An et cujus favore constet de bono jure, ita ut sit danda manutentio, seu reintegratio in casu etc.* = PP. DD. responderunt = *Affirmative in omnibus favore adjacentium, juxta modum in Decisione exprimendum* =: qui exprimendus modus est = *ut liceat uti aquis juxta resolutionem Congregationis Aquarum*.

1 Atque ita responsum scitissime fuit. Nulli quippe litigatorum controversæ aquæ proprietas ex Jure erat addicenda. Exiit namque illa in publicam viam, unde nonnisi publica dici hæc aqua debuisset. Dominus quippe fundi, in quo surgit aqua, aquæ proprietatem acquirit, illiusque Dominus ille est ad tradita *per Leg. Procul. ff de Damn. inf. Leg. Aqua ff, de servit. et aqua, ibique Glossa, et per S. Rotam Decis.* 223 *n.* 23 *cor. Ansaldo, et dec.* 236 n. 7 *cor. Kaunitz.* Atqui nemo ex litigatoribus demonstrare potuisset fundum, in quo aqua exiit, in sui dominio esse, siquidem erupit illa anno 1808 in Via Cassia, in qua via non tantum litigatores sed nec alius ullus dominium valeret ostendere, quippe quia publica via est, publicoque omnium jure detinetur, unde aqua in publico illo orta fundo publica et ipsa erat, nec ideo jus aliquod super ea possunt contendentes proferre.

Nec ab iis factum aliquod recensebatur, ex quo sibi acquisitum aquæ dominium ostenderent. Non concessio, non venditio ulla: immo autem, quum unus eorum petiisset aquæ emptionem a S. Aquarum Congregatione, hæc venditionem negavit. Quo sane facto evidentissime demonstrabatur controversam aquam nulli privatim pertinere, sed publico subesse dominio: Etenim si illius aquæ dominium stetisset penes aliquem, huic postulationes venditionis fuissent porrectæ, non autem S. Congregationi publicarum aquarum Negociis præpositæ, cui unæ preces exhibentur pro emptione aquarum quæ ab publicum attinent. Inutili itaque prorsus conatu sermones suos litigatores effundebant ut evincerent dominium aquæ alicui eorum pertinere, illiusque proprietatem sibimetipsis vindicarent, e qua proprietatem expostulatam manutentionem pendere intelligebant. Inspecto scilicet fundo, in quo aqua oritur, factoque litigatorum inspecto, concludendum necessario veniebat aquam esse publicam atque idcirco nemini illorum ejus proprietatem, salva justitia esse tribuendam. 2

Præterea publicam reapse aquam illam esse optime quidem eruebatur ex ejus corrivatione, atque ductibus, publica Congregationis aquarum cura, publicisque sumptibus gestis. Si enim privatus aliquis luxuriantem aquam, ac pro libitu defluentem derivasset alveumque, quo flueretur, effodisset sibi aquæ dominium acquisiisset. At nemo id egit: una S. Aquarum Congregatio id curavit, idque publicis peregit sumptibus: publico itaque aqua est acquisita. *Lex namque* 2 § 3 *de quotidiana* ait: *Aqua quæ in rivo nascitur; tacite lucrefit ab eo qui ducit*: Ducta ergo aqua hæc quæ ratione loci, in quo surgebat, publica jam erat, publico sumpto, publicaque S. Congregat. Aquarum cura, eo vel magis publica remanebat, *Reigl. dissert. Judic. de Jur. Flum.* § 13 *et Pech. de Aquæduct. cap. quæst.* 24 *n.* 2. 3

4 Evidentissime ita porro constabilita ac præstituta publica aquæ natura,

nullus eorum, qui in causa sunt, quique agros habent aquæ foveo adjacentes, proferre valuit titulum, qui bonum suam jus tueretur; a qua vero boni juris agnitione ex S. Ordinis Nostri imperio manutentionis judicium pendebat, unde aquæ illius publicæ usus sub Communis Juris præscripto remanebat. At communi ex ipso Jure nemo ex adjacentibus possessoribus ab aquæ usu erat prohibendus. Recte itaque sane in illius aquæ usu adjacentes omnes oportere manuteneri PP. DD. censuerunt. Cum vero ex promiscuo usu ipso facillime possent oriri jurgia ac contentiones, adhibendam in themate pro ipsorum prudentia existimarunt regulam illam, quam adjacentibus S. Congregatio Aquarum sua præscriptione dederat, in præstabilitis videlicet diebus, ac Horis adjacentibus omnibus aquæ usum tribuendo; vetito insuper, ne aquarum cursum defluxumquo diverterent.

5 Cui autem præscriptioni, utpote justissimæ, suam accomodare PP. Sententiam per adhibitum modum voluere. Illa namque congruebat optime Juris sanctioni, qua cavetur, ne utentes aquis publicis e suo naturali fluxu divertere illas possint, sed eis liceat uti per unum defluentem cursum quo natura impelluntur, *ud Text. in leg. ff Ne quid in flumin. pub.* ibique *Glos' Cancer. Variar. Resol. Tit. de servit. caps 4 n.* 246 *et Rota in Pontis Curvi Nunciat. novi operis* 24 *Martii* 1828 § 1 *cor. Emo Marco.* = Verum enim vero eo vel magis non erat a S. Congr. jussu deflectendum quum fas omnino ei esset moderari ac definire controversias enatas quoad publicarum aquarum administrationem, tum *ex constit. immensa æterni Dei* sa. me. Pont. Sixti V. tum ex § 160 et 341 Motus proprii *diei* 23 *Octob.* 1823 prorsus ut vani essent clamores, qui de S. Congreg. incompetentia, litigatores proferebant; negari siquidem illi suprema publicarum aquarum administratio et Summi Imperantis placito nequit.

6 Despexere sed vero PP. DD. futilia cuncta, quæ Marianii fratres; ac Petrus Manetti dictitabant, ut illarum aquarum proprietatem sibi vindicarent. Non enim veritati innitebatur, quod Marianii gratis asseverabant, aquam suam esse eo quod oriebatur in fundo eorum. Periti namque homines re accurate perspecta ex officio concordi ore referunt erupisse illam media via Cassia, quæ ad publicum, non ad Marianos attinebat, Venditionem autem aquæ, quam sui favore gestam sui favore gestam Manettus ad Marianis propugnabat, unde privativum jus utendi illa sibi esse authumabat, seposita quæstione, num gesta reapse venditio fuerit, paucis excludebatur a thesi. Etenim, quum certe publica aqua esset, nequibat illa a Marianiis divendi; ideoque ex venditione ista, quatenus secundum Juris regulas dici possit effecta, unum jus Manettio esse poterat petendi a Marianiis quanti interest jus illud privativum ex venditione rei quæ subesse venditioni nequibat, sibi defecisse, non autem exercendi jus illud in damnum aliorum adiacentium, qui pari jure fruebantur ad publicæ illius aquæ usum.

Quæ demum fratres Venci afferebant testimonia de aquæ usu, ac proprietate per annos multos apud se retenta præterquamquod erant extranea nunc in causa in qua de bono jure ad effectum manutentionis, non autem de nuda possessione quærebatur, stare illa haud equidem poterant contra facta ineluctabilia, quæ publicam esse aquam luculentissime demonstrabant. Sit enim quod aqua usi tunc usque fratres Venci fuerint. At usi sunt injuria; absque titulo enim publicam illam aquam privativo sibi jure addicebant injustissime. Publica namque aqua publico omnium adjacentium usui patere ex Jure debet, quibus idcirco hodie mane restitutus usus ille fuit ad normam justissimæ resolutionis Sac. Congreg. Aquarum, quæ publicam administrare aquam supremo jussu suo per leges debet ac potest. 7

Et ita partibus strenue contendentibus, meo quoque cum suffragio redditum jus fuit.

## SUTRINA RESCISSIONIS CONTRACTUS

*Veneris 28 Februarii 1834.*

### ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Juri consentaneum, quod rei venditae, emptori traditae, dominium ab eodem emptore non adquiratur, nisi prius venditori conventum pretium repraesentaverit, vel eidem de pretio fides habita fuerit.*
2. *Ubi in verbis nulla est ambiguitas, non debet admitti voluntatis quaestio.*
3. *Reintegratio petita indulgeri potest tum ex aperta legum dispositione, cum ex explicita dominii reservatione ac speciali ex conventione inter partes inita.*
4. *Sententiae quibus aliquis ad solvendam pretii ratam jam effluxam, decursosque fructus damnatur, pro sufficienti interpellatione haberi debentur.*
5. *Tot causae censentur, quot sunt solutionum termini.*

### DECISIO CCCCLXXIV.

Narrat mea Decisio diei 10 Decembris anni 1832 quomodo Maria, Anna, et Cunegunda, Sorores Nardini, solemnibus exaratis tabulis vendiderant Angelo Jensi bona omnia, quæ in Capranicæ Oppido dominii jure possederant, uti heredes amitæ Margharitæ Torselli. Rerum divenditarum pretium statutum fuit in summa scutor. 2441, quam emptor haud numeravit, sed pollicitus est se illam in continenti soluturum, pro rata unicuique ex Sororibus spectante, quoties nuberent, vel Deo sese voverent; disserto tamen sub pacto, quod si alter ex iis casibus contingeret, idem emptor interpellandus esset *decem et octo* mensibus, antequam ipsa solutio expleri debuisset. At e contra Sorores venditrices ut suæ indemnitati consulerent, præcipuo pacto caverunt, ut quoad usque statutum pretium, conventique fructus ab emptore soluti non fuissent, reservatum esse deberet earum favore = *lo speciale dominio ed ipoteca sopra i detti due stabili da non trasferirsi a favore di detto compratore o di altra qualunque persona, sebbene privilegiata in vigore anche della clausola del costituto, se prima non sarà stato sodisfatto interamente detto prezzo e non altrimenti ec.* = quorum pactorum observantia ut firmior esset, vendentes Sorores adjicere curarunt Fiscalem obligationem, tunc temporis vigentem.

At susceptis obligationibus minime obtemperavit emptor Jensius. Ipse nec obolum, vel pretii titulo, vel depactarum usurarum causa persolvere curavit; adeo ut sorores Nardini supplices adire S. M. Pontificem Pium VII coactæ fuerint, ut eisdem impertiret, absque judicii strepitu, divenditorum bonorum possessionem resumere, in vim pacti reservationis dominii. Benigne earum precibus rescripsit Summus Pontifex, commisso negocio Episcopo Sutrino, ut de bono, et æquo rem componeret. Ob emptoris Jensii tergiversationes integrum triennium consumptum fuit, antequam aliquid inter partes actum appareret. Tandem die 13 Martii 1823 intercedente ipsius Commissarii Præsulis auctoritate, solemnis conciliata fuit inter partes concordia, qua Jensius spopondit infra octo mensium terminum se soluturum instantibus feminis summam scutorum 813. Residuum autem pretium in quantitate scutor. 1626 cavit se repræsentaturum post lapsum *duorum* annorum et mensium *quatuor*, decurrendorum a die 14 futuri mensis Novembris ejusdem anni 1823 Novas hasce obligationes, statuto tempore si non adimplevisset, voluit ipse Jensius, quod in sororum Nardini libera facultate foret iterum recipiendi divenditorum bonorum possessionem nulla præmissa interpellatione, quin huic remissioni obicem parare possent pacta contractus; cum specialiter eisdem fuerit ab eodem Jensio renunciatum.

Cessit interea dies conventae primae solutionis, quin de susceptae obligationis adimplemento sollicitum se Jensius praebuerit. Ei igitur diem dicere cor. Tribunali Viterbiensi debuerunt

sorores Nardini, duplici exhibito libello urgentes, tum sortis, tum decursorum fructuum solutionem. Facile sub die ultima Februarii anni 1824 ab illo Tribunali obtinuerunt mandata; quae vero executioni committere haud potuerunt ob novum quoddam judicium a Jensio incohatum; ut in ævum protraheret decretam solutionem. Dum interim hæc peragebantur, venit quoque, atque cessit dies alterius solutionis reliqui pretii, juxta memoratam concordiam diei 13 Martii 1823. Tunc sorores Nardini, cum a Jensio nihil recipere possent, coram Viterbiensi Prætore denno steterunt, reintegrationem petentes ad possessionem bonorum divenditorum. Justissimam illarum instantiam favorabiliter suscepit Judex sua Sententia diei 15 Januarii 1828, qua idem Jensius damnatus quoque fuit ad rependendos fructus illuc usque decursos. Die igitur 2 subsequentis Julii executioni commissa fuit eadem Sententia, cujus vigore jus ad suorum bonorum possessionem recuperarunt Sorores Nardini. Provocavit Jensius; sed ei denegata fuit appellatio in *suspensivo* a Tribunali Signaturæ; In *devolutivo* ideo proposita fuit Causa definitioni S. N. Ordinis sub dubio = *An et quomodo sit locus reintegrationi ad possessionem bonorum, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* =, cui Patres sub die 10 Decembris 1832, in Jensii contumacia, responderunt = *Pro Informantibus* =idest= *Affirmative* =. Ob impertitam Jensio obloquendi veniam cum bodie rursus proponatur Causa, roganti mihi = *An sit standum; vel recedendum a decisis in casu etc.* =, vadimonium rursus effugiente eodem Jensio, incunctanter PP. responderunt = *In Decisis* =.

1 Dubitari siquidem nequibat, quin, inspectis tum Civilis, tum Naturalis Juris regulis, inspectaque speciali domini reservatione, solemniter adjecta in ipsius contractus tabulis, concedenda esset instantibus sororibus Nardini reintegratio ad venditorum bonorum possessionem Naturali enim rationi, atque receptis in Jure regulis consentaneum omnino est, quod rei venditæ, emptori traditæ, dominium ab eodem emptore non adquiratur, nisi prius venditori conventum pretium repræsentaverit, vel eidem de pretio fides babita fuerit, prout docet Textus in *Leg.* 19 *ff de Contrah. empt.*, § 41 *Instit. de rer. div.*, *Cyriac. Controv. forens. cap.* 164 *numer.* 1, *Rota apud Posth. de Subhast. Decis.* 118 *num.* 4, *et Decis.* 323 *numer.* 2 *coram Emo Isoard*. Quod si verum, atque indubium est in Jure, eo fortius locum sibi vindicat in casu, quum ex ipsis emptionis tabulis aperte scateat, sorores Nardini explicite sibi reservasse rerum venditarum dominium, donec integrum pretium ab emptore Jensio solutum non esset. Quod pactum, dum dominii jura, et Civilem possessionem venditricibus Sororibus reservabat, e contra directe impediebat ipsius dominii transfusionem in emptorem Jensium. Qui ideo precarii titulo, et ad instar meri conductoris in adquisitorum bonorum possessiune versari dicendus est, *ut post Text. in Leg. Cum manu* 80 § *Nemo ff da Contrahenda Empt.*, tradant *Altograd. Cons.* 9 n. 29. *Mangil. de Evict. qaaest.* 20 *num.* 6 *Zanch. de Praelat. Creditor Exercit.* 1 § 1 *num.* 24 *Cyriac. Controver. cap.* 164 *num.*2 *et seq. Rota in cit. Decis.* 118 *apud Posth. de subhast.* in *dec.* 366 *num.* 5 *coram Emo Isoard*; *in Romana Immissionis* 12 *Junii* 1818 § 4 *coram Rmo P. D. Meo Spada Decano*; *in Romaua Executionis Rei judicatae* 1820 § 6 *cor. bo. mem. Martinez del Campo.*

Si igitur, attenta juris sanctione, et pactorum importantia, venditorum bonorum dominium in sororibus Nardini remanere debebat, donec ab emptore conventum pretium sulutum non esset, quum, contra conventionis fidem, ipsius pretii solidationem minime expleverit Jensius, rite meritoque possunt eaedem Sorores Nardini materialem bonorum possessionem vindicare, et uti sua, et nunquam abdicata habere divendita bona· Proptereaque eisdem negari haud potest reintegrationis remedium ut civili, quam nunquam ami- 2

serunt, jungere possint naturalem possessionem, quæ venditionis contractu ementi Jensio tradita fuerat, ut nos edocet *Text. in Leg. procurationis* 5 § *Plane ff de Tribut. Act.*, *Voet.* in *Comment. ad Pandectas Lib.* 6 *Tit.* 1 § 15 *de rei vindicat. Salgad. Labyrinth. Credit. part.* 1 *cap.* 11 *numer.* 135 *Rota cor. Celso Dec.* 365 *num.* 1, *cor Molines Decis.* 1206 *num. cor. Olivatio Dec.* 110 *num. cor. Emo Marco Dec.* 3 8 *num.* 1; *et in cit. Romana Immissionis* 2 *Junii* 1818 § 7 *coram Rmo P. D. meo Spada Decano.* Quod ut effugeret, haud sano consilio objicere Jensius posset, quod dominii reservatio in meram, simplicemque tantum hypothecam resoluta sit. Nam ex recepta S. N. Ordinis doctrina, id tantum efficitur, vel quando agatur de vindicanda e tertii possessorii monibus possessione, eidem ex onerosa causa translata, vel ubi dominii reservatio sit indefinita, ac perpetua, nec ab ulla conditione deprendens ut adamussim distinguere assuevit Noster S. Ordo, et præcipue in *Sutrina Graduationis* 6 *Julii* 1821 §§ 6 *et* 7 *cor. Zinnaai*: *et in citat. Romana Immissionis* 12 *Junii* 1818 § 13 *coram Rmo P. D. meo Spada Decano.* Sed utrumque haud verificatur in casu; nam bonorum possessio haud in tertios transivit, sed adhuc retinebatur ab emptore Jensio, cui absque ulla voluntatis ambiguitate sua bona vendiderant Sorores Nardini cum apertissimo, ac solemni pacto quod ipse Jensius emptorum bonorum adipisci nequiret dominium, vel in alios, etiam adhibita clausula constituti, efficaciter ea transferri, nisi prius integrum solutum esset conventum pretium. Quod pactum veram dominii reservationem continere, atque constituere, non meram hypothecam inducere, pluries advertit Rota, et praecipue in *cit. Dec.* 190 11 *et seqq. coram Olivatio*; ideoque, cum contrahentes luculenter suam pandiderint voluntatem, nempe non hypothecam, sed dominium sibi reservare Sorores Nardini velle super venditis bonis; nullum proinde excitari potest dubium super illorum mente ex receptissima in Jure regula, quod ubi in verbis nulla est ambiguitas, non debet admitti voluntatis quæstio, prout eleganter monuit Paulus *de Leg. Ille aut ille* 25 § 1 *ff de Legat.* 3.

3 Nec petita reintegratio Nardiniis indulgenda tantummodo videbatur PP. ex aperta Legum dispositione, vel ex explicita dominii reservatione; sed etiam ex speciali conventione inter partes inita, auctorante Sutrino Antistite, in qua Statuti fuere solutionis termini, quibus inutiliter elapsis, potestas data fuit Sororibus Nardini remeandi ad venditorum bonorum possessionem; ita suadente *Leg.* 1 *Cod. de Pact. inter empt. et vendit.*, quae aperte nos edocet, quod = *si ea lege predium vendidisti, ut, nisi intra certum tempum pretium fuisset exsolutum, emptrix arrhas perderet, et dominium ad te pertineret, fides contractus est servanda*=; cui consonant *Textus in universo titulo ff de leg. Commissaria*, quem exornant *Fridericus Meister Select. opus tom.* 2 *Opusc.* 3 *de Eo quod inter conditionem resolutivam, et modum interest* § 7 *Mulier. Promptuar. Jur. nov. Verb. Conditio Thes.* 6 *Ferrari Biblioth. Verb. Emptio Art.* 5 *num.* 40; *et Rota in Ferrar. Restitutionis in integrum* 7 *Junii* 1793 § 4 *cor. Cesarei*; *in Confirmat.* 17 *Martii* 1794 § 5 *cor. Eodem*, *et in Veliterna*, *seu Brixien. Cambii super reservatis* 6 *Februarii* 1796 § 5 *coram De Bayane.*

4 Contra tantam rerum evidentiam parvi erat, quod a Jensio allegari poterat, se non fuisse ante de implenda solutione interpellatum. Incivile enim videbatur PP., quod Jensius conqueri posset de ipsius interpellationis defectu, semel ac duplici Sententia fuerat damnatus ad solvendam tum pretii ratam jam effluxam, tum decursos fructus; quæ sanæ duæ Sententiæ, in ipsius Jensii contradictione cum editæ sint, proeul dubio pro sufficienti interpellatione haberi debentur. Nec hic tantum res constitit. Patrum enim animadversioni effugere quoque nequibat, quod in concordia anni 1823 solemniter Jensius valedixerat ipsius interpel-

lationis necessitati, et æque solemni modo obligatum se voluit statis temporibus debitum pretium redræsentare, quibus pactis despectis, tunc ex Jore, etiam extra pactum, locum sibi vindicabat *Commissariae Legis auctoritas* ut statuit *Textus in Leg. 4 ff de Lege Commis, et notant Donnellus in Comment. de Jure Civili Lib.* 19 § 13. *Edit. Lucen. tom.* 4., *Col.* 898; *Ferrari Bibliotheca Juris Verb. Empt. Artic.* 5 *num.* 40.

5 Perperam autem extremo loco objicere potuisset Jensius, licitum haud fuisse Sororibus Nardini *reale* contra eum judicium instruere pro reintegratione ad bonorum possessionem, semel ac antea ipsæ feminæ apud Viterbiensem Judicem *exequ..tivam ei personale* judicium contra ipsum instituerant, ad obtinendam primæ ratæ solutionem, Incivili enim hujusmodi exceptioni primum opponitur vulgatissimum in Jure adagium, tot scilicet Causas censeri, quot sunt solutionum termini; ideoque primum judicium nihil commune habere cum altero postea incohato ad urgendam residualis pretii solutionem. Accedit etiam, quod prius judicium institutum fuerat a feminarum parente, qui nisi adhibitis ordinariis solemnitatibus, Jure præscriptis, deteriorem Mulierum conditionem efficere nequibat. Culmen rei denique imponebat convanta domioii reservatio, quæ rei vendicationis jura tecta sartaque servabat instantibus mulieribus, quarum favore etiam militabat Cameralis obligatio, adjecta emptionis venditionisque contractui, quæ liberam tradit facultatem variandi propositam actionem, quin necessario reperiatur explicita renunciatio judicio in antecessum incohato, prout tradunt *Zanchius de Obligat. Cameral. quaest.* 11 *num.* 12 *Ridolphin. praxis Judic. Part.* I *Cap.* 1 *num.* 127 *Vitali de Jure Signaturae cap.* 2. *Verb. Obligat. Cameral.*; *et Sac. Rota in Romana Salviani* 27 *Aprilis* 1755 § 16 *coram Vicecomit.*, in *Romana Salviani super* 1. *Dubio* 9 *Junii* 1816 § 7 *cor. Eodem.*

Et ita etc. altera tantum etc.

*Coram De Cursiis Tom. IV.*

## VADEN NULLITATIS CONTRACTUS

*Lunae* 20. *Januarii* 1834.

### ARGUMENTUM

Uti nullus judicari nequit contractus ille qui omnium votis respondeat: etsi propter majorem utilitatem nonnullæ legis solemnia et parvi momenti omissa sint.

#### SUMMARIUM

1. *Contractus in evidenti patrimonii utilitatem initus, qui omnium votis respondit, qui ab majore creditorum parte atque ab comuni ipso debitore probatus sit, absurde uti nullus ac vitiosus urgetur.*
2. *Omissio quarumdam Legis solemnitatum acta a contrahentibus ob propriam utilitatem, ut res privatim et amice componatur, nullitatem contractus hujusmodi parere nequit.*
3. *Solemni ex aequitatis principio omnia admittenda constituitur, quae redeunt in alterius commodum nec alteri nocent.*
4. *Omnis exceptio a Jure aliena nil prodest.*
5. *Posita contractus validitate, actus omnes adimplendi qui consectarii sunt declaratae validitatis contractus.*

## DECISIO CCCCLXXV.

Multo obrutus ære alieno Andreas Duccius, ex Typherno Metauri, haud melius sese extricare ab creditorum actionibus valuit, quam delato ad Judicem patrimonio suo, quod fere unico prædio constabat in Regione » *di Calpucio* », ut, servato Juris ordine, creditoribus illius pretium tribueretur, ex indicto prothopraxiæ judicio. Placuit, creditoribus prædium ipsum licitari: ex quo et cessabant administrationis expensæ, et e pecunia collata unusquisque suam symbolam assequuturus fuisset: spem autem fefellit eventus. Bis enim tentato hastæ periculo, res manserit infecta ex absoluto licitatorum defectu. Interim desperata ferme prædii venditione, Joannes Baptista Ferrios non alienum ab contractu se præbuit, oblato pretio scutorum *nongentum*, et facta obligatione oneris suscipiendi annui cujusdam Legati obulorum, *sex*; *et sexa-*

*ginta*, nec non canonis emphyteutici erga Paræciam S. Christofori in Calpulclo, quibus prædium gravabatur. Occasio hæc capta ab creditoribus fuit, qui, indicto per schedulas privatas extraordinario conventu, qualem sollicita res exigebat, omnes ad unum die 15. Junii 1832. deliberarunt stipulandum, quam citissime esse cum Ferrio emptionis venditionis contractum, delata re ad Constantium Clavarium, ut continenter absolveretur.

Inter creditores Andreæ Duccii, qui super ejus bonis concurrebant, erant Sacerdos Joannes Curzius, cui, uti Rectori Paræciæ S. Christophori, et Pium legatum, et emphyteutica pensio superius relata debebantur, præter peculiare nomen censuarium ad vim scutorum *centum*, *et triginta quinque*. Hic, etsi cum aliis adscitus ad extraordinarium conventum diei 15 Junii, non tamen adesse voluit, ita ut, eo uno Sacerdote Curzio absente, de prædii venditione actum fuerit. Prospicientes forte creditores in futurum Parochi dissensum, atque ad omnem discordiæ causam abscindendam, nihil tutius habuerunt, quam illi integram pecuniam offerre, quæ ex fructuum, vel capitis nomine eidem debebatur. Respuit hanc tamen Sacerdos Joannes, etsi legitime oblatam ex quo deposita pecunia fuit in Æde Sacra accedente Judicis Decreto, et iis omnibus servatis, quæ exigebantur, ut constaret de justo deposito, et facta præsertim denuntiatione Parocho Curzio = *ad effetto, che non possa giammai allegarne ignoranza* = Ne expletum quidem depositum eum retraxit ab injusto dissensu. Immo in judicium venit coram Vicario Capitulari Tipherni Metauri, petitis, vel in Clavarium, vel in creditores patrimonii Duccii, vel in Joannem Baptistam Ferrium, nullitate venditionis, et regressu prædii in dominium creditorum, ut super hoc jura sua experirentur. Invicem creditores dederunt libellum *reconventivum* coram eodem Judice, ut Parochus adigeretur ad depositum pretium recipiendum, atque ad stipulandum cum Joanne Baptista Ferrio novæ emphyteusis contractum. Judex, conjunctis instantiis, alteram ab Parocho Curzio datam undique rejecit, contrarium probavit: et menstruum spatium præfiniit Sacerdoti Joanni ad petiti per creditores instrumenti stipulationem. Hujusmodi autem judicium, pro evidenti justitia, confirmatum ab PP. plenissime fuit. Causa etenim ad S. Auditorium relata in altero gradu jurisdictionis, cum hoc mane PP. rogaverim » *An constet de nullitate contractus, ita ut et cujus favore sit locus reintegrationi, seu potius receptioni depositi, et stipulationi instrumenti quietantiæ, et sit relaxandum mandatum in casu etc.* = Responsum dederunt = *Negative in omnibus ad primam partem, affirmative ad secundam*=.

Nihil omnino est, quod initæ cum Joanne Baptista Ferrio emptionis venditionis justitiam, et validitatem non suadeat. Vel etenim ex Jure; vel ex declarata creditorum voluntate, procedendum omnino erat ad prædii *Calpulcio* distractionem, ut pretium, ex venditione retrahendum, succederet loco rei, utque ad justitiæ tramites inter concurrentes creditores hercisceretur. Quum igitur, incassum iterato periculo, omnis spes prædii ad bastam distrahendi evanuerit; optimum prorsus consilium fuit cum Joanne Bapiista contractum iniisse, qui justum fundi pretium obtulit, atque ita creditores suo jure assequendo habiles fecit; longiores publicæ venditionis tentandae expensas coercuit, et spem implevit, qua nemo ex creditoribus non flagrabat. Factum ex hisce est, quod non creditores tantum patrimonii Duccii, uno Sacerdote Joanne excepto, sed communis ipse debitor de venditione quam primum ineunda concorditer convenerunt. Atque exinde contractus, initus in evidenti patrimonii utilitatem, qui omnium votis respondit, qui ab majore creditorum parte, atque ab communi ipso debitore probatus fuit, inciviliter omnino, atque absurde ab uno Parocho Curzio uti nullus, et vitiosus urgetur, cui certissime incumbit ex Jure, etsi abfuerit ab extraor-

Digitized by Google

dinario conventu diei 15 Junii, id, quod coeteris placuit, observare. *Textus in Lege 7 §. fin., Lege Majorem 8 ff. de Pact., Leg. ultima Cod. Qui bon. ced. poss., Glossa in dicta Legè 8. ff. de Pact., post quem Merlin. de Pignor. Lib. 4 Tit. 5 num. 9., et Rota in decis.* 351 *num.* 1 *coram Manzanedo, in Romana Concursus super adjudicatione bonorum* 7 *Junii* 1747 *num.* 5 *coram Molino, in Romana seu Albanen. super assignatione Bonorum* 22 *Junii* 1767 *num.* 2 *coram Ratto, in Romana* 18 *Aprilis* 1828 *num.* 2. *coram Rmo P. D. Patrizi, et in Romana Societatis* 15 *Junii* 1829 *num.* 7. *coram Rmo P. D. Meo Spada Decano.*

2 Nec legitime sese ab communi creditorum placito non obligari Sacerdos Joannes contendebat, cum extraordinarius ille conventus diei 15 Junii indictus fuerit haud solemniis ubservatis, quae ab Jure exiguntur in protopraxiae judicio, vel adhibitus in stipulatione non fuerit administrator patrimonio deputatus, vel ineundæ venditionis propositum Judex concursus Decreto suo non confirmaverit, contra ea, quae praecipiunt Codicis Praxeos *Articuli* 1487 1488 1490 1492, *et* 1494 *et tradunt Brunemann. in Cod. Lib.* 7. *Tit.* 71 *num.* 6, *Salgad. Labyrint. Credit. P.* 1 *Cap.* 1 *num.* 27.. *et seqq., et Part.* 3 *Cap.* 6 *num.* 2., *et seq.* Exiguntur porro hujusmodi solemnia in actis omnibus, quae Juris ordine servato, perficiuntur in judicio concursus; atque idcirco ab Praxeos Legibus invecta sunt, ut communo vel debitoris, vel creditorum praejudicium avertatur, fraudes vitentur, nec quid admittatur, quod ab Judice confirmatum expresse non fuerit. Ast non idcirco vetitum creditoribus est judiciarias solemnitates praetermittere, et cum debitore quoad modum convenire, qui magis expediat, et respondeat communi utilitati. Hoc casu absurdum omnino foret eas ipsas Leges impedimento creditoribus esse ad meliorem suam conditionem efficiendam, quae in expressam eorumdem utilitatem editae sunt, et quae cessant omnino, vix ac omnibus, seu majori creditorum parti placuerit rem privatim et amice cum debitore componere. Ad rem omnino *Salgad. Labyrint. Creditor. Concurs. Part.* 3 *Cap.* 16 *num.* 35; post quem S. R. Auditorium *in citata Romana Societatis* 15. *Junii* 1829. *numer. fin. coram Rmo P. D. Meo Spada Decano.*

Praesertim cum venditio praedii *Calpulcio* extraordinario ritu inita cum 3
Joanne Baptista Ferrio ne minimum quidem Sacerdoti Joanni intulerit præjudicium: immo redierit in expressam suam utilitatem. Idcirco enim stetit ipse in judicio concursus, ut solutionem ussequeretur censuarii sui nominis ad vim scutorum *centum et triginta quinque*, praeter ejusdem accessiones. Realia enim onera, vel canonis, vel Pii legati, ex pacto convento, in emptorem cum fundo ipso transierunt, ex quo utrumque tutissime servatum fuit favore Paraeciae S. Christophori. Hisce autem admissis, vix ac pretium ex venditione elicitum, eam in causam creditores mutuo consensu erogandum duxerunt, ut praecipue cederent in nomen censnarium Parochi Curzii; vix ac debitam ex eo summam capitis cum legitimis suis accessionibus creditori obtulerent, atque ex ejusdem dissensu in Æde Sacra deposuerunt, controversia omnis ad eum statum adducta fuit, ut concipi nullo modo possit, qua ex causa Sacerdos Joannes provocet nullitatem venditionis, et fundum novo hastæ periculo subjiciendum contendat, cum gravissimo creditorum omnium præjudicio. Non modo etenim urget solemne æquitatis principium, quo ea omnia admittenda, vel servanda esse constituitur, quæ redeunt in alterius commodum, nec alteri nocent; sed insuper ipsa literalis Legis dispositio tutissimam creditoribus exceptionem præbet, qui cum Parocho Curzio pecuniam integram numeraverint, quæ eidem debebatur, omne creditoris jus, quod huic competebat, prorsus extinxerunt, ita ut extraneus evaserit ab judicio concursus, nec modum absque absurdo incusare valeat, quo credito-

ribus procedere placuit in prædi *Calpucio* » distractione. Expresse etenim statutum est ab Codice Judiciario *artic.* 1380., pendente termine ab Judice præfinito in fundorum licitatione, non modo debitori jus esse fundum liberandi ex pecuniæ debitae numeratione, sed insuper = *potranno anche gli altri creditori ipotecarj valersi del diritto, che le Leggi loro accordano, di succedere in luogo del primo, offerendogli la somma dovuta.*

4 Quod autem ipsa re excluditur Parochi præjudicium, inciviliter omnino arguere ipse conabatur vel ex deposita censuali pecunia, quin bimestre spatium præcederet, quod census creditori suppetit ad exquirendam novam pecuniæ erogationem, ex notissima Constitutione S. Pii V., de qua *Cenc. de Censibus Quæstion.* 103 *num.* 18., *et seqq. et quæst.* 111. *numer.* 1., vel ex everso prælationis jure, quod sibi asserit, tum ex census contractu, ad tramites adductæ. *Constitutionis S. Pii V.*; *postquam Constantin. ad Statut. Urbis Tit. de omni genere Retractus, Annot.* 24 *Art.* 7 *numer* 457, *et seqq.*; et S. Auditorium *in Fanen. Census* 21 *Julii* 1646. *et* 19 *Junii* 1647 *per tot. coram Verospio*; tum ex dominio directo, quod est Paræciæ S. Christophori super prædio *Calpucio*, ceu post Textum in *Lege finali Cod. de Jure Emphyt.*, communiter tradunt *Corbul. de Jure Emphyt.* 53 *num.* 1 *Valasc. eod. Tractat. Quæst.* 38 *num.* 5, *Gratian. Discept. Foren. Cap.* 903 *num.* 1 *Fulgin. de Jure Emphyt. Quæst.* 1 *Tit. de Alienat. numer.* 5, *et Rota in Decis,* 297. *numer.* 5 *Part.* 8 *Decis.* 269. *numer.* 26 *Part.* 9 *Tom.* 1 *Recent.*: *in Romana seu Veliterna Cessionis super* 1 *Dubio* 4 *Februarii* 1828 *num.* 6 *coram me*; *et in Romana Servitutis* 29 *Aprilis* 1829 *num.* 4. *coram R. P. D. Meo Ruspoli.* Omnis etenim exceptio, vel aliena erat a Jure, vel trahi nullo modo poterat ad actionem quam Sacerdos Joannes excitavit, et ex qua agitur judicium. Quoad etenim bimestralem *disdictam* exigitur hæc quando debitor sponte sese ab censuaria servitute liberare intendat ex legitima solutione: non item in judicio concursus; in quo, cum census inconctanter repetibilis fiat; cum insuper idcirco Parochus Curzius staret in concursu, ut censuarium ipsum nomen continenter condiceret, omnis cessat necessitas præmittendæ disdictæ, nec præjudicialis, sed utilis habere debet immediata censuarii capitis restitutio; ad ea, quae cumulat S. R. Auditorium *in Coesenaten. Graduationis* 19 *Aprilis* 1828. *numer.* 4 *et seq. coram R. P. D. Meo Ruspoli.*

Quidquid vero respicit jus praelationis, PP. ab praesenti judicio extraneum prorsus habuerunt. Non etenim Sacerdos Joannes suum protulit jus praelationis, ut Joanni Baptistae Ferrio in praedii *Calpucio* emptione sufficeretur, bene vero quaesivit ab Judice, quod emptio ipsa nulla decerneretur, atque, amoto Ferrio, = *il predio torni ad essere di diritto del ceto dei Creditori* = Missa igitur indagine, num ex directo suo dominio ullum Paraeciae S. Christophori competat jus praelationis in vim emphyteusis, quae ad tramites notissimae Constitutionis S. P. Urbani VIII. ad instar Allodii habenda est, cum Parochus dedit libellum judicii introductivum, atque eam actionem introduxit, quae non modo corrigi nulla ratione potest ad praelationis jus expendendum, sed immo huic recta adversatur. Merito igitur PP. eo ipso, quod sartum tectumque Sacerdoti Curzio servarunt assertum suum jus praelationis, ita ab eodem exercendum, prout et quatenus de jure, eumdem ad depositum pretium recipiendum adegerunt, et statutum ab Primo Judice terminum confirmarunt ad novam emphyteusis stipulationem ineundam cum Joanne Baptista Ferrio, legittimo emptore predii = *Calpucio* = Posita enim contractus validitate, nulla fingi hypothesis potest, qua Sacerdos Curzio in hac etiam parte Primae actionis Sententiam observare non debeat, atque eos actus adimplere, qui consectarii omnino sunt declaratae validitatis contractus. 5

Et ita, meo quoque accedente suffragio, jus partibus redditum fuit.

Utraque etc.

Digitized by Google

**VELITERNA SOLUTIONIS FRUCTUUM**

*Veneris 5 Decembris 1834.*

**ARGUMENTUM**

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Inter praestanda ab Emptore veniunt, ut ait Ulpianus* - Usurae pretii post diem traditionis -.
*Injustum contra est legale pactum insurgere - ibidem.* -
2. *Bona fides intercedere tantum potest, ad hoc ut possessor suos faciat perceptae rei fructus dum is nescit possessa in re alteri jus esse.*
3. *Usurae quae fructus rei, cujus pretium non fuit solutum, respondent, haud abnormes.*
4. *Diversum semper est judicium vindicationis a judicio solutionis fructuum.*

## DECISIO CCCCLXXVI.

Cum Paulus Census emerit ab Josepho Galeatio ex Oppido Trium Tabernarum integrum ejus armentum bovillum, atque equinum, habita fide de ingenti pretio ad scutata 7250 expromisit in emptionis confecta syngrapha fructus compensativos ad rationem sexuncem. Nunquam tamen solvit illos census. Quapropter cæteras inter postulationes adversus eum allatas apud A. C. Manarium anno 1829 fuit et illa quæ insolutorum ad eam diem fructum respiciebat solutionem in summa scutorum 3260. Sententia per A. C. Juridicum Tribunal, tunc in causa judicans ex novis Legibus, obsignata, postquam positionibus ab Censio exhibitis Josephus respondit a se nunquam perceptum fuisse armenti intruitum, immo autem sæpissime inutiliter fuisse expostulatum ut fructus solverentur, datum fuit Dominico Galeatio, Josephi interim mortui ex testamento, successori, ut assequi illos posset a die tantum motæ litis, imperata expensarum inter partes compensatione. Provocarunt ambo hac ab Sententia ad S. N. Tribunal, quod proposito a me super quæstione Dubio = *An; et a quo tempore, et in qua summa sit locus solutioni fructuum in casu etc.* = respondit = *Affirmative in omnibus a die initi contractus in summa liquidanda* = veluti explicat fusius mea Decisio ea sub die evulgata. Deinde Censius, qui novam obtinueral audientiam, ex cessis sibi juribus a Fabritio Palazzi, instituit in Galeatium judicium, quo conatur vindicare proprietatem *quinquaginta sex* belluarum ex illis ab Galeatio sibi divendi.is, eoque ex partibum consensu avocato judicio ad. S. N. Ordinem pugnat hodie, ut vel decernatur non esse locum fructuum solutioni, vel saltem protelelur resolutio ad ventura Cumitia, in quibus de nova ista causa disceptabitur. Neutrum tamen ei concedendum PP. DD. censuerunt, assuetæ dubii formulæ a me exhibitæ = *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* = responderunt = *In decisis* =

1 Et recte. Cætera namque inter, quæ *in Leg. 13 § 19 ff de act. Empt. et vendit.* præstanda Ulpianus ab emptore definivit, veniunt et = *Usarae pretii post diem traditionis* = æquissima addita ratione = *Nam cum re emptor fruatur, aequissimum est eum usuras pretii rependere* = itemque traditum est per notissimam *Legem 5 cod. eod. tit.* Ergo ex Juris dispositione nequit Censiusfructuum solutionem effugere. Quamquam adest et pactum, in venditionis apocha adhibitum, rependenpi = *Li frutti compensativi al sei per cento* = unde eo magis incivile est contra apertissimum justissimumque partum insurgere, illiusque impugnare exequutionem, prout admonet præterita mea *Decisio* § 2.

2 Minus incivile haud erat contendere fructus deberi Censio a die una motæ litis. Hac quippe etiam in re adversus conventionis placitum insurgeretur, quod vero ipse æquitati ratione ac scripta lege improbatur. Census enim lautissimos sumpsisset sibi armenti fructus de quo pretium non solverat, ulla absque ratione, immo autem cum ingenti Galeatii damno, qui rei suæ possessione, ejusque pretio expoliatus remaneret. Quin suos facere fructus voluisset Censius ex bona fide, quam obtrudebat. Ubi enim bonam hanc fi-

dem sibi ipso ponat intelligi ullo negocio haud potest, cum sciret ipse se possidere rem, de qua pretium haud solverat, atque hac impellente justitiæ æquitatisque ratione fructus expromisse, quos suos facere nullo modo posse cum alterius damna intelligebat. At vero bona fides intercedere tunc tantum potest, ad hoc ut possessor suos faciat perceptos rei fructus, dum is nescit possessa in re alteri jus esse, quod insanum esset dicere de insoluto armento quoad Censium.

3 Conventi præterea sexunces fructus haud erant abnormes. Præprimis enim conventum id fuit per ea tempora, quibus ex caritate pecuniæ fænus letimum assurexerat usque ad mensuram dodrantem; deinde ubertosissimum erat pecudis negocium, pro quo compensativi fructus paciscebantur; qui cum respondere quodam modo debeant fructui rei cujus pretium non fuit solutum, non excessus fuit æquitatis, ac justitiæ modus. dum pro negocio quod longe majores fructus reddebat sexunces depactæ fuerant usuræ. Cum itaque ulla ratione impugnare debitam hanc præstationem Censius nequiret, adigendus erat ad fructuum solutionem quam peregisse nullo modo edocebat. Testes enim, qui de peractis ab eo solutionibus deposuerunt, spernendi ex jure erant, tum quia suspectissimi evaserant, eo quod expiscati ab Censio lite jam pendente, prout in Decisione, quæ confirmatur § 3 tum quia cum super hac etiam re positiones exbibuisset ipse Galeatio non erat discendendum ab istius jurata responsiones, quæ fidem sibi veritatis vindicabat, qua solutiones' peractas is constantissimo negavit. Justitia itaque duce damnatus iterum Censius fuit ad solutionem fructuum pro summa, quæ in liquidationis judicio deberi ab illo judicabitur.

4 Haud vero sese debuissent PP. DD. abstinere ab ferendo judicio super hac etiam causa ex judicio altero, quod pendet proprietatis belluarum. Etsi enim de Palatii proprietate quoad 56 belluas constaret, non inde tamen evenire poterit, ut Censius emptor non extitisset debitor fructum rei emptæ. Redit quippe hic etiam diversum esse vindicationis judicium ab hoc solutionis fructuum, quod diversas in jure respicit personas, quæ incidenter in Censium cumularentur. Si vero Censius, qua belluarum dominus, valeat repetere hujusce pecudis fructus a Galeatio, in liquidationis judicio hos subtrahere e suo debito poterit, cautumque semper ei erit de suo credito ex prægrandi summa tum fructuum tum pretii quam debet Galeatio.

Et ita etc. Utraque.

---

## VELITERNA

### SUPER AUGMENTO PECUDIS

*Veneris 12 Decembris 1834.*

### ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

#### SUMMARIUM

*1 In nullo pretio habendae sunt testium depositiones, si ambiguae et incertae fuerint.*

*2. Unus testis nullus testis.*

*Repellendus ex lege a judicio est ille qui nullam probationem actionis suae affert. - ibid. -*

*3. Error facti non praesumitur in rè propria, cum rei suae ignorantia non praesumatur nisi luculentissime probetur.*

### DECISIO CCCCLXXVII.

Tres, quæ supererant, concertatione inter Paulum Censium, atque Dominicum Galeatium, Josephi hæredem hoc mane me sciscitante PP. DD. judicarunt, ac creditum augmenti pecudis in equis *viginti et uno, ultra centum et viginti* in totius pecudis venditione expromissos, quod extitisse augmentum in consignatione Galeatius contendebat quoque negavit Decisio mea *diei* 9 *Decembris superioris anni*, negatum rursus fuit, tralatitiæ formulæ a me exhibitæ respondendo = *In Decisis* =.

1 Non enim constabat, prout opus fuisset, de augmento in pecude Censio tradito ad majorem numerum capitum in venditione conventorum. Id namque depositione trium testium Galeatius probare adnitebatur, testimonio nempe Antonii Loffa, Joannis Baptistæ Setini, atque Fabritii Palazzi. At unum tantum Antonii Loffæ testimonium reciendum ex jure erat, quum is constans in perhibito testimonio obierit. Non vero alia duo Setinii, atque Palatii, qui augmenti quantitatem haud recordabantur, quique facillime editum suum contra testimonium insurrexerunt; itaque non erant, ut fideri tuto eorum ambiguis dictis debuisseut. Setinius revera genericе dixit in armenti traditione extitisse = *alcuni Capi sopra più* =; at postmodum recantatus est, quod dixerat, profitendo sese nescire, qua de causa Censius recepisset Galeatii pecus, de quo non recordabatur = *affatto il numero preciso* =; unde impossibile erat scire illum assertum augmentum = *di alcuni capi di sopra più* =. Palatius autem biormis testis et ipse nunc pro Censio, nunc pro Palatio suam fidem perhibuit. Quapropter jure meritoque nullo habendos in pretio testes istos PP. DD. censuerunt.

2 Unus itaque Antonius Loffa remanebat, qui de pecudis augmento doceret. At unius testis depositio nulla probationem exhibebat ad tradita in præterita *Dec.* § 4. Deficiebant ergo Galeatio necessarissimæ probationes, quibus suam sustentaret actionem, quarum autem defectu repellendus ex lege a judicio erat, veluti admonet *cit. Dec. mea dict.* § 4. Neque præsumptionibus juvabatur, quæ immo omnes contra eum insurgebant. Et reapse, si augmentum vere extitisset, de eo non siluisset Galeatius per decennium; adeo ut nec ullam syngrapham petisset a Censio, nec unquam cum illis, qui fuerant traditioni præsentes, vel alia cum persona loquutus de eo fuisset. Dum siquidem vendidit armentum, curavit ut, scriberetur consultissima syngrapha, quæ de contractus veritate fidem faceret; de asserto vero animalium majori numero in armenti venditi traditione reperto, nil scriptum, conventumque fuit; præsumitur ergo non factum id fuisse, quia non repertum fuit illud augmentum. Præterea venditum cum fuisset armentum enumeratis utique capitibus, sed conventione addita, ut statuto sub pretio venirent alia quoque capita vitulorum hinnulorum, ac partuum anni venditionis, narratum a non probandis testibus augmentum oriri facile potuit ex existentia eorum capitum, quæ venire ex pacto sub convento pretio debuissent. Non unus itaque probationem defectus suasit, ut Galeatii actioni obsisteretur, sed multæ etiam præsumptiones, quæ illam evertebant.

Quamquam ut prætenso hujusmodi credatur augmento dicendum est Galeatium errasse in accuratissima sui pecudis enumeratione, per venditionis apocham confecta. Verum facti error hic esset; quod non præsumitur; eo autem minus in re propria, quum rei suæ ignorantia non præsumatur, nisi probetur luculentissime, quemadmodum firmatur *in Decisione, quæ revidetur* § 5. Atqui erroris, atque ignorantiæ probationem, cum unius ex testis dicto Galeatius eruerel, non præsto erat probatio a jure requisita, ut tuto illa essent admittenda. Quapropter nullius momenti evadebat juris quæstio de errore, per emptorem supplendo, in rei venditæ quantitate intervento. Quum enim non probasset Galeatius erroris interventum, inutiliter quærebatur, an supplere illud emptor Censius debuisset, quem imo liberare ab promota crediti propter pecudis augmentum actione oportuit. 3

Et ita redditum judicium fuit: Utraque etc.

---

## AUXIMANA PECUNIARIA

### SUPER OBLATIONE REALI

*Lunae 12. Junii 1835.*

### ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Oblatio nulla dici non potest, quando oblatum sit argentum aliquanto majus vel minus credito super extanti, cum id ex calculi errore promanet. Potest enim pars lassa in congruo judicio erroneae calculationis postulare correctionem.*

## DECISIO CCCCLXXVIII.

Josephus Consoli, qui prout narrat coaeva Decisio mea, vocatus fuerat ad A. C. Pentiai subsellia a praeclarissimo Viro R. P. D. Joanne Carulo Alesii de Castellis ut redderet sibi 3000 argentea, eorumque insolutos fructus in scutis 1050 quae sc. 3000 parenti suo Francisco Consoli fuerant matuata sub fructu *decunci*, paravit e vestigio exceptionem impulationis in sortem fructuum, quos Praesul receperat ultra *quincuncem* a die 1 *Octobris* 1834 ad diem 20 *Junii* 1818 ultra vero *bessem* ab ea die ad illam qua, ducto calculo de reliquo debito suo, obtulit solemniter Praesuli Alesio de Castellis argentea 1136 assesque 55 quot superesse autumabat ut debitum solidaret. Respuit Praesul oblationem. Postulavit e contra Josephus ab eodem A. C. Pentinio ut oblationis validitatem decerneret. At Judex ille pro nullitate tulit Sententiam; e qua cum provocasset Josephus detulissetque Causam ad S. Ordinem, dubium ego hoc mane in Anla proposui *An constet de nullitate oblationis, seu potius sit illa servanda in casu etc.* quod dimissum fuit per responsum *Negative ad primam partem affirmative ad secundam* =.

Nec aliter respondere licebat. Cum enim probatum in altera Decisione mea super credito fuerit, quod fructus percepti ultra Legis modum imputare Praesul Alesius de Castellis debeat in capitis mutuati imminutionem, prono veluti alveo fluebat, ut probanda esset oblatio, quam, per acta imputatione illa, Josephus ei fecerat, juris servata censura. Quod si oblatum fuerit argentum, aliquanto majus, vel minus credito superextanti, cum id ex calculi errore promanasset, non inde erat oblatio, utpote, nulla, respuenda. Aperta quippe semper est illi, qui laesus ab errore fuit, suo congruo in judicio erroneae calculationis postulare correctionem.

Et ita redditum jus fuit etc. Utraque etc.

## ANCONITANA SEU RAVENNATEN

### CENSUS SUPER FRUCTIBUS

*Veneris* 30. *Januarii* 1835.

### ARGUMENTUM

Per accollationem quis efficitur correus debendi, et perinde habetur, ac si ipse debitum principaliter contraxisset - Neque tamen per hoc liberatur debitor originarius, qui primaeva obligatione erga creditores devinctus semper manet.

SUMMARIUM

1. *Incivile videtur quod aliquis, propio testimonio ac facto resistens, factum suum improbare velit.*

   *Admissa accollationis firmitate effugi haud potest petitorum fructuum solatio - ibidem.* -
2. *Dolus probationibus non praesumptionibus evinci debet.*

   *Alterius dolo oppingi nefas quod propriae cujuspiam culpae tribuere debet - ibidem.* -
3. *Posita antecedente dotis constitutione, et necessitate descendente illam dissolvendi, legittima est accollatio, qua obligatio dissolvatur.* - Et num. 4. -
5. *Jus ex accollatione promanans persequendi accollatarios, ab ipsis contrahentibus subverti nequit.* - Et num. 6. -
7. *Exceptio, quae nec juri nec facto innititur, constituere nequit accollationis resolutionem.*

   *Accollatarius, inita accollatione, non solum efficitur obstrictus ad servanda promissa favore accollantis, sed etiam obstringitur erga creditores - ibidem.* -
8. *In accollatione dum originarius debitor sua obligatione erga creditorem non liberatur, adstringitur e converso accollatarius pro eodem debito.*
9. *Per accollationem quis efficitur non simplex fidejussor, sed verus principalis correus debendi.*
10. *Oscitantia et negligentia debitoris, converti non debet in damnum innocui creditoris.*

## DECISIO CCCCLXIXX.

Cum anno 1802 initium fuerit matrimonium inter Franciscum Hyeronimum

gra sua dos in præcitata quantitate scut. *decem millium*, una cum fructibus decerperetur ex viri bonis, quæ sibi obligaverat usque ab anno 1809 legittima inscripta hypotheca; quam renovaverat anno 1819.

Vicarius Generalis Curiæ Episcopalis Fani, quo coram convocatus fuerat creditorum concursu, die 6 Novembris præfati anni 1826 suam edidit Sententiam, in rem Judicatam transactam ab omissam appellationem in qua decima nona sedes adsignata fuit Mariæ Gentile, dum *in vigesimam quartam, et vigesimam sextam* rejecti fuere memorati Patres Oratorii, et Anconitanum Sodalitium Sanctissimi Sacramenti, reservato autem quolibet jure, quod ex acta accollatione eisdem derivare potuisset contra Rasponios. In vim itaque hujusce reservationis egerunt ipsi contra Rasponios coram A. C. Tribunali, petentes fructuum solutionem, = *quoad Congregationem Oratorii in summa sc.* 62 *ad totam diem* 7 *Januarii* 1830 *et quoad Sodalitium in summa scut.* 380 *ad totam diem* 20 *Decembris* 1829 =. At Thomas uxor, satis ducens proprios fratres debitores suæ dotis habere, quam obaratum sui viri patrimonium: obtento interventu ad Causam, nullo studio percepit, ut converti fratres Rasponii a petita fructuum solutione absolverentur. Consona ejus votis edita fuit ab A. C. Collegio Sententia, a qua cum provocaverint PP. Philippini, et sodalitium Anconitanem, causa delata fuit ad S. Ordinem, qui die 11 Aprilis superioris anni 1834 Dubio per me proposito = *An sint solvendi fructus censuum, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = respondit = *Affirmative in omnibus* = At super viribus Decisionis a me editæ cum Mariæ, aliisque fratribus Rasponiis placuerit iterum experiri PP. judicium, post eis concessum novam Audientiam reproposita per me hac mane causa tralatitia formula = *An sit standum vel recedendum a decisis in casu etc.* = resoluta fuit responso = *In Decisis* =.

1 Et merito quidem: grave quippe et incivile PP. Meis videbatur, quod fratres Tomani Nolfi, Patricium Fanensem, et Mariam Gentilem ex prænobili Gente Rasponia Ravennatensi, die 14 Aprilis ad publicum instrumentum reductum fuit quidquid per privatam apocham Superiori anno jam fuerat conventum. Proinde dos Sponsæ Mariæ jam constituta in quantitate scutorum *decem mille*, quoad residuam ratam scutor. 5562, adhuc persolvendam; solidata fuit a stipulantibus fratribus Rasponiis accollatione nonnullorum censuum, quibus gravabatur, sponsi patrimonium, adjecto explicito pacto, quod ipso Tomanius, ejusque hæredes = *giammai patirà, o patiranno il minimo danno, incommodo, o pregiudizio, altrimenti vogliamo che la eredità Rasponi sempre sottoposta all'emenda di ogni e qualunque danno, spesa, ed interesse in forma equipollente, e di guarentigia etc.* = Cum vero ex conventa hac accollatione extinqueretur omnino dotis debitum, solliciti fuere ipsi fratres Rasponi ab utroque conjuge ipsius dotalis debiti liberationem assequi altera expressa declaratione, quod = *stanti li suddetti pagamenti fatti, accollazioni indossate per la residual somma a compimento di detta dote li mentovati conjugi Nolfi Tomani fanno quietanza finale, finalissima ecc.* =

Inter census vero, quos in se suspicerant fratres Rasponii, erat alter scutorum 340 erga Religiosos Viros sub invocatione Divi Philippi in Oratorio Fani; et alter scut. 656 erga Anconitanum sodalitium institutum sub nomine Adorationis Sanctissimi Sacramenti, quibus functibus ad rationem trientem persoluti diu, fuere, vel directe ab ipsis accollatariis Rasponiis, vel indirecte ab accollante Tomanio. Sed deinde intermissa fuit eorum persolutio. Accidit enim quod anno 1826 contra ipsum Tomanium, alieno ære obrutum, indictum fuerit protopraxiæ judicium, instantibus omnibus creditoribus, quos inter stetit etiam uxor Maria quæ relicta viri domo, et ad fraternos lares reducta, instetit, ut interes Rasponii, proprio testimonio, ac facto resistentes, quod seme fassi fuerunt, improbare vellent. *Leg.* 13 *Cod.* 2

*de Pecun. n.* Solemne enim instrumentum diei 24 Aprilis 1802, quod numquam in discrimen adductum fuit, apertissime loquitur realem inter paciscentes Tomanium et fratres Rasponios fuisse conventam censuum accollationem, qua stante, plenissimam ipsi Rasponii liberationem obtinuerunt ab utroque Conjuge Nolfi Tomani circa promissæ dotis extinctionem. Hoc posito, præso eratnon ignota Juris sanctio, quod ipsam accollationem ipsimet fratres Rasponii perinde haberi deberant erga fratres Philipponos, et sodalitium Anconitanum Creditores, correi debendi, ac si ipsimet debitum principaliter contraxissent *ad Text. in Leg. si uni* 21 § *idem Papinianus ff Famil. Ercisc. Leg. qui autem* § *Final. ff de Const. Pecun. Auth. s. quando Cod. eod. Censius De Censib. Quæst.* 73 *n.* 16 *Salgad. Laberynt. Credit. Part.* 2 *Cap.* 26 *n.* 104 *Card. De Luca De Credito Disc.* 55 *n.* 7 *et seqq. et S. Rota in Auximana Pecun.* 4 *Julii* 1755 § 4 *cor. Bonell. Romana Census* 4 *Febr.* 1787 § 3 *cor. Parrocchiano, et in Romana Accollationis* 17 *Junii* 1825 § 3 *cor. Emo Isoard* = Ipsius enim accollationis vix et efficacia fuit, quod dum integram Tomanio expromissæ dotis solutionem Rasponii perfiniebant, contextim in accollatarios Rasponios pro rata dotis, respondento accollatis censibus, efficiebatur debiti transfusio ex personna debitoris Tomanii, ita ut deinceps censuum creditoribus liberum esset pro suo lubitu ipsos Rasponios solsare pro assequenda fructuum solutione, cum ex præmissis ipsi, æque principaliter, ac originarius debitor, et obligatione pari obstringantur ad *Textum in Leg.* 1 § 5 *et Leg.* 1 § 1 *ff de Constit. Pecun. et firmarit S. Rota in Decis.* 598 n. 62 *coram Ansaldo dec.* 55 *n.* 3 *in Nuperr. Tom.* 4 *in Pisaur. seu Fanen. Censu* 21 *Junii* 1755 § 6 *cor. Amadeo.*

3 At fratres Rasponii, recte perpendentes; quod semel admissa accollationis firmitate, affugere nequaquam possent petitorum fructuum solutionem, enixis viribus studuerunt funditus profligare ipsam accollationem, objicientes, quod eam retinero oporteat uti nulla usque ab initio, vel saltem uti resoluta progressu temporis facto ipsorum contrahentium. Quoad enim accollationis nullitatem usque ab ejus exordio, illam Rasponii repetabant ab asserta Tomanii decoctione, tempore initi matrimonii, proindeqne contendebant consistere haud posse ipsam accollationem ex causa doli, et erroris, qui cum excludant liberum voluntatis concursum, obstaculo erant, ut obligatoria renunciari posset inita conventio. At Patres recte animadvertebant, quod frustra a Rasponiis in discrimen revocabatur accollatio ex causa doli. Dolus enim, cum crimen sapiat, probationibus, et non præsumptionibus evinci debent. In subjecta autem specie haud probatur, quod Thomanius fratres Rasponios dolo circumvenerit, ut conspicuam dotem sc. decem mille sibi rependerent. In probatis insuper haud erat, quod Rasponii sollicitos nunquam se præbuerint cognoscere res domesticas ipsius Hyeronimi. vel quod hoc requisitus dolose occultaverit angustias, quibus tunc premi potuisset, adeo ut si omnino negleberat qualibet inquisitione circa facultates sponsi, fratres Rasponii nihilo secius integram promissæ dotis quantitatem Hyeronimo persolvere haud hæsitarunt, partim præsenti pecunia, partim censuum accollatione, non potest hæc tam resupina eorum negligentia inverti contra Tomanium, et ejus dolo appingi quod propriæ ipsorum culpæ, et unice est tribuendum *Rota in Recent. Part.* 9 *Tom.* 2 *Dec.* 257 *num.* 18, *Decis.* 505 *num.* 10 *coram Cerro, Decis.* 506 *num.* 6 *Tom.* 2 *coram Merlino, et in Dec.* 529 *Tom.* 5 *num.* 48 *coram Olivatio.*

Sed si in proposita specie aliquid 4
obiicientibus fratribus Rasponiis etiam indulgere placeat, non melior ideo fieret eorum conditio. Admisso enim, quod Hyeronimus dolum, et machinationes adhibuerit ad decipientes fratres Rasponios, tenendum omnino est, quod id intercedere haud potuerit nisi in conciliandis nuptiis cum Maria, sed his nuptiis semel obsolutis, nulla subest congrua ratio, cur asserta circumventio

trahi possit ad accollationem, de qua disceptatur. Posita enim antecedente dotis constitutione, et necessitate ab ipsa constitutione descendentē illam dissolvendi, legittima omnino fuit, et ab omni fraude aliena etiam nunc haberi debet, ipsamet accollatio, quæ in facto nihil aliud fuit, quam modus dissolvendi obligationem, quam nuptiarum occasione præcedenter susceperant paciscentes fratres Rasponi. Item dicendum *de errore*. Ad accollationis enim validitatem satis erat, quod matrimonium subsequutum fuisset cum intuitu dumtaxat ipsius matrimonii constituta fuerit dos in præstituta quantitate, quæ persolvenda erat, semel ac ipsum matrimonium initum fuerat exclusa qualibet inspectione, dives ne, an pauper fuisset sponsus; cum semper eadem esse deberet dotis quantitas jam constituta, quæ in facto probatur vix attigisse legittimam Mariæ debitam super prædefuncti patris hæreditate; ita ut necesse fuerit, speciali pacto inserto in iisdem tabulis anni 1802, reservare eidem Mariæ = *il diritto di supplemento alla dote* =.

5 Perperam itaque, atque inutiliter hæc omnia a fratribus Rasponiis miscebantur ad propriam constituendam deceptionem, et ad comprobandam Tomanii decoctionem; quam vero non solum probare nequiverunt tempore initi matrimonii, sed imo omnino excleserunt cum notula in actis deducta, in qua adnotata legabantur, nomina, quæ uti potiora in graduatoria sententia meruerunt antecellere creditum dotale Mariæ. Nomina ista cum non excederent quantitatem scut. 2389, compertissimum efficiebant, quam futilis esse objecta exceptio decoctionis Tomanii, qui e contra aperte demonstravit satis do eo tempore fuisse in suo Patrimonio, ut tutum faceret dotis creditum. Sed dunique, quidquid sentire placeat Rasponiis circa assertam latentem Tomanii Nolli decoctionem, id prorsus Patribus meis extraneum videbatur in themate. Eisdem perspectissimum enim apparebat accollationem posse propriis consistere viribus ex ratione, quod ipsa suam habeat causam ex dote, quæ, cum promissa jam fuerit, solvenda absque ulla hæsitatione erat a fratribus Rasponiis, quibus si placuit memoratos census sibi accollare, nil aliud ipsi egerunt, quam debitum dotis dimittere, quin qum hujusce obligationis adimplemento obstaculo esse posset labens Hieronymi fortuna. Id impedire tantum potuisset nuptiarum conciliationem, vel matrimonio inito, majorem diligentiam requisisset in tutanda solutæ dotis restitutione; minime autem præstare valuisset, quod dos, jam constituta, persolvi non deberet Tomanio, vel saltem ei repræsentari in leviori quantitate.

Prætcrea, si attendi non meruit nullitatis exceptio, approbandum nequidem videbatur, quod resoluta dici deberet controversa accollatio. Semel ac enim ea conventa fuit Tomanium inter, et Rasponios; statim censualibus creditoribus jus adquisitum fuit persequendi ipsos fratres Rasponios accollatarios pro consequenda fructuum solutione; quod jus citra eorum creditorum factum, et consensum subverti amplius nequibat ab ipsis contrahentibus, ut animadvertit *Card. De Luca Discurs.* 55. *De Credito, et firmavit Sac. Rota in Dec.* 172 *apud Cenc. n.* 6 *in Decis.* 33 *apud Bichium: et Decis.* 339 *et* 138 *num.* 11 *par.* 10 *in Recent.* Quæ conclusio, certa in jure, magis magisque roborata apparebat ex facto contrahentium. Minime enim probatur, quod ab inita accollatione unquam recesserint contrahentes; sede contra quam plura præsto erant facta, quæ ipsum dissensum penitus excludebant, atque in propatulo ponebant ratam continuo habuisse contrahentes conventionem, super qua præsens vertitur controversia. 6

Et revera non impugnabatur a Rasponiis Tomanium ab iisdem petiisse solutionem residui dotis, quod procul dubio haud omisisset in subsequutis rerum domesticarum angustiis, si accollatio resoluta fuisset. Insuper, si accollatio solutionis vices haud substinuisset a nequaquam acceptæ integræ dotis quietantiam obsignasset ipse Tomanius, minime uxor Maria curas- 7

Digitized by Google

set contraviri patrimonium hypothecam inscribere, et deinde renovare pro integri sui crediti securitate. Nequaquam fratres Rasponii, Sororis nomine, coram Judice concursus quantitatem scutorum decem mille repetere valuisset nec obtinuissent quantitatem illam graduari in Sententia, nisi prius integram ejusdem dotis solutionem plene coram eodem Judice probassent. Hæc sane fieri nequiverunt, nisi firma, rataque habita ipsa accollatione, quæ loco numerationis intercesserat. Prætereundum denique non est, quod fratres Rasponii semper persolverint fructus censuum accollatorum non vero fructus conventionales prout rependere Tomanio debuissent, si ipse creditor adhuc fuisset residuæ ratæ constitutæ dotis.

8 Nec, ad urgendam objectam accollationis resolutionem, refert eosdem censuum creditores haud interfuisse stipulationi instrumenti anni 1802. Exceptio hæc enim, cum nec Juri, nec facto innitatur, constituere nequibat ipsius accollationis resolutionem. Non = *Juri* =, quia compertissimum est in *Foro* descrimen, quoad adest inter *delegationem et accollationem*. Delegatio enim, cum originarii debitoris liberationem importet, necessario requirit creditoris assensum, quia ejus præcipue interest cognoscere quis debitor substituatur originario debitori. In accollatione autem, cum ipsius originarii debitoris liberatio haud fiat, creditorum consensu minime requiritur; nam, firma remanente antiqua obligatione debitoris originarii, alter tantum, in vim ipsius accollationis, accedit correns debendi, contra quem æque agere pro suo lubitu possunt creditores, prout firmavit superius in § 4. Insuper nulla adest Lex, quæ in accollationibus necessario requirit præsentiam, vel explicitum consensum creditorum. Accollatarius enim ea inita accollatione non solum efficitur obstrictus ad servanda promissa favore accollantis, sed etiam obstringitur erga creditores, quibus dicitur adquiri citra eorum expressam stipulationem, prout firmatum legitur in *Text. in leg. stipulatio isto* § *Si stipulatur* 38 *ff de Verb. obligat. Instit. tit. de inut. stipulat.* § 20 *Sed et si quis*; *Ansald. de Com. discept.* 65. *n.* 51. *et S. Rota cor. Bichio Decis.* 319 *n.* 5 *in Pisaur. seu Fanen. Census* 22 *Junii* 1753 § 5 *cor. Amadeo, in Nullius, seu Farfen. Immissionis* 5 *Julii* 1784 § 3. *cor. Soderino*; *et in Romana Consignationis Depositi super Resolutis* 9. *Martii* 1792. § 7. *et* 8. *cor. Paracciano non facto* quia pro iisdem creditoribus acceptavit Notarius; *De Luca* §. 55 *n.* 1. *et seq. et Cencius de Censib. Desis.* 475 *n.* 5. et vellatum reperitur instrumentum clausola guarentigiæ, quæ æquipollens est Fiscali obligationi, *Carlevall. de Judic. lib.* 1 *tit.* 1 *quæst.* 7 *n.* 921. *et tit.* 3 *discept.* 6. *n.* 7 *Rota cor. Baratto decis.* 879 *n.* 3 *cor. Ratto Decis.* 154 *n.* 18 *in Tolentina Census* 12 *Dec.* 1808. § 5 *cor. Tassoni*, et utilem reddit ipsum contractum omnibus interesse habentibus, licet absentibus, prout firmatur in *Dec. Bononien. Pecuniaria* 25 *Junii* 1824 § 9 *et in ejus confirmatoria dici* 4 *Januarii* 1825 §. 8 *cor. me editis*. Quapropter, ut resoluta dici posset accollatio, probandum prius fuisset accessisse creditorum assensum, quem necessarium esse jam præmonui in superiori Decisione § 10. et quem reapse intercessisse haud id facto probatur.

Minime autem rem immutat quod 9
Tomanius census fructus creditoribus aliquando rependerit. Certum est enim in facto, quod directe ipsi fratres Rasponii eosdem fructus persolverunt usque ad annum 1811 quod si deinde probatur illos persolvisse Hyeronimum, id efficere vel potuit cum pecunia, quam ei tradiderint, ad id effectum ipsimet Rasponii, vel, si solvit propria pecunia, cum suam adimpleverit obligationem, non ideo consequitur, quod liberari censendi sint ipsi Rasponii, qui ex instrumento anni 1802 adhuc in implicito suæ validitatis statu persistente, habentur tamquam correi debendi; cum proprium ac peculiare naturæ accollationis sit, quod, dum originarius debitor per conventam accollationem sua obligatione erga creditorem non liberatur, adstringitur e con-

tra accollatarius pro eodem debito, ut superius monui; et plenis exposui in præcedente mea *decis.* § 8. ita ut ipse accollatarius correus debendi per ipsam accollationem effectus, obligari possit sd debiti solutionem, cum creditori liberum sit ex iisdem æque · obligatis illum pulsare, quem magis ei lubeat, qui, si solvit, dicendum est proprism, et non alienam adimplevisse obligationam, nec ex speciali solutione, alter correusvalet suam assequi liberationem.

10 Ad hac incitas redacta cum sit præsens quæstio, perperam a fratribus Rasponiis obiiciebatur defectus inscriptionis, quia hæc neglerta tempore utili fuerit ab instantibus Locis Piis, ex quo hi eisdem fratribus in præsens cedere haud possint nisi frustraneam actionem contra Tomanium, præcipuum debitorem. At contra hæc PP. Mei animadvertebant ex inita accollatione ipsos Rasponios effectos fuisse non simplices fidejussores, sed vero principales correos debendi, qui proinde, si solverunt, ex hoc usque deductis, propriam, et non alienam dimiserunt obligationem, et proinde rite postulare nequibant jurium cessionem. Quæ juris conclusio firmissima reperiebatur in facto, perpenso quod, controversa accollatio cum nihil aliud fuerit, ut animadvertimus, quam modus, quo fratres Rasponii dotem Sorori Mariæ constitutam Tomanio persolverunt, indemnes ideo evasero ipsi excipientes Rasponii, semel ac ex conventa accollatione ab ulteriori dotis solutione liberati fuere, nec eisdem proinde ullum jus esse hodie potest exquirenda an legitimo tempore inscripserint census creditore; cum firmissimum utique sit, quod ipsi expostulare nequeant actionum cessionem, quæ a Legibus merito ei tantum conceditur qui nullo jure obstrictus propria pecunia alienam dimiserit obligationem.

11 Rationibus omnibus huc usque deductis, quibus vindicata fuit controversa accollationis validitas contra objectam ipsius nullitatem, vel resolutionem altera accedebat animadversio, quæ PP. animum magis magisque firmavit tn suscepta sententia. Perpendebsnt ipsi, quod anno 1802 si Tomanius loco accollandi leviris Rasponiis census, de quibus agitur, integram dotis pecuniam recepisset, et cum ea ipsos census redemisset, minime hodie Maria, ejusque fratres a dimissis creditoribus erogatam pecuniam vindicare voluissent sub obtutu obærationis Hyeronimi. Quapropter si ad id petendum qualibet destituti actione dicendi foret ipsi Rasponii, ea congruitate rationis attendendæ minime sunt exceptiones, quibus abusi sunt in præsenti judicio ad denegandum petitam fructuum solutionem, et valida renunciari meretur controversa accollatio, quæ denique nullius detrimenti erit Mariæ pro assequenda suæ dotis reintegratione. Et revera aut valida et efficax est accollatio, et tunc prælatio ac censuum gradustio amplius impedimento Mariæ Gentile non erit pro utili exercitio suæ actionis contra viri patrimonium, aut si inefficax et nulla haberi placeat, tunc pro respondendi quantitate debitores ipsa habebit ipsos fratres Rasponius, prout est in ejus votis. Sed quomodocumque tandem res sit certum tamen est, quod sibi, suisque fratribus imputare ipsa debeat si minus diligenter cautum fuit de ejus dote, nec eorum oscitantia, et negligentia converti debet in damnum creditorum innocuorum, qui sui favore habent luculentissimum instrumentum anni 1802 tot tantisque factis agnitum, atque roboratum, ut fatuum sit in discrimen adducere, quod in eodem explicite conventum inveniatur.

Et ita habita relatione ad superiorem Decisionem in acri partium conflictu, me quoque suffragante decisum fuit.

---

IN RE COMMERCIALI

## BONONIEN CIRCUMSCRIPTIONIS

*Lunae* 6. *Julii* 1836.

### ARGUMENTUM

Patet ex Summario

SUMMARIUM

*1. Qui extraneus fuit a judicio, nequit decreti nullitatem objicere.*

*2. Semper est locus vindicationi collybi literae, pecuniae, et mercium, decocti, etsi apud praepositos, vel mandatarios reperiantur.*

*3. Ad decernendam sequestrationis executionem, haud requiritur specialis citationis transmissio.*

*4. Quod a magistratu aeconomico fit, non est actus judicialis, nec circumscribere proinde licet.*

## DECISIO CCCCLXXX.

Cum foro cesserit Ferrariæ Ratio mercatoria Xita, et Leon Carpanetti, Tribunal Commercii illius urbis eam decoctam declaravit, ac una cum syndicis, Judicem Commissarium, quoad hanc decoctionem instituit Advocatum Bartholomeum Peccinini, qui, cum cognovisset ad eamdem rationem spectare mercatoriam tabernam quæ Ferrariae retinebatur a Petro Melloni, et alteras duas apothecas, que Stellatæ, et Bondeni ab Emygdio Baraldi, et a Petro Bartolotti exercebantur, instetit coram praefato Tribunali Commerciali, ut eisdem signa adponerentur pro mercium assecurtatione, sicuti reapse eonsequutus fuit ex Decreto diei 20 Septembris 1832 Ipsemet vero Commissarius, cum insuper suspicatus fuerit, quod in Pontificiis Teloniis di *Lagoscuro e di Bologna* reperiri possent merces decoctae rationi pertinentes ibique transmissae a praecitato Bartolottio, qui sequutae decoctionis praecipuus fuerat adjutor, privato epistolio de hoc requisivit Bononiensis Telonii Praefectum, qui die 3 Octobris cognita mercium existentia, scripsit ad tramites receptae Syngraphae se Telonii rectori jussisse exstantes merces haud tradi rationi Landi, et Roncadelli, ad quam transmissae ipsaemet merces apparebant. Ægre tulit ea ratio hoc sequestram; proindeque in sequentibus diebus 5 et 4 ejusdem mensis Octobris solemnes emisit protestationes pro emendatione damnorum, quae tam cjus nomini, quam suis rebus advenire possent.

Interea Commissarius Pecceninius, ad quamcumque avertendam mercium dispersionem iterum Ferrarienses Commercii Judices adivit, qui ipsius instantiam excipientes alterum ediderunt Decretum sub die 18 Octobris praecitati anni 1832, quo = *estendendo l'assicurazione ordinata col Decreto* 20 *scorso Settembre, ordina il sequestro assecurativo di tutti gli effetti, che si rinvenissero di spettanza dell'oberota Ditta Carpanetti, quantunque sotto terze persone, e sotto nomi interposti, e specialmente quelle sotto nome di Pietro Bartoletti, agente dell'oberata Ditta, che si rinvenissero tanto nelle Dogane di Bologna, Ferrara, e Ponte Lagoscuro, ed anco presso terzi* = Infensissime de altero hoc Decreto conquesti sunt Landii, ac Roncadelli, qui tandem sua jura deducere coram Judice constituerunt. Qua de re Syndicos decocti patrimonii ipsumque Judicem Commissarium Peccenini coram Bononiensi Appellationis Tribunali vocarunt, ut circumscribi audirent duo Decreta dierum 20 Septembris, et 18 Octobris = *in appoggio de' quali si volle nel dì* 3 *Ottobre eseguire e poscia sostenere a grave danno, e disonore dell' Istante un sequestro sopra* 120 *Colli* = mercium, quae pleno dominii jure sibi pertinere asseruerunt. At proposita haec circumscriptionis instantia, cum plene rejecta fuerit ab iisdem Judicibus, illam Landii renovare curaverunt coram S. Nostro Ordine, qui confirmans Bononiensis Tribunalis Sententiam, hoc mane rescripsit = *Non esse locum circumscriptioni, et extendatur Decisio* =.

Rejiciendam esse promotam circum- 1
scriptionis actionem apprime suadebat insubsistentia rationis ab instantibus Landiis in ipsomet libello litis introductivo adductae, scilicet, quod, cum praecitatis Decretis dierum 20 Septembris, et 18 Octobris = *Si volle nel* 3 *Ottobre eseguire, e poscia sostenere il sequestro* =, quo eisdem æconomice impedita fuerat a Telonii Bononiensis Præside suarum mercium extractio cum enim in facto aliud sit Sententia, aliud Sententiæ executio, cum utrumque, inter se distinctum, misceri, et confundi minime debeat, apertissime proinde comperieba-

tur, quam inscite Landii, qui de sequestri injustitia conquerebantur, alterum longe diversum circumscriptionis judicium instaurare curaverint. Et revera, falsissimum in facto apparebat quod Decreto 20 *Septembris* Judices Ferrarienses exequi mandaverint sequestrum, de quo est disceptatio. Decretum illud demandavit tantummodo pro mercium assecuratione signorum appositionem tribus apothecis, ad decoctam rationem spectantibus, quæ Fesrariæ, Stellatæ, et Bondeni exercebantur a Petro Melloni, ab Emygdio Beraldio, et a Petro Bartolotti. Cum in eo Decreto ne verbum quidem exciderit de ipsis Landiis, nec aliquid ab eo constitutum fuerit quoad marces ad eos spectantes, quæ in Teloniis Bononiæ, et di *Lagoscuro* forte reperiri possent, evidens est quam malo consilio ipsimet Landii contra idem Decretum præcitatam instituerint circumscriptionis querelam, a qua promovenda iidem omnino prohibebantur. Revera si aliquis citationis jurisdictionis, vel mandati defectus forte contingere potuisset in præcitato Decreto, de eo utique conqueri solummodo potuisset præcitati Mellonius, Banaldius, et Bartolottius, numquam vero Landii, et Roncadellii; qui utpote extranei a judicio, minime objicere valent ipsius Decreti nullitatem, nec alterius juribus uti rite recteque possunt, ut docet. *Oldrad. Cons.* 139 *n.* 8, *Govar. in Cap quamvis De Pactis in* 6 *P.* 4 § 2 *n.* 6, *et Pract. quæst. Cap.* 9 *num.* 7, *Marescot. Var. Resolut. Cap.* 121 *lib.* 2 *n.* 60, *et Sacca Reta in Decis.* 146 *num.* 16 *cor. Lancetta, et alibi.*

2 Minime vero circumscriptionis gladio delendum videbatur alterum Decretum diei 18 insequentis Octobris, quo « *poscia si volle sostenere il sequestro* » ut ipsimet Landi efiutiebant. Decretum illud secumferebat jus sub sequestro ponendi merces omnes, quæ probarentur spectasse ad decoctam Rationem Vita ac Carpanetti. In facultate utique haud erat opponentium Landiorum Syndicos decocti patrimonii prohibere, ne ipsi a Judicibus legitime petere possent mercium assecurationem, ne ipsæ deinde fraudolenter subtraherentur: multo minus obiicere ipsi poterant quod Judices genericam decernere haud potuerint sequestrationem mercium, quæ de pertinentia decoctæ Rationis ubique iri possent; Ferrariensibus enim judicibus facultas omnino erat controversam sequestrationem cum præcitato Decreto die 18 Octobris indicere ex juris regula in subjecta specie undique receptissima, quod semper sit locus vindicationi collybi literæ, pecuniæ, et mercium ubique existentium, etsi apud Præpositos, vel Mandatarios reperiantur, dum aperte scatent pleno dominii jure decoctori illas pertinuisse, ut post: *Art.* 443 *Cod. Comm. docuit Della Porta in suis Pandectis Commerc. Lib.* 3 *Tit.* 1 *Cap.* 2 *et firmavit Parisiensis Aula Cassationis sub die* 5 *Februarii* 1832 *teste Sirey Part.* 1 *Tom.* 11 *pag.* 200.

Contra jus rationemque igitur videbatur se Landios gessisse, dum præcitati Decreti nullitatem urgere rati sunt ob memorati sequestri præexistentiam. 3
Ex ipso temporis discrimine unusquisque per se facile concipiet nil commune habere potuisse cum eo sequestro Decretum postea latum. Cum æconomice a Telonii Praeside sequestrum illud indictum fuerit, confestim consistere ipse valuit propriis viribus ita ut Decretum diei 18 augere, vel imminuere nequaquam potuit illius sequestri firmitatem, sed eidem omnino extraneum, nulla facta de ipsis Landis mentione, constituit solummodo, et generice, quod assecurari deberent merces — *in qualunque luogo esistenti di spettanza dell' oberata Ditta Carpanetti* — Interim cum ratione sui officii mercium assecurationem urgere teneretur Judex Commissarius Peccenini, cum Ferrarienses Judices haud prohiberentur ex simplici ipsius postulatione quamlibet opportunam, vel necessariam provisionem capere, et propositas etiam controversias sommarissime dirimere, ut animadvertit cit. *Della Porta Lib.* 3 *Tit.* 1 *Del fallimento*; facillime idcirco concipitur, quam inscite Landii, qui sequestrum perpessi fuerant die 3 Octobris, formali proposita circumscriptionis querela, substinere ex eo

voluerint nullitatem Decreti in sequenti die 18 Octobris panditi ex praestitutis illis defectibus, qui haud ab iisdem objici poterant, cum ex præmonitis firmum inconcussumque in facto remaneat, quod competens fuerint Ferrarienses Judices ad decernendam illam sequestrationem, pro cujus executione haud certe requirebatur, prout in cæteris judiciis specialis citationis transmissio.

4 Seposita interim questione, a præsenti Judicio omnino extranea, an sequestrum æconomice indictum a Præside Telonii Bononiensis legitimum, vel arbitrarium dijudicandum sit, certum tamen est in facto, quod diversa omnino esse debet actio, a qua Landiis instrui debebat præsens Judicium. Ipsi enim, statim ac diebus 5, et 11 Octobris protestationes emittere curarunt quoad assertam in dicti Sequesti nullitatem, ad obtinendam damnorum emendationem, viam straverunt hodiernæ disceptationi, in qua unice videri debuisset, an ipsum sequestrum reapse nullum, ac arbitrarium dici oporteret, ut ab iisdem Landiis solemnissime declaratum jam fuerat in præcitatis protestationibus. Sed in transversum ipsimet Landii prorsus prociderunt, dum, prætermissa quæstione quoad Sequestri nullitatem, potius de circumscriptione agere maluerunt. Ex huc usque dictis scatet apertissime circumscriptioni obnoxium haberi haud posse Decretum diei 18 Octobris ex deducta ratione, quod genericum illud Decretum posterius in tempore fuerit sequestri indictioni, quod usque a præcedenti die 3 suam assequutum fuerat perfectionem; sicuti circumscribendum haud erat alterum Decretum præcedentis diei 20 Septembris ex ratione æque luculentissima, quod non agentes Landios, sed alios omnino extraneos respexerit. Quibus insuper accedit quod hoc sequestrum utpoto factum auctorante Telonii Bononiensis Rectore, quin ullus Judex vel Tribunal explicite mandaverit sequestres fieri merces rationis Landi ac Roncadelli, adnumerari minime poterat inter acta judicialia. Id enim quod a Magistratu Æconomico fit, non judiciali nominari potest, ac ideo ne circumscribere quidem illud licet, quia acta judicialia haud vero extrajudicialia circumscribuntur.

Atque ita etc. Utraque etc.

---

## BONONIEN PECUNIARIA

*Lunae* 9 *Februarii* 1835.

### ARGUMENTUM

Creditum cambii expeditam hebet executionem: at creditor jure pollet fructus exigendi donec pecunia restituatur.

#### SUMMARIUM

*1. Creditum cambii ex solemni instrumento dimanante, expeditissimam habet ex vigentibus legibus executionem, quae remorari nequit, nisi apertissimae contra illius firmitatem adducatur probationes.*

*2 Donec pecunia restituatur, jure pollet creditor exigendi fructus - ibidem. -*

*3. Praeservationes, novationem excludunt.*

*4. Amplius dici non possunt novatae antiquae obligationes, nisi simul contrahentes, aut nominatim novandi animum expresserint, aut contractum velatum iniverint cum primo dissonum, ac prorsus incompatibilem.*

### DECISIO CCCCLXXXI.

Accito Judicis officio, præmissa causæ cognitione, omnibusque adhibitis solemnitatibus, a Lege præstitutis pro mulierum obligationibus, Salvator Bevilacqua Cæsenatensis, utpote generalis mandatarius Uxoris suæ Claræ Pagliarini, *die* 25 *Januarii* 1824 publicum stipulatus fuit, cambii instrumentum *quinque millium* favore Antonii Mariæ Costetti, argentariis tunc temporis non ultimi neminis Bononiæ; Præcipuæ ipsius contractus conditiones fuere, quod ipsum cambium deberet perdurare per integrum annum, et deinde, eo elapso, per trimestres continuare, donec tres menses antea legitima præivisset disdicta; quod receptam summam deberet ipsa Clara = *girarla, e negoziarla per le Fiere* =; quod lucrorum titulo fructus interim ab ea rependerentur ad rationem

*bessalem*, et quod pro capitis restitutione obligata remanerent bona paraphernalia, quæ ad Claram pervenerant ex hæreditate parentis Barnabæ Pagliarini, qui usque a die 24 Octobris superioris anni 1823 e vita migraverat. Sed pactorum fides haud servata fuit. Emenso enim Anno restituta non solum non fuit præcitata sors, sed nec repensi fuere fructus, dum interea nonnulla alia existebant credita, ejusdem Costetti contra Joannem Antonium Bevilacqua, Socerum ipsius Claræ, quæ deinde pluries composita fuere peculiaribus initis conventionibus, quibus expleta fuit eorum liquidatio, constitutus modus solutionis, et accita ipsa Clara in solidalem fidejussionem, solemni instrumento stipulato in Foro Livii *sub die* 17 *Februarii* 1826 ut magis cauta foret eidem Costettio restitutio aliorum scutorum 5000, quorum creditor ipse factus erat erga ipsum Joannem Antonium Bevilacqua per literarum collybi pretio.

Sed, cum, ob commercii infortunia, novissime assumptas, obligationes adimplendo impar effectus fuerit ipse Antonius; cum interim cambii fructus non solverentur a Clara; ipse Antonius Maria Costetti vadimonium dixit eidem Claræ, ejusque viro Salvatori coram Prætore Fori Livii, postulans, ut illi damnarentur ad solvenda scuta *mille*, *et bisentum* in causam fructuum jam decursorum usque ad diem *decimam quintam* Januarii anni 1830. Excepit Prætor promotam instantiam cum sua Sententia diei 1 subsequentis Octobris, a qua ex communi placito, ut amplibus indulgeretur, admissa fuit appellatio in *suspensivo*. Quapropter Causa delata ad S. Nostrum Ordinem, fatoque interim functo die 24 Aprilis præteriti anni Antonio Maria Costetti, ejusque filiis hæredibusque ex testamento. Petro, Paulo, ac Joanne, Causam camdem prosequentibus; cum hoc mane Patrum definitioni proposita per me fuerit concinnato Dubio = *An et in qua summa constet de credito fructum cambii, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = judicium effugientibus Conjugibus Bevilacqua, responsum accepi = *Pro Informante* = nempe = *Affirmative in omnibus, et constare de credito fructuum in summa scutorum mille, et biscentum, et esse relaxandum mandatum* =.

Peculiaris natura hujusce judicii justitiam prolati Rescripti luculentissime ostendit. Agitur enim de credito cambii ex solemni instrumento dimanante, quod, cum numquam in discrimen a Conjugibus Bevilacqua adductum fuerit, expeditissimam habet ex vigentibus Legibus executionem, quæ remorari nequit, nisi apertissimæ contra illius firmitatem adducantur probationes. Sed si super crediti titulo nulla obmovetur controversia, et uti liquidissimum admittitur etiam ab iisdem debitoribus Bevilacqua; si obligatio adhuc consistit trajiciendi, et negociandi pecuniam per nundinas et emporia, quam conjuges ipsi susceperunt, primo intra Annum, et deinde per trimestres, ad nutum donec cambii redimeretur, planum idcirco, et nulli exceptioni obnoxium necessario esse debet alterum creditum fructuum, qui, utpote ex eodem instrumento dimanantes, persolvi debent a Clara in conventa mensura ex non ignota Juris regula, quod, donec pecunia restituetur, jure polleat creditor exigendi fructus, in vim ipsius oneri a debitrice Clara suscepti, pecuniam per nundinas, et emporia ad restitutionem usquo trajiciendi, prout S. Rota passim constituit, et præcipue in *Sutrina Cambii* 4 *Junii* 1817 § 6 *cor. Zinanni*; *in Spoletana Cambiis* 12 *Decembris ejusdem anni* § 5 *cor. Emo Tiberi*; *in Romana Pecuniaria* 10 *Januarii* 1822 § 2 *cor. bo. me Martinez*, et pressius in consimili specie *in Romana seu Fulginaten. Imputationis fructuum diei* 27 *Junii* 1830 § 4 *cor. me.* 1

2 Quod cum bene præsenserint conjuges Bevilacque excipiebant cor. Foroliviensi Prætore, obligationem ex instrumento diei 15 Januarii 1824 procedentem, peremptam jam fuisse *per subsequutam novationem*, quam probare sibi authumarunt tribus allatis in actis conventionibus, quæ e contra cuique legenti compertissimam faciunt illius exceptionis futilitatem, et insubsistentiam.

3 Et revera prima allata conventio diei 8 Novembris 1826 expressam continot descriptionem nominum, quibus tunc premebatur Joannes Antonius Bevilacqua Socer Claræ erga Costettium, quæ inter legitur = *Lo stesso Signor Castetti è ancora creditore della samma di seudi* 5000 *Ramani della mia Nuora Signora Chiara per titolo di eambia fruttifero oll'atto per cento all' anno. risultante da publico Istromento rogoto in Bologna li* 15 *Gennaro* 1824 =. Deinde in ea definitus invenitur modus, quo deinceps dimitti deberent ipsa debita; nam explicitis verbis adnotatum legitur = *per cautela, e sicurezza del Signor Antonio Maria Costetti di Bologna, e sino a che sia stota pienomente soddisfatto potrà il medesimo conservare tutte le sue ragioni, cd ipoteche contro la mia Signora Nuora Chiora Pagliarini, dipendenti dal contratto di Cambio dei* 15 *Gennaro* 1824 *non dovendo egli prestore novazione alcuna alli suoi diritti, sino ehe la mia volontaria assunzione di debito in sgravio della Nuora non abbio ottenuto il doveroso effetto di roddisfare il creditore* =. Sed cum hanc conventionem adimplere nequivisset Joannes Antonius Bevilacqua, rem iterum componere ipsæ voluit cum creditore Costettio, altera conciliata conventione sub die 4 Aprilis 1827 in actis pariter relata, quia cautum fuit, quod = *resteranno ferme, ed intatte le ipoteche tanto guella di Ceseno basata sul rogito Modanesi* 15 *Gennaro* 1824 *per seudi* 5000, *e frutti in debito della Signoro Chiora, guanto ete* =; et promissum postremo fuit quod in solutum pro partiaria sui crediti extinctione Constettius reciperet a Debitore Bevilacqua prædium in Vocabulo-*Bognile* =, quod liberum reddere ipse promisit ab hypotheca, qua gravabatur favore ipsius Claræ, pro relevatione fideijussionis, quam ipsa Clara præstiterat erga ipsum Costettium. Quod factum fuit ope solemnis instrumenti diei 19 Junii 1827, quod etiam in actis deductum fuit, in quo apertissime quoque legitur = *Per ogni buon fine, ed effetto, dalle parti si dichiara che col presente atto non s'intende di apportare il minimo pregiudizio all' Istromenta Modonesi dei* 15 *Gennoro* 1824 *portante l'enuneiato eambio di scudi* 5000, *quale Istromento onzi resta rattificato, ed omologato dalle Parti stesse per tutti li corrispondenti effetti di ragiane, e di giustizia* = Ex hisce tribus allatis documentis perspectissimum itaque approbat, quam false, gratisque a Clara, ejusque viro Salvatore asserebatur eorum obligationem assumptam cum memorato instrumento *diei* 15 *Januorii* 1824 novatam fuisse ex adductis illis conventionibus peculiariter initis inter Costettium, et debitorem Joannem Antonium Bevilacqua. Hæ enim conventiones e contra apertissimis, indubiisque verbis demonstrant firmum immotumque absque ulla innovatione paciscentes voluisse cambii instrumentum ita ut in præsens ulla nec dubii umbra adesso possit circa firmitatem obligationis Claræ, et circa bonum jus, quo hæredes Constetti judicialiter hodie ad ea expostulant decursorum fructuum solutionem; cum in Foro notissimum sit, præservationes omnem novationis animum ac voluntatem penitus excludere, ex Doctrina *Rotae coram Olivatio Dec.* 194 § 11. *Romano Salviani* 11 *Aprilis* 1753 § 12 *cor. Vicecomite*; *et in Perusina Affictus Luuae* 28 *Jonuarii* 1833 *cor. R. P. Meo Bofondi.*

Sed quod facto proprio omnino evincebant conjunges Bevilacqua, receptissimum quoque habebatur in Jure. Post enim notissimam Imperatoris Justiniani *Legem Ult. Cod. de Novat.*, resecatis veteribus Juris ambiguitatibus, quæ antea super ipsius novationis existentia promovebantur, præscriptum fuit, quod amplius dici non possent novatæ antiquæ obligationes, nisi simul contrahentes, aut nominatim novandi animum expresserint, aut contractum vel actum iniverit cum primo dissonum, ac prorsus incompatibile *Instit. quib. mod. toll. oblig.* § 3 *etc.*; *Vinnius Comm. Ead. tit.*; *Graz. Discept.* 34 *num.* 4; *Borchet. in Comm. Inst. ad eumd.* § *numer.* 9 *et seg.*; *et S. Rota Dec.* 85 4

*num.* 8 *coram Olivatio* ; *Romana Spolii* 5 *Febr.* 1827 § *fin. coram Malvasia*; *in Anconit. Affictum* 5 *Julii* 1824 § 9 *cor. Emo Isoard. in Perusina Graduationis* 7 *Martii* 1828 *coram Rmo P. D. Meo Spada Decano*; *in Perusina affictus* 28 *Januarii* 1833 *cor. R. P. D. Meo Bofondi*, *et in Romana*, *seu Albanen. Affictum* 26 *Junii ejusdem anni* § 4 *cor. Eodem*. At ex hoc indubio Juris dogmate haud difficile erat videre nullam in facto consistere posse novationem. Nullus enim apparebat certus contrahentium animus ad novandum, dum e contra expressus le gebantur eorum dissensu, qui ideo funditus profligabat, evertebatque objectæ novationis exceptionem, quam fulcire perperam, ac inepte conjuges Bevilacqua contendebant tribus illis deductis conventionibus, quæ ut superius probatum fuit, nihil præseferunt, quod convenire non possit cum præcedenti Claræ obligatione: cum præterea in illis inter repetita inveniatur expressa paciscentium voluntatis nihil innovandi.

Et ita etc. Altera tantum etc.

---

## CAMERINEN CAPPELLANIAE

*Veneris 23 Januarii 1835.*

### ARGUMENTUM

Cappellaniae beneficium dandum est ei, quem testator in elogio suo designavit, prelative ab omnibus, qui de familia, et agnatione testatori, non sint, dummodo qualitates praescriptas habeat.

### SUMMARIUM

1. *Cappellaniae immissio ei danda est, qui a Pio institutore indubie vocatus, et ex fundationis lege invitatus est.*

   *Patronis nullum jus conceditur vagandi extra genus designatum in tabulis institutionis, ita ut existentibus Sacerdotibus agnatis eisdem danda est prelative possessio beneficii* – *Ibid.* –

2. *Possessio sive immissio Cappellaniae danda, illi qui qualitatibus omnibus a testatore praescriptis pollet; seque vocatum, et diem vocationis venisse probet.*

## DECISIO CCCCXXXII.

Sacerdos piissimus Josephus Stefanini, ex Oppido Murgi in Cameriniensi Dioecesi, Cappellam Gentilitiam cum haberet in Ecclesia Divo Rocho dicata in eadem instituit Cappellaniam, solemnibus conscriptis tabulis sub die 22 Novembris anni 1707. In hisce fundator disertissimis verbis distinxit erectæ Cappellaniæ naturam, et designavit personas, quibus jus patronatus, tum activum, quam passivum pertinere in futurum debebat. Et revera, quoad ipsius naturam, apertissime exprimere curavit fundator, quod deberet esse = *detta Cappellania perpetuamente laicale, e mai collativa, nè dalla Santa Sede, nè dall' Ordinario e perchè vuole, e dichiara, che che sia perpetuamente, ed in infinito mera Cappellania laicale instituita, a suffragio dell'anima sua, e dei suoi antenati.* = Quoad vero ad activum jus patronatus sibi præprimis reservavit jus nominandi, quod reapse contextim exercuit favore Sacerdotis Francisci Lauri, et post suum fatum voluit, quod nominare deberent = *in secondo luogo il sig. Antonio Francesco Stefanini, e suoi figli, e discendenti in infinito liberamente, e senza minima partecipazione, ed assenso dell'ordinario* = quibus tamen deficientibus, voluit tertio, quod idem nominandi jus haberet Sodalitium Sanctissimi Rosarii, erectum in præcitato Oppido Murgi. Procedens deinde ad designandas personas, quæ præferri deberent in nominatione, vocavit primum = *Preti dei sudetti Elezionari Stefanini i Preti del Castello di Mergo* = expresse requisita Sacerdotali qualitate quam in Clerico eligendo actu nominationis verificari præscripsit, statuens etiam quod si plures adessent Sacerdotes ex suo genere = *in grado disuguale, sia preferito il più prossimo, in egual grado il più anziano* = Insuper prædilectam agnationem speciali, ex maximo etiam favore prosequi testator cum mallet declarare quoque non omisit, quod, si ob defectum Sacerdotis agnati, aliquis extraneus nominatus fuisset ad ipsam Cappellaniam, et tra-

ctu temporis = *venisset in istato di Sacerdale qualcuna della linea dei suddetti Elezionarj, possa questo escludere qualunque altro eletto dai medesimi, e volendo l' Ufficiotura di detta Cappellonia laicale qualcuno dei suddetti Elezionarj Sacerdote, vengo esso preferito, oncorchè nella nomina fatta a favore del forastiere avesse ceduto, e rinunziato a detto Cappellanio.*

Juxta legem a pio institutore præstitutam pacifice ex familia Stefanini semper nominati fuerant Cappellani de propria agnatione. Sed nuper, cum nullus extiterit Sacerdos de eadem gente, Antonius Stefanini patronus ad nominationem Ugonis processit. At, cum proinde Sacerdotalem dignitatem assequutus fuerit Æmigdius Stefanini, præsenties ipse Ugo ob apertissimam fundationis legem nequaquam eidem Ægmidio Cappellaniam vindicanti se obstinere posse, electori Antonio collatam Cappellaniam renunciavit. Sacerdos Ægmidius autem ab eodem Antonio vacantis Cappellaniæ resignationem cum nullo pacto obtinere valuisset, coactus fuit ipsum Antonium vadari coram Vicario Generali Curiæ Camerini qui die 16 Maii 1832 favorabilem ipsi edidit Sententiam, ex qua controversiæ Cappellaniæ possessionem facillime assequutus fuit instans Ægmidius. Sed Antonio cum placuerit ab illa Sententia provocare, causa conscendit ad S. Nostrum Ordinem, qui dubio per me proposito hac mane = *An constet de jure potronatus passivo favore. Sacerdatis Ægmidii Stefanini ita ut sit danda immissio in casu etc.* = vadimonium effugiente ipso Antonio, responsum dedit = *Pro Informonte* = nempe *Affirmative in omnibus* =

1 Plana adeo, atque admodum perspecta apparebat proposita quæstio, ut impossibile videretur diversum dari posse responsum. Constans, atque perpetuum huc usque vigit a Legibus omnibus admissm principium, quo edocemur illi decernendam esse Cappellaniam, eique dandam esse immissionem qui a pio institutore indubie vocatus fuerit, et fundationis lege invitatus, prout post apertissimum *Text. in lege final.cod.quar. bonor.* constantissime definivit S.Noster Ordo et præsertim in *Cordub.Cappellaniæ* 11 *decembris* 1722§ *quippe cor, de Gumaches: in Talentina Cappellaniæ* 25 *Novembris* 1731 §. *Quoties coram Cincio; in Cologuritana Cappellaniae* 17 *Aprilis* 1733 §, *Manti cor. De Somminiatis, et cor. Crescentio dec.* 381 *n.* 1 et alibi passim. At, et relata apertissima institutionis lege, cum compertissimum sit quod in nominationo ad Cappellaniam Stefanini præferri omnino debeantur, qui demonstraro quiverint se descendere a gente Stefaninia, et Sacerdotali qualitate insigniri, ita ut, duobus hisce requisitis concurrentibus ex incontroversia ipsius fundatoris pandita voluntate eisdem jus quoque sit = *escludere qualunque eletto* = etiam si ipse = *nello nomina già fatta a favore del forastiere ovesse ceduto, e rinunzioto a detta cappellania* = nullum superesse poterat dubium, quin in electione preferendus omnino esset instans Æmygdius qui solus probare valuit se descendere de genere vocato a testatore in memoratis tabulis anni 1707. Eoque magis ita sentiendum esse insubjecta specie præmonet favor indubius, ac maximus, quo testator suos agnatos prædeligere maluit. Ex eo quippe luculentissime scatet quod patronis nullum jus concessum fuit vagandi extra genus designatum in tabulis institutionis, ita ut existentibus Sacerdotibus agnatis, eisdem denegari nullo modo posset seu reintegratio ad Beneficii possessionem quam ipsi agnati, uti passive vocati, prælative consequi debent ad Text. etc. *in Clementina quia contigit de Religiasis domibus*; *Piton. Discept. Eccles.* 19 *n.* 1 *S. Rota dec.* 404 *n.* 1 *cor. Buratto in Romana Beneficii* 1 *Februarii* 1745 § 2 *et* 4 *cor. Emo Millino*; *in Thalina Beneficii* 27 *Junii* 1746 § 3 *cor. sod. in Vercellen. Beneficii* 10 *Aprilis* 1750 *cor. Vicecomite* § 3 *et in Firmona Coppellaniae* 7 *Junii* 1751 § *cor. Matthejo.*

Cum vero teste ipsa Sententia Vicarii Generalis Curiæ Camerini, nihil a contradicto e Antonio deductus fuerit 2

contra privilegiatam originem ipsius instantis Æmygdii, illiusque idoneitatem ad Cappellaniam assequendam, injuria ideo, atque ex sola divexanda libidine ab eo controvertitur prælatio juris patronatus passivi, quod ex firmissima, et nondum in dubium revocata fundationis lege instanti Æmygdio omnino debetur, cum qualitatibus omnibus polleret a testatore Josepho præscriptis, nec alii adsint de eo genere, qui, uti magis qualificati, mereantur præferri, prout advertit *Decis. Firmana Cappellaniae diei* 7 *Martii* 1823 § 2 *cor. R. P. D. Meo Ruspoli et Civit, Castelli Juris patronatus* 17 *Junii* 1831 *cor. R. P. D. Meo De Retz n.* 5. Hinc igitur Sacerdos Æmygdius, cum plene probaverit suam vocationem, jure meritoque instetit, ut ei decerneretur immissio ad Cappellaniæ Stefanini possessionem, cum nihil vulgatius in Foro sit, quam quod immissio dari debeat illi, qui se vocatum ostendit, et vocationis suæ venisse diem luculenter probaverit *ad Text. Leg. Ult. Cod. de edicto Divi Adriani tollend.* et passim *S. Nostra Rota.*

Et ita etc. Unica tantum etc. Meo quoque accedente suffragio.

---

## CAMERINEN

### FIRMATIONIS STATUS HÆREDITARII, ET DIVISIONIS

*Veneris* 12 *Junii* 1835.

### ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

#### SUMMARIUM

*1. Silere debet causa intestatu, donec vigunt testamentariae tabulae.*

*2. Quaecumque inter vivos donatio, statim ac rite expleta fuerit, bona donata irrevocabiliin donatarii dominium transfert.*

*3. Adjectae dominii reservationes, contractus substantiam non immutant.*

*4. Universali in donatione, etiam ea bona veniunt, quae sibi donator reservaverit si de iis moriens, non disposuerit.*

*5. Quae in parte dispositiva continentur, reguntur atque explicantur ab iis, quae scripta in narrativa fuerunt.*

## DECISIO CCCCLXXXIII.

Quos Patritius e Nobili Savinia Camerinensi familia sex reliquerat filios, dum ipse anno 1826 diem viderat supremum, Franciscum nempe, Cherubinum, Josephum, Venantium, Petrum, atque Aloysium, paternæ hereditatis substantiam ii æque sese inter diviserunt. Franciscus vero, Cherubim, atque Josephus, cito ab hereditaria communione recesserunt, quæ perstitit unos inter Venantium, Petrum, atque Aloysium. Cum vero obiit *anno* 1828 alter ex iis Venantius, sibi is scripsit Petrum, Aloysiumque, cum quibus steterat, in communione, cæterisque fratribus tenoe unum legatum reliquerat. Deinde, cum adversa valetudine, et Petrus laboraret; cupiensis bona sua omnia amantissimo fratri Aloysio tribuere, punctim hoc ipsum peregit solemni donatione exarata *die* 18 *Februarii anni* 1830

Publico quapropter confecto instrumento, transtulit in Aloysium = *a titolo di donazione universale, ed irrevocabile fra vivi, tutti, e singoli beni stabili, mobili. semoventi, crediti, denari, generi, oggetti preziosi, ragioni, ed azioni, sia che ad esso Marchese Pietro spettano, ed appartengono di presente, sia che gli potranno spettare, ed appartenere per l' avvenire* =, una sibi reservata ad effectum testandi *vigesima* donatæ substantiæ parte, de qua tamen =, *non disponendone in vita* =, voluit ut = *s'intenda compresa nel presente atto di donazione* =; ac sibi depacta, quoad viveret, annua argenteorum 372 pensitatione. Detulit sedulo Aloysius donationem ad acta, ne deinde posset in discrimen ob insinuationis defectum adduci. Vix autem elapso mense ab expleta donatione, moritur Petrus, nollo de reservata vigesima edito imperio; ac repente a Francisco natu majori indicitur apud Vicarium Generalem An-

tistitis Camertini judicium, ut, firmato statu hereditario demortui Petri, fieret ejusdem hereditatis fratres inter divisio. Alter ex fratribus Cherubim in hoc renuit vadimonio cum Francisco consistere, cui tamen accessit frater alter Josephus; at pari uterque fortuna, allata per Aloysium donatione, Judicis Sententia rejectus fuit. A qua cum isti provocassent, quæsivi, hodie mane a PP. DD. Meis = *An sit locus confectioni status hereditarii, et divisioni bonorum, seu potius sit servanda donatio diei* 18 *Februarii* 1830 *in casu etc.* =, a quibus responsum habui = *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

1 Et profecto sapientissime responderunt. Ut enim Petri Savinii hereditarii status confectio, ejusque divisio intestatos ejus inter heredes posset decerni, necessario erat supponendum intestatam ipsum suam reliquisse hereditatem: quippe, si de hereditate sua quisque testamento, aliove modo dicat imperium, intestati silere causam jubet. *Text. in L. Quam diu ff. de act. hered. in leg.* 89 *ff. de reg. Jur.*, *et in leg. Æris alieni Cod. de donat.*; *ac firmat S. N. Trib. in Romana Reintegrationis* 12 *Martii* 1751 §. 8 *cor. Cortada*; *in Ferrarien. Immissionis* 16 *Junii* 1775 §. 5 *cor. Ratto*; *et in Decis.* 121 *num.* 2 *et* 3, *ac Decis.* 146 *num.* 1. *cor. Emo Marco.* Atqui præsto in themate erat numeris omnibus absoluta universalis donatio, qua Petrus in fratrem Aloysium contulerat = *tutti e singoli beni stabili, mobili, semoventi, crediti, denari, generi, oggetti preziosi, ragioni ed azioni* =, quæ sibi pertinebant, veluti inconcussum e donationis non oppugnandis tabulis assurgebat. De sua itaque hereditate Petrus legem jam dixerat, dixeratque eo modo, qui, cum æquiparetur ex notissimo Jure tradito præcipue in *Decis. Firmana Reintegrationis* 9 *Januarii* 1778 §. 5 *cor. Herzan.*; atque *in Tudertina legitimæ* 12 *Februarii* 1781 §. 13 *coram de Salm*; testamenti tabulis, nullimode aditus intestatis heredibus patet, ut de donantis firmanda, dividendaque hereditate, quam non habent, actione decertent.

Neque autem vera inutilis profecto erat postulata ab Francisco, atque Josepho hereditarii status firmatio, postquam Petrus perfectissimam donationem Aloysii favore expleverat, qua cunctas res suas = *che ad esso spettano, ed appartengono di presente* » quæque » *gli potranno appartenere per l'avvenire* = Aloysiu ipsi tradiderat = *ad averli, goderli e possederli fino ad ora, e senza veruna eccezzione* =; prorsus ut earum rerum dominium continuo venerit in donatarium, ex quo descendebat nullam rem donantem, dum obiret, potuisse possidere, quam intestati heredes valerent expetere. Scitum siquidem in Jure est, quamcumque irrevocabilem inter vivos donationem, statim ac fuerit rite expleta, suum effectum illico sortiri, donataque bona irrevocabiliter in donatarii dominium transferre, siculi in re notissima statuit praesertim *S. Rota in Sonogallien. Divisionis* 21 *Aprilis* 1788 §. 5 *coram Despuig*; *in Maceraten. Donationis quoad portiones Patruorum super non resolutis* 11 *Aprilis* 1771. §. 11. *cor. cl. mem. Guardoqui*; *atque in Nullius, seu S. Ædisti super* 1 *Dubio* 23 *Januarii* 1832 *coram R. P. D. meo Muzzarelli* = Quapropter inani certe consilio intestatam donantis hereditatem Franciscus, atque Josephus firmari ac dividi postulabant, quam deficere sana ipsa ratio suadebat evidentissime. 2

Neque aliquid negotii facessit, donatae substantiae dominium = *per l'ammontare dell' assegno convenuto* = sibi Petrum reservasse, quasi bona saltem ea nequiverint in donatarium transferri. Quum enim vitalitia dumtaxat foret, neque post donantis obitum progressura annua ea depacta pensio, onusque proinde hujusmodi, donante vix defuncto, omnino evanuerit; adjecta pariter pro ejusdem assignamenti securitate dominii reservatio leves illico abiit in auras, bonaque cuncta ab omni prorsus nexu immunia apud unum donatarium permanserunt. Scitum quippe est, adjectas hujusmodi dominii re- 3

servationes contractus substantiam haud immutare, eique dumtaxat famulari, nilque imo aliud præseferre, nisi meram, simplicemque cautionem pro donantis indemnitate additam, quae in specialem hypothecam plerumque resolvitur, et potioritatis dumtaxat jus donanti tribuit, ut donatis desuper bonis cuilibet donatarii creditori præferatur ad vulgatissimas regulas, quas passim tradidit S. Tribunal *cor. Bichio dec.* 727 *num.* 52, *cor. Falconerio de pactis dec.* 1 *num.* 8. *cor. Riminaldo dec.* 581 *num.* 16 *et in Sutrina Donationis* 11 *Januar.* 1782 §. 3 *cor. Lancellotto.* Quod locum potissimum sibi in proposita contentionis specie vindicat, quum in iisdem donationis tabulis, detrectante Aloysio præstitam fidem religiose implere, non regressum ad donata bona sibi Petrus reservaverit, sed jus dumtaxat fratrem cogendi = *all' emenda e rifusione de' danni ed interessi* » quæ sane indemnitatis actio cum actione rescissoria, et reservationis dominii pugnat, veluti perbelle in simili themate S. N. Ordo ponderat *in cit. Nullius, seu S. Ædisti super secundo Dubio de cessione* 14 *Junii* 1830, 18 *Martii* 1831 *et* 23 *Januarii* 1832 §. 2 *cor. R. P. D. meo Muzzarelli.*

4 Futile sed vero erat impetere, quam sibi testandi causa Petrus vigesimam bonorum partem reservaverat. Petitionem hanc namque ipsius donationis litera explodebat. Ea dissertissime. Voluit is enim, ut ea bonorum symbola = *non disponendone in vita s' intenda compresa nel presente Atto di donazione* = Atqui nihil de ea Petrus reapse imperaverat, unde et illam ex fratris voluntate Aloysius acquisivit; qui, etsi non ea sibi luculentissime succurreret, attamen Juris dispositione juvaret, qua cautum est universali in donatione ea etiam bona venire, quæ sibi donator reservaverat, ut testaretur, quin de iis moriturus disposuerit; quemadmodum tradunt *Urceol. Consultat. For. Cap.* 16 *num.* 18. *Salgad. Labyr, Credit. Part,* 2 *Cap.* 18; *et S. Rota in Dec.* 277 *num.* 10 *cor. Emerix; in Dec.* 884 *num.* 23 *cor. Lancetta; atque in Tudertina Legati* 1768 §. 18 *cor. Cornelio.* Cavillatione praeterea propudiosissima Franciscus, atque Josephus opponebant dictum id fuisse in una instrumenti donationis parte narrativa, reticitum vero in parte dispositiva, eaque de causa expungendum a donatione, veluti ac si non id reapse Petrus voluisset.

4 Etenim quæ scripta in narativa sunt, si non repugnent eis, quæ in dispositiva parte continentur; nemo ignorat ac etiam esse servanda, imo autem ab ea regi, atque explicari, quæ hac altera in parte reperiuntur; *S. Rota Dec.* 185 *num.* 4 *cor. Molines*; *Dec.* 282 *num.* 9 *de donatione*; *et Dec.* 17. *num.* 5 *de dote cor. Falconerio*; *atque Dec.* 288 *num.* 23 *et* 24 *cor. Crescentio.* At vero in themate eo magis erat id retinendum, cum ex adhibitis verbis continuo ad narrativam sese referentibus, conceptam ait fuisse dispositivam agnosceretur, ut sese omnino ad illam referret; prorsus ut quidquid in ista fuit dictum, censendum foret ac in altera repetitum, in qua suam donans voluntatem pandiderat, ut hæc per dispositivam integræ committeretur deinde exequutioni; quo in casu hæc, quæ subsequitur, pars utpote mere exequutiva alterius, ab ea regi atque informari necessario debet, veluti sentiunt *Bortol. in comm. ad legem* 6. §. *Si initinm ff. De Eden. lect.* 1 *num.* 5. *et lect.* 2. *num.* 21; *Menoch. De Arbitrar Cas.* 64 *num.* 19 *et De Præsumption. Lib.* 1. *Præs.* 28 *num.* 22 *Gratian. Discept. For. Cap.* 648 *num.* 7 *et S. Rota Dec.* 992 *num.* 33 *cor. Molines.* Quamquam, quæ hæc usque disserui per seipsa supponebant validam fuisse Petri donationem, in qua Franciscus, atque Josephus non insurgebant ullo modo: et incassum illius validitatem oppugnaret, quæ ab rite, ac legitime omnibus expletis validissime protuebatur. Ex quo necessaria descendit alterius partis, quæ venerat in disceptationem, definitio, ut nempe, posthabita ineptissima intestati causa servaretur universalis donatio, quam Petrus in fratrem suum Aloysium die 18 *Februarii* 1830 expleverat.

Et ita in Partium conflictu, redditum jus est.

Digitized by Google

## CAMERINEN PRAELATIONIS

*Lunae* 6. *Julii* 1835.

### ARGUMENTUM

*Leg. quoties*, si favore commercii praescribit, quod firma remanere debeat venditio favore posterioris, qui rei traditionem bona fide recepit, praescripsit quoque, quod id attendi nequiret, quoties ipse secundus emptor sciens rem alteri venditam emerit, et sibi traditam acceperit - Et nullum discrimen adest inter casum de duobus emptoribus, et casum de praelatario.

### SUMMARIUM

1. *Exceptiones, falsis innixis suppositis, non attenduntur.*
2. *Indolem, ac naturam contractus non a verbis, sed ab eo, quod contrahentes conficere rati sunt, repetere oportet.*
3. *Communiter res agi possunt, etiam citra societatem.*
4. *Socii possunt in pactum deducere, quod societas protrahatur ad haeredes, qui tacite consentire praesumuntur.*
5. *Quaelibet stipulatio non cohibetur ad personam stipulantis tantummodo, favore haeredum facto semper censetur.*
6. *Surdi et Muti, absque curatore, et Judicis decreto, nequeunt valide se obligare.*

   *Sacerdos, ad curatoris munus obeundum, necesse est quod veniam reportet ab ecclesiastica auctoritate-* ibidem. -
7. *Renunciatio emissa ab interdicto, per syngrapham privatam, absque solemnitatibus, est nulla.*
8. *Ius retractus, seu praelationis non indiget inscriptione.*
9. *Firma remanere debet venditio favore posterioris emptoris, qui rei traditionem bona fide recepit.*

   *Limita si secundus emptor sciens rem alteri venditam emerit, ac sibi traditam acceperit* - ibidem -
10. *Ex identitate rationis malae fidei expers dici nequit emptor ille, qui bona venui exposita, praelationi obnoxia esse sciens nihilominus uti libera emit.*
11. *Actio pro praelatione est personalis in rem scripta, quae datur contra possidentem.*

## DECISIO CCCCLXXXIV.

Ad extinguendum æs alienum, quo gravabantur Municipia, cum distrahi bona omnia Communitativa imperasset Summus Pontifex Pius VII San. Mem. Suo Motu Proprio diei 14 *Julii* 1803, prædium quod Camertini appellant = *Col di Pietra* = publicæ licitationi quoque expositum fuit, atque adjudicatum Clementi Gasparri, ex Oppido Montis Alti, qui emissa bonæ fidei declaratione sub die 18 Septembris anni 1806, ingenue fassus est empta bona a se comparata fuisse favore etiam suorum concivium, Rev. Ansovini Gasparri, Angeli Reversi, et Rev. Pauli Formaggi. Hi contextim acceptam habuere ipsam emptionem = *per loro stessi, e loro Eredi* = solemni modo obligantes se ipsos, et ipsorum hæredum personas, et bona pro pactorum conventorum observantia; sed, ad solvendum pretium statutum in quantitate scutorum 900, præsenti pecunia cum unusquisque careret, a Monialibus Divi Salvatoris Camertis cuncti in solidum emerunt = un *Certificato di Censo* =, cujus pretium restituere promiserunt intra decennium. Præcipua autem pacta in prædicto contractu fuere = *che detta compra s' intenda fatta unitamente dai quattro associati, e che debba essere indivisibile per sempre* =; quod si = *una famiglia si dividesse questa famiglia così divisa si debba considerare in questa società, come un solo, ed abbia un solo luogo* =, quod denique = *se qualcuno degli associati dovesse vendere detti Beni, cioè la sua parte, che la debba vendere agli altri associati; la possa prendere anche un solo, sempre però per quel che ne troverà, o converranno fra loro* =: cum in id præcipue ac principaliter emptores omnes intenderint, quod nullus extraneus unquam se intruderet ad evertendam optatam coiti consurtii perpetuitatem.

Amice, prout erat in votis, processit inita communio. Obiit anno 1813 Clemens Gasparri, et anno 1817, Paulus Formaggi, qua in ea communione ulla contigeret immutatio. Pacifice ideo ad ipsius fruitionem acciti fuerunt hæredes defuncti Clementis, et Simon Formaggi, præsentis causæ auctor; qui surdus, et mutus a nativitate, patruo Paulo hæres scriptus fuerat sub tutela Rev. Francisci Meschini, qui in Oppido Montis Alti

Digitized by Google

animarum curam gerebat. Interea decennium conventum ad pecuniæ restitutionem præterlapsum jam erat, et unusquisque ad tramites pacti peculiarem symbolam Monialibus persolverat, præter unum Ansovinum Reversi, qui alieno ære obrutus, impar evaserat satis faciendæ susceptæ obligationi. Ex quo evenit, quod Moniales, cum singulos haberent solidali obligatione devinctos, insolutam quotam in quantitate scutorum 225 judicialiter vindicare statuerunt a Simone Formaggi, et favorabilem obtinuerunt Sententiam. Tum temporis ipsius Simonis negocia gerebat Philippus Minucci, ipsius affinis, Camerti degens, vir novus, et rerum gestarum pene ignarus. Hunc aggressi sunt Rev. Ansovinus, et Nicolaus Gasparri, qui paratos se exhibentes ad præpediendam ipsius Sententiæ executionem, promiserunt integram solvere instantibus Monialibus debitæ pecuniæ quantitatem, dummodo Simon Formaggi liberum eisdem concederet subingressum in jura dimissi debitoris Ansovini Reversi, solemni emissa renunciatione prælationis juri quod ei competebat ex lege originarii contractus anni 1806 Minuccius vero = *volendo far fronte all'urgenza per non esservi spazio sufficiente di tempo di far concorrere chi rappresenta lo stesso Simone, col suo assenso esposto per atto legittimo, facendo tutto suo proprio tale interesse* =, utpote declaraverat in privata syngrapha *die* 25 *Novembris* 1825, petitum subingressum concessit instantibus Gasparriis, data fide = *di far si che il medesimo rappresentante dello stesso Simone accederà nelle forme volute dalla legge alla ratifica di tal'atto, e dichiarerà, che lo stesso Simone acconsente di far godere del diritto di retrocessione privatamente alli detti Signori D. Ansovino, e Niccolò Gasparri* =. Post annum tantum a relata cessione scilicet die 20 Decembris anni 1826 Monialibus soluta fuit quantitas scutorum 225, non a cessionariis Gasparriis, sed ab Hilario Simonelli, cui stipulantes Gasparri usque a die 12 præcedentis Julii cessam Reversi quotam vendiderant, explicite conventa evictionis præstatione, quam Hylarius ad abundantiam sibi pacisci quoque voluit ab ipsius Simonis fratre Dominico. Nec de solemni hac promissione satisfactus, evictionis periculo providere iterum voluit Hylarius cum altera syngrapha, privatim exarata sub die 11 *Augusti præcitati* anni 1826, in qua accessit et Parochus Meschini, qui, = *nella sua qualifica di curatore della Famiglia Formaggi* =, approbavit emptionem ab Hylario expletam, expresse declarans valedictum fuisse prælationi competenti familiæ Formaggi, ex ratione quod hæc = *non era in stato di fare l'acquisto di detta quarta parte, e per essere stato citato Simone Formaggi, ed insieme esso curatore a pagare gli scudi* 225 =, quæ, attentis patrimonii angustiis, persolvi minime poterant.

At Minuccius deinde a SSmo curator deputatus ipsius Simonis, cum cito agnovisset quam improvide proficuo prælationis juri nuncium emissum fuisset, diem dixit Ansovinangelo Reversi, et emptori Hylario, ut a Judice declarari audirent Simoni Formaggi prælationem competere super quarta parte fundi = *Colle di Pietra* =, tunc contra legem originarii contractus anni 1826 occupata ab eodem Hylario ex titulo onerosæ cessionis. Sed contrariam Philippus expertus est fortunam; nam Judex Primæ Instantiæ Camertis ejus instantiam rejecit. Provocavit ipse ad Tribunal Maceratæ, et propitiam obtinuit Sententiam. Hi Judices, loco oblati depositi demandata libera pretii et expensarum refusione, a Simone explenda favore Hylarii, constituerunt præ primis eidem Simoni competere petitam prælationem, et deinde absolverunt Philippum ab obligatione, quam ex errore ipse contraxerat de rato cum privata syngrapha diei 25 Novembris anni 1825, ad cujus executionem peculiariter pulsatus fuerat a Gasparris, a quibus Hylarius petierat liberationem a molestiis. In harum Sententiarum conflictu causa delata fuit ad S. Nostrum Ordinem, qui suum judicium distulit super duabus aliis propositis quæstionibus circa petitam obligationis

*executionem*, et quoad *attentata*, quæ Hylarius patrata ab eodem Philippo contendebat in executione Sententiae Tribunalis Maceratæ, quoad prælationem autem, de qua agitur in præsenti, PP. Mei hoc mane per me rogati responderunt = *Esse locum prælationi, et extendatur Decisio* =.

1 Tria, prælationem excludere studentes Gasparrii, ac Simonellius, excipiebant, strenueque defendebant; nempe, quoad prælatio, conventa in originario contractu anni 1806, nequaquam ex Jure competere potuerit emptorum hæredibus. Quod, si contrarium authumaretur, nihilominus denegari semper debuisset instanti Simoni petita prælatio, cum expresse huic renunciaverit ipsius curator Meschinius. Denique ex defectu hypothecariæ inscriptionis Simonem agero non posse contra Hylarium, qui uti tertius possessor, in pacifica possessione manuteneri debebat ex invocata Juris Civilis præscriptione in *Leg. Quoties Cod. de Rei vendicat*. Verum bas omnes exceptiones, falsis innixæ suppositis, facillime diluebantur.

2 Prima enim objectio supponebat, quod contractus anni 1800, *formalem, et realem* contineret societatem inter emptores fundi = *Colle di Pietra* =, ita ut pacta singula in eo conventa, cum paciscentium personas tantum afficerent, iis defectis, transire nequidquam potuerint ad hæredes, resistente ipsius Juris Civilis censura in *Leg.* 39 *ff Pro Socio*. At in supponenda adamussim societatis existentia tota consistebat propositæ exceptionis fallacia. Etsi enim in contractu adhibita sæpe legantur verba = *Società - Associati* =. Non exinde societas ille contractus definiendus est. Ex jure enim scimus contractum indolem ac naturam non a verbis, sed ab eo, quod contrahentes conficere rati sunt, repetere oportere, veluti, post *Text. in Leg.* 34 *ff de reg. Jur.* docet *Woeltius ad Pand. Lib.* 13 *Tit.* 7 *n.* 1, *et firmat S. Noster Ordo in Decis.* 62 *num.* 11 *et* 16 *Decis.* 74 *num.* 13 *cor. Olivatio*. Nemini enim ignotum est in quacumque societate apprime seligi industriam, vel vocari personas, quæ coitæ societati utiliter præstare se possint. At præcipua hæc cujuslibet realis societatis conditio posthabita fuit in conventione anni 1806. Ad excolenda enim bona empta, ut ex iis utilia haberi possent, apti, idoneique neutiquam videbantur duo ex sociis, Ansovinus Gasparri, et Paulus Formaggi, Sacerdotali dignitate insigniti, quorum idcirco industria cum nulla esset in casu, satis aperte probatum videtur, ad ea quæ monet *Zanchius Cap.* 11 § 3 *Part.* 3 non *realem* sed vero *impropriam* initam fuisse inter emptores societatem, vel bonorum communionem, quæ haud prohibuit contrahentes, ne stipularentur etiam favore suorum hæredum, declarando = *che la detta compra debba essere indivisibile per sempre* = inter eorum familias, et quod pacta conventa religiose quoque a memoratis hæredibus observata esse deberent.

Cum igitur inficiari nequeat principaliter vocatos fuisse hæredes in stipulatione anni 1806, cum id facilius communionis indoli aptetur, rectæ interpretationi, rationique apprime congruere videtur, quod in præcitato contractu non societatem, sed veram ac positivam bonorum communionem contineri dici debeat. Quod credibilius efficiebat animadversio, quod, singuli ii emptores cum sciverint bona empta publicæ licitationi exposita fuisse, ut ex defectu concurrentium utilior omnibus fieret ipsamet emptio, constitueret unusquisque ab illa se abstinere, ne licitationis æstus eos deciperet; sed unus Clemens Gasparri oblator superesset sub conditione, quod adjudicata bona eisdem communia deinde redderet, prout is religiose fidem servavit. At conjunctio hæc non societatem, sed bonorum communionem importat, veluti in subjecta specie apertis verbis docuit Ulpianus in *Leg.* 33 *ff Pro Socio*; præsertim, quia communiter res agi possunt citra societatem. *Leg.* 31 *ff eod.*; *Winnius select. Juris quæst. Lib.* 1 *Cap.* 36 § *restat. Ancharan. Cons.* 31 *num.* 1 *Mantica de tac. et ambig. Lib.* 6 *Tit.* 10 *num.* 9 *Domat. in suo Tractat. De societ. Lib.* 1 *Tit.* 8 *et S.* 3

*Rota in recent. decis.* 129 § 16 17 *Part.* 3 *et dec.* 17 § 5 *et* 11 *cor. Olivatio.*

4 Præmonendum tamen est quod ad abundantiam tantum hæc animadversa fuere. Nam in jure scitissimum est socios posse in pactum deducere, quod societas, etiam contra genericam Juris regulam, protrahatur ad hæredes, qui tacite consentire præsumuntur stipulationi eorum auctoris *ad Text. in Leg. Actione* § *Morte ff Pro Socio*; *Surd. Cons.* 20 *num.* 13 *Lib.* 1; *Mantica de Tac. et ambig. Lib.* 6 *Tit.* 24 *num.* 28; *et S. Rota in dec.* 244 § 22 *cor. Ansaldo, et in decis.* 640 § 12 13 *cor. Lancetta.* Hæc autem Juris præscriptio ab observantia ipsorum contrahentium firmata etiam reperitur. Cum enim ad plures abiierint Clemens Gasparri, et Paulus Formaggi, superstites Ansovinus Gasparri, et Ansovinus Angelus Reversi minime inficiati sunt defunctorum hæredibus jus permanendi in bonorum communione. Si enim ad hæredes non respexissent usque ab initio stipulantes condomini, haud certe superstites, plene instructi de indole, atque extensione contractus, cui operam dederant, sivissent cum proprio damno tam utilis communionis participes effici defunctorum sociorum hæredes. Tralatitii juris est, observantiam optimam esse mentis contrahentium interpretem, ut tradit constanter S. N. Ordo in *decisione* 579 *num.* 21 *cor. Molines*; *in Romana Nullitatis Contractus* 21 *Januarii* 1828 § 4 *coram Emo Spada*; *et alibi passim.*

5 Ex dilemmate tandem universa absolvebatur controversia. Vel enim continuata admittebatur favore Simonis bonorum *communio*, tunc eidem competebat ipsa prælatio in vim originarii contractus anni 1806 vel in contractu coitam dicere placeat societatem, cum hæc tacite renovata fuerit cum hæredibus prædefunctorum sociorum, legitime consequitur, quod pacta singula in illo conventa renovat, vel confirmata eorum favore dicere oporteat. *Decius Cons.* 548. *Lib.* 2. *Menoch. Cons.* 122. *numer.* 51 *lib.* 2. *Michalor de Fratr. Part.* 2 *Cap.* 45. *num.* 1. *Rota cor. Buratto Dec.* 408. *numer.* 5. *coram Molines Dec.* 195. § 8. *coram Falconerio Decis.* 1. § 10. *de Societate*; *Decis.* 126. § 16 *coram Olivatio*; *et in Ferentina Divisionis* 13. *Junii* 1828. §. 10 coram *Rivadeneyra.* Nec objici valet personale, ideo ad hæredes non transitorium esse prælationis jus; nam, etsi probari posset, attamen semper vindicare Simon rite valuisset ipsius prælationis exercitium, cum hoc in stipulationem deductum fuerit ex non controverso Juris, principio, quod quælibet stipulatio non cohibetur ad personam, et vitam stipulantis tantummodo sed, ad differentiam actorum causa mortis, etiam favore hæredum facta semper censetur *ad Text. in Leg. stipulatio ista ff. de verb. obligat. Card. de Luca disc.* 85. n. 2 *De servitut.* cum semper interpretatione suppleri debeat hæredum omissioni *ad Text. in leg. Si pactum* 9. *ff. De Probat.*

Constituto itaque quod Simoni competat jus prælationis, altera consurgebat quæstio secundaria, ab Hilario strenne proposita, ac defensa, scilicet, quod legitima ipsius intercesserit renunciatio. Certum at est in Foro quod omnes, qui curatorem recipiunt, absque Judicis decreto nequeant valide se obligare, nec legitime suis Juribus valedicere possint. Certum est quoque, quod inter eos, quibus datur curator, recensentur etiam surdi, et muti, qui, perpetuo morbo laborantes, rebus suis præesse nequeunt. *Inst.* § *sed et mente Tit. de Curat. Leg. sed et in aliis ff. Tit. cit. Leg. cum aliis* 6 *Cod. de Curat. fur. Woet. ad Pandectas lib.* 2 *Tit.* 10. n. 13. sed repræsentari debent a curatoribus, qui impellente necessitate, et adhibitis solemniis a Lege præscriptis, de eorum rebus valide disponere possunt, prout S. Rota animarvertit in *Rec. Dec.* 408. § 23. *et seqq. part.* 5. *tom.* 1. Hisce præmissis, unice ideo erat inquirendum, an valide prælationi valedicere potuerit Parocus Meschinius cum privata syngrapha *diei* 11 *Augusti* 1826 in qua sola, despectis aliis apochis; utpote ab extraneis exaratis, videtur expresse actum esse de objecta ipsius prælationis renunciatione. At in specie nonnullæ firmissimæ cumulaban- 6

tur exceptiones ad cvincendam ipsius renunciationis nullitatem. Præ primis enim non probatur legitimum curatorem fuisse ipsum Meschinium· Hic onim etsi designatus fuisset in extremo suo elogio a Paulo Formaggi uti curatori instituti hæredis Simonis, cum tamen dignitate Sacerdotali præfulgeret, necessarium erat, quod ab Ecclesiastica superiori Auctoritate veniam reportaret collatum munus obeundi, et insuper quod approbaretur a competenti Magistratu; quod Parochum egisse minime probatur. Nec in contrarium relevat, quod communiter ipse Meschinius habitus fuerit tamquam legitimus Simonis curator; nam bona fides Hilarii sanare nullo modo poterat actum substantialiter nullum atque irritum.

7 Quæ conclusio eo magis firmissima in casu dignoscebatur, inspiciendo, qnod renunciatio ipsa inita fuerit sine Simonis præsentia cum syngrapha privata, posthabitis omnibus solemnitatibus a Lege præscriptis, quæ necessariæ aliunde pro ipsius renunciationis validitate jam recogoitæ fuerant ab ipsis Hilarii auctoribus, qui in Apocha diei 25. Decembris anni 1825 convenerunt = *Che il Rappresentante dello stesso Simone accederà nelle forme volute dalla Legge alla ratifica* = relatæ cessionis; et ab ipso Hilario, qui duplici actu evictionem amplissimam sibi stipulari cautus fuit ab cedentibus Gasparriis, et ab Dominico Formaggi, etsi hic actæ cessioni extraneus omnino fuisset. Nec certe proponebatur, quod initæ renunciationi necessitas, sive utilitas causam præbuerit: Nam in facto utraque minime probabatur. Et revera, dum ab edita sententia Sanctimonialium creditum definitum fuerat in quantitate scutorum 225. certum tamen erat, quod Simon debitor solummodo erat in tertia parte, scilicet in levissima summa scutorum 73. quæ procul dubio haud tanti erat, ut necessario exigeret valedici illi prælationis juri, nam difficile haud videtur debitum illud extingui plane potuisse cum ipsis fructibus patrimonii non exigui, quo tunc quoque ditabatur debitor Simon. Contra veritatem autem objiciebatur etiam solutionis urgentia; supponi enim nequit quod Moniales Simoni concessuræ haud essent aliquod temporis spatium ad perficiendam solutionem, quam in facto probatur ipsas recepisse solum post annum a pandita sententia. Multominus loqui poterat de utilitate: si quoque Simon Monialibus rependere debuisset integram debitæ pecuniæ quantitatem, non exinde pro effugienda solutione scutor. 225. utilior dici potest amissio fundi, qui saltem duplo æstimabatur ex vulgari opinione.

Inaniter etiam, inscriptionis defectu innixus Hilarius, postremo loco acriter propugnabat, se non posse, uti tertium possesorem, turbari in sua possesione, invocata ad id comperiissima sanctione *Leg. Quoties Cod. de rei vindicat*; quæ præscribit, quod posterior emptor, qui a venditore rei emptæ traditionem accepit, præferri debeat primo emptori, cui ipsa traditio facta non fuerit. At PP. Mei in proposita hac quæstione animadvertebant præprimis, quod jus prælationis Simon libere exercere poterat contra Hilarium, etsi hypothecaria deficeret inscriptio. Pluries enim ab Archiviorum Præfectura declaratum fuerat, prælationis jure, ut adservaretur, minime indigeret hypothecaria inscriptione. Magistratus ille die 1. Augusti anni 1831. generice constituens, quod hypothecaria Lex minime loquuta fuerat de jure retractus, seu prælationis, concludit = *dunque conviene ritenere, come viene ora a dichiararsi, che il medesimo sussista indipendentemente dalla iscrizione, e possa perciò senza bisogno di essere iscritto, utilmente esercitarsi contro li terzi* = Quæ resolutio amplexa fuit a S. N. Auditorio in Decisionibus *Centum Cellarum Extinctionis Hypothecæ diei* 19 *Martii*, *et* 8 *Julii anni* 1832 *coram R. P. D. Meo Marini*, in quibus ex proposito firmata fuit regula, quod jus retractus, seu prælationis non indigeat inscriptionis solemnitate, prout præcedenter firmatum jam fuerat in *Decis. Perusina Prælationis diei* 9 *Aprilis* 1821 § 5 *coram Martinez del Campo*. 8

9 Animadvertebant deinde PP. Mei, quod ad impediendum ipsius actionis exercitium non recto consilio invocata ab Hilario fuerit sanctio præcitatæ *Leg. Quoties*, quæ si favore commercii præscribit, quod firma remanere debeat venditio favore posterioris emptoris, qui rei traditionem bona fide recepit, præscripsit quoque, quod id attendi nequiret, quoties ipse secundus emptor sciens rem alteri venditam emerit, ac sibi traditam acceperit; nam tunc fraudis particeps censetur, ac proinde præferri non meretur, ne quis ex sua fraude adjumentum eliciat, perniciemque alteri creet, ut ait Lex *Fraus nemini ff de reg. Jur.*, *et Rota coram Molines Decis.* 49 *num.* 7; *Dec.* 540 *num.* 16 *coram Olivatio, et Dec.* 20 *num.* 5 *coram De-Veri* = At Hilarius cum intellexerit perditam omnino esse operam in suam inficando scientiam, de qua dubitari amplius nequibat, postquam cautionem de rato depactus ipse fuerat a Minuccio, et solemnissime insuper sibi evictionem promitti voluerat etiam a Dominico Formaggi =, *se mai venisse spogliato dell' acquisto* =, integrum suum fulcrum reposuit in auctoritate Corradinii, qui in suo Opere « *De Prælatione quæst.* 7 *num.* 23 =, de identifico hoc prælatarii casu scribens, opinatus est, ex depactæ prælationis scientia emptorem haberi non posse uti fraudis participem, adducta ratione, quod ille, cui prælatio promissa fuit, nullam habet actionem *super re*, nec potest cogere promissorem præcise ad factum præstandum, sed tantum agere actione *personali* ad interesse.

10 At privata opinio Corradinii, scriptoris aliunde non ultimi nominis, ab universis DD. contradicta, merito semper despecta fuit a Sac. Nostro Ordine, qui saniori consilio re perpensa, nullum unquam discrimen videre potuit inter casum de duobus emptoribus, et casum de prælatario. Et revera, si non in bona fide, sed fraudis potius, ac stellionatus correus, dici debet emptor, qui sciens bona alteri vendita emit, prout et ipse Corradinius loco citato aperte assentitur, ex identitate rationis malæ fidei expers dici nequit emptor ille, qui bona venui exposita, prælationis oneri obnoxia esse sciens, nihilominus uti libera emit, et ex inita hac emptione prohibuit prælatarium sua jura exercere contra illa bona. In utroque enim casu, dolosa alterius jurium imminutio cum inveniatur, nulla subest congrua ratio, cur in identifico casu prælatarii procedere non debeat limitatio ipsius *leg. quoties*, sed potius eidem supeesse tantum debeat actio personalis ad interesse. Si Corradinii opinio in foro invaluisset, actum tunc esset de jure prælationis; nam nullus unquam dari posset casus, in quo ipsa prælatio peti, ac obtineri possit, cum præter damnorum emendationem ille, qui fraudem passus est, nil aliud obtinere valuisset. Quod cum absurdissimum sit, merito igitur PP. Mei constituerunt, quod scientia Hilarii perpetui obicis ei sit ad prohibendum Simonem, ne sua prælationis jura contra se exerceat ad vindicandam quotam bonorum ei cessum a Reversio.

Hæc vero conclusio magis magisque 11
tenenda erat ex ratione, quod in jure neutiquam probatum est, illum qui prælationem sibi stipulatus fuerit, nullam habere actionem *super re*, nam ipsemet Corradinius in *quæst.* 2 § 1 *et* 7 loquens de DD. discrepantia in definienda indole actionis profluentis a conventa prælatione, concludit, veritatem esse, actionem ipsam *esse personalem in rem scriptam*, quæ datur contra possidentem, obligatum ad rem tradendam ex unica ratione, *quia eum possideat*, veluti in subjecta materia affabre docuit *Merlin. de Pignor. liber.* 2 *quæstion.* 99 *per totum*, *Pothier de vendit. tom.* 2 *fol.* 115 § 395 *edit. Mediolan.*, *et S. Rota in Romana retractus prælaticì* 13 *Junii* 1803 § 5 *coram Tossoni*, *et in Comerinen. prælationis* 2 *Junii* 1807 § *hinc etiam coram Serlupi*. Inutiliter autem allegabatur expleta transcriptio, et perperam, multis congestis DD. auctoritatibus, probare Hilarius nitebatur, post illam disseri amplius non posse de prælationis jure. Nam PP. Mei animadvertebant, quod allatæ doctrinæ vel appellant ad

hypotecas, quæ, si ante transcriptionem inscriptæ non sint, inscribi postea non possunt, ut unicuique compertissimum est, sive bonæ, vel malæ fidei fuerit emptor, vel se referebant ad Gallicas leges, quæ omnimodam tribuere voluerunt auctoritatem transcriptioni, quod apud nos locum nunquam recepit. Demum inanes videbantur querimoniæ ab Hilario excitatæ super expensarum damnatione. Si enim Judices Maceratenses, quoad debitam pretii soluti restitutionem, rati sunt recedere ab eo, quod in suo libello Simon petierat, id certe non excludit, quo hic victor in alea evaserit; nam in promota controversia, an ei competeret prælatio, decretum fuit contra opponentem Hilarium esse locum prælationi, quod satis est, ut litis expensas reficere ipse teneatur.

Et ita etc. Utraque etc.

---

## FERENTINA SUCCESSIONIS

*Veneris* 1. *Junii* 1835.

### ARGUMENTUM

Etsi enim ie foro pactum futurae successionis improbatum sit, vel ob possibile votum alienae captandae mortis, vel uti imminutivum facultatis testandi, vel quia impedit, quominus haereditates deferri possint per ultimas voluntates, tamen non improbatur pactum istud, quoties, ob prolis defectum, bona donata ad donantes redire possunt.

#### SUMMARIUM

1 *Consistere nequit donatio in ea parte, qua quis disposuit ultra id, quod sibi reservaverat ad effectum testandi.*

2 *Donationes etiam intuitu certi ac determinati matrimonii expletae, revocari possunt si id expressim donantes sibi reservaverint in donationis actu.*

3 *Pactum futurae successionis improbatur, ob possibile votum alienae captandae mortis.*

*Non improbatur proinde in casu, quo bona in donationem deducta, ad eosdem donantes redire possunt - ibi -*

4 *Valet pactum successorium, si fuerit initum inter personas sanguine conjunctas, et si fuerit emissum intuitu Matrimonii, quia in hoc casu non potest suspicari votum captandae mortis.*

## DECISIO CCCCLXXXV.

Matilde de Cesaris nupturæ de Pontificis licentia suo Consobrino Paulo de Cesaris Dotem nummorum ducentorum super mille Andreas de Cesaris, et Annuntiata Avanzi ipsius Parentes constituerunt, adjecta illius favore donatione medietatis bonorum, quæ post detractam dotem Antoniæ alteri Filiæ tribuendam reperirerunt ad diem eorum obitus, expressa tamen sub declaratione, quod donatio hæc imminuere haud posset eorum arbitrinm de propriis rebus disponendi ad lubitum, quo in cesu declararunt se haud teneri, *a renderne conto ad alcuno.* Reservatis juribus reapse usi sunt parentes, nam conciliatis Filiæ Antoniæ Nuptiis cum Anagnino patricio Silvestro Silvestri, præter dotem ei constitutam trium millium scutorum, *a contemplazione di Matrimonio, perchè vantaggioso*, conjugibus medietatem donarunt, *di tutto il loro asse, che si troverà alla di loro morte*, nec non, *la consuccessione alla Dote, ed altre promesse*, quæ nuptiarum occasione factæ fuerant alteri filiæ Metildi, et id *qualora questa non abbia legittima, e natural successione.* Nihil contra nuvissimam hanc parentum voluntatem mussitarunt Conjuges De Cesaris, solummodo cum apopletico Morbo jamdiu correptus interierit anno 1832. Andreas, in medium potulerunt extremum hujus elogium, in quo triusque filiæ æquare conditionem anxie testator studiuisse videbatur. Præcepit enim ipse ut teneretnr Antonia conferre summam scutorum 1800, quot adamussim receperat ultra quantitatem Dotis Matildi præcedenter adsignatæ, ut contenta esse deberet dimidio suæ hæreditatis, et ut renunciare teneretur juri succedendi Sorori Matildi, ipsi Antoniæ contra legis censuram impertito in tabulis nuptialibus, præscribens, ut Matildes etiam in casu, quod sine prole decederet jus haberet assequendi suæ

hæreditatis medietatem, et de hac disponere ad lubitum.

Impertitis hisce facultatibus cito uti visa est Matildes, quippe et apparuit testamentum nomine ipsius scriptum; et diem ferens 2 Aprilis ejusdem anni 1832, quo hæredes instituit Virum Paulum, ejusque Patruum R. Canonicum Paulum de Cesaris. Cum grave juribus uxoris vulnus illatum ex Andreæ testamento perpenderet Silvestrius, qua legitimus ipsius administrator judicialiter egit pro integra assequenda ipsius Parentum hæreditate, *con tutte le accessioni, ed altro espresso nell' Istromento.* E contra Canonicus Paulum De Cesaris, ejusque nepos institerunt, ut declararetur sibi competere *la quota espressa* in Matildis testamento. Ferentinæ Curiæ Vicarius, coram quo Causa dicebatur, suam protulit Sententiam, qua controversæ hæreditatis dimidium unicuique adsignavit. Provocavit Silvestrius, et curavit ut a S. Nostro Ordino causae cognitio assumeretur sub proposita dubii formula *An sit servanda donatio diei* 20 *Februarii* 1823, *seu potius testamenta dierum* 23 *Februarii*, *et* 2 *Aprilis* 1832 *ita ut*, *cui*, *quomodo*, *et pro qua parte sit danda successio*, *et immissio in casu etc.* quam in contumacia Canonici, et Nepotis De Cesaris PP. absolverunt assueto Rescripto *Pro Informante* nempe servandam esse donationem diei 10 Februarii 1823, et dandum esse Antoniæ successionem in asse.

1 Pro certo enim erat habendum agentem Silvestrium Victorem discessurum a præsenti judicio; Quippe ipse suæ actionis præsidium mutuabatur a solemni donationis instrumento occasione nuptiarum edito die 10 Februarii 1823, et edhuc in suo implicito validitatis statu permanente, in quo clare legitur defunctum Andream De Cesaris, ejusque uxorem Annuntiatam Avanzi filiæ Antoniæ absque ulla restrictione, donasse = *la metà di tutto il loro Asse che si troverà alla loro morte* =, reservato tantum donantium favore bonorum usufructu, nec non = *le facoltà di poter disporre nelle sole circostanze di bisogno personale ai termini di Legge, e colla riserva della quota*, ad effectum, *di potere testare*.. Ex apertissimo hujusce donationis tenore clarum videbatur consistere haud posse novissimam ipsius Andreæ testamentariam dispositionem in ea saltem parte, qua disposuit ultra id, quod sibi reservaverat ad effectum testandi, cum quoad cætera qualibet testandi facultate sese jam expoliavisset. Nec regerere fortasse juvabit attendendam haud esse donationem, de qua quæritur, utpote factam in fraudem alterius donationis, qua antea ipsemet Andreas bene voluit de Matilde mereri, et utpote affectam nullitatis vitio, ob illud, quod intervenit successorium pactum, quod est a legibus alienissimum. At in facto consistere neutra ex iis exceptionibus facile demonstrabatur.

Ut donatio anni 1823 in fraudem 2
Matildis cedere dici posset, probari in primis oportuisset ab anno usque 1815 indubia ac non convellenda super paterna hæreditate jura illam acquivisse, ita ut adempta omnino fuerit parenti facultas de suis rebus disponendi, prout ei magis arrideret. At nuptiali inspecto instrumento Anni 1815, luculenter e contra colligebatur stipulantes Parentes nupturæ filiæ Matildi promisisse dimidium bonorum, quæ tantum reperirentur in hæreditate, *dopo la di loro morte*, detracta prius dote alteri filiæ Antoniæ persolvenda; utique ut utilis esse posset hæc donatio, præ oculis erat habendum tempus obitus, et probato quod nihilo eo tempore in hereditate subsisteret, in auras resolvi ex necessitate oportebat promissionem, nec jus ullum Matildi, vel hodiernis ejus hæredibus superesse poterat pro urgendo pacti adimplemento, cum res deficiat, ex qua promissioni satisfieri possit. Nec implicat certe, quod ex donatione anni 1823 obvenerit, ut nihil amplius superfuerit in bonis. Indifferens enim in themate videbatur modus, quo promittentes Conjuges de Cesaris de suis rebus disponere potuerint; utilis sane fuisset eorum promissio in casu, quod aliquid superesset post eorum obi-

tum; e contra inefficax omnino reddebatur, si viventes aliter de suis bonis disposuissent. Ne umquam imminueretur, naturalis hæc facultas, apertissimis verbis contextim declararunt, non obstante ea promissione, se velle *rimanere assoluti padroni della loro eredità, mentre viveranno e di poterne disporre a Loro beneplacito senza esser tenuti a render conto a niuno*; quæ verba satis aperte ostendunt simpliciem opem hæreditarii compendii stipulantes Parentes nupturae filiae relinquere voluisse, quae proficuos eidem parare posset effectus in casu tantum, quod de propriis bonis non aliter sensissent. Nec a jure id alienum videbatur. Revocabiles enim stipulari posse donationes nos edocet *Fontanell. de pactis nuptial. Claus.* 4 *Glos.* 26 *num.* 2 *et* 4 *Mantica de tacit. et ambiguis tit.* 47 *num.* 4 *Torre de pactis futurae successionis lib.* 1. *Cap.* 7 *num.* 19 *Cancer. Variat. Resol. Cap.* 8 *part.* 1 *num.* 179 *Sangad. Laberynt. credit. etc. tom.* 1 *part.* 2 *Cap.* 6 *num.* 58, *et* 59. *et R. Rota in num.* 460 *part.* 9 *tom.* 2. *num.* 15 *in Rec.* Fraudis idcirco incusari nequeunt donantes, si bona deinde alienaverint, cum libere usi sint facultatibus sibi reservatis, nec ulli facit injuriam qui suo jure utitur, prout in themate perpendit *cit. Fontanell. in loc. cit.* Receptam autem hanc jurisprudentiam immutare nequibat facti circumstantia, scilicet, quod donationi causam præbuerit ineundum Matrimonium, favorabilior est causa liberi arbitrii, a quo idcirco pendere debet donationis eventus ac ea quæ in in themate docuit S. Ordo in *Dec. Camerinen. Haereditatis* 24 *Aprilis* 1601. § 1 *cor. Albegati Dec.* 282 *num.* 17 *ad* 21 *cor. Royas.* Propriae igitur negligentiæ Conjuges tribuant, si irrevocabilem reddere donationem haud curarunt ut perpendit *Bald. in Leg. Cum Archimedorum Cod. ut in posses. Legit. numer.* 10 *et* 12, *et Thesaur. quest. Tor.* 79 *lib.* 2 *num.* 10. Nec sibi suadeant locum esse posse prudenti judicis arbitrio, cum hoc locum habere queat in actibus tantum, in quibus re aliqua in alienum conferatur arbitrium, uti in compromissis, in mandatis, ac in ultimis voluntatibus, non vero in contractibus, qui correspectivitatem præseferunt *Dec. Portuen. Damnorum* 12 *Aprilis* 1793 § 13. *cor. de Boyane* præsertim si stipulantes sibi facultatem reservaverint, uti in themate, sui bonis, utendi *a loro beneplacito*, quæ verba important absolutum, et nullis legibus circumscriptam agendi voluntatem ad ea quæ admonet *Gratian. Discept. Forens. Cap.* 58 *num.* 30, *et S. Rota Decis.* 152 *num.* 15 *cor. Rezzonico*, *et Dec.* 45 *num.* 12 *cor. Consalvi.* Quibus ex juribus concludi oportebat nullum ex ea donatione jus descendisse in Matildem, proindeque absque ejus injuria potuisse ejus Parentes reservatis sibi juribus libere deinde uti favore Antoniæ.

Nec utilius donationem nullitatis incusabant ob Antoniæ concessam successionem in jura Matildes; Etsi enim in foro pactum futurae successionis improbatum sit vel ob possibile votum alienae captandae mortis, vel uti imminutivum facultatis testandi, vel tandem quia impedit, quominus haereditates deferri possint per ultimas voluntate revocabiles usque ad mortem, tamen re intimius inspecta non semper improbandum esse pactum illud, jam monuit *Card. de Luca in disc.* 213 *super fideicommissis.* Eruitur enim *ex text. Leg.* 13 *cod. de pactis* pactum istud esse improbandum, quoties ad successionem se referat alicujus viventis, cujus successio expectetur, secus vero quando in casu, quo Matildis bona donationi adducere contingeret, ut ob prolis defectum, ad eodem stipulantes bona illa redire deberent ad tramites conditionis. Interveniente igitur casu restitutionis, clarum est bona donata non amplius Natildis, sed stipulantium dici oportere et deinde absque ulla improbitate in eventu ipsius mortis absque filiis includere in donatione potuerunt stipulantes jura ab eadem Matilde promanantia, prout animadvertit *Torre de pactis* futur. succes. Lib. 1 *Cap.* 23, *num.* 16 *et* 17 *Cancer. Variar. resolut etc. part.* 3 *Cap.* 7 *num.* 141 *et* 142 cum resolvatur res in meram puram-

qnc personæ subrogationem, quod fieri posse nulla Lex prohibet juxta ea, quæ perpendit S. Ordo *Verulano successionis* 3 *Julii* 1828 § 3 *cor. Me.*

4 Ut etiam promissionem illam alienæ hæreditatis fuisse fingatur et pacti successorii vitium introspici placeat, non idcirco nulla erat donatio renuncianda. Locum enim babnit inter personas arcto sanguinis vinculo conjunctas, quo in casu suspicari nemo potest captandæ mortis votum *Torre cit. in Mantissa Cap.* 5 *num.* 2 *Polit. quæst.* 9 *Disc.* 7 *num.* 12 *Card. de Luca de renunciat. disc.* 16 *num.* 18 *et S. Rota in Dec.* 135 *num.* 2 *cor. Olivatia*, eo vel magis quod adjectnm ipsum fuit intuitu Matrimonii, cui leges quam maxime cum faveant, promissio idcirco in themate dici baud debet continere pactum de futura successione, sed assumere potius naturam donationis inter vivos, effectum tantum habituræ pos mortem donantis, prout animadvertit *Gratianus Disc. For. Cap*· 692 *num.* 8 *Torre de pactis futuræ successionis lib.* 1 *Cap.* 7 *num.* 3 *Polit. Cit. etc. quaest.* 9 *Disp.* 7 *num.* 2, *et S. Rota in Dec.* 126 *cor. Ratto num.* 14 *Dec. Maceraten. Donationis quoad portionem super resolutis* 11 *Aprilis* 1790 § 8 *cor. Gardoqui*, *et in Anconitana immissionis* 21 *Januarii* 1828 § 5 *cor. Zinanni* Vindicata itaque Donationis anni 1823 validitate, facile concipiebatur qualibet destitutum fuisse facultate Andream de bonis in eadem donatione comprebensis iterum disponendi ex testamento, ubi id etiam voluisset Andreas, quandoquidem rei actæ fides adducebatur etiam in discrimen, et recte proinde definitum esse, quod instanti Antoniæ petita danda esset immissio ad bona donata.

Et ita etc. Altera tantum etc.

---

## ROMANA EMPHYTEUSIS

*Veneris* 31 *Junii* 1835.

### ARGUMENTUM

Patet ex Summario.



### SUMMARIUM

*1 Sumptus, quos impedit Emphyteuta, a directario reficiendi si directarii oneri sint.*

*2 Inter meliorationes haud recensendae expensae, quas extraordinarii casus, ipseque emphyteuticae rei status reposcunt.*

*3 Cum de dotali fundamentorum deficentia nulla in contractu habita sit ratio, haud supponendum quod ullus ex contrahentibus ea faciendi onus sibi imponere voluerit.*

*4 Aliud restaurare, aliud est extruere: unde qui restaurationem spopondit ad extructionem haud tenetur.*

## DECISIO CCCCLXXXVI.

Supremis exaratis testamenti tabulis Marcus Antonius Foppa cuncta hæreditatis suæ bona piis conficiendis operibus destinaverat, eorumque bonorum voluit Administratorem Virum Eminentissimum pro tempore S. R. Ecclesiæ Vicecancellarium. Ejus inter hæreditaria bona erat hic in Urbe Domus ad Plateam, quam vocant = *Del Fico* = Censuit illam anno 1825 claræ mem. Emus De Somalia, tunc S. R. E. Vicecancellarius, concedere alicui in emphyteusim. Dato binc munere architecto Gaspari Salvi, ut de necessariis domus reparationibus referret, atque ab eo relatione edita scatuit pro urgentissimis primi gradus reparationibus vim oportere scutor. 451 obulorumque 50 alteriusque vero minus urgentibus vim scutor. 230, atque scatuit annuum domus redditum, e pensionibus retrabendum, assurgere ad quantitatem argenteorum circiter 400. Hæc omnia Emus Vir edidit per publica programmata, quibus alliceret oblatores ad emphiteusim, una cum onerum ab emphyteuta suscipiendorum descriptione, in qua cætera inter accensebatur onus recipiendi domum = *come si trova presentemente* = quin reposcere unquam emphyteuta posset ullam canonis imminutionem = *per qualsivoglia deteriaramento, che potesse scoprirsi, od accadere in seguita anche nei fondamenti, e muri maestri* = atque conficiendi intra anni curriculum = *le riparazioni urgenti di primo grado* = ac = *le altre di secondo gra-*

do a forma della descrizione del Signor Architetto Salvi = intra duos annos.

Cunctis expletis solemnitatibus, *vigesimæ* etiam ac *sextæ* judicio experimento, ac 30 *Julii prædicti anni* 1825 solemni exarato instrumento, majori oblatori Josepho Rossi Mutarelli concessa domus in emphytheusim ad tertiam usque masculinam generationem duraturam fuit, pro annuo convento canone argenteorum 452 penitus respondente redditui domus, quem Pium opus percipiebat. Ut conventæ sarcitionis pactum Josephus adimpleret, cito manus illius executioni apposuit. At compertum inde ei fuit traditam domum carere fundamentis, sine quibus breviter fuisset in præceps. Quum autem fundamentorum defectui Salvii peritia haud præcavisset, quumque de integrali domus defectu ageretur, dum eorum confectioni, ne interim illa prolaberetur, emphyteutæ incumbebat de hac deficientia certiorem Emum De Somalia facere, ut quod Pio operi utilius putaret consilium caperet. Sed, cum Josephus intellexerit contendi ut suo oneri deficientium etiam fundamentorum extructio imponeretur, destitit post Septembrem anni 1827 ab canonis pensitatione, quem tunc usque religiose solverat: Hinc ab Pio Opere sequestres factæ fuerunt domus pensiones, quas dein Josephus consenserat ut ab illo exigerentur.

Data interea multa de re amicabiliter componenda fuerunt verba: infecta sed tamen semper compositio mansit hanc vero ob rem requisiti ab Pio Opere periti Viri Livonius, ac Brandolinius atque a Josepho Bellius, Valadiorius et Hullius fuerunt, ut de fundamentorum defectu, deque eorum constructione tum peracta, tum ad domus necessitatem peragenda constaret. Hi retulerunt defecisse reapse fundamenta, atque confectum opus ex necessitate fuisse: illi vero ultra necessarium jam expletum ab Josepho opus, et superesse alia multa peragenda, quæ vim non minus exposcebant scutor. 7000. Quamobrem ut res aliquando definiretur, censuit Josephus adire Judicem, Emi Vicarii Locumtenentem, qui de imputatione expensarum, quas ipse fundamentorum constructione ad plura millena scutata, veluti ex allatis contendebat computis peregerat, in non solutos canones decerneret. E contra Vir Emus Arezzo cl. me., qui successerat in locum defuncti Vice-Cancellarii Emi De Somalia vadimonium Josepho dederat, ut insolutos canones pensitaret in scutis 1808 ad integrum Junium anni 1829 atque in scutis 678 ab Julio illius anni ad totum Decembrem insequentis anni 1830.

Cuncta insimul foro dijudicanda aditus Judex putavit. Cum vero Josephus peritis viris Livonio, ac Brandolinio siquidem tunc lucem eorum relatio non viderat, dedisset positiones quoad fundamentorum necessitatem, eorumque constructionem, postulans ut sub gravamine respondendum adigerentur, rem Judex concessit, sed noluit peritos gravaminis pœna mulctare. Hinc provocavit ab interlocutorio Decreto Josephus, atque suspensivo ab Signaturæ Tribunali appellatione ei elargita ad S. N. Tribunal Causa conscendit, interea ab altero Viro Emo Odescalchi, ad Vice Cancellarii dignitatem ob mortem Emi Arezzo evecto nova de conciliatione data sunt verba. Atque ob hanc caussam non renuit Josephus *quatuorcentum* argentea pro decursis canonibus repræsentare = *senza pregiudizio delle ragioni hinc inde nella causa pendente in S. Rota* = atque Viro illo annuente, alias conficere Domus reparationes quas Vicinus ob suæ domus periculum judicialiter reposcebat. Verum Eminentissimo Odescalchi ad Vicarias S. Pontificis Patres in Urbe gerendas extemplo elato, qui ei in Vice Cancellarii honorem successerat Vir Emus Pedicini voluit ut S. N. Ordinis judicium Pii Operis jura definiret. Quamobrem dubio, quod in Partium conflictu PP. DD. disputandum imperaverant = *An et in qua summa sit locus solutioni canonum seu potius et quomodo eorum imputationi in expensis reparationum in casu etc.* = Eis hodie mane a me exhibito. Responsum illico fuit = *Quoad solutionem canonum post liquidationem : ac reliquis affirmative*

*juxta modum in Decisione exprimendum* =.

1 Et rem ita definierunt ex Jure. Quæstio enim princeps eo sedebat ut videretur num fundamentorum defectus, quia certum adeo in themate erat ut nec illum Pii operis moderatores ab eoque delecti Architecti inficiarentur, sustinendus ab emphyteuta vel adirectario fuisset. Quod si ille non emphyteutæ, sed directarii oneri esset, recte Josephus postularet, ut sumptus, quos impenderat, in re, quam is conficere debuisset, ex debitis canonibus obtineret. At vero Jus quæstionem pro emphyteuta definiebat. Scriptum namque legebatur explicatissime *in Leg. 1 Cod. De Jure emphyt. quo si tanta emerserit clades, quæ prorsus etiam ipsius rei, quæ per emphyteusim data est, faciat interitum, hoc non emphyteuticario, cui nihil reliquum permansit, sed cui domino qui quod facultate ingruebat, etiam nullo intercedent contractu habiturus fuerat, imputetur.*

2 Sed fundamentorum defectus ea certe fatalitas erat, quæ domui per emphyteusim Josepho datæ interitum necessario contulisset. Sine fundamentis stare domum nequaquam posse quisque recte, una suadente ratione, intelligit. Non ergo Josepho emphyteuticario, sed Pio Operi, domus directario fundamentorum defectos erat ex Jure imputandus. Quin apertam Juris dispositionem eliminat emphyteutici contractus natura, quæ in emphyteuticæ rei melioratione consistit. Non enim meliorationes inter accensendæ expensæ illæ sunt, quas extraordinarii casus, ipseque omphyteuticæ rei status reposcunt, sed illæ unæ, quæ consuetæ, ac modicæ sunt, veluti uno ore tradunt *Cyriac. Controv. For.* 269 *numer.* 20, *Rocca Disput. Jur. Cap.* 63 *num.* 58, *Pacion. de Locat. et Conduct. cap.* 34 *numer.* 12, *Card. de Luca de Emphyt. Disc.* 23 *part.* 2 *numer.* 7; *et Rota in Viterbien. Canonum* 3 *Julii* 1761 § 5 *coram Zelada*; *ac in Decis.* 384 *numer.* 3 *cor. Crispo.* Id autem eo fortius retinendum in Causa erat, qua agebatur de emphyteusi impropria, ex qua, cum canonis titulo solvatur fere id omno quod fundi reditus repræsentat, veluti certum erat ad stipulatæ emphyteusis diem; eo minus emphyteuticario illæ imponendæ expensæ sunt, quæ grandes, et extraordinariæ superaccedunt, atque in plura millena scutata Josephus sustinuerat, quemadmodum præ cæteris traditum fuit in *Romana Restaurationum* 4 *Julii* 1828 § 3 *coram R. P. D. Meo Muzzarelli.*

Attamen, quia sibi jus deficere Pii 3
Operis moderatores intelligebant, conventiones invocabant, quibus Josephum adstringi ad fundamentorum quodque extructionem contendebant, ideoque ab eo inaniter reposci sarcitionem ejus, quod pro re illa impenderat. Sed inutiliter. Effrænatissima quippe utut fuerint quæ pacta tum canonis solutioni, tum emphyteuticæ rei meliorationi contrahentes apposuerunt, nullum sed vero pactum occurrit, quo de dotali fundamentorum deficientia habita ratio fuerit, atque ea faciendi onus sibi imponere Josephus voluerit. Pepigerunt utique quod nullam posset emphyteuta requirere canonis imminutionem = *per qualunque deterioramento che potesse scoprirsi, ed accadere in seguito anche nei fondamenti, e muri maestri*=; verum, invita prorsus minerva, non hæc trahenda conventio est ad novam fundamentorum extructionem. Imo autem, quum verbum = *deterioramento*=, quod rei jam existentis in pejus mutationem designat, quodque ex rei natura supponit, ut res in pejus elapsura existat, plus quam fundo dici valeat, apertissime evincit de fundamentorum defectu nec cogitasse quidem contrahentes.

Habitam autem in instrumento ra- 4
tionem haud fuisse de fundamentorum defectu ipsa Salvii peritia demonstrat; in qua necessariæ reparationes ab emphyteuta suo oneri impositæ, ad exiguam summam æstimantur, in qua ingens illa pro fundamentorum extructione necessaria comprehendi nequibat. Verum enim vero, si fundamentor demuteriorationes restaurare Josephus adpromiserat, noluit hoc ipso ad

eorum extructionem sese obligare. Aliud namque est restaurare aliud extruere; prout docent *Alciat. Parad.* 6 *ad fin. Lib.* 5 *et S. Rota in Romana seu Centumcellarum Pecuniaria* 17 *Junii* 1822 §. 4 *cor. bo. me. Martinez Del Campo.* Quapropter injuriosum profecto dignoscebatur ex apposita in contractu pactione de fundamentorum restauratione concludere sese Josephum ad illorum deficientium extructionem obligavisse, de qua ipsum nec cogitasse quidem multa suadebant evidentissime. Neque altera ex pactione = *di mantenere, e conservare detto casamento* = ex omnia conficienda = *che di tempo in tempo potranno occorrere* =, itaut domus ad emphyteusis exitum redderetur = *piuttosto migliorata, che deteriorata* = decebat elicere extruendi etiam fundamenta conventionem. Hæc quippe erunt referenda, prout contractus indoles secumferebat, ad ordinariam emphyteutici fundi manutentionem, non vero ad ingentes, atque extraordinarias expensas, quas fundamentorum constructio reposcebat. *Card. De Luca de Emphyt. Disc.* 74 *num., Polit. de Locat. Dissert.* 2 *numer.* 45 *et S. R. Tribunal in Dec.* 319 *num.* 2 *coram Crispo, et in cit. Viterbien. Canonum* 3 *Julii* 1762 § 3 *cor. Zelada.*

5 Quin rem mutaret domum recepisse Josephum = *tale qual' è* = ita ut, eo quod recepta ab eo fuerit sine fundamentis censendum foret ea voluisse suo sumptu extruere. Ignotum namque id ei erat deficere domus fundamenta; divinare nequibat per pauculas inter necessarias sarcitiones ab Salvio designatas, et ingentem illam deficientium fundamentorum comprehendi. Quod si Juris est canon, ut ad incognita ferri volnntas nequeat; *Torr. Variar. quæst.* 1 *tit.* 2. *De Substit. et fideicomm. Fontanell. Dec.* 484 *num.* 9. *Rota Dec.* 7 *num.* 21 *cor. Bichio, Dec.* 407 *num.* 26 *cor. Lancetta, et Dec.* 18 *num.* 14 *cor. Crescentio*, ab distinctione illa = *tale qual' è* = haud erat concludendum voluisse domum Josephum sine fundamentis recipere, ut ista proprio ære conficeret, quæ non tantum ignorabat quod non existerint, sed imo existere omnino illa censebat, quemadmodum descendebat aperte ex pactiunibus ab eo stipulatis fundamentorum sarcitionem respicientibus. Hæc autem adeo perspicua erant, ut quamlibet submoverent præsumptionem de fundamentorum extructione ab Josepho ex pacto suscepta. Quamquam, etsi dubia res foret, cum eo versemur in oasu, quo pactum esset interpretandum, Pii Operis favore additum, sumenda semper fuisset interpretatio illa, quæ optata fundamentorum extructionem respiceret, siquidem ejus in potestate erat rem apertius, ac melius exponere, omnemque de asserti pacti existentia dubitationem submovere, *ad Text. in Leg.* 40 *ff de Pact. Manti De Tacit. et ambig. convent. Lib.* 2 *Pic.* 4 *numer.* 90 *Urceol. De Transact. capt.* 19 *num.* 15 *Pacion. De Lucat. cap.* 13. *num.* 145, *et S. Rota Decis.* 1362 *numer.* 8 *cor. Seraphin. atque in Bononien. Devolutionis* 17 *Februarii* 1777 § 4 *cor. cl. mem. Litta.*

Compertum proinde cum esset ex 6
Jure cui pactum sese haud opponebat, fundamentorum extructionem directario Pio Operi pertinere, recte Josephus emphyteuta postulabat, ut qoidquid in id impenderat debitis e canonibus retineret. Verum ne extructionis fundamentorum prætextu canonum imputationem ad expensas alias, quæ sibi incumbebant Josephus protraheret, prudenti sane consilio PP. DD. censuerunt esse imperandum ut = *Pium Opus eas tantum ferat expensas, quæ directe, et necessario ex imprævisa fundamentorum deficientia promanarunt, quasque per me eligendus peritus æstimabit* = in quo modus stabat Decisioni adjiciendus. Qua vero gesta æstimatione liquere tunc cum possit an expensæ illæ debitorum canonum quantitatem exæquent, vel non, quoad canonum id circo solutionem differri judicium post liquidationem oportuit.

Et ita Utraque etc. redditum judicium fuit.

---

## ROMANA

### EXEQUUTIONIS INSTRUMENTI

*Lunae* 1 *Junii* 1835.

### ARGUMENTUM

Leges semper latae intelliguntur sub tacita conditione, quod ratae, firmaeque remanere debeant transactiones praecedentes, et res judicatae antea latae. Quod firmum, atque inconcussum etiam habetur, etiamsi lex nova ad praterita negocia expresse se referat.

#### SUMMARIUM

1. *Pactum quod haud a legibus reprobetur, servari meretur.* - Et num. 2. -
   *Nihil humanae fidei magis congruum videtur, quam quae semel placuerunt adimplere - ibidem.* -
3. *Leges semper latae intelligendae sub tacita conditione, quod ratae, firmaeque remanere debeant transactiones praecedentes et res judicatae antea latae.*
4. *Solemnes res judicatas pro veritate haberi debent.*
5. *Transactionis validitate nullum parare obicem potest, quodlibet edictum posteriori tempore editum.*
6. *Nemini licet rebus judicatis, directe vel indirecte, obviam ire.*
7. *Ab administrativis sententiis competit appellatio ad superiores administrativas congregationes.*
8. *Exceptio solutionis non habet locum in judicio nullitatis transactionis.*

### DECISIO CCCCLXXXVII.

Creditum rationis mercatoriæ Samonati, quod concordia diei 26 Martii anni 1823 et quatuor conformes Sententiæ in varii Urbis Tribnnalibus editæ, recognoverant, iterum solemni modo coofirmavit transactio, auctorante Juridice, confecta sub die 19 *Novembris anni* 1830. In hac debitores Andreas, et Anna Conjuges Botta, præmissa expressa renunciatione cuilibet appellationi eidem competenti contra præfatas Senteotias, confiteri haud renuerunt suum debitum in quaotitate scutorum 541 56 quam ratatim extinguere promiserunt, cessa menstrua præstatione scutorum *duodecim* quæ Andreæ rependebatur a Reverenda CameraApostolica detractis scutis sex pro alimooiis Aonæ: convenerunt insuper traosigentes conjuges se numquam in futurum illaturos esse ullam molestiam creditrici rationi = *per qualunque causa, titolo o giusto colore* =; quod ut firmius fieret, interposita juris jusandi religione, specialiter valodixerunt beneficio, quod eisdem indulgere potuisset Edictum Eminentissimi ab Arcanis Status diei 11 superioris mensis Maii, quo sancitum fuit, ut publicorum Officialium *quinta* tantum pars honorarii obligari posset erga creidiores cum residuum eorum favore remanere deberet.

At Adreas initæ transactionis oblitus, cuidam Josepho Cartocci pro scutis 50 = cessam vendidit pensionem. Idcirco iterum debuit elusa ratio Samonati certare coram A. C. Pentini et Marulli cum eodem Cartoccio de prælatione; quæ reaps ejus favore decreta fuit cum Sententiis 2 *Decembris anni* 1830 *et* 27 *Septembris subsequentis anni* 1831 novam efformantibus Rem Judicatam. Tunc uxor Aona, ex suspecta alternandi methodo, rediit in scænam, vadimonium iodicens eidem rationi coram Vices Gerentis Auditore ut declararetur, quod ad tramites memoratæ Circularis *diei* 11 *Martii anni* 1830 ipsa ratio exigere nequiret ultra *quintam* partem cessæ pensionis. Sed incivilis hæc petitio solemniter rejecta fuit *die* 22 *Augusti* 1832 cum ipsius Annæ damnatione ad ex solvendas Judicii expensas =

Nullum postea legitimum supererat confugium debitori Andreæ. Quapropter ipse, despectis viis juridicis, *die* 20 *Septembris anni* 1832 æconomicum Rescriptum, subripere valuit a Pro-Thesaurario tunc temporis, quo cessionariæ rationi Samonati interdicta fuit eidem rationi iterum vadimonio lacessere coram Tribunali Collegiali Camerali A. C. renuentes Conjuges Botta, ut audirent revocari editum illud oeconomicum Rescriptum, et ut = *venisse ingiunto all'istessa Camera il pagare alla Ditta Samanati la pensione* = Interim

dum sub Judice adhuc pendebat hæc petitio, alterum editum fuit Edictum sub die 3 *Martii* 1833 ab Eminentissimo a Secretis Status, quo declarati fuere, uti = *non validi, ne ammissibili li sequestri per una quota maggiore* = sexte partis = *ancorchè siano eseguiti in virtù di cessioni legalmente fatte* = Ex quo evenit, quod Judices censuerint contrariam instanti Samonati suam edere oportere Sententiam. Sed hæc tandem ex interposita appellatione revocata fuit a plena Camera, quæ uno et altero pandito Voto sub die 16 decembris anni 1833 et septembris anni 1834 constuit favore ipsius dictæ Samonati = *esse locum executioni instrumenti die* 18 *Novembris anni* 1830 = Provocarunt Conjuges Botta ad Sacrum Nostrum Ordinem; sed deinde procedere in Causa haud rati sunt. Quocirca cura ipsius rationi Samonati prosequuta fuit Causa; et cum die 9 Martii mox præteriti propositum per me fuerit = Dubium = *An instrumentum transactionis diei* 18 *Novembris sit exequendum in casu etc.* =, in debitorum contumacia responsum fuit = *Pro Informante* = nempe = *Affirmative* = Sed Conjugibus Botta cum data fuerit facultas obloquendi contra editam Decisionem, reproponitur Causa sub assueta Dubii formula = *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.* = quæ incunctanter absoluta fuit, edito Responso = *In decisis* =

1 Duobus ex capitibus propugnabat debitor Andreas hodie attendi amplius non posse instrumentum transactionis diei 19 Novembris anni 1830 quo ipse creditrici rationi Samonati medietatem cesserat menstruæ suæ pensionis. Innixus ille Edicto Eminentissimo ab Arcanis Status diei 31 Martii anni 1833 præ primis contendebat ad tramites illius Circularis cohibendam esse obligationem in illa transactione susceptam ad sextam tantum partem integræ pensionis, seu pro conventis menstruis scutis sex, duo scuta solummodo solvenda esse in singulos menses. Objiciebat deinde se agenti rationi mercatoriæ nil amplius debere, cum ipsa integram sui crediti satisfactionem jam receperit.

Sed neutrum in casu attendi posse facillime dignoscebatur. Quoad primum enim recte PP. Mei perpendebant extendi neutiquam posse invocatum Edictum diei 31 *Martii* usque ad evertendas peculiares obligationes inter publicos Reverendæ Cameræ Officiales, eorumque creditores mutuo consensu antea depactas super modo dissolvendi nomina cum propriæ pensionis cessione; cum solummodo Edictum illud præstituerit, quod in posterum nullus Officialis per Judicis Sententiam creditorum favore damnari posset ultra sextam partem ipsius pensionis. Planum itaque est, quod Littera illa Circularis, quæ tantum loquitur du sequestrationibus *judicialibus*, ac coactivis, utpote in casu omnino extranea, evertere, vel imminuere minime valet firmitatem præcedentis initæ transactionis, qua debitor Andreas ex liberæ suæ voluntatis actu obligavit erga creditricem Dictam Samonati medietatem menstruæ suæ pensionis; eo magis, cum ipse Andreas solemnem emiserit nunrium cuilibet beneficio, quod ejus favore quælibet Lex superaccedens inducere valuisse. Quod pactum cum a Legibus minime reprobetur, servari omnino meretur; cum nil humanæ fidei magis congruere videatur quam, quæ semel placuerunt adimplere; = *Leg.* 12 *Cod. de Pactis*; *Leg.* 20 *Cod. de Transact.*, *Rota in Veliterna Immissionis* 7 *Decembris* 1829 § 6 *coram R. P. D. Meo Ruspoli*; *et in Typhernen. Transact.* 1 *Junii* 1829 § 4 *coram Me.* 2

Nec perperam a PP. Meis id constituebatur. Agitur enim de convalidanda, vel infirmanda trausactione solemniter stipulata coram Judice, quæ retractari nunquam præsumitur a Lege superveniente ex juribus in superiori mea Decisione adductis *sub* § 9; cum Leges semper latæ intelligantur sub tacita conditione, quod ratæ, firmæque remanere debeant transactiones præcedentes et res judicatæ antea latae, prout docet *Pothier in Pandectis lib.* 1 *Tit.* 3 *de Legibus*; quod firmum, atque incon- 3

cussum etiam habetur, etiamsi Lex nova ad præterita negocia expresse se referat; cum in casu exclusa retineri semper oporteant negocia per judicis sententiam, vel per transactionem finita; quum supponi nequeat, quod Legislator auferre voluerit jus tertiis jam quæsitum; pront firmant jura jam per me relata in præcitatu § 9 superioris meæ Decisionis.

4 Prætereundum insuper haud erat, quod agitur quoque de infirmanda transactione, quam altera præiverat, eaque solemnis concordia coram Judice acta, et quinque præcesserant solemnes resjudicatæ, quæ ex enmpertissima Juris regula pro veritate haberi debent *Leg. Ingenuum ff de Regulis juris*; *Leg.* 56 *ff de re Judic.*, *Rota in Anconitana Nullitatis Erequutionis* 13 *Junii* 1831 *coram Celestini* § 4, *in Bononien. dotis et fructuum* 25 *Junii* 1832 § 4 *coram Reverendo Patre Domino Meo Muzzarelli*; fortius quia controversa transactio conciliata fuit, postquam ipsæ res judicatæ jam editæ fuerant, sive postquam satis superque perpensa fuerant jura utriusque transigentis. *Romana, seu Parmen Transactionis anni* 1828, *et* 1829 *coram Eminentissimo Spada*; quæ jura eo magis in pretio haberi hodie debent, cum injustitiæ, vel nullitatis nota nunquam huc usque incusata fuerit ab ipsis contradicentibus conjugibus Butta ipsa transactio, uti constituit Sacer Noster Ordo in præcitatis Decisionibus *Romana seu Parmen. cor. Eminentissimo Spada* § 3 *et* 5 *et in Verulana Transactionis* 14 *Novembris* 1828 § 6 *coram Celestini*.

5 Ad urgentius autem comprobandum quam inciviliter pro convellenda ipsius transactionis firmitate invocatum fuerit a debitore Andrea præfatum Edictum anni 1833, altera quoque accedebat animadversio, scilicet quod ipse Andreas minime hodie adnumeretur inter publicos Officiales, de quibus obloquitur Edictum. Ille, utpote simplex = *Giubilato* =, opitulari haud videtur ab invocata Lege. Et revera, perpensa intrinseca illius Litteræ Circularis indole ac subjecto, facile comperiebatur, quod Supremus Princeps cum Legem illam edidit, præ oculis tantum habere debueret no sui Officiales actu exercentes, necessariis destituerentur alimoniis, cum gravi ipsius Publici Officii damno, atque dispendio. Sed id contingere nequidquam cum posset quoad Officiales quiescentes, sive = GIUBBILATI =, ideo planum videbatur, contradicentem Andream respicere minime posse præcitatum illud Edictum, et eidem proinde liberum fuisse solemni illa initi transactione creditricis rationis favore disponere de sua pensione, quin legitime susceptæ suæ obligationi objicere rite ipse hodie possit quidquid, sancitum in illa Littera tunc fuit favore Officialium, in sui officii exercitio adhuc permanentium.

Constituto itaque, quod transactionis validati nullum parare obicem poterat Edictum *diei* 31 *Martii* 1833, non solum, quia posteriori tempore editum, quam etiam quia respiciens casum omnino diversum ab eo, in quo versamur, videndum supererat, an ejusdem transactionis firmitatis ullum discrimen afferre posset æconomicus Ordo *die* 20 *Septembris* 1831 emissus a Pro-Thesaurario tunc temporis. In hoc inquirendo præmonendum videbatur PP. Meis, quomodo expressam contineat causam Ordo ille, et cur latus fuerit, videlicet, quia nequibat = *a termine delle disposizioni della Segreteria di Stato apporsi il sequestro a favore dei creditori oltre il quinto delle pensioni, che mensilmente godono li pensionati* =. Ex hac declaratione apertissime ab eisdem proinde comperiebatur, qund Ordo ille, utpote præ, citato die 20 *Septembris anni* 1832 obtentus, minime obloqui poterat de Littera Encíclyca posteriori tempore edita, scilicet, die 31 *Martii anni* 1833; sed vero referre necessario se debuerit ad precedentem Edictum Eminentissimi ab Arcanis Status *diei* 11 *Maii anni* 1833 quod favore Publicorum Officialium præscripserat sequestrationes excedere haud posse *quintam* partem eorum pensionis. Sed edictum hoc, ut supra monuimus, cum loquutum sit de sequestrationibus tantum *judicialibus*, et 6

*coactivis*, ac ideo minime respexerit cessionem voluntarie expletam a debitore Andrea, qui amplius inter Publicos Officiales haud recensetur; cum insuper ejusdem Edicti præscriptioni expressa adsit renunciatio emissa ab eodem Andrea, qui quoque omnibus futuris præscriptionibus obventuris valedixit, speciali convento pacto, nullam se in posterum illaturum esse molestiam transigenti rationi Samonati, = *per qualunque causa, titolo, o quesito colore* =, compertissimum proinde ex hisce omnibus apparebat, quam male Pro-Thesaurarius ab illo Edicto mutaverit causam inhibendi creditrici rationi Samonati cessæ menstruæ pensionis perceptionem, quæ firmata cum fuerit a præcitatis rebus judicatis, nisi ex arbitrio denegari, atque impediri haud poterat a Pro Thesaurario, cui quoque incumbebat obligatio reverendi ipsas res Judicatas ex non ignota juris regula quod nemini liceat eisdem directe, vel indirecte obviam ire, ita præcipientibus *Leg.* 1 *et* 5 *Codic. de Re Judicata*, *et Leg. Res Judicata* § 7 *ff de Regulis Juris*.

7 Perperam autem Andreas ad sustinendam patentem ipsius Ordinis nullitatem obmussitabat, ipsum æconomicum Ordinem haberi oportere uti administrativam Decisionem, quam ex præscriptione *Art.* 1699 Codicis Gregoriani observari, et edi absque ulla limitatione oportet ab ordinariis Judicibus. Nam eidem ita obloquenti facile respondebatur cerebrosum omnino esse inter Administrativas Sententias adnumerari æconomica Rescripta Thesaurarii. Ex citatis enim Legibus intelligitur quod ab Administrativis Sententiis competit appellatio ad Superiores Administrativas Congregationes, quas nuperrimæ enumerant citatæ illæ Leges. Sed Æconomicus ille Ordo, cum nulli appellationi subjiciatur, satis demonstratum ideo apparet inter administrativas Sententias nullo modo posse adnumerari. Sed si diversimode id inspici etiam placeat, non ideo immutata res dicenda foret; nam eidem aptari nunquam posset ipsarum Legum præscriptio ex ratione, quod ipsæ biennio post publicatæ fuere; nisi in gratiam ipsius Ordinis vis retroactiva illis tribuatur contra Legum omnium, quibus vivimus, præscriptum.

Supererat tantum alterum propositæ defensionis caput, videlicet quod nil amplius instanti rationi Samonati debeatur, quia integrum ipsius creditum solidatum jam fuerit ex perceptis pensionibus. At hoc despiciendum quoque PP. Meis videbatur; non solum, quia gratis asserebatur a debitore Andrea; sed etiam, quia prorsus id extraneum apparebat a præsenti contentione, in qua unice inquirebatur an consisteret transactio diei 19 *Novem. anni* 1830, qua ipse Andreas in satisfactionem confessi sui nominis cessit creditrici rationi Samonati perceptionem medietatis pensionis, quæ ei persolvebatur a Rev. Camera. Proinde, cum extra locum omnino visa fuerit proposita jam expletæ solutionis exceptio, illam PP. Mei prorsus rejecerunt. 8

Et ita, utraque etc., habita relatione ad superiorem meam Decisionem decisum fuit.

---

# ROMANA FAMILIAE HERCISCUNDAE

## SUPER REDDITIONE RATIONUM

*Lunae* 4 *Maii* 1835.

### ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCCCLXIV. -

#### SUMMARIUM

1. *Qui res alienas sive communes administrat, indistincte tenetur ad edendas rationes suae gestionis.*
2. *Pupilli, utpote haeredes parentum, eorum facta praestare semper et necessaria debent.*
3. *Gestae administrationis probationem acceptilationes constituunt.* - Et num. 4 et 5. -
6. *Familiae herciscundae judicium, importat non solum quod res haereditariae, prius indivisae, dividantur, antequam a divisione discedatur,*

*sed praestationes personales quoque continet.*
7. *Facta non praesumptionibus et argumentis, sed documentis luculenter ostendi debent.*

## DECISIO CCCCLXXXVIII.

Ex testamentariis tabulis, ad parentis Alexandri hæreditatem cum æquis partibus invitati fuerint Andreas, Aloysius, et Sebastianus fratres Dell'Oste, satius ipsi pro tunc duxerunt domesticam suppellectilem, credita, bona stabilia, et tabernam lapidariam, nonnullis pretiosioribus marmoribus instructam, accurate adnotare in inventario, ad Legis tramites expleto, ibique ipsarum rerum quoque adiicere æstimationem, diligenter actam a peritis specialiter ad hoc accitis, ut in posterum semper posset aperte cognosci, quæ fuerint vires ipsius hæreditatis. Nulla interim inita divisione, primonatus Andreas, etsi separatam ageret vitam, domesticas perduravit administrare res, sicuti consueverat, sospite patre; dum Sebastianus, qui jam sibi connubio sociaverat Annam Noccioli, inhabitare continuavit paternam domum, hæreditariam retinere lapidatiam tabernam, et in aliis quoque se immiscere rebus ad libitum domorum exigens pensiones, atque credita hæreditaria.

At cito fato perculsus et ipse Sebastianus, suorum natorum tutelam reliquit uxori Annæ, quæ jam patrimonii gestionem susceperat, eamque ipsa retinuit usque ad exitum suæ vitæ. Sed, cum ea arbitrarie domesticas regerit res, de ineunda divisione actum est a leviris Andrea, atque Aloysio. Peritorum officio divisa ideo fuit domestica suppellex, et pacifice partita fuere mobilia. Dividenda tantummodo supererant bona stabilia. De hisce quoque expleta fuit partio. Hujusce integritati nil aliud deficiebat quam ut solemne stipularetur instrumentum. Hoc distulit Annæ obitus. Hyeronymus, et deinde ejus filius Franciscus Noccioli, qui in patris et sororis Annæ locum suffectus fuerat, ut nepotum tutelam continuaret, jugiter obstitit quominus ad publicas tabulas redigeretur expleta divisio. Variæ proindo obortæ sunt quæstiones, quas omnes absolvit Capitolinus Judex, ad quem delata fuerat earum cognitio. Quoad rationum redditionem autem, de qua loquitur præsens mea Decisio, Judex ille commisit Advocato Sicca, quod ab utroque ex litigatoribus rationes reciperet gestæ administrationis. Paruit Judicis mandato Andreas, sive Joannes Baptista Fontana ipsius hæres: renuit autem tutor Franciscus = *ad onta delle replicate istanze* =, et quamvis = *dai documenti annessi risulti* = quod Sebastianus et Anna, dum vitæ compendio perfruebantur = *s'ingerissero illimitatamente in quell'amministrazione, ed esazione di rendite, e crediti del comun patrimonio* =. Quam ob rem Judex ille, absoluto Andrea, præstituit instanti Francisco terminum ad explendam petitam rationum redditionem. Provocavit ab hac Sententia tutor, et cum hic in facto proponeret ipsas rationes, semel dispunctas ab administratore Andrea, iterari amplius non posse, dubitatum fuit, an ipse Franciscus quoque teneretur demandatas reddere rationes. At Patres Mei die 20 Februarii superioris anni 1834, Joanne Baptista tantum informante, *Affirmative* responderunt proposito Dubio: Verum cum Franciscus, ut par erat, sua jura deducere voluerit, in Comitiis diei 6 subsequentis Junii rescriptum fuit = *Dilata, et coadjuventur probationes* = Die tandem 23 Januarii mox elapsi, utraque Parte informanto, cum Causa reproposita fuerit, recedere a Decisis haud rati sunt DD. Mei, qui iterum hoc mane per me rogati super ipsius rescripti viribus, illud confirmare haud hæsitaverunt, repetito Responso = *in Decisis* =.

Multa, nec sine verborum apparatu 1
in nova sua defensione congesserat tutor Franciscus, ut deviam traduceret Patrum sententiam. Iterum effutiebat, quod indebite ipse damnatus fuerit ad rationes reddendas, statim ac ex rationum dispunctione, jam per opponentem Fontana expleta, compertissime probabatur Alexandri hæreditatis gestionem retinuisse defunctum Andream. Subjungebat, quod non sine injuria idem

Fontana Sebastiani, et Annæ gestionis exposceret rationes, cum minime ipse probaverit eisdem præcedenter expletam fuisse rerum hæreditariarum consignationem, omnino necessariam, ut legitime proinde ab iisdem petita exquiri posset rationum redditio. Addebat insuper, quod hanc perdifficillimo posse etiam in facto appareret, quia compertissima res erat ipsum quoque Andream, et alterum fratrem Aloysium arbitrarie nonnulla hæreditaria occupasso marmora, eaque in propriam vertisse utilitatem, itaut si itidem deinceps id perfecerint Sebastianus, et Anna, ex eo haud certe descendit quod generice convenire iidem possent reddendarum rationum actione, cum justitiæ, et æquitati contrarium omnino esset eumdem obligari Sebastianum in communem utilitatem conferre lucra, quæ ipse ex privata industria, et ex laboribus sibi quærere valuerit. Proinde animadvertebat potius se saltem posse obstringi vel actione *mandati*, vel *negotiorum gestorum*, vel *petitionis hæreditatis* ad pretium tantummodo divenditorum marmorum reportandum in hæreditatem; eo magis, quia post rerum hæreditariarum divisionem, initam anno 1817, haberi potuerint propria ipsius Sebastiani divendita marmora. Qua propter concludebat Franciscus, se nullo jure teneri ad petitam rationum dispunctionem; attenta etiam præcipua facti circumstantia, quod ex obvento Annæ obitu, ab ipsomet Andrea Dell'Oste, ipsius agentis Fontana auctore, ereptæ fuerint tabernæ claves, nec amplius restitutæ.

2 At juribus, atque factorum veritati prorsus contraria cum PP. Mei hæc omnia apprime viderent, neutiquam a suscepta sententia recedere rati sunt. Et revera, ex facti circumstantia, quod ab Andrea retenta fuerit peculiaris rerum hæreditariorum administratio, et de hac legitime jam dispunctæ fuerint rationes, descendere nequidquam poterat æque non teneri ipsum tutorem rationes redderet de gestione Sebastiani, et Annæ. Propatula enim est juris regula in superioribus meis Decisionibus firmata, cum nempe, qui res alienas, sive communes administraverit, indistincte teneri ad edendas rationes suæ gestionis. Quo circa, si pupilli Dell'Oste, sive eorum tutor Franciscus Noccioli, quia patruus Andreas in rebus hæreditariis Alexandri se immiscuit, rite recteque a Fontana ipsius Andreæ hærede petere, atque obtinere valuerunt rationum redditionem, ex identitate juris et ipse Fontana, probato, quod defuncti, Sebastianus, et Anna, in iisdem rebus hæreditariis se quoquo immiscuerint, ab eorum pupillis hæredibusque jure meritoque reposcere valebit, quod de eorum gestione quoque ratio ei reddatur. Quidquid vero ad hanc effugiendam obligationem obmussitabat Franciscus in pretio haberi utrique meruisset, si res fuisset de administratore, per Judicem, vel ex partium consensu, deputato privative regendis rebus hæreditariis. Rationes tunc, ab eo semel exhibitæ, satis essent ne ab alio repeti ipsæ possent. Sed in casu, cum res sit de filiis æque vocatis ad paternam successionem, qui jure proprio in bonis hæreditariis sese immiscuerunt, et res communes contrectarunt nil justius ideo videri poterat, quam quod unusquisque eorum sui facti rationem reddere teneretur. At suæ obligationi cum Fontana jam satisfecerit, superest quod idem perficiant et ipsi pupilli, qui, utpote hæredes parentum, eorum facta præstare semper et necessario debent, prout perpendi *in* § *ult.* superioris meæ Decisionis.

Hoc constituto, audiri vix merebatur pupillorum tutor, dum prædictam obligationem infieiabatur in defunctis Sebastiano, et Anna ob omissam a fratribus dell'Oste bonorum descriptionem et non expletam eorumdem consignationem eisdem conjugibus. Nam, quoad in dubio positam descriptionom, præsto erat legitimum inventarium, statim confectum post ipsius Alexandri obitum, in quo accurate adnotatæ fuerant singulæ res hæreditariæ, earumque pretium quoad consignationem autem inutilis hæc videbatur, quoties res est de filio, qui jure proprio se immiscuit in 3

successione, ad quam ex legis ministerio vocabatur, et qui paternam adhuc retinebat domum et in lapidaria versabatur taberna. Cum indubio facta hæc apparerent, rem in contrariam movere atique nequibat consignationis defectus, cum potius videndum superet, an ipsi conjuges Sebastianus, et Anna res hæreditarias arbitrariæ contrectassent, dum in humanis erant. At in subjecta specie nonnulla, et certissima monumenta præsto erant, quæ apertissime evinciebant eosdem conjuges lapidariam tabernam administrasse, credita, et communium ædium pensiones exegisse, et marmora nonnulla vendidisse. Luculentissime id probant acceptilationes, et aliæ chartæ propria Sebastiani, et Annæ manu scriptæ, nec ab ipso tutore impugnatæ, quæ concludentissimam idcirco constituunt probationem gestæ administrationis, prout firmavi in § 4 *citatæ meæ Decisionis.*

4 Perperam autem, et falso etiam, ad difficultatem ingerendam subjungebat Franciscus, quod injuriam saperet obstringere pupillos ad rationem reddendam marmorum, aliarumque rerum, quæ directe occupata fuerant ab Andrea, et præsertim ab altero fratre Aloysio in non levi quantitate. Animadvertendum enim est in hac specie, quod Andreas, cum ex emptione ab ipso Aloysio jurium omnium eidem competentium cessionem retulerit, in suæ gestionis calculis expungendis de rebus etiam ab Aloysio acceptis rationem habuit, prout apertissime fassus est peritus = *non omise di esibire gli opportuni rendiconti* =; et uti constituit Capitolini Judicis Sententia in Rem Judicatam prolapsa ob omissam a tutore appellationem. Plene itaque apparebat futilitas propositæ exceptionis, præsertim ad effectum absolvendi tutorem Franciscum ab obligatione rationes exhibendi de iis rebus, quas reapse contrectatas fuisse a Sebastiano, et Anna, haud amplius anceps res est.

5 Minime autem videbatur agentem Fontana invidere lucro, vel quidquid aliud in defunctos Sebastianum, et Annam aliunde obvenire potuerit. Ipso promota actione, reddendarum rationum pulsans pupillos, petiit tantummodo, quod ratio sibi redderetur de rebus, quas defuncti eorum parentes absumere potuerint ex communi hæreditaria substantia. Cum igitur plene probata ex superius allatis appareret eorum administratio, perperam ipsi eximi ab hac obligatione toto studio nitebantur, etiam objiciendo, se amplius ad id non teneri post divisionem rerum hæreditariarum initam anno 1817, dum sospes adhuc erat Anna, quia ex eo tempore unusquisque ex fratribus sibi debitam hæreditatis quotam consequutus est. At hoc quam veritati adversaretur facillime comperiebatur, memoriæ revocando, quod post ipsius Annæ obitum in pupillorum tutelam successerit Franciscus, qui jugiter obstitit, ne perficeretur inita divisio, et ad publicum redigeretur instrumentum. Quod adeo in facto firmum, immotumque est, ut eidem tutori proinde licitum fuerit vadimonio lacessire ipsum Andream pro explenda ipsa divisione, prout momentissimam faciunt probationem ipsæ Capitolinæ Sententiæ editæ anno 1830 et nostra Sententia, quæ firmavit locum esse petitæ divisioni.

Despectum denique Patres Mei habere censuerunt quidquid tutor Franciscus dictitabat quoad actiones, quibus istans Fontana juxta ipsius mentem uti potius debuisset in præsenti judicio. Firmum enim in themate est, quod unice inquirendum erat, an filii Sebastiani debitores renunciari deberent ob res hæreditatis Alexandri in propriam utilitatem versas ab eodem Sebastiano, ejusque uxore. Cognosci utique id haud poterat, nisi legitima prius exploretur rationum redditio quam effugere neutiquam poterant iidem pupilli, cum id exegisse judicium familiæ herciscundæ, quod, bonæ fidei cum sit, importat non solum quod res hæreditariæ, prius indivisæ, dividantur, antequam a communione discedatur, sed præstationes personales quoque continet ita ut lucrum, sive damnum, quod ex re communi uni hæredi pro- 6

venire potuerit, id cæteris cum hæredibus communi cari debeat; quæ non amplius dubia res est post apertissimum Text. in *Leg.* 19 *Cod. Famigliæ herciscundæ*, *et Leg.* 4 *et* 19 *ff Eodem Instit. Civ. lib.* 4 *tit.* 4 § 4 *tit.* 6, *Vinnius in Comment. juris Civilis lib. cit. numer.* 2; et de ea quæ exposui in § 4 superioris meæ Decisionis. Sed de eo, quod ex communi derivavit substantia, cum ratio haberi nequeat, nisi legitimi prius peculiares ducantur calculi, jure meritoque ideo Patres statuerunt legitime promota uti posse actione instantem Fontana, ut debitam assequi ipsa valeat rationum redditionem a contradicenta Francisco.

7 Quapropter despiciendæ videbantur præsumptiones, quibus tutor Franciscus innitebatur ad iterum excludendum actionem agentis Fontana. Redit enim, quod administratio est quidquam facti, et facta non præsumptionibus, et argumentis, sed documentis luculenter ostendi debent. At Fontana non conjecturis, sed indubiis documentis evicit Sebastianum, et Annam res nonnullas communis hæreditatis contrecatasse; de iisdem rebus igitur rationem reddere tenentur eorum filii, et hæredes; quin eos ab hac eximere valeat exceptio postremum allata, quod ab anno 1817 claves lapidariæ tabernæ eisdem sublatæ fuerint a Fortuna; nam id proponi tantum poterit, cum res in specie videri debeat. At in hodierno judicio, cum tantum in genere exquiratur, an ipsi obstricti ad petitam reddendam rationum exhibitionem sint, perperam obtrudunt, quod peculiariter potius videri potest.

Et ita, habita relatione ad confirmatas decisiones, Utraque parte contradicente, decisum fuit, mo quoque suffragante.



## ROMANA PECUNIARIA

*Lunae 6 Aprilis 1835.*

### ARGUMENTUM

Habes in Superiori, quae confirmatur - DECISIO CCCCXXV.

#### SUMMARIUM

1. *Debitaribus licitum est per nequipollentem probationem supplere defectui acceptilationum, vel eorum amissioni.*
2. *Cum aliud sit praesumptionem allegare solutionis, aliud hujusce deducere praescriptionem pro ipsa praesumptione constituenda minus tempus sufficit.*
3. *Diuturnitatis praesumptioni stari non debet, et necessarium est quod silentio juncta adesse debeant alia adminicula.* - Et num. 4. -
5. *Male quinam quaerit, quod prius petere valuisset si creditor reapse fuisset petitae pecuniae.*
6. *Creditum tempore suspectissimo, absque titulo, vindicatum, falsum utpote habetur.*
7. *Creditor non est judicandus qui sententiae adquiescens pecuniae certam quantitatem persolvit.*
9. *Domestici codices, omnibus juris requisitis carentes, fidem non alias constituunt nisi adversus scribentes.*
10. *Literae quae tantum petitam non vero traditam fuisse quamdam quantitatem, arguunt, nullius roboris sunt* - Et num. 11 et 12. -
13. *Simplex existentia chyrographi penes creditorem tanti haud est, ut excludi ex eo valeat solutio, quae aliunde probata appareat.*

## DECISIO CCCCLXXXIX.

Firmissimum Amicitiæ vinculum sanguinis necessitudine auctum, roboratumque, admodum inter eos junxerat campestres in Urbe mercatores Philippum Narducci, et Antonium Liberti, ut ii peculiaribus omnibus ipsorum necessitatibus invicem opem semper ferre consueverint, quin mutuis obligationibus, de die in diem occurrentibus subscriptiones, vel apochæ necessariæ inter eosdem scriptæ plerumque fuerint. Tanta animi concordia in infensissimam dissentionem repente immutata est, occasione obitus Margaritæ Pacifici, viduæ Liberti. Hæc suo scripto elogio hæredem universalem vocaverat filium Antonium cum lege, quod sorori

Mariæ Rosæ uxore Philippi, debitam legitimam persolveret. At Antonius cum solutionem hanc strenue inficiaretur, nec ad leniendam tam inopinatam asperitatem valuerint vel antiquæ amicitiæ memoria vel urbanitatis officia, necessarium perinde fuit ut Legum rigor impertiret, quod Narduccio amice obtinere impossibile omnino fuerat. Delata Causa ad Tribunal A. C. damnatus fuit Antonius, ut par erat, ad perficiendam sorori debitam legitimæ solutionem, quam infensissime cum ipse explcverit. signum hoc fuit novi certaminis. Ineunte enim anno 1833 ipse Antonius coram eodem A. C. Tribunali diem dixit leviro Philippo = *per sentirsi condannare al pagamento di scudi* 2098 *dovuti per prezzo di carbone, di seme di riscoli, e per vori pagomenti fotti per il citoto o formo dei documenti eee.* = Sed producti tituli cum ad tempus se referrent, quod annum 1811 haud prætergrederetur, cum tales quoque haud essent, institutam actionem fulcire aliquo modo possent, necessarium perinde fuit testes accire, qui singula nominum capita, vel confirmarent, vel excluderent. Sed ex eorum depositione cum nil certi constitui valuerit, datæ idcirco fuere interrogationes, et positiones, quæ tamen haud multum causæ profuerunt. Integra proinde quæstio superfuit, quam tandem A. C. Juridici absolverunt favore Philippi Narducci, obmoti a gravi nonnullarum circumstantiarum concursu, quæ antiqua nomina jamdiu extincta, vel invicem remissa arguebant. Sed, ne ulli dubietati locus superesset constitutum fuit in eorum sententia, quod suppletorium juramentum præstaretur a Philippo ad fulciendas præstationes exclusivam binarum partitarum crediti ab Antonio petiti. Provocavit hic ad Sac. Nostrum Tribunal, et die 21 Aprilis superioris anni 1834 fuere per me Patres rogati = *An, et in qua summa constet de eredito itaut sit relaxandum mandatum in easu etc.* = Et responsum accipi = *Negative in omnibus, præstito per Philippum juramento ad formam Sententiæ A. C.* = At super viribus decisionis, a me super hac re editæ, cum exquirere Patrum Sententiam Antonio placuerit, idcirco hoc mane, quo ad Cardinalitiam Dignitatem merito evectus est Rmus D. Mons. Decanus in cujus subsellium iu proxima Rota ascendam, tralatitiam eorum definitioni proposui Dubii formulam = *An sit standum vel recedendum a decisis in easu etc.* = et datum fuit responsum = *In Decisis* =.

1 Et merito quidem. Providissimæ enim Leges constituerunt, quod debitoribus licitum esset per æquipollentem probationem supplere defectui acceptilationum, vel earum amissioni, cum ex coniecturis, et præsumptionibus, dummodo sint urgentes, et validæ, probari posse expletam solutionem receptissima sit juris regula post *Gloss.* in *Leg. Si Chyrographum ff de probotionibus, Cyriac. Controv.* 210 *num.* 1. *Menocchio de præsumptionibus* 135 *num.* 2. *Coneiol. Controv. Forens. Allegat.* 11, *et S. Rota dec.* 30 *num.* 10 *cor. Merlino, dec.* 960 *num.* 1 *cor. Olivatio, et in Viterbien. Spillatieorum de refect. expensarum* 13 *Decembris* 1833 § 11 *coram R. P. D. Meo De Cuppis.* = At in themate procul dubio haud deerant vehementissimæ præsumptiones, et adminicula, quæ invictissime, tam in genere, quam in specie suadebant nullum locum esse posse petitæ solutioni scutorum 2096 cum extincta vel saltem compensata apparerent nomina, super quibus suam fundaverat intentionem instans Antonius. Hæc autem præsumptiones, cum non per viam *actionis*, sed per viam *exceptionis* allegarentur a Narduccio ad petitam excludendam solutionem, maximæ efficiebantur efficaces ad monita *Card. de Luea in suo troct. de creditis disc.* 103 *num.*10, *et dise.* 192 *num.* 5, præcipue quio res est inter viros amicitiæ, et sanguinis vinculo inter se conjunctissimos, quos inter experientia docet solutiones plerumque fieri sine acceptilationibus, atque Chirographis, prout admonuit *S. N. Ordo in Recent. port.* 19 *Tom.* 2 *dec,* 102 *num.* 7.

2 Et revera quoad ipsas præsumptiones, quæ in genere solutionem jam expletam fuisse constituunt, præ primis assurgebat juge silentium a Libertio

per longissimum spatium duorum annorum super triginta adservatum, quod satis superque est ad praescriptionem inducendam ipsius crediti. Sed cum aliud sit praesumptionem allegare solutionis, aliud hujusce deducere praescriptionem ob id DD. perpetuo tenuerunt quod pro ipsa praesumptione constituenda minus etiam tempus sufficiat, et ea etiam maximi efficiatur ponderis, si, utpote in casu, una cum diuturnitate concurreret silentium, et taciturnitas ex juribus, quae post, Afflict. *Dec.* 13 *n.* 19. *Menoc. Cons.* 12 *num.* 98, *tradit Surdus Cons.* 103 *num.* 1. *Mascard. de Probationibus concl.* 325 *num.* 26. *Andreol. in Controv.* 57 *num.* 1 *et seq., et Sac. Noster Ordo in dec.* 362 § 6 *coram Benincasa; Falconerius Titul. de solut. et liberat. decis.* 7 *num.* 4 *et in Recent. part.* 16 *dec.* 148 *num.* 14.

3 Coeterum si ex doctrina *Card. de Luca disc.* 20 § 4. *de creditis*, diuturnitatis praesumptioni nimirum stari non debeat, et necessarium s t quod silentio juncta quoque adesse debeant quaedam alia adminicula, *Constantin. Vot. decis.* 390 § 13, haec quoque haud in casu desiderantur, ut plenissime demonstrata dici debeat nominum solutio, pro qua instat Antonius in praesenti judicio. Primum itaque concurrentium adminiculorum est qualitas personae ipsius Antonii, mercaturam exercentis, qui insuper ex probatis, non iis certe floruit divitiis, ut facile credi possit, quod tamdiu sui crediti exactionem differre poterit, praesertim stantibus infortuniis, in quae ob temporum vicissitudines misere tunc inciderant campestres mercatores, quibus subjectum fuisse ot ipsum Antonium satis compertum habemus ex testimonio Augustini Candii, qui pluries exiguissimis etiam pecuniae summis suppetias eidem tulit. Hoc vehementissime excludit crediti suppositum, cum verisimile potius videatur, quod Libertius suam ab Antonio pecuniam vindicaturus fuisset, quam quod proprias extraneo aperiret necessitates, et mutuas ab eo exquirere pecunias cum maxima sui numinis jactura, vel periculo prout perpendit *S. Noster Ordo in decis.* 487 *T.* 1 *num.* 2 *et* 8 *cor. Emerix; dec.* 24 *num.* 18 *et seq. cor. Merlino.*

Duabus jam expositis praesumptionibus personam suppositi creditoris directe respicientibus; alia duo accedebant potissima argumenta, quae promotae actionis infirmitatem magis magisque demonstrabant. Ex hisce alterum profluit ab implicita ipsius Liberti confessione, quam tabulae praeseferunt instrumentariae anni 1828. Contigerat ea tempestate, quod Philippus Narducci ob nonnulla rerum passa mercaturae infortunia, in eam inciderit suarum rerum angustiam, ut haud melius urgentibus suis necessitatibus consulere posse putaverit, quam ad Morlupi Oppidum suos transferendo lares, et universam sui Patrimonii administrationem Excmo Viro Principi Burghesio, praecipuo ejus creditori, concedendo, ut ipse ex fundorum ipsi traditorum reditibus proprii crediti satisfactionem obtineret, et aliorum creditorum nomina dimitteret. 4

Cessio conventa absoluta fuit ope solemnis instrumenti volvente anno 1828 exarata, in quo diligentissime explanata fuere singula nomina, enunciati tituli debendi, constitutae quantitates, et conventi modi solutionis. Quum vero Maria Rosa Liberti, Uxor Philippi, pro viro usque ad medietatem suae dotis intercesserit, ad tramites Benedictinae Constitutionis pro firmitate susceptae ipsius obligationis necessaria fuit praesentia ipsius Antonii, uti foeminae proximior, qui, rimatis omnibus, quae in ipso instrumento enarrabantur, suo assensu, atque subscriptione initam corroboravit stipulationem, quin tunc, ut par fuisset, quidquam diceret de asserto suo credito, vel ullam emitteret protestationem, vel suorum jurium proponeret reservationem. Uti igitur insanum omninu fuisset in tam urgenti occasione creditoris personam non agere, atque in actu adeo serto propria jura dissimulare, ita validissimum argumentum ex hujusmodi silentio PP. Mei merito deduxerunt ad omne ipsius Antonii creditum denegandum, cum perspectissimum eisdem appareret male 5

eumdem Libertium hodie quaerere, quod tunc utilius petere valuisset si creditor reapse fuisset petitae pecuniae.

6 Alterum ex dobus propositis argumentis desumebatur a facto, quod scilicet Antonius vadimonium viro indixerit, post quam hic egerat ex matris suæ uxoris testamento ad legitimam huic debitam assequendam. Cognatorum enim exinde animis exarcebatis, facile conjici poterat magis aemulatione, quam justi crediti persuasione, reconventivum judicium Antonium excitasse, et id magis sibi persuasum habebatur a S. N. Ordine, quia opportunissima omnium uccassio assertum repetendi creditum emissa fuerit, ut illud vindicaretur tempore suspectissimo, quando scilicet ex animi perturbatione, potiusquam ex ullo justo titulo actio exorta credi deberet. Prætereundum insuper haud est, quod, si reapse Philippus ex asserto nomine obligatus fuisset erga Antonium, hic suam pro dicta dote leviro pecuniam haud numerasset, uti ex Juris regula arguunt = *Ratta Consil.* 338. *num.* 13. *vol.* 2. *Bertazz Cons.* 118 *num.* 17. *et Mascard. de Probat. Cons.* 325 *n.* 26. sed potius illam compensare voluisset cum titulis quos in judicium hodie protulit.

7 Album tandem calculum huc usquo expositis imponebat altera Sententia diei 2 Decembpris ejusdem anni 1828. a Tribunali A. C. pronunciata in Causa a Narduccio contra ipsum Libertum excitata, bimestre post expletam cum suis creditoribus concordiam, pro assequenda sua liberatione a molestiis eidem illatis a Cosmate Conti pro fidejussionis importantia, quam Narduccius favore leviri jam præstiterat. Si reapse Libertius creditor fuisset Narducci de petita pecuniæ quantitate, haud certe Sententiæ adquievisset, nec utique vim scutorum *septingentum* numerasset agenti Narduccio, cui objicere rito valuisset se velle hanc compensare cum suis creditis, juxta jura, quæ superius enucleavimus.

Nullius vero ponderis Patribus visa sunt quæ Libertii proponunt ad asserti ipsorum crediti fulcimen, nempe responsiones a Narduccio datas positionibus ei ab ipsis Libertiis exhibitis, et aliquorum testium dicta. Quo enim ad eas responsiones, si hisce admisit Narduccius existentiam = *del suo dare* = erga Libertios, contextim tamen addidit hoc boc debitum absorptum fuisse = *dal suo avere* = uti in aperto poni poterat ope liquidationis sui crediti et debiti cum Libertiis perficiendæ, quam hi numquam perficere curarunt. Quo vero ad dicta testium, qui deponunt Narduccium a Libertiis recepisse vel fruges, ac cerealia vel pecunias, ac deponunt sese curasse conciliationem iniri inter partes super hisce rebus, admissa etiam harum depositionum veritate, id nil Libertius prodesset, quia adscribendum esset tempori, in quo adhuc illiquida, nec compensata extiterant hinc inde debita, et credita. Hæc omnia, generatim perpensa, sat superque erant ad Libertiorum prætensum creditum adversus Narduccium excludendum.

Sed gravius Patres in suscepta sententia sese confirmaront assertum creditum denegandi, statim ac super singulis ipsius partitis speciale instituerunt judicium. Et revera primum nominis caput a certa carbonis quantitate constituitur; quam, ad vim scutorum 172 et ob. 20 Antonius ait se subministrasse Philippo ab anno 1801. ad annum 1803. Innititur caput hoc domesticis Libertiorum Codicibus, qui, cum omnibus careant Juris requisitis, et privatas adnotationes exhibeant, fidem exinde non alias constituunt nisi adversus scribentes *ex Text. in Leg.* 7. *Cod. de Probationibus*; *Brunemann. in Cod. ad Leg.* 5 *num.* 4 *ejusdem Tituli, et S. Rota in Romana Pecuniaria super redditione rationis* 3. *Februarii* 1809. §. 5. *cor. Bussi.* Præsertim cum probetur Libertiis non levem panis quantitatem subministratam fuisse a Narduccio, ita ut unam cum altera subministratione mutuo compensasse credendum sit. Quæ præsumptio gravior fiebat inspiciendo, quod nomen hoc primum petitum fuerit post longissimum triginta annorum silentium, quando 9

scilicet creditum omne, vel extinctum præsumitur, vel illud substulit longi temporis præscriptio *L.* 7. *Cod. de Præscript.* 30. *vel* 40. *annorum.*

10 Altera sequitur exigua seminis vulgo *Riscoli* partita, quam Antonis probare authumaverat cum adductis epistolis ipsius Philippi. Sed literæ arguunt tantum petitam non vero traditam fuisse seminis quantitatem, et si quid pusillum subministratum conjici possit ex litera diei 7. *Februarii* 1811. hanc partitam videtur Narduccium compensasse cum lolii quantitate, quam probatur illum subministrasse Mariæ Annæ, ipsius Antonii sorori ad elendas pullos. Idem dicendum quoque est de summa Scutorum 300. quam ex supposito Philippi jussu Antonius ajebat se solvisse Raphacli Seneider. Ut superius animadvertimus, litera, cum qua Antonius solutionem probare intenderat, arguit pecuniam illam a Philippo petitam tantum fuisse, non vero ejusdem numerationem, quæ saltem. si ex pecunia propria instantis Antonii expleta fuissent, aliqua ipsius Raphaelis acceptilatione, vel testimonio suffulta videretur; præsertim quia Antonius ex ipsius literæ mandato solutæ pecuniæ confessionem ab eodem Raphaele sibi curare debuisset = *a conto di sorte, e spese.*

11 Supersunt tandem extremæ duæ partitæ, acceptilatio scilicet scutorum 300. a Narduccio die 26. Aprilis 1805. exarata; et litera collybi ab eodem obsignata die 14 *Septembris anno* 1810. et accepto habita etiam a Libertio erga Laurentium Ortolani. Placuit Patribus super hisce quoque Creditis amplecti Sententiam Judicium A. C. qui de hisce quoque Antonii Creditis haud constare dijudicarunt, præstito tamen per Philippum juramento de eorum inexistentia. Et merito quidem. Quod enim attinet ad syngrapham scutorum tercentorum animadvertere præstat illam non creditum certum præseferre, sed conscriptam fuisse, ut inde ea scut. 300. in dati, et accepti cumputis inter conjunctissimas personas bona fide supputarentur. Omnem autem superat fidem, quod in tam diuturno temporis spatio utrique tam oscitanter sese gesserint, ut quæ erant inter eosdem solvenda, numquam sibi invicem reddiderint, nec mutua nomina ad liqnidum adduxerint, ut in specie monuerunt *Afflict. in Dec.* 10. *perlot. Castrens. Consil.* 126. *vers. Fallituretiam Lib.* 2. *Menoch. De Præsumptionibus Lib.* 3. *Præsumptio* 60. *num.* 5. *et S. Rota cor. Ansald. Tom.* 3. *Dec.* 286. *num.* 17. *in Romana, seu Sabinen. Redditionis Rationis* 10. *Decembris* 1823. § 4. *cor. Emo Isoard.*

Et idem ferendum erat judicium de litera cambiali scutorum *mille*. Patribus Meis enim videbatur nullam legitimam solutionis probationem constituere posse facti circumstantiam quod ipsa litera penes exibentem Libertium servaretur. Gravissimæ enim urgebant multiplices conjecturæ, quæ literam non ab Antonio, sed a Narduccio dimissam fuisse jugiter demonstrabant. Præ primis enim Patres animadverterunt exhibitam literam genericam quietantiam continere, quin personam exprimat, quæ pecuniam numeravit, quod si Libertius propria pecunia solutionem peregisset haud certe neglexisset id in solutione apertis exprimi verbis; sicuti quoque haud omisisset sibi de restitutione cavere; atque hujusmodi alias reservationes adjicere, quæ sunt in communi hominum consuetudine, quatenus ad alienum debitum dimittendum qualibet ex causa adigantur; prout animadvertitur *in superiori mea Dec.* § 8. Accedit insuper Ortolanum, cujus favore scripta fuerat litera, datis positionibus ita respondisse, ut omni studio personam indicare evitaverit, a qua numerata pecunia fuerit. Asserit immo ipse solutioni adfuisse Libertum, quod a controversa numeratione non solum extraneum omnino est, sed illam ab eo non fuisse expletam quodammodo constituit. Hæc præsumptio gravior autem efficitur ex ejusdem Ortolani confessione, qui professus in judicio est se a Narduccio exegisse ipsius literæ usuras, quas proinde, conscientiæ stimulis obmotus, ad aliquam vim reddere eidem volebat; ex hoc enim deducere Patres 12

censuerunt ipsam literam illum solidasse, qui præstit Ortolanio conventas usuras. Quin susceptæ sententiæ officere posset facti circumstantia quod litera in Liberti manibus cum illius solidationis declaratione reperiretur; id cum naturaliter contingere potuerit ex ratione, quod in ipsius collybi obsignatione cum uti expromissor, et correus debendi accesserit Libertius quoque necessarium perinde retentum fuerit ipsam collybi literam a Narduccio dimissam eidem tradere, ut indemnis ipse in posterum evaderet a molestiis, quæ forte ei inferre valuisset ipsius Narducci hæredes, si in ejus hæreditate invenissent genericam illam obligationem.

13 Præterea accredit quod simplex existentia chyrographi penes creditorem tanti haud est, ut excludi ex eo valeat solutio, quae aliunde probata appareat *ad Text. in Leg.* 5 *et Leg,* 22 *Cod. de Solutionibus*. Cum itaque nomina a Libertio prolata, quocumque probatione destituuntur, tam in genere quam in specie merito ideo illa reprobavit A. C. Collegium cum sua Sententia diei 16 Augusti 1833, quæ in omnibus confirmari meruit a S. N. Ordine, qui, ne ipsius Antunii actionis rejectioni aliquid deficeret, et ut tutior esset a P.P. decreta Causæ definitio mandavit quod a Narduccio suppletorium præstaretur juramentum super inexistentia postremorum duorum nominum, ad tramites prædictæ A. C. Sententiæ.

Et ita me quoque suffragante, in utriusque partis conflictu Decisum fuit.

---

## ROMANA PECUNIARIA

*Lunae* 22 *Junii* 1835.

### ARGUMENTUM

Petot ex Summario.

#### SUMMARIUM

*1. Juge silentium in judicio observatum, facit praesumere expetiti crediti veritatem.*

*2. Codices fidem faciunt quoad crediti existentiam, donec contrarium non prabetur.*

*5. Commercii necessitas constituit, ut codices legitime conscripti, plenissimam fidem inter mercatores faciant.* – Et num. 4. –

### DECISIO CCCCXC.

Florenti fervens juventute, ac multis pollens divitiis, Dux Salvator Sforza Cesarini cæteros in Urbe facile præcellebat curruum elegantia, equorumque numero, atque pulchritudine. Palcam, ac foenum eisdem necessarium suppeditare assueverat Josephus De Angelis, qui ob iteratas subministrationes, non reportata unquam pretii solutione, creditor tandem evasit ipsius Ducis in non levi quantitate scutorum *septuaginta quatuor supra quingenta*. Præmatura autem morte correptus Dux Salvator occubuit, scripto hærede filio primogenito, quem ex ejus sorore Anna susceperat Dux Marinus Torlonia, in cujus sacra ipsa concesserat. Nulli bono officio Josephus pepercit, ut ab eo Duce, qui legitimus erat sui filii minoris tutor, atque curator, consequi posset sui crediti satisfactionem. Sed perperam. Dux enim Torlonia haud quidem inficiabatur crediti existentiam, vel quantitatem; ajebat vero se non posse ipsum creditum dimittere ob notissimam obmotam a Laurentio Cesarini filiationis Causam, qua postulaverat se haberi ut legitimum defuncti Salvatoris fratrem; ideoque ex jure sibi competere consuccessionem ad hæreditatem prædefuncti communis parentis Ducis Francisci. Cum rem amice componere inutile omnino evaserit, constituit Josephus sua jura deducere coram secunda sectione Tribunalis A. C., citato etiam D. Laurentio Cesarini, quæ promotam actionem excepit contra *bona hæreditaria* defuncti Salvatoris. Ab hac Sententia appellavit Dux Torlonia ad S. Nostrum Ordinem, cui definiendum per me hoc mane propositum cum fuerit Dubium « *An, et in qua summa constet de credito, ita ut, et contra quem sit relaxandum mandatum in casu etc.* Responsum accepi « *Pro Informante* » nempe « *Af-*

SUMMARIUM

1. *Statim ac de credita, ac debita, hinc inde liquido constet, legis ministerio locum sibi vindicat compensatio.*
2. *Legatarius universalis est idem ac heres, nec praestanda sunt legata, nisi prius deduco aere alieno.*
3. *Compensatio magis attenditur, si procedat ex conventione.*
4. *Fieri non potest compensatio, ubi debitum et creditum diversas respicit personas.*
   *Nequit item opponi compensatio, post convocatum creditorum concursum - ibid. -.*
5. *Collusionis querela non est admittenda, absque gravissima probatione.*
6. *Inane est praesidium quaerere ab exceptione, etsi esset validissima, quae ad tertii jus pertinet.*

## DECISIO CCCCXCI.

Deposuerat Nobilis mulier Flavia Foschi sub die 1. *Aprilis* 1820 penes, tunc florentem in Urbe, nummulariam Scultheis argentea 9000., sibi post bimestralem denunciationem restituenda. Cum vero ad diem 1. *Octobris anni* 1824. Advocatus Romanæ Curiæ Camillus Costanzi, qui nunc inter Commercii Judices sedet, mutua ab eadem nummularia recepisset scutata 300., post quadriennium reddenda, spopondit pro eo mulier super deposito, quod erat adhuc in arca nummulariæ. Post hæc, insequenti nempe anno 1825., Advocatus ipse Camillus, qui res gesserat familiares Hispani Præsulis Malo, editis cum eo rationibus, creditor extitit argenteorum 3552., pro quorum restitutione obligationis syngrapham ei Præsul subsignavit. Moriens is autem ratam habuit supremis in tabulis donationem omnium bonorum, Romæ extantium, in Flaviam jam collocatam, reliquitque ei » *anco a titolo di legato* = quidquid omne = *di mia proprietà potesse esistere in Roma* =

Qui Flaviæ interim emortuæ hæres evaserat, illius frater Philippus Foschi, censuit reliquum antedicti depositi in 4000 nummis postulare a nummularia. At Sculthejus sese literis paratum ostendit reddere tantum 700 argentea, reliqua penes se retenturus in securitatem crediti erga Constantium, pro quo Flavia fidejusserat. Ad hæc Philippus acquieverat. Adventa postmodum restituendæ pecuniæ die, iverat Advocatus Camillus A. C., tunc Judicem S. R. Ecclesiæ, nunc Cardinalem Alberghinium, postulans a Philippo vel solutionem sui crediti erga Præsulem Malo, vel ut declararetur suum fuisse creditum compensatum cum scutis 3300 quæ nummulariæ debebat, cui quoque ea de re indixerat vadimonium. At judicium istud Partes ad exitum non perduxerunt, quia res per compensationem fuerat conciliata, veluti Advocatus postulaverat. Qua de re suis e codicibus nummularia delevit Advocati debitum, et Philippi creditum recensuit in argenteis tantum 700

Decoxerat inde ad diem 29. *Maii anni* 1820 nummularia ipsa, ac, re cum creditoribus composita, pactum fuit, ut eis redderet *quadraginta* scutata in singula *centena*, ab se debita. Patrimonii summa concredita administratoribus fuit, qui, cum inter exigenda credita superfore censerent, et illud in Advocatum Camillum, diem ei dixerunt apud A. C. Pentinium, ut mutuum una cum fructibus post moram enatis continuo exsulveret. Postulavit is per reconventionem, ut sui debiti compensatio decerneretur cum credito, quo Philippus adversus defectam pollebat nummulariam. Re autem maturo ab Judice illo pensitata, probavit compensationem, negavitque crediti, ac fructuum solutionem, servatis rationibus, tum pro majori credito Advocati Camilli adversus Philippum, atque nummulariam pro fructuum restitutione, tum pro residuali credito ipsius Philippi in nummulariam. Hujusce creditores haud huic acquieverunt Sententiæ, sed, appellatione interjecta, ad S. Nostrum Ordinem Causam detulerunt. Quare, cum duo concinnare Dubia oportuerit, alterum super objecta compensatione, alterumque super credito nummulariæ, ambo hodie mane ego in Aula, unis cum nummulariæ creditoribus Philippi haeredibus, qui interim vitam reliquerat, contra-

dicentibus exhibui. Hac in Decisione agam de compensatione, in coæva de credito acturus. Quocirca, cum Dubium proposuerim quoad compensationem = *An, et pro qua summa sit locus compensationi in casu etc.* = Responsum retuli = *Affirmative in omnibus juxta modum, nempe ad formam Sententiæ A. C.*

1 Justissimum quippe erat haud invidendam probare compensationem. Intercedere namque illa *ex jure* poterat, ac reapse *ex conventione* intercesserat. Ex jure quippe, statim ac credito, ac debito hinc inde liquidissimo agebatur, Legis ipsius ministerio locum sibi compensatio vindicabat, *ad Text. in Leg. ult. Cod. de Compensat.*, *Heinecc. ad Pandect. Lib.* 16 *Tit.* 2 §. 214., *Gratian. Discept. Forens. Cap.* 948 *num.* 5, *Constantin. Vot. Decis.* 186 *num.* 20, *et Rota Decis.* 99 *num.* 4 *cor. De Veri. Decis.* 26 *num.* 4 *et* 5, *ac Decis.* 27 *num.* 11. *cor. Emo Mareo*; *atque in Cornetana Pecuniaria* 18 *Aprilis* 1825 §. 8 *cor. Me.* At vero Advocati Camilli debitum liquidum omnino esse nec ipse unquam oppugnaverat, nec obligationis syngrapha oppugnare id permisisset. Idem tamen dicendum, sano consilio, de ejus credito erat. Quippe si controverti nequibat Flaviæ hæredem credito pollere liquidissimo adversus nummulariam Scultheis, Advocatum autem Camillum creditorem Flaviæ ejusque hæredis incedere ob pecuniam sibi a Præsule Josepho Malo debitam, cujus in bona omnia Romæ extantia Flavia ipsa successerat universaliter, eamque ob causam sese inter convenisse, ut crediti hujusce solidationem Advocatos obtineret e pecunia, quem penes nummulariam in sui debiti fideiussionem depositam Flavia reliquerat, clarissimum undequaque remanebat nulli Advocati creditum exceptioni subesse, eumque liquidum nummulariæ creditorem, veluti Flavia erat, incedere.

2 Nec rem mutabat, ut oppugnaretur Advocati creditum, quod nummulariæ creditores ferventi animo opposuerant, mulierem nempe haud esse illius debitricem, quia non Præsulis hæres fuerat; quia expromiserat ille sui debiti solidationem super bonis Hispanis. Primum namque omnium esse responsio offerebat, ex juris dispositione, qua cautum universalem legatarium idem esse ac hæredem, nec præstanda esse legata, nisi prius deducto ære alieno *Leg.* 1. §. *Is qui ff. ad S. C. Trebell.*, *Eeg. Successores ff. ad Leg. Falcid.*, *Leg. si universæ Cod. de Legat.*, *et Leg. fin.* §. *Etsi præfatam invers. licentia creditoribus*, *ubi Glossa in Verb. accomodare Cod. De Jure deliber.*; unde concludendum erat teneri Flaviam ad hæreditarii illius debiti solutionem in bonis quæ a Præsule habuerat, eamque jure posse Advocatum ad solidationem adigere, ejusque Flaviae illud quoque debitum esse, quod etsi *demonstrative* solvendum designaverit Præsul super Hispanis bonis, gravabat tamen, et ipsam hæreditatem quam Romæ Flavia receperat, nec ipsa ullo modo illud avellere a seipsa potuisset. Deinde vero pendebant hæc omnia ex voluntate. Quomadmodum itaque licet cuique debitum, etsi non suum, facere suum ex voluntate, ita Flaviæ, vel ejus hæredis voluntas solidandi de Præsulis debito Advocatum Camillum, insanum profecto reddebat, quod creditores ajebant de debito non pertinente ad mulierem. Debitrix ipsa erat, quia ita voluit, quia in solutionis vicem ei placuit oppugnatam consentire in compensationem. Quapropter si liquidum erat advocati Camilli debitum, æque ac creditum, merito ex *jure* opponebatur ab eo compensatio.

Sed hæc prorsus supervacanea erant, dum gesta jam inde compensatio inita *ex conventione* fuerat. Et id erat evidentissimum. Si enim facta haud fuisset compensatio inter creditum, quod habebat Foschius in nummulariam, ac debitum Advocati Camilli, ipsa nummularia, quæ ad annum 1828. pecunia quammaxime indigebat, advento statim restitutionis die petiisset ab Advocato sui debiti solidationem. At vero id non egit, quia per compensationem illud jam fuerat extinctum, veluti, præter evidentiam ipsam, suadent tum intermissio judicii, quod Advocatus pro

compensatione obtinenda ad eam diem instituerat, tum status creditorum, ac debitorum a nummularia exhibitus dum defecerat, in quo Advocati debitum haud recensebatur, ac creditum Foschio Tributum ad una 700 assurgebat argentea, quot punctim supererant e reliquo deposito in 4000 nummis post initam quoad scutata 3300 compensationem cum Advocati debito. Inutiliter itaque creditores insurgebant in conventionem, quam tempore habili, scilicet ante defectionem Constantius, Foschius, ac nummularia inierant, ut illius debitum erga nummularia cum alterius credito compensaretur.

4 Et justa aderat ineundæ compensationis causa. Namque si Flaviæ hæres tenebatur, veluti superius firmavi, ad solutionem debiti Præsulis Malo in Advocatum Camillum justum sane erat, ut illud aliquo mode exsolveret, quod fieri autem placuit per compensationem. Ex quo merito concludebatur, quod, etsi expressa desiderarctur compensationis ineundæ conventio, attamen intervenisse illam recte ex juxta causa urgentibusque conjectionibus eruebatur, prout monet *Gratian. discept. Forens. cap.* 738 *num.* 6 *Giurba Observ.* 106 *n.* 15. *Capyac. Latr. dec.* 25. *num.* 26 *et Franc. dec.* 587. *num.* 7. Futile post hæc erat quod omne Creditores compensationi opponebant. Fieri nempe compensationem haud posse, quia debitum ac creditum diversas respiciebat personas factam fuisse illam *tempore non habili* post concursus convocationem gestamque ex condicto fuisse, ut colluderetur nullamque esse mulieris fidejussionem pro Camillo deficientibus solemniis ex jure requisitis. Dum enim Advocatus Camillus compensationem opponebat ex juribus a Flaviae haerede sibi luculentissime ex facto cessis, creditum quod compensabat, in suam transierat personam, suumque erat debitum ac creditum, pro quorum compensatione agebat.

5 Inciviliter deinde collusionum nota honestis hominibus appingebatur. Mittam carere id probatione nec esse recipiendam collusionis querelam, gravissima absque probatione. Mittam cuncta hæc licet concludentissima. At vero factum collusioni resistit. Non enim hodie post numulariæ defectionem Camillus atque Philippus, convenerant de compensatione, sed longe antea, ad diem, qua venit tempus solutionis pecuniæ per Camillum debitæ. Tunc is postulavit compensationem, tunc Philippus in id fuerat assentitus, tunc, ob initam reapse compensationem, intermissum de ea re fuit judicium, tunc demum nummaria in locum solutionis recepit liberationem a sui debiti rata in scutis 3300 erga Foschium pro pecunia deposita. Aliter sese non abstinuisset a postulando credito ab Advocato, nec Camilli nomen e debitorum notula delevisset, atque Philippi creditum in suis designasset argenteis 700 Sed nulla tunc suberat colludendi causa. Florens erat nummularia in Urbe nec rumor ullus audiebatur de ejus deficentia, quæ postmodum, nullo divinante, contigerat. Deficiente itaque collusionis causa, injusti creditores omnino erant, qui in eam gratis Camillum, atque Philippum consensisse asseverabant.

Nihil postremo faciendum erat quod 6
de nullitate fidejussionis per mulierem gestæ objicebatur. Haud quæram de ejus validitate. Sed interesse nullo modo id creditoribus debet, nec juvari ab ea ullimode possunt, quippe exceptionem hujusmodi, quæ Flaviæ hæredis fuisset propria, ipse numquam opposuit, sed immo unus nunc ipse est qui pugnet pro compensatione; quod aperte conciliatur cum voluntate ipsius sese illa exceptione juvandi. Inane ergo est præsidium quærere ab exceptione, etsi esset validissima, quæ ad tertii jus pertinet, qui non modo illa non utitur, sed facto suo lucentissimo nuncium illi misisso apertissime profitetur. Verum enim vero, ut compensatio invideri nullo modo a creditoribus nummulariæ, nec ab altero posset satis erat Camillum, atque Philippum in eam tempore habili concessisse. Quod cum negare cuncta ex facto haud sinant, insanum proprus erat in illam

ulterius insurgere. Præterea tamen PP. DD. ponderabant, quod cum nota certo certius fuerit ipsi Scultbejo Philippi debitori, inita compensatio, ac ipse suum in creditorem Camillum agnoverit pro Philippo per interventam tunc delegationem; factus is reapse fuerat liquidus nummulariæ debitor, ac creditor qui compensat ex jure quod debet, cum eo quod sibi suo a creditore debetur.

Et ita etc. Utraque etc.

---

## ROMANA SEU AUXIMANA

### IMMISSIONIS IN SPECIE

SUPER

### RESTITUTIONE IN INTEGRUM

*Lunae* 12. *Januarii* 1835.

### ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Qui laesus est per restitutionem in integrum sublevari oportet.*
2. *Fideicommissi vinculum, utpote odiosum, potius restringi quam extendi debet.*
3. *Mutua culpa, non est opponenda.*
4. *Validitatis justitiaeque praesumptione inventarium donatur ex jure* - Et num. 5. -

### DECISIO CCCCXCII.

E Dominici Sandreani ultimæ voluntatis imperio, quo anno 1795 hæredes sibi scripserat = *il Sig. Giacomo Martorelli e li di lui figli maschi del secondo letto* = bona universa Sandreanæ Gentis venerant in Gentem Martorelliam. Quatuor liberi Jacobo erant ex secundo connubio; Camillius nempe Josephus Antonius, Paulinus, atque Cajetanus, qui tres ultimi, cum Camillus anno 1804 duxisset uxorem, universalem enim erga donationem expleverant, alimentorum quoad viverent præstatione depacta, cui postmodum altera donatio accessit, quam in Camillum ipsum egit Laurentius Martorellius, Jacobi frater, ac Camilli patruus. Postulavit exinde is ut Dominici Sandreani hæreditas quinque in symbolas diriberetur, quatuor sibi sumpturus ex suis ac donatariorum fratrum juribus; quod ipse obtinuit, tum ex transactione anni 1810 qua rem placuit conciliare. Cum vero Camillus defecisset omnimode ab alimentorum præstatione, quam donantibus fratribus adpromiserat, cuncti rescindere donationem studuerunt, actumque id quoad Paulinum, atque Cajetanum ope transactionis, initæ de anno 1825 post plures lites, quæ per decennii spatium jam eos inter locum habuerant, quo vero ad Josephum Antonium ope solemnis reijudicatæ donationem a vestigio destruentis.

Tum autem Camillus efferens jura quorumdam fideicommissorum Sandreanæ Gentis, quæ purificata quoad medietatem in Laurentio Martorellio sustinebat, atque ea hujusce juribus sibi donatis ad se pertinere contendebat, coram privativo Judice a SSmo designato, nempe Emo Viro Cardinali Falzacappa, ad hoc, ut de quæstione judicaret, se immitti postulavit in possessionem medietatis fideicommissariorum bonorum; derivantium a Petri Aloisii Sandreani, Bernardini Mazzoleni, ac Petri Simeonis Marinucci testamentis. Rejecta fuit quidem Camilli instantia ab Emo Falzacappa. Verum deinde excepta pronis auribus postulatio bæc fuit a Congregatione, quam postea Summus Pontifex deputaverat, ut ab ea definirentur singulæ quæstione inter Martorellios exortæ constituitque resjudicata Camilli jus ad obtinendam in genere immissionem ad medietatem bonorum fideicommissariorum Sandreanæ Familiæ, prælevandam ante divisionem, quam de Dominici Sandreani hæreditate gesserant Martorelli qui proinde restituere Camillo debuissent quid pluris ab ea hæreditate percepissent. Ventum inde est ad judicium in specie, quo fideicommissariorum bonorum quantitas liquidaretur.

Datum a Congregationis Judicibus fuit liquidationis opus perito Vincentio Buttaoni, qui post rem discussam, bonorum pretium educens a peritia Agronomi Federici partium consensu probata, retulit Petri Aloisii Sandreani fideicommissum assurgere ad vim usque scutatorum 9665 assiumque 38 illud Bernardini Mazzoleni ad argentea 17030 alterumque Petri Simeonis Marinucci, consentientibus colligantibus Martorelliis firmavit in scutatis 2232 obulisque 99 ½ adjunxit præterea hujusmodi bonis bona altera, quæ Auximi extabant, valoris argenteorum 25060 assiumque 90 conclusitque fideicommissaria bona assurgere ad integram vim scutorum 53990 obulorumque 21 quapropter Camillo tribuit eorum medietatem in scutis 26985 obulisque 10. Cum vero tota Dominici Saudreani hæreditas impleret æstimationem argenteorum 113263 obulorumque 13 libera bona constituit peritus in scutis 59272 assibusque 82 eorumque quintam, cuicumque ex hæredibus pertinentem, in scutatis 11854 obulisque 57 Sententia per Congregationem edita probavit quod peritus retulerat, atque Camilli jus ad illius mentem firmavit; quod factum deinde a Nostri S. Ordinis Sententia fuit, in qua tamen jubebatur, ut quinta pars liberæ hæreditatis Dominici Sandreani favore Josephi Antonii prælevaretur. Instetit hinc Josephus Antonius, pro hujusce quintæ prælevatione, quam, vetante rejudicata, non licuit præfinire ultra summam argenteorum 11854 obulorumque 57 ceu docent Decisiones editæ cur. Rmo P. D. Meo Decano Spada, sub titulo *Romana seu Auximana Liquidationis quintæ dierum* 17 *Junii* 1832 *et* 26 *Aprilis* 1832 Instetit præterea Josephus Antonius ut a rejudicata restitutionem in integrum obtinerot, quod cum Signaturæ Tribunal facile indulsisset, curavit quo ego PP. DD. hodie mane assuetam exhiberem dubii formulam = *An constet de rejudicata, seu potius de causis restitutionis in integrum in casu etc.* = quæ, Camillo vadimonium descrente, dimissa fuit responso = *Pro informante* = nempe = *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam* =

1 Rejudicatæ quippe injustitia patula evidens erat, atque exploratissima. Læsus ergo cum fuisset ab ea Josephus Antonius, ipsum sublevare per restitutionem in integrum oportebat ex Jure *ad Text. in cap.* 18 *de integr. restitut. in Leg.* 1 2 *et* 3 *ff eodem Tit.* atque per ea quæ tradit *S. Rota in Decis.* 24 *n.* 1 *cor. Herzan et* in *Viterbien. Manutentionis* 2 *Martii* 1777 *cor. cl. me. Litta.* Et sane resjudicata, quæ Camillo concessit immissionem in speeie ad medietatem fideicommissariorum bonorum, quæ in Sandreania Familia exstabant, quum illorum quantitatem injuria evexisset, depressit necessario symbolam liberorum bonorum illiusmet hæreditati, cujus *quintam* recte Josephus Antonius petebat: unde negandum non erat huic remjudicatam damnum gravissimum intulisse.

2 Facto sed autem evidentissimo non verbis id commonstratur. Cum enim Resjudicata illa sequuta adamussim fuerit Peritum Buttaonium, profecto fieri nequibat ut in errores non incideret. Cuncta quippe definivit iste ex arbitrio, præter veritatem. Reque vera haud, renuit præfiniro fideicommissariam Petri Aloysii Sandreani hæreditatem in argenteis 9665, assibusque 38 Attamen bono, quæ in illius testamento reperiebatur descripta uti fideicommissaria unam efformabant vim scutorum 7333 obulorumque 36, e quibus si demas hareditaria onera satisfacienda, ac reapso satisfacta ab hæredibus ex testatoris imperio in argenteis 6350., bona fideicommissaria Petri Aloysii Sandreani supererunt in unis scutis 983. atque obul. 03 Aucta itaque ingentissime fideicommissaria illius bona fuerunt in damnum Josephi Antonii. At augere peritus nequivisset fideicommissum, præter illud quod scripsit testator in tabulis, nec fideicommissariam firmare hæreditatem non deducto ære alieno que illa quaecumque ex causa gravabatur. Non licet enim augere ad arbi-

Digitized by Google

trium fideicommissi vinculorum, quod imo, utpote odiosum ac bonorum libertatem infringens, potius restringi, quam extendi debet ex Jure *Leg. Hæredi ff de Vulg. et pupill. subst. Leg fin. cod. com delegat. leg. Nummis ff de Legat.* 3 *et Mant. Cons.* 328 *ac* 329 *atque Fulgos. Cons.* 85 *prope. fin.* =; hæreditas vero non est nisi alieno ære subducto prout elementare istud tradunt = *Lex.* 39 § *Bona ff de Verb. signif. Peregrin. de Fideicom. Artic.* 33 *n.* 39 *et S. N. Tribunal decis.* 451 *n.* 2 *cor Seraphin. atque decis.* 9 *n.* 20 *cor. Herzan.*

3 Neque eggerendus erat inventarii defectus, quamobrem vel rejiceretur in liberos hæredes Dominici Sandreani onus probandi bonorum libertatem, qua non probata censenda essent cuncta fideicommissa, vel hæreditatis onera præsumerentur satisfacta non hæreditatis gravatæ pecunia, sed liberis e bonis Dominici, quippe Sandreani inter liberos hæredes accensebantur et Camillo, qui ad fideicommissaria bona postulabat immissione, quique, cum hoc ipso repræsentaret et ipse personam eorum, qui conficere inventarium omiserunt, nequibat sese omissione illa protueri. Mutua sed enim culpa, nec est opponenda, nec juvare opponentem potest, qui illa eodem modo ac aliis deficetur, sed compensata, ex culposo vicissim facto, est retinenda, veluti tradunt = *Lex Filius familias* §. *Quum quis ff de Legat:* 1 *ac Card. de Luca de Fideicommis. disc.* 199 *numer.* 3 = Cum itaque ex Petri Aloysii testamento constet, supposita fuisse fideicommisso una bona scutis 7333 obulisque 36 e quibus detrahenda erant onera per testatorem imperata in nummis 1250., nonnisi injuria fieri potuit, ut Resjudicata firmaret cum perito ea fideicommisssria bona in argenteis 9665. assibusque 38 quæ reapse assurgebant ad una scutata 983 obolosque 30.

4 Injuste autem non minus constitutum ab illa, una cum perito, fuerat, quod Bernardini Mazzoleni fideicommissum extaret super bonis valoris argenteorum 17030. Præsto sed enim erat inventarium bonorum hæreditatis Bernardini, quod de anno 1656 illius vidua, atque usufructuaria hæres confecerat, a quo recedere haud decebat nisi vitio aliquo probaretur coinquinatum, cum validatis, justitiæque præsumptione donaretur ex Jure ad *Text. in leg. fin. cod. de Arbitr. Tut. et Sac. Rota decis.* 696 *num.* 5 *et sepi coram Dunotez, decis.* 235 *num.* 4 *cor. Mantic. et decis.* 197 *num.* 21 *coram Crispo.* At vere ex hujusmodi inventario certum undique constituebant argenteorum 1050 assiumque 71. Ab hoc vero summa, ex planissimo jure superius relato, veniebat detrahendum quantum alienis æreis illi præseferebat hæredibus, quod cum se extolleret ad vim usque argenteorum 1306 obulorumque 30 integrum caput fideicommissi Bernardini Mazzoleni non majus erat scutis 9120 obulisque 91. Quantum idcirco Resjudicata cum perito in majori summa Bernardini fideicommisso tribuerat vel adjectis fundi in inventario non designatis, vel iis commutatis cum alteris majoris valoris, facerat inutiliter, atque injuste in damnum liberorum hæredum Dominici Sandreani, cujus successionem eatenus imminuebat, quatenus fideicommissariam substantiam extollebat.

Hisce vero ex omnibus quemadmodo manibus contrectabatur reijudicatæ injustitia. Constitutum quippe ab ea fuerat deberi Camillo pro fideicommissariorum bonorum medietate, scuta 2699 asseque10 cum horum integram vim posuisset in scutatis 53990 obliusque 21. Quintam præterea liberorum bonorum Dominici Sandreani præfinivit in unis scutis 11854 assibusque 57. Attamen, si ex interga fideicommissariorum bonorum quantitate educas, quidquid plos æquo resjudicata dedit fideicommissis Petri Aloysii Sandreani in scut. 8682 atque obulis 35 et illi Bernardini Mazzoleni in nummis 7909 assibusque 09 reliqua illa erit in sc. 37398 obulisque 77 ac mepietas Camillo pertinens erit in nummis 18699 obulisque 38 ½ E contra vero cum quidqnid excluditur e fideicommisso liberorum bonorum quantitatem extol- 5

lat, hæc bona assurgent ad vim scutorum 65864. obulorumq. 36 quorum pars quinta exstat in nummis 15172 obulisque 82 Quæ liberorum bonorum pars quinta ad quam Josephus Antonius sua jura intendit cum rejudicata præfinita fuerit in unis argenteis 11854 obulisq. 87 evidens est eam læsisse ipsum in haud levi quantitate scutorum 3317 assiumque 98 $\frac{1}{2}$ atque propterea necessario ei ex Legibus esse succurrendum.

Atque ita etc. Unica etc.

---

## ROMANA SEU RAVENNATEN DEPOSITI

*Lunae* 22 *Junii* 1835.

### ARGUMENTUM

Contra omnem credibilitatem est, quod quis universam suam fortunam deponere velit penes tertium, quin ullam conscribat fidem de deposito. Et incredibile pariter est, quod quis in proprium usum verterit depositas res, cum id crimen saperet, quod nunquam praesumitur, praesertim cum res sit de viro spectatissimo, ac divite.

#### SUMMARIUM

1. *Reo convento sat est vincere per non jus actoris.*
2. *Transactio, quae ad exitum perducta non fuit, nullum praefert approbationis, vel agnitionis documentum.*
3. *Qui depositi actionem experitur, probare debet, rem quam vindicare vult, a se antea possessam fuisse.*
4. *Ex sigillorum integritate, qualibet exulat, fraudolentae remotionis suspicio.*
5. *Depositiones extrajudiciales, attendi non merentur, in praejudicium confitentis.*
6. *Absurda, et inverosimilia, testi credibilitatem penitus auferunt.*
7. *Testes, si non sit contestes, de loco, tempore, re, et verbis, nullam faciunt legitimam probationem.*
8. *Testis qui deponit de auditu, nullum probationis gradum facit.*
9. *Testimonium unius, testimonium est nullius.*

### DECISIO CCCCXCIII.

Memoriæ S. Nostri Auditorii commendatissimus Præsul Aloysius De Zinannis, nobili genere Ravennæ ortus, qui usque a pubertatis suæ initio humanarum, divinarumque Legum studio cum incubuisset, tanta doctrina, ac animi integritate deinde præfulsit, ut dignus dijudicatus fuerit sedere inter XII S. N. Tribunalis Viros. Multæ fuere ejus virtutes, quas inter præminerent benevola comitas, et proficua charitas erga egenos, et pauperes, quæ, dum ei viventi totius Urnis laudem conciliarunt, eo mortuo, Comiti Hastasio Zinanni, ejus nepoti, ab ipso in hæredem sibi accito, præsentem concitarunt controversiam. Inter illos enim, qui propriis necessitatibus præsidium, ac levamen a Præsule Zinannio requirere assueverat, aliis præcellit Anna Pantania, vidua Jacobi Bartulozzi, qui cum obiit coquinariæ erat addictus in parvo quodam in Urbe diversorio. Foemina hæc egena, ac urgentissimis in diem pressia indigentiis, sæpe sæpius nec absque effectu, ad ædes Præsulis Zinanni accedebat, et ob ejusdem comitatem, haud ei difficile fuit distincte; ac peculiariter domesticas ejus omnes res perscrutari, atque cognoscere. Accidit mense Junii 1822 quod Præsul, gravi morbo correptus, Urbem relinquere debuerit, ad patrios remeare lares; ubi cum omnium bonorum dolore, ac fletu vitam cum morte immutavit. Vix ejus obitus nuncium ad aures Annæ pervenit, adivit ipsa Advocatum Rasponi, cui hæreditariarum rerum in Urbe cura ab hærede defuncti Præsulis Astasio commissa fuerat, petens, ut sibi restituerent *biscentum* gallicos nummos aureos, nempe = *Luigi di oro* = furculam, cocleare, et cultrum, æque aurea, et annulum adamantibus ornatum, vulgo = *verretta* = quæ omnia Anna asseverabat se deposuisse penes Præsulem Zinanni, antequam ægrotaret, et ante Urbe discederet.

Advocatus Rasponi, ignarus de hoc deposito, de quo nec verbum fecerat Præsul in suo ultimo elogio, nec ulla adnotatio extiterat in repertis chartis, incertus, an reapse assertæ illæ res adessent in ædibus a Præsule jam in-

habitatis, cautus fuit vadari instantem mulierem, ut adesset signorum remotioni, quæ antea legittimo modo adposita fuerant præcitatis ædibus. Iis vero remotis, nil inventum fuit de eo; quod reclamabatur ab Anna; quæ nihilominus a suis jactationibus minime destitit. Ne ab ipsius probris bona offenderetur nuper defuncti Præsulis æstimatio, censuit illius hæres amice cum Anna rem componere. Quapropter ei obtulit scuta *tercenta*, et parvum annulum, qui inter domesticas Præsulis res repertus fuerat. Sed hæc accipere renuit Anna, quæ conquisitis testibus, adivit Tribunal A. C. quod ejus favore suam pandidit Sententiam. Ab hac appellavit Comes Astasius; et, cum in Comitiis diei 9 Junii anni 1823 proposita apud S. N. Ordinem fuerit causa, Rescriptum editum fuit = *Dilata, et examinentur testes formiter* =. Interea in novis tricis cum se intricaverit Anna, in carcerem conjecta fuit, a quo speciosa calliditate evadere ipsa valuit, atque in exteras transiit Regiones cum admiratione universæ Urbis. Expletis omnibus, quæ ex Legum sanctione expleri debebant contra absentes, rediit hodie Causa ad S. Nostrum Tribunal, concinnata Dubii formula = *An constet de traditione pecuniæ, aliarumque rerum pretiosarum, et sit locus restitutioni, et pro qua summa, et pro quibus rebus, quæ mandata sint relaxanda in casu etc.* = cui Patres Mei, causam orante solo Comite Astasio, incunctanter responderunt = *Pro informante* = nempe = *Negative in omnibus* =.

1 Et merito quidem. Quoad petitum enim annullum, adserebat Anna se illum Præsulis fidei commendasse paulo ante ipsius decessum ab Urbe sed assertio hæc in simplici actricis ore tantummodo continebatur, cum nullum ipsa proferret monumentum, nec aliquem ad Judicem acciret, testem, qui controversi annuli consignationem vidisset, vel Præsulem audivisset confitentem se ab ea eumdem annulum recepisse. Hujuscê probationis defectus magis magisque urgentior in casu fiebat, ex ratione, quod Anna haud probaverat, ut oportuisset, ante suppositam consignationem, annulum possedisse, quæ fuerit ipsius forma, et quot, et quantis adamantibus ornaretur. In absoluto cujusvis probationis defectu rejicienda omnino erat actio ab Anna promota, et absolvi debebat per non jus actoris Comes Astasius ad *Textum* in *Leg. 4 Cod. de Edendo, in Cap. Juramentum* 26 § *Sane de Judicis*; et *S. Rotam in dec. Liburnen. seu Centumcell. refect. damnorum* 27 *Junii* 1803 § 5 *cor. Emo Bussi*; præcipue quia ex parte ipsius rei conventi probatur, annulum repertum in ædibus defuncti Praesulis, et cujus cognitio Annae calliditati thema praebuerat repetitionis depositae = *Verretta* = in pignus ab antiquo tempore defuncto Praesuli traditum fuisse ab Ignatio Baccarini Ravennatensi, cujusdam ipsius Praesulis domus conductore, ob debitam illi pensionem, praesente Felice Gaudenzi, qui plenissimum scripsit testimonium de ipsius annuli traditione, sicuti plenissime etiam testatur, traditum annulum fuisse illum ipsum repertum in Praesulis haereditate, prout probavit et ipse Ignatius, qui illum vindicare, ut suum, curavit.

Minime autem rem immutare valet, 2
quod Comes Astasius Annae obtulerit ipsum annulum una cum scutorum *tercentum* solutione. Agebatur tunc enim de re componenda, ne defuncti Praesulis aestimatio a loquacis foeminae probris imminueretur. Sed inchoata concordia infecta cum evaserit, necessarium fuit videre, an foemina reapse penes Praesulem asserturn expleverit depositum quod hodiernae controversiae subjectum constituit. Qua de re inutili studio ab Anna allegabantur, quae ad ineundam transactionem dicta, vel peracta fuere; nam haec, re infecta, cum nullam praeferre possint approbationem, vel agnitionem, attendi haud merentur, uti admonuit S. Rota *in dec.* 30 *n.* 11 *coram Rovarella.*

Quod de asserto annuli deposito ani- 3
madversum fuit, repetere omnino oportet quoad gallicos nummos *biscentum* = *luigi d'oro* = et cocleare, furculamque ac cultrum, ex auro conflata, quae quo-

Digitized by Google

que Anna ajebat, se deposuisse apud memoratum Praesulem Alexium. Sed hoc quoque gratis adserebatur a foemina, quae non solum validis probationibus, ut par fuisset promotam rei vindicationis actionem fulcire non valoit, sed etiam probare nun potuit, se antea habuisse res illas, quas ab illa potuisse possideri e contra improbabile omnino videbatur. Id enim facile suadebat conditio, et fortuna ipsius Annae. Orta ipsa ex vilissimo genere, nupserat Jacobo Bartolozzi, qui vilem coqui artem semper exercuit, et, eo defuncto, egena vidua superstitit, quae saepe alienam charitatem in diurnis suis necessitatibus supplex expleriri debuit, et præcipue a defuncto Præsule petierat menstruam pensionem, ut facilius suit filii educatio et studiorum cursus procederet. Proxime ejus paupertati accedebat, quod Anna haud probabat quonam modo, et a quo tempore possidere ipsa inceperit pretiosissima illa escaria instrumenta, quæ nec intes divites familias tam facile reperiuntur; sicuti quoque nullum afferre ipsa valuit testem, qui illa viderit, quod per difficile PP. Mei non esse perspiciebant, attenta facilitate, qua solent vulgares homines, et præsertim mulieres, proprias extollere opes, et pretiosiores, quas possident res, aliorum supponere oculis.

4 Nec ad urgentius evincendam asserti depositi improbabilitatem deficiebant aliæ quoque urgentissimæ animadversiones. Etenim contra omnem credibilitatem erat, quod Anna universam suam furtunam deponere vellet penes Præsulem gravissimo morbo afflictum, quin ullam conscribere fidem de deposito sibi curasset. Incredibile apparebat etiam, quod ea a Praesule aliquam non expostulasset syngrapham de eis traditis rebus, dum ipse aegrotus Urbem deserebat, ut in patrias remearet sedes, incertus, an Romam revisurus unquam fuisset. Absonum tandem videatur, quod ipsa, dum mirum in modum se sollicitam praebebat de Praesulis valetudine, altum in suis missivis literis servaverit de existenti deposito silentium, quod jugiter etiam tenuit ipse Praesul Zinannius qui, moriens cum in scripto suo extremo elogio nobilia Christianae suae pietatis, charitatis, et grati animi monumenta reliquerit, facile concipitur non certe declarare oblitus fuisset extantis depositi veritatem, nec ipsius restitutionem suo haeredi demandare omisset. Invectissimis hisce praesumptionibus culmen tandem imponebat momentosissimum factum, assertionis Annae penitus, eversivum, scilicet, quod in aedibus defuncti Praesulis Zinanni repertum non fuerit depositum, de quo agitur. Hoc inveniri procul dubio debebat, si extitisset, cum ex reperta sigillorum integritate, per publicum tabellionem contestata, quaelibet auxiare necessario debeat fraudolentae remotionis suspicio; nec supponi potest, quod Praesul Aloysius ante suum decessum ab Urbe, in proprium usum vertere depositas res potuerit, cum id crimen saperet, quod nunquam praesumitur; praecipue cum res sit de Praesule omnibus virtutibus commendatissimo, ac multis ditato onibus.

Post haec non a tendendi videbantur testes ab Anna inducti, referentes eumdem Praesulem Zinanni eisdem dixisse se retinere gallicos nummos = *Luigi di oro* = *biscentum et* = *la posata di Oro* =. Confessio haec Praesulis, etsi invicte probaretur, cum extrajudicialis sit, nihil in esse ponere potest, ex Juris regula, quod depositiones extrajudiciales attendi non merentur in praejudicium confitentis, ad Text. *in Leg. Certum* 6 *ff Si quis de Confessis*; *et in Novell.* 90 § *Hæc licet Cujac. Recitat. in Lib.* 4 *prior. Cod. Justin. Lib.* 4 *Tit.* 4 *Edit. Neapolit. Tom.* 10 *Col.* 878 *Litter. D. Donell. Comm. ad Cod. in Rubric. Tit.* 20 *de Testibus numer.* 24 *Edit. Lucensi Tom.* 7 *Col.* 1111; *et Sac. Rota in Decis. Romana Pecuniaria super Creditis Joannis Baptistæ*, 31 *Januarii* 1777 § 4 *coram Origo*. Nec objiciatur, quod aequitas Canonica temperaverit Juris Civiis rigorem, atque admis serit etiam extrajudiciales confitentis depositionem; nam praemonendum in casu est, quod haec correctio non procedit in 5

Digitized by Google

Urbe, prohibente Statuto Lib. 1 Cap. 42 allato etiam a *Gratiano Discept. Forens. Cap.* 909 *num.* 3 *et a S. N. Ordine in cit. Romana Pecuniaria diei* 31 *Januarii* 1777 § 4 *cor. Origo.*

6 At, si etiam inducta illa Juris Civilis correctio admitti deberet, attamen in casu excludenda nihilominus ea videbatur, ex ratione quod, cum fundata omnino sit aequitate, multo pendere debet ab arbitrio Judicis, qui, attentis circumstantiis, videat, ne in patentem iniquitatem aequitas ipsa convertatur, ut monuit *Constantin. Vot. Decis. num.* 73 *et seqq.*; *et Sac. Rota in Recent. Decis.* 461 *num.* 4 *part.* 3. At in proposita specie Patrum perspicaciae effugere praeprimis nequiverant, quae superius adnotata fuere. Haec evidentissime demonstrant inverosimilitudinem, quod egena coqui vidua possidere potuerit non levem aureorum nummorum *biscentum* quantitatem, et = *La posata di Oro* =; quæ, utpote absurda, et inverosimilia, asserti depositi credibilitatem penitus auferunt, et narrantem refellunt, sicuti Sac. Nostro Ordo docuit *in Romana Filiationis de Comparines* 21 *Martii* 1759 § *coram Bussio*; *et in ejus Confirmatoria diei* 27 *Februarii* 1761 § 14 *cor. Herrera.*

7 Mire constitutam insuper augent incredibilitatem relatorum testium qualitas, corumque depositio. Hi omnes, Annæ amicitiæ vinculo addicti, cum contestes non sint de loco, tempore, re, et verbis, nullam facere legitimam probationem possunt, et si plures, vel etiam mille essent, cum cuncti, attenta eorum singularitate, plus non probent, quam unus, ad tradita *Angeli De Confess. Lib.* 1 *Quæst.* 8 *limit.* 1 *numer.* 1, *et seqq.*; *et Gratian. Discept. Forens. Cap.* 909 *num.* 1, *et Sac. Rotæ in Recent. Dec.* 686 *num.* 1 *Part.* 18 *Tom.* 2, *Nuperrim. Dec.* 37 *n.* 3 *et seq. Tom.* 2, *Dec.* 104 *n.* 7 *Tom.* 9; *in Faventina R novationis affictus* 9 *Junii* 1752 § 6 *et Dec.* 97 *num.* 4 *cor. De Grassis.*

8 Præterea ad plene probandam assertam Præsulis Zinanni extrajudicialem confessionem necessarium fuisset, quod omnes testes integri essent, hoc est integræ vitæ, ac omni exceptione majores; sed in facto cum exceptionibus obnoxii videantur, Petrus Manperius, et Aloysius Felicius, nullam validam probationem ideo constituere ipsi valent ad firmandam controversam extrajudicialis Præsulis confessionis veritatem, sicuti docet *Angel. De Confess. Lib.* 1 *Quæst.* 7 *Effect.* 3 *num.* 28; *Constantin. Vot. Decis.* 199 *num.* 60; *Rota in Recent.* 251 *num.* 5 *Part.* 15; *Dec.* 19 *n.* 2 *Part.* 19 *Tom.* 1. Item dicendum de fœmina Victoria Placidi, cui, præter ea superius generice animadversa contra inductos testes, objici rite etiam potest, quod deponat de rebus a Felicio auditis, ita ut nullum probationis gradum ipsa ex se facere potest, nec majorem meretur fidem, quam Felicius ipse, a quo relatas res audivisse testatur; *Dec.* 505 *num.* 1 *Part.* 15 *in Recent.*, *et Dec.* 178 *num.* 3 *cor. Celso.*

Despectis tandem cæteris testibus, 9
utpote exceptionibus nonnullis obnoxiis, Patres Mei animadvertebant, perperam in superiori Causæ propositione nimium elatum fuisse testimonium Advocati Ciuffa. Hic, et si meritissimus, cum in sua depositione nihil constituat circa qualitatem, et quantitatem nummorum, nec deponat quæ et quantæ essent cæteræ res ab Anna depositæ, nullam sibi fidem conciliare valet, nam ex vago incertoque ejus testimonio aliquid erui haud potest ad comprobandam veritatem controversae extrajudicialis confessionis Praesulis Aloysii. *Natta Cons.* 245 *num.* 3 *lib.* 2; *et S. Tribunal in Recent. Dec.* 241 *num.* 3 *part.* 15. Sed, si etiam in pretio haberi vellet illius testimonium, cum hoc fulciri nequeat a caeterorum testium depositionibus, nec hac depositiones cum ipsius attestatione jungi possint, nullam proinde haec constituere potuit congruam probationem, sed tantummodo unus esset ipse Advocatus testis, qui ideo in pretio haud haberi necessario debet, ex notissima Juris regula, testimonium nempe unius, testimonium esse nullius.

Et ita etc. Altera tantum etc.

## ROMANA SEU SABINEN DIVISIONIS

*Lunae* 16 *Martii* 1835.

### ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Cum aliquis diu versari nequeat in rerum haereditarium communione, optimo agit jure pro ipsa divisione assequenda.*
   *Nemo invitus cogi potest in communione persistere – ibidem. –*
2. *In divisionem referre oportet res omnes, quas alter ex cohaeredibus distraxit.*
3. *Quidquid non fuit per testatorem segregatum, haberi debet uti comprachensum in universalitate haereditatis.*
4. *Cum agatur de oneribus perpetuis, quae super bonis stabilibus infixa sunt, fulciri debent hypothecaria inscriptione.*

### DECISIO CCCCXCIV.

Advocatus Cæsar Valentini ex Oppido Arcis Antiquæ inter Sabinos, extremo elogio, quo decessit die 21 Julii anni 1619 patrio Municipio legavit domum, quam Romæ possidebat, e conspectu Teatri Valle, et quoddam foenile in Transtyberina Regione positum, data lege, ut ex eorum redditibus annuatim scutorum *centum* præstatio repraesenteretur Magistro Gramatices Oppidi, et alia insuper annua scuta centum Doctori Juridico, vel Phisico, qui actu reperiretur ex agnatione familiæ Valentini. Ipsius Cæsaris pronepos fuit Julianus, qui anno 1682 fideicommissario vinculo obstrictis omnibus suis bonis, ad eorum fruitionem vocavit proprium natum Julium Andream, ejusque filios, et descendentes masculos, et in ipsorum defectum Patrium Municipium supra memoratum, quod praetulit quoque Mulieribus de ipsa agnatione, quibus jus tantum tribuit congruam assequi dotem.

Ex Julio ortum duxere Caesar Junior, et Aquilia, quae in sacra familiae Stoppini veniens duas progenuit filias, ex quibus suam deducunt originem hodierni fratres Nardi atque fratres Perrini. Cum autem Laurea Doctorali insignitus fuisset idem Cæsar, ad eumdem idcirco spectaret memoratum legatum scutorum centum, cum ipsius praestatio a nonnullis annis intermissa fuerit a patrio Municipio Arcis Antiquae ob imminutos reditus fundorum, qui ex fundatoris voluntate adsignati fuerant pro ejusdem satisfactione, actum fuit de concordia ineunda inter ipsum Cæsarem legatarium, atque debitorem Municipium, et sub die 30 Octobris anni 1738 consentiente, atque adprobante S. Congregatione Boni Regiminis, solemnis inita fuit transactio, in qua cessio memoratæ domus, et foenilis expresse conventa fuit favore ipsius stipulantis Cæsaris sub conditionibus, quod cessionarius = *debba renunciare a favore della Communità qualunque preteso gius, ragione ed azione sulla pretesa somma degli arretrati* =, et quod idem Cæsar, ejusque hæredes in perpetuum tenerentur annuatim repræsentare scuta 50 pro Magistro Comunali, quæ solutio perfici etiam deberet, etsi ipse Magister actu non existeret, vel domus ex quolibet inopinato etiam casu impar in parte, vel ex integro efficeretur ad fructus gignendos; et quod = *mancando detto Signor Cesare a pagare ogni anno li suddetti scudi cinquanta a detta Comunità, come sopra dal medesimo assegnati per detto Maestro di scuola, in tal caso resti e debba restare l'azione sopra tutte le pigioni di detta Casa, e finile, e sopra tutti gli altri beni, ragioni, ed azioni presenti, e future, come sopra in infinitum* =. Conventum insuper fuit, quod idem Cæsar, illiusque hæredes solvere tenerentur alterum legatum scutorum centum Doctori de agnatione Valentini, cui reservata fuit = *l'azione sopra la detta Casa e fienile, ma non mai s'intendano obbligati tutti gli altri fondi liberi del Signor Cesare, e suoi, perchè così ecc.* = et quod = *in deficienza del giovane abile* = debeat = *detta Communità succedere a tenore della pia disposizione del Signor Cesare Seniore* =, quam explicito pacto in cæteris decla-

rerunt minime velle innovare; sicuti sartam tectamque quoque esse voluerunt testamentariam Juliani dispositionem, et jura omnia eidem Communitati derivantia ab ipsius voluntate.

Cum vero idem Caesar connubio se junxisset Paulinæ Somai, ex iisdem procreati fuere duo masculi Joannes Matthæus, qui intestatus decessit anno 1807, et Andreas, in quem coaluerunt universa jura, et omnia bona, tam libera, quam fideicommissaria familiæ Valentini, non minus quam hæreditas prædefuncti fratris Matthæi, quam integram occupaverat Præsul Nardi nepos, apud quem ille paulo ante obitum se receperat. At ipse Andreas post breve temporis spatium anno 1812 communi cessit fato, nullo relicto propinquo agnato, nulloque scripto testamento, ita ut ejus consanguineis collateralibus necesse deferri debuerit successio, ita imperantibus Gallicis legibus, quæ tunc vigebant. Ipsius itaque hæredes fuerunt ex *parte matris*, Angela Somai jam nupta Nicolao Zezzi, et ejus Frater Thomas, qui ab antiquiore tempore cum defuncto communem habuerat vitæ consuetudinem. Ex parte autem *patris* coheredes fuere fratres Nardi, et fratres Perrini, qui suam repetebant cognationem ab Aquilia amita defuncti Andreæ, quæ, ut superius animadvertimus, in sacra descenderat familiæ Stoppini.

Elato itaque Andreae funere, ejus hacreditas adita solummodo fuit a Thoma, ejusque Sorore Angela, præmisso legali inventario omnium rerum hæreditariarum, et servatis diligentissime omnibus, quæ leges tunc temporis imperabant. At interim Nardii cum propriam cognovissent vocationem, reintegratis Somais de medietate tributi successorii in integrum per eosdem soluti, una cum fratribus Petriniis hæreditatis participes esse voluerunt. Repente unusque eorum proprio arbitratu res hæreditarias invasit, atque contrectavit. Sola Angela, et post ejus funus, ipsius filiæ Annuntiata, et Vincentia sorores Zezzi, nihil unquam consequi valuerunt de adita haereditate. Quod æquo animo ipsæ pati amplius cum nequirent, actum fuit de ipsius hæreditatis divisione. Multæ fuere provisiones, quæ pro rite herciscunda familia captæ fuere a Tribunali A. C. coram qua institutum fuerat judicium. Nominati etiam fuere periti, qui bona rustica, et urbana æstimarent, et in duas æquales partes dividerent. Sed in irritum hæc omnia cessere; nam, postquam in hisce peragendis integra quatuor lustra absumpta fuere, repente prodiit R. P. D. Præsul Joannes Baptista Nardi, qui proposito Fori privilegio coram Supremo Tribunali Signaturae, petiit omnium actorum infirmationem, quam reapse obtinuit Decreto diei 2 Septembris anni 1819 ex quo Causa remissa fuit ad Tribunal Collegiale in Ecclesiasticis ex integro.

Subrogatus Judex cum perpenderet nonnulla judicia præcipue ab ipso Præsule Nardio obmota quoad jura, quæ privative sibi competere authumabat super Valentiniorum substantia absolvi nequaquam posse, nisi præprimis in comperto positæ forent res omnes, quæ promotas quæstiones respiciebant, duobus Decretis diei 16 et 19 Septembris anni 1820 in peritum Curialem accivit D. Advocatum Orfei, meritissimum hodie Capitolini Collateralem, eique commisit, ut videret, atque referret super prætensa existentia fideicommissi a Juliano instituti, super pensione deinus hnereditariae, quam retinuit Thomas Somai, super distractionibus rerum haereditariarum, et creditorum exactionibus per memoratum Praesulem expletis; sicuti quoque modum proponeret, quo in futurum assecurari possent legata; et procedi deberet in divisione ineunda integrae haereditatis Andreae.

Amplissime commisso muneri satisfecit Advocatus; sed nihilominus Causa obdormivit usque ad annum 1832, donec speciali petitione transmissa cor. Aud. R. C. illam excitare curarunt memoratae Sorores Zezzi. Die itaque 27. Septembris ejusdem anni, absolutissima ab eodem Judice edita fuit Sen-

tentia omnino conformis mulierum petitioni, quæ omnes resecavit controversias, quæ tam in ævum produxerant ipsam Causam. Provocarunt ab ea Sententia Præsul Nardius, et Thomas Somai; et cum res esset de nonnullis quæstionum capitibus satis implexis, ac salebrosis, opus fuit illis varias aptare dubiorum formulas, quarum tres principes *super divisione, redditione rationis*, *et Creditis*, Patrum definitioni hoc mane proposui. De Redditione rationis loquitur contemporanea mea decisio. Super creditis rescriptum fuit = *Dilata usque ad exitum judicii super redditione rationis.* Quoad divisionem autem cum propositum per me fuerit dubium = *An et quomodo*; *et super quibus bonis sit lacus divisioni*, *et respectivæ adjudicationi, et quomodo sint assecuranda legata in casu* =, Responsum accepi = *Affirmative in omnibus super omnibus bonis*, *et esse locum assecurationi legatorum per inscriptionem hypotecariam juxta modum in Decisione exprimendum.*

1 Rectissime siquidem Tribunalis A. C. Sententia constituerat, quod bipartiri deberet hæreditas defuncti Andreæ Valentini, ut ipsius medietas addiceretur Thomæ Somagi, et sororibus Zezzi, et altera medietas æquis partibus divideretur inter fratres Nardios, atque Perrinios. Hunc enim divisionis modum in defectu adscendentium, et descendentium præstituerat Gallicus Codex *Cap.* 3 *Lib.* 5. *Sect.* 1 de dispositionibus generalibus *art.* 730; *et* 733, illumque casui, de quo disceptatur, consultissime aptaverat Innocentianus Judex; cum indubium sit, quod ad ipsius hæreditatis fruitionem æque vocentur præcitatæ sorores Zezzi, uti hæredes Angelæ, quae jam una cum fratre Thoma adiverat haereditatem ipsam, de cujus divisione hodie res est. Cum vero ipsae sorores diu versari nequiverint in rerum haereditariarum communione, optimo jure agere voluerunt pro ipsa divisione assequenda, quae nullo modo eisdem denegari poterat ex invictissimo juris principio, quod nemo invitus cogi possit in communione persistere ad *text. in leg. in hoc judicium dividendo*: *leg. in re communi ff de serv. urb. præd. leg. nulla societas ff pro socio*, *et S. Rota in Dec.* 241 *num.* 30 *Part.* 5 *in rec. Dec. Nullius seu Farfen. divisionis* 17 *Julii* 1757 § 2 *cor. Olivatio*; et praecipue si de re, haeredibus negatur, cum ipsi nequaquam adigi possint ad communionem servandam, prout scriptum legimus *in leg. fin. cod. com. divid. leg. cum pater* 77 § *dulcissimis* 20 *de legat.* 2 *et S. N. O. in Dec.* 232 § 1 *cor. Lancetta*; *et in confirm.* 14 *Jun. ejusdem anni* § 2 *cor. eod.*

Planissimam hanc juris doctrinam manibus ipsis contrectans Praesul Nardius, ejusque litis consocii, inficiari haud unquam ausi sunt petitam divisionem prout luculenter scatet ex accito peritorum officio quibus, commissa fuerat bonorum aestimatio, atque divisio, et apertissime idem Praesul Nardius fassus fuerat usque ab anno 1813 cum in ipsam divisionem referre se obligavit aliqua praedia haereditaria, quae ipse distraxerat, et fatetur hodie quoque et cum pacificum sit inter Patres, quod sub divisione obvenire debeant: res omnes, quae possidebantur ab Andrea, tempore obitus ipsius. 2

Solummodo contendebat Praesul Nardius, quod a divisione segreganda forent domus, et foenile, ex cujus reditibus, juxta testamentariam praescriptionem institutoris Caesaris senioris, praestanda erant legata magistro grammatices, et doctori de agnatione. At PP. animadvertebant, quod, legata cum a Caesare constituta fuerint favore Patrii municipii Arcis Antiquae, apertissimum erat, quod proprietas bonorum, quae testator designavit ad ipsorum legatorum satisfactionem, nequaquam ad agnationem institutoris, sed ad ipsum municipium spectare deinceps deberet, ita ut hodie discendentes de familia Valentini minime adjuvari possint ab ipsius Caesaris testamento, quod utique nullum eisdem reservavit jus quoad ipsorum bonorum proprietatem. Si vero anno 1738 a 3

Digitized by Google

municipio, ope memoratae transactionis, inita fuit cessio ipsus domus, et foenilis favore Caesaris junioris, ex hoc factum est quod proprietas una cum conditionibus, atque oneribus in ipsius transactionis instrumento conventis transire debuerint in Andream, ita ut in praesenti familiae herciscundae judicio nullum peculiare praelationis jus sita vindicare possint Nardii atque Perrinii, cum nec in originaria legatorum institutione, nec in subsequenti bonorum cessione aliquid eorum favore reservatum inveniatur. Qua de re cum concedendam esse nequaquam videretur petitam segregationem, consequens est, quod et ipsa domus et foenile haberi debeant, uti comprehensa in universalitate ipsius hereditatis *ex leg.* 63 *ff de reg. juris*, *et* super illis quoque perfici debeat divisio.

Caeterum, cum agatur de oneribus perpetuis, quae super eisdem bonis stabilibus infixa sunt, ut integra in aevum ipsa legata remanere possint, mandarunt Patres mei, quod inscriptiones in codicibus hypothecariis suscipi deberent juxta modum praestitutum a superius enuclesta transactione anni 1738, perpendentes, quod ita sarcta, tectaque non solum adservabantur jura, quae respective transigentes sibi salva in ipsa transactione voluere, sed quodibet etiam removebatur periculum quoad futuras ipsorum legatorum præstationes, ex ratione quod conservator hypothecarum ex officio cum teneatur renovare inscriptiones, quæ pias causas respiciunt, plane videtur, quod casus nunquam accidere poterit, quod deficiat ipsa inscriptio, quæ ex vigente hypothecario regimine satis superque est, ut in perpetuum salva dici debeant legata, quilibet futurus sit heres, cui in ineunda divisione obligata bona adsignentur: et hic erat modus in decisione exprimendus.

Et ita utraque etc. me quoque suffragante decisum fuit.

---

## ROMANA REDDITIONIS RATIONUM

*Veneris* 19 *Junii* 1835.

### ARGUMENTUM

Administrator cogi non potest ad iterum rationes reddendas, si semel suae gestae administrationis rationes jam reddidit. Ac id eo fortius est tenendum, si administrator libros ac codices ante redditionem rationum jam administrato tradiderit, ut proinde impossibile fere si rationes iterum reddere.

#### SUMMARIUM

1. *Ad iterandam rationum redditionem compelli non potest administrator, qui semel suae gestae administrationis rationes exhibuit.*
2. *Qui scripturas exhibet, singula fateri, et probare censetur, quae scripturis ipsis continentur.*
3. *Concipi non potest creditum vel debitum, nisi postquam rationes dispunctae sint.*
4. *Mensiles notulae, seu* - foglietti - *cujusvis mensis, datum acceptumve comprachendit.*
5. *Sibi tribuere quisque debet, si ex inconsulta librorum receptione ante rationum redditionem, res ad id perducatur, ut impossibilis proinde sit ipsamet rationum redditio.*
6. *Ubi disputatur an rationes reddi debeant necne, non licet inspicere, utrum legitime redditae rationes fuerint.*

## DECISIO CCCCXCV.

Nobilissimæ Braschiæ Genti usque a florenti ætate suam navaverat operam, qua - *Maestro di Casa* - Augustinus Viviani, vir in universa Urbe commendatissimus pro exemplari sua fidelitate, ac intelligentia in rebus alienis administrandis. Quam optime in sui Officii exercitiu se se gesserit semper Augustinus luculentissimum præ primis exhibuit monumentum Cardinalis Romualdus Braschi, clarissimæ memoriæ, qui moriens menstruæ pensionis legato eumdem Augustinum remunerare voluit; et deinde Eminentissimi tutores præsentis Ducis Pii, qui maxima cum satisfactione, accepta a Viviano solemni suæ gestionis rationum redditione pro tempore illius minorennitatis, amplissimum eidem remisere laudis testimonium. Non minori animi alacritate ac

honestate antiquo Officio incubuit Augustinus, postquam Dux Pius suarum rerum liberam suscepit administrationem, ita ut, hic, plene fidens spectatissimæ illius honestati, constituerit alterum suæ domus officium – *di depositario, e pagotore di mandati* – eidem committeri, quo quoque pari fidelitate functus est Augustinus. Sed ob immutatum domesticarum rerum regimen, cum dissociati eorum animi fuissent, satius duxit Augustinus a collatis officiis sese expedire. Cum creditor esset in quantitate non levi scutorum 1669 petiit a Duce, ut de ea summa ipsi satisfaceret. Denegavit Dux crediti existentiam. Qua de re coactus fuit Augustinus ipsius solutionem urgere coram Judice. Tunc Braschius reconventionali instantia petiit, ut sibi ab Augustino actæ gestionis rationes redderentur. Sed Judices A. C., coram quibus hæc duo judicia cuntestata fuerant, utraque favore Augustini dirimere rati sunt. Provocavit ab editis eorum Sententiis Dux Braschius, et hæ binæ quæstiones PP. Meis definiendæ hoc mane proponuntur. De credito loquitur contemporanea mea Decisio. De petita rationum redditione agitur in præsenti. Concinnato itaque super hac Causa dubio = *An sit locus redditionis rationis in casu etc.* = Responsum a PP. meis incunctanter datum fuit – *Negative* =.

1 Compertissima siquidem est in universa Jurisprudentia Juris regula, quod ad iterandam rationum redditionem compelli non possit administrator, qui semel suæ gestionis rationes jam exhibuit, ad vulgatissimum Textum in *Leg. Semel* 2 *Cod. de Apoch. publ.* cui constanter adhesit S. Noster Ordo, testibus *Dec.* 188. *num.* 1 *part.* 8. *in Recent.*; *Dec.* 256 *num.* 2 *Part.* 19; *Dec.* 7 *num.* 1; *Dec.* 149 *num.* 1, *et Dec.* 213 *num.* 2. *Tom.* 1 *nuperrim.*; *Dec.* 349. *num.* 1 *coram Riminaldo*; *Dec.* 557 *n.* 4 *coram Falconerio*, *Tit. De Tutelis*; *Decis.* 12 *num.* 2; *Dec.* 186 *num.* 1 *coram Malvasia*; *in Romana Pecuniaria* 26 *Junii* 1807 § 8 *cor. Emo Bussi*; *et in Romana Redditionis rationum* 2 *Junii* 1828 § 2 *coram Celestini*. Idcirco PP. Mei repellere jure, meritoque constituerunt promotam instantiam, qua Dux Braschius iterum a Vivianio exposcebat ab Anno 1824, usque ab exitum ipsius gestionis, seu ad annum 1833 expunctionem rationum, quas vero redditas ab eo jam fuisse plenissime comprobabant testimonium Gondoli, et Bellotti, et factum ipsius Ducis.

Et revera, quod Augustinus rationes reddiderit usque ad annum 1829 urgentissime evinciebatur praeprimis ab ipsomet Duce. Hic enim cum quamdam instruxerit Causam coram Congregatione S. Consultae contra Petrum Patrizi, olim suae Domus exactorem, ad comprobandum, quod cum illo expleta jam fuerit rationum dispunctio, in actis protulit quamdam ipsius Augustini declarationem, in qua Augustinus ipse fassus est se a Duce solidatum fuisse usque ad integrum annum 1829. Si igitur de eo tempore Dux declarationem hanc plene adprobavit, non videtur eumdem hodie posse ipsius declarationis veritatem impugnare, ex Juris regula, quod, qui scripturas exhibet, singula fateri, et probare censetur, quae scripturis ipsis continentur, teste *Baldo in Commen. ad Leg. Scripturae Cod. De Fide Instr.*; *Surdo Cons.* 151. *num.* 16, et ut passim firmavit S. Noster Ordo, et praecipue in *Dec.* 285 *n.* 2 *Tom.* 3 *cor. Olivatio*; *Dec.* 323 *coram Eodem*; *Decis.* 1036 *num.* 14 *Tom.* 4 *cor. Lancetta*; *et in Romana Concursus de Hameranis super emendatione damnorum* 23 *Martii* 1784 § 8 *cor. De Bayane.* Quod in casu validam constituit probationem favore Augustini ex altera aeque compertissima Juris regula quod scripturae plene probant contra inducentem, juxta monita = *Mascard. de Probation. Conclus.* 368 *num.* 9; *et S. Rota in Dec.* 565 *n.* 5 *coram Cerro*, *in Decis.* 56 *num.* 2 *et* 3 *cor. Molines*; *et in Romana Pecuniaria* 26 *Aprilis* 1833 § 4 *coram R. P. D. Meo Bofondi*; *et in Romana seu Albanen. Affictus* 26 *Junii ejusdem anni* § 5 *coram Eodem.* 2

Altera quoque gravissima accedebat animadversio, quae urgentius compro- 3

babat eumdem Augustinum reapse ad annum 1829 exhibuisse rationes suae gestionis. In memorata enim declaratione ipse Vivianius creditorem se constituit ipsius Ducis, ibique fassus est, se ab eo recepisse = *il saldo dei crediti soltanto nel mese di Marzo* 1830 = Cum ex jure concipi non possit creditum, vel debitum, nisi postquam rationes ipsae dispunctae sint, *Felic. De Societ. Cap*. 37 *num*. 35; *Cyriac. Controv*. 80 *num*. 5; *et S. Rota in Decis*. 122 *num*. 9 *coram Caprara*; *et in Dec*. 186 *num*. 4, *et seqq. coram Malvasia, et alibi passim*; cum praesupponi nequeat, quod Dux solvere voluerit, si creditum peculiari dati, et accepti expunctione legitimatum prae primis non fuisset, difficile proinde ex hoc haud erat videre ex inconcussa ipsius crediti existentia, ac solidatione, alteram consurgere luculentissimam probationem, quod petitae rationes reapse ab Augustino usque ab anno 1829 redditae fuerint, et a Duce approbatae; sicuti etiam evincunt testimonia Gregorii Gondoli, olim ipsius Ducis computatoris, et Alexandri Bellotti, qui ipsius Ducis logographiae operam dabat. Hi de re cum essent bene instructi, et cum eorum testimonium sit plene congruens relatae declarationis testimonio, et ipsius Ducis agnitioni, omnimodam sibi merentur fidem *Rota Dec*. 488 § 7 *coram Molines*; *Dec*. 458 § 7 *coram Falconerio*; *Decis*. 718 § 23 *coram Olivatio*; *Dec*. 415 § 1 *coram Riminaldo*; præsertim, cum hodie extra servitium sint, atque ideo haud suspecti; prout docuit ipse S. Noster Ordo *in Decis*. 23 *num*. 5 *Part*. 17 *in recen*., *Decis* 482 § 8 *coram Lancetta*; *Decis*. 15 § 11 *coram Riminaldo*; *Dec*. 39 *numer*. 87 *coram Sperello*; *et Ravennaten. alimentorum* 1 *Martii* 1792 § 3 *coram Malvasia*.

4 Quod autem post annum 1829 usque ad exitum suæ gestionis rationes exhibuerit Augustinus, urgentissime id quoque eruitur ex facto ipsius Ducis. Præcitati testes Gondoli, et Bellotti deponunt consuevisse semper Augustinum in singulos menses Duci transmittere suæ gestionis notulas una cum = *le originarie giustificazioni* = qua Dux, postquam inspexerat, eisdem deponentibus remittebat, ut illas ponerent = *in filza* = Depositio hæc cum ad factum se referat, quod ab ipso Duce præ sua religione haud impugnatur, plenissimam ideo constituit probationem controversæ rationum expunctioni. Et revera = *i foglietti* =, seu mensiles notulae, cum cujusvis, mensis datum, ac acceptum comprehenderint, cum præ manibus illas continue habuerit Braschius, quin nuquam eas de erroribus incusaverit, vel contra eas reclamaverit, utpote ab eo plene approbatæ retinendæ sunt ad Textum *in Leg. si Filius familias ff. ad S. C. Macedonianum*, *et prout tradidit Menoch. de recept. remed. num*. 118, *et Sac. Noster Ordo in Dec*. 811 *num*. 1 *Part*. 1, *Dec*. 487 *numer*. 7 *Part*. 14 *in recent*., *et in Romana Hæreditatis super redditione rationis* 5 *Februarii* 1759 § 6 *coram Ubaldo*, = Quæ Juris præsumptio veritas perspectissima efficitur, inspecto præcitato altero facto ipsius Ducis, qui semper assuetus fuit, postquam notulas illa per se sedulo perspexerat, easdem deponenti Gondoli revisioni committere, ut deinde ipse in rationales codices easdem inscriberet.

Ex hac agendi methodo interea cum 5
obligatur, quod documentis omnibus Augustinus se se spoliaverit, eaque omnia Braschius receperit, recte sequitur Duci ipsi non licitum esse posse iterum hodie contra Vivianium agere ad novam obtinendam rationum exhibitionem, cum ex codicum, et foliorum receptione perempta ei sit quælibet actio urgendi petitam rationum expunctionem. Inconcussum est enim in Foro Juris principium, quod sibi tribuere unusquisque debeat, si ex inconsulta librorum receptione ante generalem rationum redditionem, res ad id perducatur, ut impossibilis proinde fiat ipsamet rationum redditio = *Menoch. de arbitr. Jud. Consil*. 209 *num*. 37 *Ansald. de Commiss. Disc*. 52 *num*. 31, *et* 32, *Rota cor. Dunozzet. Sen. Decis*. 191 *num*. 1. *Decis*. 130 *num*. 8, *et Dec*. 253 *num*. 12, *cor. Emerix Jun.*, *Dec*. 370 *num*. 5, *cor*.

*Falconer. Tit. de solution.*, *Dec.* 17 *n.* 2, *et seqq.*, *Dec.* 186 *num.* 10 *cor. Malvasia*; *et in Ariminen. Pecuniaria* 23 *Junii* 1820 § 8 *cor. Eminentissimo Tiberi.* = Et tantus est in subjecta specie Juris rigor, ut admitti nec posset Ducis instantia, etiamsi paratus ipse esset receptas notulas exhibere, et juramento firmare earum integritatem. Sola enim possibilitas, quod ea, quae exhibentur non eadem sint, non omnia, non integra, satis est ut haberi haud possit in pretio, prout constituit Sac. Nostrum Auditorium *in Dec.* 193 *num.* 10 *cor. De Veri*; *Dec.* 33 *num.* 16 *cor. Malvasia*, *Decis.* 186 *n.* 11 *cor. Eodem* =.

1 Frustra autem a Duce desiderabatur generalis rationum expunctio post finitam Augustini gestionem, quæ haud necessaria videbatur in casu, de quo agitur. Res enim haud erat de publico, vel tutorio administratore, vel de eo, qui alicujus societatis gestioni præpositus esset. Agebatur tantum de simplici præfecto administrationi peculiaris Magnatitiæ Domus, qui, postquam domino diurnæ suæ gestionis rationes reddidisset, satisfecisse se suo muneri dicendum est, præcipue, sicuti in casu, si dominus ipse contra exhibitas notulas nil excipere ratus unquam sit, sed eas recipere absque ulla reservatione curaverit una cum respondentibus =*giustificazioni* =, illasque in peculiares suæ logographiæ codices transcribere demandaverit. Quod in dubium cum nec ab ipso Duce revocetur, extranea prorsus a themate apparet inspectio, an legitime, sive minus recte Augustinus rationes ipsas exhibuerit. Hoc videri solummodo posset, si quæstio esset de ipsius rationum legitima redditione, de qua autem loqui haud potest, nisi in separato, et congruo judicio, non autem in præsenti, in quo tantum inspicere oportebat an rationes a Vivianio redditæ fuissent, quas reapse reddidisse satis comprobatum apparet ex huc usque deductis.

Et ita etc. Utraque etc.

---

# REATINA ATTENTATORUM

*Veneris* 5 *Junii* 1835.

## ARGUMENTUM

Patet ex Sommario.

### SUMMARIUM

*1. Pro Attentatis duo requiruntur: inhibitio vel ex lege, vel ex facto hominis, subsequens spretus hujus inhibitionis* – Et num. 2. –

*3, Non quaelibet cerebrosa intimatio, non simplex extrajudicialis actus, vel animi declaratio legitimam constituit inhibitionem.*

*4. Ut consistat litis pendentia, oportet ut concurrat actionis et personarum identitas.*

*5. Sententia inhibitionem inducit, a die tantum quo nunciata est* – Et num. 6. –

## DECISIO CCCCXCVI.

Prædium in vocabulo = *S. Savino* = situm in Monte Mirtillo inter Sabinos, cum, instante patrimonio Josephi Conti publicæ licitationi expositum fuisset, ipsius deliberatarius evasit Jacobus Eusebj, cui Reatinum Tribunal exindo relaxavit immissionis mandatum juxta præscriptionem Legum. Vincentius Rinaldi, qui prædii passus fuerat publicationem ægre ferens, quod ex ipsius mandati executione sibi arriperetur fundi possessio, præmissis intimationibus, privato arbitrio a se transmissis, deliberatarium Jacubum ante ipsum Reatinum Tribunal rapuit: ut = *senza pregiudizio della nullità della delibera per difetto di forme, sentisse dichiarare nullo ipso jure, perchè enormissimamente lesivo, il contratto di compra* = Tribunal supersedendo quoad petitam nullitatem, interlocutorio suo Decreto mandavit peritos eligendos esse, qui rem cognoscerent. At Jacobus suo juri innixus, posthabitis Vincentii intimationibus, deliberati prædii possessionem nactus est. Unde hoc displicuit Rinaldio, qui iterum convolavit ad præfatum Tribunal,

petens, ut *di niuno effetto, e valore, e pienamente attentatorio* = declaratus esset = *l'atto dell'enunciato possesso* =; sed rejecta fuit ejus instantia Provocavit tunc ipse a pandita Sententia, et cum S. Nostri Ordinis definitioni per me propositum hoc mane fuerit dubium = *An, et quomodo sit locus purgationi attentatorum in casu etc.* = Responsum retuli = *Pro informante hoc est = Negativa* =, vadimonium effugiente ipso provocante Vincentio.

1 Ardua, ac plena odii est promota attentatorum actio, quæ Juris benignitate facile, rejicitur. Quippe, ut illa in judicio valide posset a Vincentio proponi, duo prius apertissime demonstranda erant; *primum scilicet, vel ex ministerio Legis, vel ex facto* hominis legitimam intercessisse inhibitionem: *alterum*, inciviliter spretam fuisse ipsam inhibitionem. Sed in specie, cum constet duo isthæc deesse, quæ sunt capita præsentis judicii, non attentatum idcirco sed potius legitimum proprii juris exercitium dijudicanda est possessio prædii, adepta per Jacobum.

2 Et revera ad jus quod attinet, attentatoria dici nequit controversa possessio, stante Artic. 1392, *Codicis Piani*, juxta cujus normam cuncta acta executoria patrata fuere Præcipit ipse = *si spedirà il mandato senza altra citazione, in virtù del quale il Cursore sarà autorizzato d'immettere nel possesso il deliberatario* = Cum ad tramites hujusce Articuli relaxatum fuerit a Reatino Tribunali immissionis mandatum, rite recteque Eusebius potuit, capta empti prædii possessione, explere ipsius mandati executionem.

3 Multo minus hinc dici poterat inhibitum fuisse adipiscendæ possessionis actum ex facto hominum, eo quod intimationes processerint, quibus Vincentius nunciavit Jacobo, ne in deliberati prædii possessionem ingredi auderet, Peculiares illas intimationes inhibitionem inducere non posse facillime comperiebatur. Ex expleto enim deliberationis actu, et ex demandata ipsius executione, aperte videtur quod legitimus, absolutusque licitati prædii Dominus fieri debuerit Eusebius, qui proinde de eo ad arbitrium disponere poterat. Idcirco non quælibet cerebrosa intimatio, non simplex extrajudicialis actus, vel animi declaratio satis, vel capax esse poterat ad legitimam constituendam inhibitionem, ut supremum Signaturæ Tribunal constituit *in Dec.* 21 *inter Collectas Tom.* 2 *n.* 1, et alibi passim; sed justa requirebatur, atque fundata instantia, ut legitime inhibitus idem Eusebius censeri posset. At in casu cum Vincentius vadimonium indixerit Jacobo ad læsionem enormissimam demonstrandam initæ emptionis, compertissimum proinde est, quod petitio hæc nullam inducere valebat inhibitionem, ad exitiosum præcipue attentatorum extremum constituendum, sicuti tenuit in simili casu S: N. Ordo, et præsertim *in Dec.* 53 *num.* 6 *in Recent. Part.* 8. Petitio enim nullitatis contractus, cum directe a Lege promanet, aperte demonstrat ordinarium esse promotum judicium, quod est agendum, servatis modis ab ipsa Lege præstitutis. Quocirca propostia per Vincentium læsionis enormissimæ exceptio impedire, vel remorari haud certe poterat jam peractæ deliberationis executionem, ex compertissima in Foro juris regula, executivum judicium intercepi non posse a judicio ordinario, in quo solummodo videri possunt promotæ illæ exceptiones, testo *Dec.* 27 *num.* 4 *cor. Malvasia*; et alii passim.

Perperam autem Vincentius inhibendi facultatem desumebat ab *Art.* 605. 4
*cit. Cod. Piani*, in quo legitur = *pendente il giudizio innanzi il Tribunale, tutte le citazioni, che sono ammesse dalla Legge, indurranno inibizione dal momento che saranno state legalmente presentate* = singula fere hujus Articuli verba aperte demonstrabant, qua inscite in eo suam fundaverit intentionem oppositor Rinaldus Ex præmissis, cum extranea omnino sit ab judicio executivo, in quo partes versabantur, promota nullitatis, et læsionis exceptio, minime ea dici poterat = *ammessa dalla Legge* = ad impediendum, ne jam perfecta deliberatio suam reciperet firmitatem. Insuper

suam fundaverit intentionem oppositor Rinaldus. Ex præmissis, cum extranea omnino sit ab judicio executivo, in quo partes versabantur, promota nullitatis et læsionis exceptio, minime ea dici poterat = *ammessa dalla Legge* = ad impediendum, ne jam perfecta deliberatio suam reciperet firmitatem. Insuper invocata Lex requirebat pendentiam litis, quæ, ut consistat, necessario supponit actionis identitatem, et quod eadem sint personæ litigantium. Sed in casu requisitam litis pendentiam excludebat non solum persona Jacobi, quæ diversa prorsus erat a persona creditoris, qui prædii licitationem promovit, sed etiam excludebat factum expletæ deliberationis, quæ ut postremus actus, quamlibet tollebat litis pendentiam. Amplius sine deliberationis implemento nulla excitari poterat læsionis quærela, et si locum hæc habuit, patenter hoc factum probat præcedentem controversiam baud amplius existere, sed potius alterum litis caput oriri, videndum autem in separato, et congruo judicio.

5 Quidquid vero sit de hoc, alterius subsequentis Articuli 616 contra contumacem Vincentium consurgit præscriptio, quæ præcepit, quod = *se si tratterà di ritardare l' esecuzione di un Decreto del Tribunale la sola istanza delle parti non produrrà inibizione, se non verrà firmata dal Presidente del Tribunale medesimo* = At subscriptio hæc omnia cum desideretur in traosmissa intimatione, ex hoc consequitur, quod Jacobo liberum esse potuerit procedere ad ipsius deliberationis executionem. Nec regeratur, quod defectum subscriptionis sanare valeat Decretum postea editum a Reatino Tribunali. Hoc in casu nullius ponderis baberi debet, non solum, quia est interlocutorium, sed quoque quia nullum continet verbum de controversa inhibitione. Prætereundum tandem non est, quod hoc Decretum inhibitionem solummodo inducere potuisset a die, quo illud Jacobo nunciatum esset; sed cum nunquam nunciatum fuerit a Vincentio, compertissimum ideo est, ab eo sanatam præcipue *in Dec.* 450 *num.* 7 11 *cor. Molines; in Ravennaten. Manutentionis super Attentatis* 11 *Maii* 1753 § 1 *cor. Elephantutio, in Alatrina Molendini super Attentatis* 26 *Novembris* 1751 § 5 *cor. Stadion ; et in Compostellana Attentatorum* 23 *Junii* 1759 § 2 *et seq. cor. cor. Emo Bussio.*

Et ita etc. unica tantum etc.

---

## TIBURTINA

### REINTEGRATIONIS

*Lunae* 1 *Junii* 1835.

### ARGUMENTUM

Nemo, qui praeest rebus Ecclasiae, vendera has potest, habita fide de pretio; et quamvis contrarium nihilominus gestum fuerit, dici non debet Ecclesiam desiisse possidere, cum nunquam ab ea avulsa censeatur venditarum rerum possessio.

#### SUMMARIUM

1. *Si pretii solutio in arbitrium emptoris collata sit, tempus est praefiniendum arbitrio boni viri.*
   *Quod Arbitrium decennii spatium egredi non potest - ibidem. -*
2. *Denegatur beneficium purgationis morae, re non amplius integra.*
   *Item, si quis in geminatam moram inciderit - Ibid. -*
3. *Dominii reservatio efficit, ut nunquam emptori rei dominium adquiratur, usque ad integram pretii solutionem.*
4. *Ex notissima Extravagant Ambitios: de rebus ecclesiastic. non alienandis., nulla est quaelibet alienatio ab Ecclesia patrata, absque Beneplacito Apostolico.*
5. *Emptor a Fisco emptae rei domium non adquirit, nisi soluto pretio.*
   *Nullus administrator venditionem rerum Ecclesiae explere valet, habita fide de pretio - ibi -*

Digitized by Google

## DECISIO CCCCXCVII.

Pro convento canone scutorum *novem*, Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, Divo Laurentio Tyburis dicatæ, cesserat annis 1737, et 1761, emphyteutico titulo ad tertiam generationem, Tyburtino Carolo Del Priore otile dominium duarum domuncularum eidem Capitulo pertinentium, quas pleno jure deinde sibi adsciscere, anno scilicet 1749 constituit Bartholomæus Caroli filius Rolato Sedis Apostolicæ Beneplacito, conciliata fuit earumdem domorum emptio venditio pro depacto pretio scutorum 600, persolvendo sine temporis designatione = *in rate eguali non minori* di *sc.* 100 = Ipsius contractus præcipuæ conditiones fuere, quod penes vendens Capitulum remanere deberet dominium divenditarum ædium, quousque solidum conventum pretium ab emptore solutum non fuisset; et quo iterum hic fructuum titulo annuatim rependere Capitulo teneretur, quantitatem scutorum *unius* supra *viginti*.

At Bartholomæus, cum nil unquam persolverit capitis titulo, et parum ratione fructuum, satius duxit Capitulum ad primæva sua jura redire. Proinde vadato eodem Bartholomæo coram A. C, Colapietro, petiit, quod = *stante il lasso di tempo di più* di 10 *anni* =, terminus eidem præstitueretur = *anche in linea di qualunque purgazione di mora* =, ad persolvendum pretium statutum in quantitate scut. 600, et ad solvenda insuper scuta 69 ratione fructuum decursorum, et, termino illo inutiliter elapso, institit, ut Tribunal decerneret locum esse petitæ reintegrationi ad possessionem domorum divenditarum, et mandatum ejus favore relaxaret pro insolutorum fructuum impartantia. Ad tramites hujusce petitionis die 13 *Martii* 1822 pandita fuit A. C. Sententia, quam, ob defectum solutionis infra terminum præstitutum, exequi Capitulum curavit in subsequenti mense Junii. Commissæ huic executioni nullum parare obicem rati sunt debitores Del Priore; qui imo supplices adiverunt idem Capitulum, ut levamen suppeditaret præsentibus eorum necessitatibus. Nec spes eos refellit. Nam Canonici in Capitulari resolutione diei 1 Julii ejusdem anni 1822 constituerunt, quod instantibus Del Priore condonari deberent = *li frutti arretrati ascendenti a scudi* 80, *e le spese della lite, che sommano scudi* 52 *e finalmente li Canoni arretrati dalla Casa Gelmini, che sono scudi* 5, *e di più a titolo di carità, allora quando la casa sarà vuota, per una sol volta avranno la somma di scudi* 30 =, quæ reapse eisdem soluta fuore in subsequenti Mense Septembris, scilicet postquam liberam, vacuamque Capitulo reliquerant domorum possessionem.

Ita compositis rebus ad primæva sua jura reintegratum Capitulum novam ipsarum domuncularum emphyteusim inire constituit favore cujusdam Jacobi Aglioni, qui, ad tramites initæ conventionis, confestim necessariis reparationibus manus contulit. Meliorata domorum conditio desideria excitavit Marthæ Serra viduæ Joannis Del Priore, quæ, uti tutrix, et mater pupillorum del Priore, post jam decursum *duodecim* annorum curriculum petiit infirmationem Judicati A. C. Colapietro, precipuis adductis rationibus, quod in Instrumento concessionis emphyteuticæ præstitutus nequidquam fuerit terminus ad solvendum pretium; quia nulla in impetrata reintegratione facta fuerit distinctio inter directum, et utile dominium, et denique quia per ipsam decretam reintegrationem ablatum eisdem fuerit beneficium purgationis moræ. Ob interpositam hanc appellationem conscendit Causa ad S.N.Ordinem, quin provocantes Del Priore deinde eam prosequi curassent. Ipsius igitur Capituli cura, ac diligentia proponitur per me hoc mane Dubium = *An sit servanda reintegratio, seu potius sit locus solutioni pretii, et fructuum in casu etc.* =, cui PP., in pupillorum contumacia, Responsum dedere = *Pro Infarmantibus* = nempe = *Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.*

Post diuturnum adeo temporis spatium, et accedente concludentissimo propriæ agnitionis testimonio, incivilis 1

omnino, ac fatua illico dignoscebatur instantia, a pupillis, Del Priore promota ad obtinendam editæ A. C. Sententiæ revocationem. Non sine apertissima jurium omnium ignorantia in discrimen iisdem adducere nitebantur præfatam Sententiam ex eo, quod infra præstitutum terminum ipsa manda verit solvendum esse ab eisdem debitoribus Del Priore emptionis pretium, cujus solutio ex contractus litera, juxta eorum mentem, remissa omnino apparebat liberæ emptorum voluntati. In hac specie oportet enim sedulo animadvertere, quod in emptionibus pretium, cum sit de essentia contractus, idcirco in genere expeditissima venditori competere debet actio ad illud condicendum, prout firmatur, non tam a doctrina Ulpiani in *Leg.* 14 § 12 *ff de Act. Emp., et vend.*, quam etiam ab ipsa naturali ratione. Quocirca, si contingat, quod in arbitrium emptoris collata sit constituti pretii solutio, non ita id accipi debet, ut in æternum emptori liceat remorari ipsius pretii solutionem, et contra ipsius contractus naturam, ac indolem consistere debet, quod pretii solutio remissa fuerit non absoluto emptoris arbitrio, nullis circumscripto limitibus, sed potius arbitrio boni viri. Hinc boni viri arbitrium a Judicis prudentia explicandum, *decennii* spatium egredi non posse præ primis constituit *Bartholus in notissima ipsius Theorica ad Leg. Haec venditio ff De Contr. empt.* quam firmiter amplexus est S. Noster Ordo, testibus *Decis.* 753 *num.* 11 *coram Cerro, Camerinen. Pecuniaria* 30 *Julii* 1738 *num.* 8 *cor. Vicecomite, Senogallien. Pecuniaria* 20 *Junii* 1805, *num.* 2 *cor. Cesarei, Bononien. Pecuniaria* 20 *Martii* 1830 *n.* 2 *cor. Emo Gamberini, et Veliterna solutionis pretii* 6 *Decembris* 1833 § 3 *coram me*; atque constantissime tenuit in casu etiam, quod speciale concurreret pactum de perpetuo ab emptore retinendo rei emptæ pretio; teste *Dec. Romana, seu Portuen. Pecuniaria* 11 *Maii* 1807 *num.* 4, *et* 5 *coram Emo Bussi.* At in casu, cum *octo*, et *viginti* praeterlapsi fuerint anni, quin emptores Del Priore nec obulum solverint de constituto pretio, et parum de conventis fructibus, propatula apparet exinde justitia A. C. Sententiæ, quæ rite contra illos constituit jus esse venditori Capitulo condicendi pretium venditarum dumorum.

Nec meliori omine assertam ipsius Sententiæ injustitiam propugnabant fratres Del Priore, quia scilicet eisdem denegaverit beneficium purgationis moræ. Falsitatem hujus assertionis plene explicabat libellus a Capitulo transmissus in litis exordio. In eo enim una cum petita possessionis reintegratione, postulata quoque legitur termini prefixio = *anche in linea di qualunque purgazione di mora* = quam reapse concessit appellata Sententia, etsi inutiliter, cum præstitus terminus quoque decurrerit, quin aliquid capitis, aut fructuum causa solverent debitores Del Priore. Nec ipsi objicere hodie possunt, quod ex æquitate alterum terminum eisdem praefigi oportuisset ad ipsam purgationem explendam. Nam facile eisdem respondebatur, id perfici neutiquam posse, cum non amplius integra res esset. Et revera, ut monuimus, ipsi del Priore loco appellandi ab ea Sententia, supplices, maluerunt adire Capitulum, ab eoque sub expresso pacto evacuandi controversas domos, obtinuerunt quidquid expostulaverant. Post haec indubia acceptationis ipsius Sententiae testimonia vidimus jam, quod Capitulum aliud, exquirere debuerit Apostolicum Beneplacitum, ut alterum iniret emphyteusis contractum cum Jacobo Agnolini, qui immissus in Emphyteuticarum domorum possessionem, optima quidem fide perficere in eisdem necessarias reparationes illico curavit. Post haec omnia, cum amplius integra res dici nequiret, haud morae purgatio iterum instantium Del Priore favore elargienda erat, ne hoc beneficium, ex aequitate favore emphyteutarum inductum in gravissimum Ecclesiae damnum inverteretur; *Ceriac. Contror.* 239 *num.* 13 *Grass. Cons.* 93 *num.* 62 *lib.* 1 *S. Rota cor. Ludovis. Dec.* 559 *num.* 10; *cor. Molino Dec.* 137 *n.* 12

2

*cor. Merlin. Decis.* 769 *num.* 5 *cor. Riminaldo dec.* 763 *in princ. Tom.* 7 praesertim quia post appellatam Sententiam, nec obulum solverint ipsi pupilli, qui ideo, in geminatam moram cum inciderint, non amplius digni retinendi sunt invocato beneficio purgationis morae, pront tenuit S. Rota in *decis. Maceraten. Emphyteusis* 19 *Februarii* 1821 *num.* 9 *coram Emo Gomberini, et in Confirmatoria* 11 *Januarii* 1822 *n.* 10 *cor. Emo Bussi.*

3 Majoris ponderis autem haud erat objectio, scilicet, quod modum excesserit Sententia, quae ad liberam, absolutamque domorum possessionem reintegravit Capitulum. Nam contra hanc exceptionem assurgebat invictissime pactum in ipsa emphyteusi expresse conventum; auctoritas Beneplaciti Apostolici; et tandem indubia Juris Communis dispositio. Et revera patenti, ac disertissimo pacto in ipsa emphytheusi concilianda reservatum fuerat vendendi Capitulo domorum dominium usque ad integram pretii solutionem. Quum autem sine domini voluntate rei dominium in alium non transeat, expressa ideo dominii reservatio efficit, ut nunquam emptori rei dominium adquiratur usque ad integram pretii solutionem. Empta bona precario ipse tantum possidet, et ad instar meri conductoris, cum dominii jura, et civilis etiam possessio apud venditorem remaneat; ut, post *Text. in Leg. Cum manu* 80 § *nemo ff de Contr. Empt.*, tradunt *Allograd. Cons.* 9 *num.* 29 *Mongil. de Eviet. Quaest.* 20 *num.* 6, *Zanch. de Praelatione Credit. Exerc.* 1 § 1 *n.* 24, *et S. Rota in decis.* 366 *num.* 3 *cor. Emo Isoard. in Romana Immissionis* 12 *Junii* 1818 § 4 *cor. Emo Spada, et in Romana Executionis Rei judicatae* 17 *Januarii* 1820 § 8 *cor. Martinez del Campo.* Ob omissas solutiones liberum itaque fuit vendendi Capitulo suas domos, voluti a se nunquam abdicatas, vindicare, eique ideo necessario concedere debuit Sententia reintegrationis remedium, quod scimus nunquam denegari dominis, ut naturalem possessionem jungere valeant civili, quam numquam amiserunt; ut docet *Text. in L. Procuratoris* 5 § *Plane ff de Tribut. act.*; *Voet. ad Comment. in Pandectas lib.* 6 *tit.* 1 § 15 *De rei vindicat.*, *Salgad. Labyr. eredit. Par.* 1 *Cap.* 11 *num.* 115; *Rota cor. Olivat. Dec.* 190 *num.* 1; *Dec.* 1318 *num.* 1 *cor. Emo Marco, et in cit. Romana Immissionis cor. Emo Spada diei* 12 *Junii* 1818 § 17.

4 Proxime accedebat deinde beneplacitum Apostolicum, cujus praescriptioni necessarium omnino erat accomodare initum contractum. Ex notissima enim *Extravagante Ambitiosae de Reb. Ecclesiae non alienandis*, scimus nullam esse quamlibet alienationem ab Ecclesia initam absque Beneplacito Apostolico. Ex ea docemur quoque infirmandum esse instrumentum, si Beneplaciti praescriptioni minime se accomodaverint contrahentes. At in casu SSmus Princeps facultatem ineundae venditionis cum tribuerit = *ita tamen, ut solvantur fructus compensativi, donec pretium in aliis stabilibus utilioribus integri, et fideliter investitum fuerit, dominio interim, et speciali hypothecea favore ipsius Capituli reservatis sub paenis etc.* Compertissimum proinde est ex omissa fructuum solutione Capitulo reintegrationem ad divenditarum domorum possessionem decernere oportuisse ob patentem ipsius Beneplaciti Apostolici infractionem; sicuti expresse monet *Cap. cum dilecta* § *fin.*, *ibique Glossa* ad verbum *Irritum de Rescriptis*; *Ferrar. Bibl. in verbo Contractus Emphyteuticus, Art.* 1 *num.* 69, *et S. Rota in dec.* 862 *n.* 2 *cor. Seraphin. in Recen. decis.* 34 *n.* 48 *Part.* 12, *decis.* 109 *num.* 10 *tom.* 1 *Nuperr.* nec secus *in dec.* 459 *num.* 19 *Tom.* 4, et plenius *in dec.* 37 *num.* 10 *cor. Eminentissimo Consalvi.*

5 Denique, si expressum pactum, vel Apostolicum Beneplacitum quoque desideraretur, non ideo contrariam sequi Sententiam licuisset. Scriptum enim est in corpore Juris, quod emptor a Fisco emptæ rei dominium non adquirat, nisi soluto pretio *Leg.* 5 § 1 *ff de Jure Fisci*; et cum Fisci privilegiis fulciatur Ecclesia, ideo itidem dicendum est de emptore rerum ad Ecclesias pertinen-

tium, *Leg.* 2 *Cod. de Rei dominicæ, vel Templ. Gloss. in Cap.* 1 *ad verbum minoris De In integ. Restit. Donell. Comment. Juris Civilis Lib.* 23 *Cap.* 15 *num.* 5 *Mantica de Tacitis, et ambiguis Lib.* 22 *Tit.* 28 *num.* 58. Ratio autem est, quia Ecclesia suas res distrahere prohibetur absque congruæ causæ concursu, cujus defectum nec ipsum sanat Apostolicum Beneplacitum; idea necessarium redditur quod rerum Ecclesiæ venditio præsenti pecunia expleatur, ut cum ea suppleri possit eis necessitatibus, quæ legittimam suppeditarunt causam, ut res ipsæ distraherentur. Quapropter receptissima est in Foro communis conclusio, quod nullus administrator venditionem rerum Ecclesiæ explere valeat, habita fide de pretio, et contrarium ipso operante, dici non debeat Ecclesiam desiisse possidere, cum nunquam avulsa ab ea censeatur venditarum rerum possessio. Quo in casu eidem liberum erit agere, tam in petitorio, quam in possessorio, ut ex vulgatissima a *Glossa ad Leg. Si Procurator ff de Jure Fisci, Tiraquell. de Priv. Piæ Causæ Priv.* 143 *Felin. Interpret. Decret. Lib.* 29 *Cap.* 32 *de Offic.*, *et potest. Judic. Delegat. num.* 5 *Peregrinus de Jure Fisc. lib.* 6 *tit.* 4 *num.* 6, *et S. Rota in dec.* 86 *per tot. part.* 9 *in Recen. dec.* 430 *num.* 4 *ibid. dec.* 350 *num.* 14 *Part.* 5 *tam.* 1. Nec prætereundum est, quod Divi Laurentii Capitulum non gratuito, sed oneroso titulo, et ex ipsorum opponentium expresso consensu ad domorum possessionem redintegratum fuerit *Leg. Si Patre* 30 *ff De Minor. viginti quinque; Menoc. Praesumpt.* 12 *num.* 2 *lib.* 5 *Rot. in decis.* 341 *num.* 1 *part.* 4 *tom.* 1 *in Recen.*, *et Decis.* 302 *num.* 6 *part.* 11 *Dec.* 240 *num.* 10 *coram Cerro*, quo in casu luculentius probata remanet justitia controversæ Sententiæ A. C., et magis, magisque eminet mala fides fratrum Del Priore, qui perperam in discrimen adducere tentat reintegrationem illam, quam solemni modo ipsimet recognovere, atque approbarunt, statim ac acceptam habuerunt condonationem decursorum fructuum, expensarumque, et charitatis titulo receperunt scuta *trigiata* eisdem soluta sub expressa conditione, quod liberam vacuamque relinquerent domorum possessionem.

Et ita etc. Altera tantum etc.

---

## VERULANA SEU FRUSINONEN

### PECUNIARIA

*Lunae* 22 *Junii* 1835.

### ARGUMENTUM

Donatarius Universalis in bonis praesentibus et futuris tenetur ad dimissionem aeris alieni existentis, tam tempore initae donationis, quam postea contracti, ex correspectivitate ejusdem donationis, personam enim donantis repraesentat, et in jure tamquam haeres habetur.

#### SUMMARIUM

1. *Donatarius universalis in jure habetur loco haeredis, et donantis personam tam active, quam passive repraesentat.*
   *Donatarius universalis tenetur ad dimissionem aeris alieni haereditatem pergravantis - ibidem. -*
   *Donationes universales consistere non possunt nisi deducto aere alieno - ibidem. -*
   *Mortuo donante, ejus creditores donatarium in judicium convenire possunt, maxime si nullus alius ipsius haeres existat - ibidem. -*
2. *Donatarius in bonis praesentibus, et futuris, ex correspectivitate obligatur solutioni aeris alieni tam existentis tempore initae donationis, quam postea contracti.*

### DECISIO CCCCXCVIII.

Quod vitæ sibi supererat procul a negocis ducere cum statuisset Leonardus Trentacarlini, universalis donationis titulo bona universa cessit Josepho de Angelis suo fratri uterino, excepta legitima quota ad testandum, et reservatis sibi, suæque uxori necessariis alimentis percipiendis in domo ipsius donatarii, adiecta tamen conditione, quod si convivere nequirent, tunc donanti redire deberet donatorum bonorum ususfructus. Beneficii immemor quam cito effectus Josephus, injuriose contra Leo-

rio ipse debuit, ut se suamque aleret uxorem, et ut urgentibus occurreret expensis Judiciis, cui donatarii ingratus animus causam dedit.

Et ita etc. Altera tantum.

---

## VITERBIEN PECUNIARIA

*Lunae* 22 *Junii* 1835.

### ARGUMENTUM

Actor, actionem suam pecuniariam probare tenetur; secus liber dimittitur reus. Et praesertim si agatur de alimentario praestatione, quae in dubio semper remissa censetur.

#### SUMMARIUM

*1. Actor suam luculentissime probare actionem debet, nisi velit, ex non jure actoris, ad legis monitum, ut reus liber dimittatur.*

*2. Quum quinam petiisset quod sibi nullo modo debetur, sese conclusio offert injuriosam probabiliter ex toto ipsum movisse actionem.*

*3. Ut debitum censeatur extinctum, habendum in pretio est, quantum quacumque in re creditor a debitore teneat.*

*4. In perspicuo probationis defectu, alimentaria satisfactio vel praestita, vel ex compensatione dati et accepti hinc inde remissa, censetur.*

### DECISIO CCCCXCIX.

Vir industrius, ac solers Jo. Baptista Pizzini Viterbiensis locare solitus suam operam proceribus Viterbiensibus, quorum agrariis negociis præesse consueverat, vitam, cum insenescerct cæpit degere communem cum sorore sua Rosa Pizzini, nupta Nicolao Falcioni. Ingressus itaque eorum domum fuerat verbali sub conventiune rependendi pro tenui victu, quem sibi suppeditarent, annuam scutor. *octodecim* præstationem, atque Falcionorum agrariæ rei, veluti occasio tulisset, præsidendi diligentissime. Res mira concordia processit, et Joannes Baptista vineæ, quam possidebat, ubertosissima redditus Falcionorum in domum religiosissime immisit, fideliter eorum negocia curavit, atque non raro pecunias pro eorum necessitatibus suppeditavit, quas valuit præsertim habere suis ex locatis operibus, atque ex delata sibi hæreditate Hieronymi Ranocchiasi, quæ non minus ac in vi *quingentum* argenteorum in numerata pecunia steterat, præter fruges, suppellectilem, resque pretiosas illius hæreditatis.

Nec ulla quoad Joannes Baptista cum sorore *viginti* ferme per annos prolata vox fuit quidem de insolata ab eo annua præstatione, quam post eum vita functum nec protulit Nicolaus. At, emortuo quoque isto illius filii insurrexerunt adversus intestatos Jo. Baptistæ hæredes, ac fratres, Ignatium, et Joannem, ut ab iis condicerent nummos 1440 quos alimentorum causa Nicolao debuisse Jo Baptistam asserebant. Viterbii sed vero Primarum Actionum Tribunal, quo suam illi detulerant actionem, negavit Falcionorum creditum. Cum autem res eis displicuisset, per appellationem detulerunt Causam ad S. N. Tribunal, a quo etiam rejecti hodie mane fuerunt, Dubium a me propositum = *An constet de credito, et pro qua summa, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = per responsionem dimittendo = *Negative in omnibus* =. 1

Et recte. Falcionorum enim de credito, ut constaret, veluti oportuisset, probationem de eo afferre illi debuissent concludentissimam, nullique exceptioni obnoxiam. Qui namque est actor suam luculentissime probare actionem debet, nisi velit, ut reus, ex non jure actoris, ad Legis monitum liber dimittatur; prout ex *Text. in leg.* 4 *Cod. de Eden. docent Felin. in Rubric. de probat. num.* 3 *de Claus. Constit., Gratian. discept.* 991 *num.* 6, *Ridolphin. prax. Jud. Parte* 3 *Cap.* 5 *num.* 356; *Marchesan. de Commiss. Appel'at. Part.* 1 § 2 *num.* 49; *Card. de Luca de Cens. disc.* 3 *num.* 5, *et passim S. Ordo Noster*. At non hanc Falcionii necessariam probationem exhibuerunt; quamobrem rejiciendi necessario e judicio erant. Et vero annuæ præstationis, cui ipsi insistebant, non hanc ob alimenta conventio certe probationem conficiebat.

Præprimis enim insiliebat in oculos promotæ actionis inanitas, quum con- 2

ventio ipsa non excederet præstationem annuam sc. *octodecim*, qui per annos *viginti* vim efformabant argenteor. 360, non vero longe majorem argent. 1440 ab Falcioniis expostulatam. Quapropter, quum petiisset isti quod sibi nullo modo debebatur, sese conclusio offerebat injuriosam probabiliter ex toto ipsos movisse actionem. Cætera autem, quæ succurrebant, ut ad evidentiam commonstrarent haud extare Falcinorum creditum idipsum opportunissime confirmabant. Omnia quippe urgebant, ut apertissimam inducerent præsumptionem, quod vel solidatum, ut remissum fuisset id omne, quod Jo. Baptista pro alimentis debuisset. Reque autem vera, nulla de præstatione pro non solidatis alimentis scripta syngrapha fuit: nec verbum de iis factum quoad Jo. Baptista, ac Nicolaus vixerunt: accedebat præterea sanguinis eos inter conjunctio; et mira demum animi concordia. Suadent hæc omnia fuisse remissum alimentorum creditum, si reapse unquam extitisset.

3 At hujus existentiæ in hypothesi urgentiora proferuntur, e quibus scatet fuisse saltem extinctum. Præprimis enim sese offert Jo. Baptistæ honestas, quæ non sivisset, ut Falcionii tam longo temporis spatio ei præbuissent alimenta, quin ipse rependerent quantum pro iis debuisset. Et facere id Jo. Baptista potuisset qui suarum operarum ex locatione menstruam habebat pecuniam, quæ fuisset plusquam satis debito illi solidando. Prætcrea uberes fructus, quod Pizzinii vinea repræsentabat, a Falcionorum familia insumebantur: pecunia multoties Jo. Baptista leviro suppeditavit, quæ sane si debitum alimentorum extitisset, gesta forent ab illo in ejus extenuationem, prorsus ut non amplius illud existeret. Fecisse autem id certe quidem Jo. Baptistam argumento etiam erat, quod nulla reperta in ejus hæreditate pecunia fuerit, etsi argentum non longe antea ex sibi delata hæreditate habuisset. Atqui ut debitum censeatur extinctum, habendum in pretio est, quantum quacumque in re creditor a debitore tenuit; quamobrem ea omnia, quæ Jo. Baptista Falconiis præstitit, ejus alimentorum debitum extinxerunt. *Surd. Cons.* 245 *numer.* 7 *Gratian. discept. Forens. cap.* 74 *num.* 29, *Card, De Luca De Feudis disc.* 130 *num.* 2 *et* 7 *Rota Dec.* 234 *num.* 3 *cor. Cerro, et Dec.* 370 *num.* 7 *coram Ansaldo.*

Tunc hinc ex his omnibus PP. DD. 4
in perspicuæ præsertim probationis defectu, censuerunt alimentariam satisfactionem vel fuisse præstitam, vel ex compensatione dati, et accepti hinc inde remissam veluti in casu simili tradunt. *Brunemann. ad leg.* 8 *Cod. de Negot. quet. Mantic. de Tacit. lib.* 13 *tit.* 19 *num.* 6; *et gest. Cyriac. Controv.* 480 *num.* 1 *Surd. de Aliment. Tit.* 6 *Quæst.* 1 *num.* 21 *et quæst.* 22 *num.* 12 *ac S. Rota passim, sed præcipue in Rom. Pecuniaria* 23 *Martii* 1792 *num.* 5 *coram De Bayane.* Verum hæc omnia, quum saltem incertum, illiquidumque, et implexum Falcionorum creditum redderent, obstabant profecto vehementissime ne pro eo mandatum decerneretur, quemadmodum hoc Falcioniis denegare ad justitiæ præscriptum oportuit. *Text. in leg. Debitor ff de Negot. gest.*, *Leg. Fin. Cod. de Compensat.*; *Surd. Dec.* 117 *num.* 1., *et S. Nostr. Tribunal. in Decis.* 583 *num.* 5 *cor. Danosett. Jun.*, *atque in Dec.* 671 *num.* 1 *coram Ansaldo.*

Atque ita etc. Utraque etc.

---

## ANAGNINA REDUCTIONIS CANONUM

*Veneris* 30 *Januarii* 1836.

### ARGUMENTUM

**In quolibet emphyteutico contractu locum semper habet canonis remissio, quoties rei conditio non ex facto, culpave emphyteutæ immutetur, sed ex infortunio naturali res in eum inciderit casum, ut emphiteutici fundi fructus æquare amplius non valeant conventam annuam præstationem. In hoc casu, cum grave et non reparabile damnum emphyteota patiatur, succurrendum ei est remedio reductionis canonis.**

**SUMMARIUM**

*1. Impropria est emphyteusis, et ad instar locationis conductionis habetur, si pro usu rei canon concedatur fere respondens mensurae fructuum naturalium.*

*In quolibet emphyteusi, locum semper habet canonis remissio, quoties ex infortunio naturali res in eum inciderit casum, ut fructus aequare amplius non valeant annuam praestationem - ibidem. -*

*2. Ad constituendum canonis valorem, sunt deducendae expensae melioramentorum, manutentionis, atque onera intributionis.*

*3. Sub vocabulo locationis, late sumpto, comprehenditur etiam emphyteusis, si pensio non sit modica.*

*Ubi damnum contingat in substantia rei emphyteuticae, reductio canonis concedi debet ad mensuram damni obventi, qualibet despecta distinctione inter damnum magnum et leve - ibidem. -*

*4. Reductio canonis, habet locum, quoties partiaria contingat amissio substantiae emphyteuticae, alias contractus rescinditur.*

*5. Unius anni sterilitas non potest compensari cum alterius anni abundantia, ubi ipsa deficiat rei emphyteuticae substantia.*

*6. Pactum de non petenda mercedis remissione* - per qualnque infortunio pensato, e non pensato - *intelligi nunquam debet de casibus inopinatis, et qui raro contingunt.*

*7 Intelligi item debet, ubi damnum acciderit in fructibus, et non in substantia.*

*8. Est in natura correspectivorum, quod uno cessante, alterum non debeatur.*

*9, Bulla Clementis VIII anni 1592*, Commissa Nobis, *loquitur tantum de canonis remissione ob fructus imminutos, non vero de casu imminutae substantiae.*

*10 Remissio mercedis est concedenda, donec perdurat substantiae defectus.*

## DECISIO D.

Cum S. Congregatio Boni Regiminis venui exposuisset tres frumentarias molas in vocabulo *Turfano*, *Fogliaretta*, et *Lago*, quas olim possederat Anagnina Communitas, contigit quod infecta mansisset earum licitatio ob oblatorum defectum. Qua de re constituit illam in emphyteusim concedere, prout reapse concessit majori oblatori pro convento annuo Canone scutor. 736. Sed cum praelationis jure potiretur praefata Communitas, voluit haec se praeferri in eadem emphyteusi, sed non maturo consilio, cum cito exorare debuerit Sacratissimum Principem, et facultatem ei indulgeret resiliendi ab inito contractu. Facilius petitam veniam obtinuit supplex Communitas, eo potius, quia paratum se exhibuit Anagninus Civis Nicolaus Silvestri pro eodem convento canone subingredi in illam emphyteusim. Sed ipse quoque, cum deinceps perspiceret, saepe aquam deficere praecipuo molendino *Tufano*, institit apud directariam S. Congregationem Boni Regiminis, ut absolveretur solutione intermissae ratae canonis in quantitate scutor. 375, et ut ei aliqua concederetur ipsius canonis imminutio. Benigne annuit S. Congregatio illius petioni, condonata nominis solutione, et reducto annuo canone ad quantitatem scut. 571.

At brevi inopinatus, et antea nunquam obventus accidit casus, scilicet quod in præcitata Mola *di Tufano* per integrum defecerit aqua. Alteram proinde Silvestrius exquisivit Canonis reductionem a Poggiolio, qui interim a præcitata S. Congregatione directum ipsarum molarum dominium emerat. In oppositione ipsius Poggiolii, qui eumdem Nicolaum juridice provocaverat ad deducenda sua jura lis, prout ferebat Praxis tunc temporis, instituta fuit cor. ipsamet S. Congregatione, a qua Actor Poggiolius petierat indemnitatem respondentem reductioni a Nicolao petitæ. Sed ob noviter inductum judiciorum ordinem, cum lis illa deferri debuerit ad Tribunal A. C. ipsius Juridici favorabiliter exceperunt Nicolai instantiam, constituentes in pandita Eorum sententia, quod in genere deberentur Silvestrio petita canonis reductio, quam autem in specie definiverunt in annuis scutis *quinquaginta*, quousque perdurasset aquæ defectus. Nemini arrisit hoc judicium. Per interum ab eo provocavit. Poggiolius Silvestrius autem suam interposuit appellationem ab illa Sententiæ parte, quæ ad annua scuta quinquaginta cohibuorat mercedis remissionem. Quapropter

cum per me hoc manc rogati fuerint Patres concinnata Dubii formula = *An quomodo, et in qua summa sit locus reductioni Canonis in casu etc.* = responsum retuli = *Affirmative juxta modum, nempe ad formam Sententiæ A. C.* =

1 Facillime PP. conveniebant cum Silvestrio, quod *impropria* emphyteusis sit contractus, ex qua præsens oritur controversia. Conveniebant quoque in vulgatissima distinctione, quod de simplici, et reali emppyteusi obloquatur quando modica fit pensio conventa, et e contra impropria ad instar contractus conductionis et locationis dici oparteat emphyteusis, si pro usu rei canon conveniatur fere respondens mensuræ fructuum naturalium, prout docent *Vinnius Instit. de Locat. et Conduct. Part.* 3 *num.* 1 *Fulgin. de Jure Emphyt. ad Titul. de Solut. Canon. Quæst.* 1 *num.* 127, *Mantica de Tacit. et ambiguis lib.* 21 *Tit.* 2 *num.* 9 *et* 27, *S. Rota Decis.* 272 *num.* 2 *cor. Seraph.na, Dec.* 334 *num.* 5 *cor. Buratto*, et alibi passim. Sed rite perpensa specie in qua versamur, jure meritoque animadvertebat Ipsi inutile prorsus esse academiam obmovere circa contractæ emphyteusis naturam atque indolem. Et revera quidquid censeri placeat de controverso contractu, nuiu scilicet ex præstituta non levi canonis quantitate impropria habeatur emphyteusis. seu potius vera et propria certissimum tamen est ex jure in quolibet emphyteutico contractu locum semper habere canonis remissionem, quoties rei conditio non ex facto, culpave emphyteutæ immuteretur, sed ex infortunio naturali res in eum inciderit casum, ut emphyteutici fundi fructus æquare amplius non valeant conventam annuam præstationem. In hac enim rerum conditione cum grave, et non reparabile damnum empbyteuta patiatur, cum quotannis cogatur non modicam subire jacturam, eidem proinde succurrere remedio reductionis canonis, *Dactores* omnes constituerunt post celeberrimam Bartoli Theoricam *in Leg.* 1 *Cod. de Jure Emphyt.* quam plnries firmavit et ipse S. Noster Ordo, et præsertim in novissimis *Decis. Camerinen. Reductionis Canonis* editis anno 1831, et 1832 *ab R. P. D. Mea Zacchia.*

Constituta itaque inconcussa hac Juris regula, superest tantum ut in facto videatur, an non obstante deficientia aquæ in molendino *Tufano*, Silvestrius nihilominus ex aliis duabus molis fructuum quantitatem percipiat, ex qua exhibere valeat directario Poggiulio canonem scutorum 571. Ex monumentis ad acta adductis satis compertum liquet, Silvestrium ex duobus molendini *Fogliaretto* et *Laga* non majorem exigere proventum quam scutor. 620. Ex illis quoque compertissimum habemus, quod ex Molendino *Tufana*, quod anteactis temparibus non minus scutis 650 annuatim locari solebat, nihil de presenti habeatur, eum inoperosum evaserit ub absolutum aquarum defectum. Nunc vero, si ex responsione durum molarum in præstituta quantitate sc. 620 tollatur canon, qui Poggiolio in summa scut. 571 a Silvestrio persolvitur, superest emphyteutæ levissima quantitas in singulis annis. Huic autem exiguæ summæ, si opponantur fructus sc. 4000 quæ procul dubio Silvestrius in causam melioramentorum impendit, quique sunt deducendi, *Marescott. Variar. Resolut. lib.* 2 *Cap.* 76 *n.* 29 30 *Gabriel. Cons.* 80 *Vol.* 2 *n.* 7 8 9 *et S. Rota in dec.* 60 *n.* 5 *cor. Malvasia*, si opponantur expensæ non leves manutentionis, nec non onera atque intributionis ab eodem persolvendæ, certissimum apparebit Silvestrium indubiam annuatim pati jacturam, pro cujus relevatione, jure meritoque A. C. Juridici definitiverunt eidem concedendam esse mercedis remissionem. 2

Perperam vero Poggiolius defendebat in casu minime elargiendam esse petitam canonis reductionem, sive jus, sive pacta inspiciantur. Quoad jus, fretus *Text. in leg.* 1 *Cod. de Jure Emphit.* generice ipse animadvertebat quod in damnum emphyteutæ cedere semper debeat quælibet partiaria imminutio, quæ forte contingere possit in re emphyteutica. Iudubium hoc juris principium quoad realis, ac simplicis emphyteusis contractum, in quo canon 3

venit in recognitionem dominii, perpendebant PP. Mei, quod non rite invocaretur a Poggiolio in casu quo versamur empbyteusis impropriæ, cujus conventus canon solvitur, habita relatione ad fructuum naturalium mensuram. Ipsi enim animadvertebant, quod rectius in præsenti controversia invocari possent Leges locationis conductionisque contractum respicientes, cum a nemine ignoretur, quod sub vocabulo locationis, late sumpto, comprehendatur etiam emphyteutica concessio *Carocc. De Locat. divisio: n.* 1, *Menoch. Consil.* 372 *n.* 12 *Pacion. de locat. et Conduct. Cap.* 3 n. 2 et præsertim cum pensio non sit modica, quia tunc contractus magis magisque ad locationem inclinat, prout, præter superius jam exposita confirmant quoque *Valasq. de Jur. Emphyt. quæst* 26 *n.* 11, *Andreol. Controv.* 90 *n.* 6 *Part.* 1 *Alexand. Consil.* 112 *n.* 3 *Marescott. Variar. Lib.* 2 *Cap.* 76 n. 1 *et seq. et Pacion. de Locat. et Conduct. Cap.* 3 *n.* 3. Insuper invocata ipsius Legis censura procedere haud potest, nisi in casu, quod partiaria illa imminutio obveniat super fructibus, nam si contingat in ipsius rei emphyteuticæ substantia, nullum tunc dubium est, quod ipsius Legis sanctio minime procedat, et quod reductio canonis ex necessitate concedi debeat ad mensuram damni obventi, qualibet despecta distinctione inter damnum magnum, et leve ad monita *Mantii in Consult. Juris Consultat.* 26 *n.*56 *ad* 60 *Constantin. Vot. Dec. Vot.* 358 *n.* 36 *et* 38, *Pacion. loc. cit. Cons.* 47 n. 38, *Vinnius Instit. de Locat. et Conduct.* § 3 *n.* 10 *Voet. Lib.* 6 *Tit.* 3 *Si ager vectigalis n.* 17 *Faber. in Cod. de Jur. Emphyt. definit.* 38, *et S. Rota dec.* 1305 *n.* 10 *cor. Molines Dec.* 193 *n.* 1 *cor. Herzan. Ferrarien. Pecuniaria* 1 *Junii* 1818 n. 10 *cor. Emo Odescalchi.*

4 Minime vero ad petitam concedendam mercedis remissionem necessarium videbatur, quod aqua per integrum deficeret in tribus omnibus molis emphyteuticis. Hoc enim in casu locus fuisset contractus rescissioni, quæ toto celo differt a canonis reductione, quæ de jure urgeri potest, quoties partiaria contingat amissio substantiæ emphyteuticæ. Quibus rebus perpensis facile comperiebatur in casu, quam juste a Silvestrio petita fuerit canonis remissio ob absolutum aquæ defectum obventum in Mola *Tofano.* Nec dubitari utique poterat, quod aqua præcipuam constituat molendinorum substantiam. Præter enim naturalem rationem, qua edocemur sine aqua molendina hujus e speciei molere non posse, accedit ad id constituendum magna series etiam DD, quos inter præ primis *Pecchius de Molendinis Lib.* 4 *Quæst.* 5 n. 2 5 *et* 6 *in Tract. de Aquæduct. idem in Quæst.* 60 *n.* 15 *Mantius Consultat. Juris Cons.* 280 n. 134 *Coetantin. Vot.* 237 *n.* 60 *et S. Rota passim*, ita ut deficiente aqua, denegari nullimode possit canonis reductio, prout in præcisis terminis firmavit *Natta Cons.* 449 *per totum, Lugen. Cons.* 50 *num.* 46 *Lib.* 1 *Horving. de Molendinis Quæst.* 31 *num.* 21 *vers. in quo locum, Constantin. Vol.* 303 *n.* 1 *et* 2.

Quibus rebus constitutis; absona omnino videbatur inspectio, an unius anni defectum alterius abundantia supplere posset, ita ut neutiquam esset concedenda, nisi in casu quod intolerabile damnum probaretur. Hæc enim animadversio locum sibi tantum vindicat in contractibus locationis conductionisque, si damnum contingat in fructibus ex ratione sterilitatis, sed neutiquam procedere potest in casu, quo ipsamet deficiat rei substantia, quia tunc procedit prædicta mercedis remissio, utpote perbelle explicatum habemus a *Costantino in citato Vot.* 303 *num.* 3. 5

Haud meliori autem omine invocabantur a Poggio pacta conventa. Præ primis promissio = *di non demandare defalco alcuno per qualsivoglia infortunio pensato, e non pensato ancorchè non espresso, e necessario ad esprimersi* = referri tantummodo debet ad casus et infortunia, quæ ordinario contingere possunt circa fructus, non autem extendi debent ad illa insolita, quæ extra ordinem obveniunt, et quæ destruunt ipsius rei emphyteuticæ substantiam. Concipi enim nequit quod contrahen- 6

Digitized by Google

tes suum animum protendere intellexerint etiam ad casum deperitionis substantiæ, ob cujus usum annuam pensionem rependi prumiserunt, et quod illa deperdita, constituere nihiluminus ipsi voluerint, quod per integrum rependendus esset conventus canon. Cum hoc admitti nullimode possit, concludi proinde oportet quod casus fortuiti, quos ex invocato illo pacto in se suscepit Silvestrius, vel quibus nuncium miserit, haud fuerint ex illis inopinatis, qui raro contingunt, et qui nullo modo possunt de tempore contractus cadere in mentem cujusvis prudentissimi viri prout docuit *Baldus* in *Cons.* 145 *num.* I *Costill. Lib.* 3 *Cap.* 3 n. 80, *Surd. Decis.* 326 *n.* 52, *Amat. Resolut. Var. Part.* 1 *Resol.* 18 *num.* 2 *Decis.* 139 *num.* 2 *cor. Millino.*

7 Frustra pariter a Poggiolio asserebatur obstante alterum pactum, quo Silvestrius promiserat, se nunquam petiturum fuisse mercedis reductionem. Hoc quoque pactum referri debet ad causam imminutionis fructuum, non autem ad casus imminutæ substantiæ, quia ad tutandam contractus justitiam, et ad effugiendam ipsius iniquitatem, concedi debet mercedis reductio, non obstante qualibet contraria generali, atque effrænatissima renunciatione, cum hæc extendi non possit ad casus majores, valdeque insolitos, qui rei substantiam imminuant vel destruant teste *Pacion. loc. cit. Cap.* 49 *n.* 12 *Gratian. Discept. Forens. Cap.* 195 *num.* 6 *Card. de Luca de locat. et Conduct. Disc.* 4 *num.* 5 *Surd. Cons.* 400 *num.* 77 *Rocc. Disput. Jur. Select. Cap.* 120 *num.* 7 *Amat. Variar. Resolut.* 18 *num.* 3 *ad* 5 *et S. Rota in Romana Affictuum, et defalchi* 4 *Junii* 1734 *cor. Cerro* § *Ita quidem.*

8 Flovci tandem æstimarunt PP. Mei exceptionem, quod petita remissio hodie concedenda haud esset, cum ipsa ab anno 1822 Silvestrio impertita jam fuerit a S. Congregatione Boni Regiminis. Cum illa reductio concessa fuerit ob probatam aquæ imminutionem facile videbatur, quod ea nil commune habere poterat cum præsenti quæstione, in qua solummodo agitur de reductione expleta ob defectum integræ aquæ. Ex impertita canonis remissione nulla congrua ratio desumi potest ad alteram petitam reductionem denegandam, perpenso præsertim omnimodo posterius obvento aquæ defectu. Congruit enim æquitati, et est in natura currespectivorum, quod uno cessante alterum non debeatur, cum et ipsi rationi omnino contrarium foret, quod deficiente causa productiva pensionis, et ipsa pensio deficere non deberet ad *Textum in Leg. Cum ejusdem ff de Edict., et S. Rota in Decis.* 279 n. 1 *Part.* 4 *Tom.* 2 *in Recent. Decis.* 756 *n.* 3 *cor. Molines Decis.* 422 *n.* 7 *coram Olivatio.*

Inutiliter vero opponeretur Bulla Clementis VIII anni 1592 = *Commissa Nobis* = ex qua contrahentibus cum S. Congregatione B. Regiminis quælibet adimitur spes obtinendi ullam mercedis imminutionem. Ex ipsius enim Bulle contextu compertum habemus, quod Pontifex ille canonis reductionem tantummodo exeluserit ob fructus per integrum deperditos, aut in parte imminutos, sed nullum in illa legitur verbum de caru imminutæ substantiæ, ita ut hæc obventa imminutione videtur quod in casu aptari non debeat illius Bullæ præscriptum. Præsumitur enim ob ipsius Pontificis silentium, quod communis juris dispositioni relicta fuerit hujusce casus definitio; utpote edocet ipsius Bullæ Commentator *Cochellius Cap.* 48 n. 16 *et De Vecchiis de Bono Regimine n.* 443 *Tom.* 2 *pag.* 158 et plenius in Dec. ipsius Congregationis cor. Petrucci *Caesenaten. Beneficii* 2 *Xbris* 1786 § 6 *et* 15. 9

Cum autem in specie S. Ordo definire etiam deberet quantitatem reductionis Silvestrio elargiendae, in hoc quoque amplectendam constituit Sententiam A. C. quae mercedis reductionem praefinivit in quantitate scutor. quinquaginta. Animadverterunt enim A. C. Juridici, quod Silvestrius ex duobus molendinis *Fogliaretto*, *et Lago* annua desumebat scuta 620, quae demptis expensis residuantur ad scuta 500. Hnic summae addere constituerunt scuta *viginti* eidem Nicolao remissa in vim Transactionis, 10

et cum super integra summa scutor. 520 perspexerit deficere scuta *quinquaginta*, ut Silvestrius Poggiolio conventum canonem in summa scut. 571 persolvere valeret, rite proinde decreverunt, quod deficientia illa scuta *quinquaginta* remittere Nicolao teneretur Poggiolius quousque perduraret aquæ defectus, ne immerito ipse Nicolaus amissa rei emphyteuticæ substantia inique etiam teneretur non levem illius summæ pati jacturam contra jura superius enucleata.

Et ita etc. Utraque etc.

---

## AUXIMANA PECUNIARIA

*Veneris* 6 *Martii* 1836.

### ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCCCLV. -

#### SUMMARIUM

1. *Leges Gallicae vetebant usuras pacisci praeter quincuncem mensuram.*
   *Nullam vim habent pacta, et conventiones contra leges initas - ibidem.* -
2. *Leges suas exarare vires non possunt in eos, inter quos de earum promulgatione haud constat.*
3. *Jure Canonico haud probantur fructus compensativi, si mora absit debitoris in restituenda pecunia*
4. *Ad legitimam fructuum compensativorum perceptionem, specifica requiritur probatio obventi damni, amissique lucri.*
5. *In materia usuraria spectatur solum quid intersit mutuatoris, non autem mutuatarii.*
6. *Illi, qui pecunia indigent, facillime emittunt confessiones in proprium praejudicium, quas proinde attendi non debeat.*
7. *Idem interponantur castrensia requisita, ut tempore, quo collybus contrahitur, sit in compertis, quantum sit lucrum cessans, vel damnum emergens.*
8. *Solutionum observantia, haud licitas reddit usuras.*

*Coram De Cursiis Tom. IV.*

### DECISIO DI.

Nemini ignotum utique est ad integram suæ dominationis possessionem haud incunctanter restitutum fuisse anno 1814 Pium VII Pontificem Sa. Mem. Primum enim ipse recuperavit tantum Provincias, Romanam, Campanam, aliasque Umbriæ, et Sabinæ, ad quarum incolas Encyclycum, quæ incipit = *Il trionfo della misericordia divina* = scribebat Cesenæ mense Majo anni 1814 Mox vero; *nempe die* 5 *Julii* 1815 Sacrum ipsius Imperium prolatum fuit ad cæteras alias Provincias, quæ idcirco appellatæ fuere *di seconda ricupera* = quas inter Picenum etiam accensebatur; ibique, abrogatis Gallicis Legibus vetus tunc Pontificium Jus ad vitam fuit revocatum.

Sub imperio itaque ipsarum abrogatarum Legum, nempe *die* 1. *Octobris anni* 1814 R. P. D. Præsul Joannes Carolus Alessi de Casteltis, Auximi degens, mutuo dedit Equiti Francisco Consoli scuta *octingentum super bismille*, privata in id obsignata syngrapha, qua debitur promisit pensitationem fructuum ad rationem *decuncem*, contra vigentium Legum censuram, quæ non sinebant fructus ex mutuo percipi posse ultra *quincuncem* mensuram. Perventum est ad diem 3 *Januarii anni* 1817. quò altera scripta fuit syngrapha ipsius crediti, quod auctum interim fuerat ad quantitatem scutorum *trium millium*, firma retenta præstituta fructuum ratione. Sed Præsul Alessius, cum recte perspiceret hoc suum creditum non satis tutum esse, si prius per solemnes tabulas illius securitati haud cavisset, conventa hypotheca, et interpellatis requisitis Pauli de Castro, *diei* 20 *Junii* 1818 solemni ipsius cambii stipulatum fuit instrumentum, quo debitor Consolius receptæ pecuniæ restitutionem post triennium promisit, præstita interim pro ipsius securitate hypotheca super prædio = *il Ponte delle tavole* = et conventis *bessalibus* usuris, prout ipsemet Præsul, testantibus proxenetis, ex parato, jam certoque investimento habere valuisset.



Digitized by Google

Sub eadem autem die 20 *Junii* 1818 privata altera obsignata fuit syngrapha, in qua debitor Consolius declaravit nil innovatum fuisse per coævum instrumentum quoad fructuum pensitationem, cum creditori integrum jus superesset illos condicendi originariam constitutam mensuram *deuncem*. Peculiare hoc pactum religiose servarunt, tam debitor Franciscus, quam ipsius filius, et hæres Josephus, cui repetitas inducias ad dominis dimissionem Præsul Carolus postea concesserat. Cessit tandem dies 19 *Junii* 1827, pecuniæ restitutioni præstituta, et cum susceptæ obligationi haud paruisset Josephus, hunc Præsul Alesius rapuit cor. A. C. Pentinio, expostulans mutui caput in scutis 3000 et fructus insolutos in quantitate scutorum 1050. Tunc Josephus reconventionale alterum instituit Judicium coram Eodem Judice, ad obtinendum quod declaratum foret eumdem Præsulem Alessium legitime percipere haud valuisse fructus, nisi ad unam *quincuncem* rationem a die traditi mutui ad diem 18 *Junii* 1818. quo solemne cambii scriptum fuit instrumentum; eo vero a die ad illam usque restitutionis capitis, *bessali* in modo, ad quem allegata sese referebant requisita Pauli de Castro. Proinde institit quod in sortis imminutionem deduceretur quidquid, ducto calculo, appareat a se solutum præter præcitatas illas mensuras. Interim cum ea rationum dispunctione debitorem sese constituisset in argenteis 1136 et ob. 55. ea solemniter Præsuli Carolo obtulit. Sed, cum ab eo fuerint recusata, postulavit secundo loco ab Eodem Innocentiano Judice, quod validam decerneret hanc oblationem.

Propositas actiones duplici Sententia excepit Judex Pentinius: altera enim damnavit Josephum ad solvenda scuta 3300 50, scilicet scuta 3000 pro capite, et scuta 300 50 pro fructibus decursis ad totam diem 17 Decembris anni 1830 admissa eorum reductione post diem 20 Junii 1818 ad formam Instrumenti. Quoad vero fructus decursus ante diem 20 *Junii* 1818 jura Josepho reservavit, exercenda in suo congruo judicio. Altera tandem Sententia, nullam declaravit expletam oblationem.

Ægre tulit Josephus utrumque Judicatum: Et cum super interposita appellatione speciale alterum institutum fuerit jurgium, Supremum Signaturæ Tribunal illud diremit, *devolutivam* decernens appellationem quoad oblatam pecuniæ quantitatem, et *suspensivam* in reliquis. Evenit exinde quod Præsul Alessius, accepta ea pecunia, curaverit utramque quæstionem quoad creditum, et oblationis validitatem prosequi coram Sac. Nostro Ordine. Reapse hæ propositæ in Comitiis diei 12 Januarii superioris anni, et favore Josephi ambo decisæ fuere. Quoad enim creditum, de quo agitur in præsenti, concinnato dubio *An, et in qua summa constet de credito, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = Responsum datum fuit = *Affirmative in omnibus pro summa liquidanda juxta modum in Decisione exprimendum* = modus autem fuit = *ut calculentur fructus ad rationem quincuncem a die primæ stipulationis usque ad diem* 20 *Junii* 1818. *et ad rationem bessalem ab illa die ad diem oblationis realis, imputato in diminutionem sortis eo omni, quod creditor ultra perceperit, inito calcula, prout ajunt = a scaletta* = Contra adversum hoc Rescriptum beneficium Novæ Audientiæ facile obtinuit Præsul Alessius; qui vero, inutiliter hoc mane Causæ *dilationem* expostulans, novam cladem perpessus est; nam rogati per me Patres assueta Dubii formula = *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* = Responsum dederunt = *In Decisis.* =

Pacifici sane erant contendentes in ea propositi originarii Dubii parte, quæ respicit crediti existentiam. Duæ enim syngraphæ, duoque solemnia stabant instrumenta, quæ compertissimum rem efficiebant. Incerta tantummodo videbatur ipsius quantitas, cum ea penderet ab inspectione, an fructus; quos Præsul, præter legitimum modum, recepit, venire deberent in sortis imminutionem. At facillima videbatur hujusce Dubii definitio. Nomen enim, de quo agitur, a Consolio contractum fuit anno

Digitized by Google

1814. scilicet quando adhuc vigebant Leges Gallicæ, quæ ut monuimus, in Piceno suam exercuerunt auctoritatem ad diem usque 5 *Julii anni* 1815. Ipsæ autem patule imperabant = *l' interesse convenzionale non potrà oltrepassare in materia civile il* 5 *per cento* = prout se habet *Art.* 1 Imperialis Decreti, lati de anno 1807. Cum vero Præsul Alessius contra vigentis Legis censuram fructus suæ pecuniæ convenerit ultra *quincuncem* mensuram, clarum est, quod præter legitimum modum cum constituti ipsi fuerint, nulliter conventi ultra *quincuncem* rationem dijudicandi sunt, et integrum Consolio jus esse debet eorum excessum repetendi, utpote absque obligatione solutum. *Obligatio* enim veluti Justinianus Imperator nos docet in suis *Institut. Tit. de oblig. in princ. est juris vinculum, quo necessitate astringimur alicui rei solvendæ, secundum nostræ Civitatis jura.* At jura quæ de anno 1814 in Piceno vigebant solemniter cum vetassent usuras pacisci præter *quincuncem* mensuram, evidens est proinde, quod conventi interusurii excessus jure meritoque condici possit ab Consolio, qui neutiquam obstrictus dici potest ab syngrapha anni 1814 qua usuras illas ad rationem *decuncem* promisit; cum indubitati juris sit nullam vim habere pacta, et conventiones contra Leges initas, sicut firmant *Lex* 6 *Cod. de pactis, ac lex* 7 § 16, *et Lex* 28, *et lex* 5. *C. quando provocare.*

2 Perperam autem a Præsulo Carolo invocabatur Decretum aliud, a Gallorum Imperatore editum die 22 *Januarii* 1814 quo contrahentibus data fuit facultas augendi fructus, prout eisdem magis lubuisset. Animadvertebant enim Patres Decretum istud: Lutetiæ Parisiorum editum, ne quidquam pro Piceno latum fuisse ab illo Imperatore; quin imo in facto constabat, nec ibi ullimode promulgatum fuisse quod satis erat, ne Picæni eo Decreto rite uti possent. Non ignoti siquidem juris est Leges suas exarare vires non posse in eos, pro quibus latæ illæ non sunt, nec quos inter de peracta earum promulgatione constat; uti hoc tutissimum juris Dogma tradunt *Sabell. Summ. divers.* § *Lex aum.* 3; *Gabr. de Leg. et Constitut. conclus.* 4 *numer.* 6; *Alasia de leg. Tom.* 1 *dissert.* 4 *cap.* 5 *artic.* 1 *num.* 3; *Gratian. discept. forens. Cap.* 469 *numer.* 22, *et S. Rota in Perusina Cambii* 22 *Junii* 1801 § 3 *cor. clar. mem. De Bayane; in Fulginat. Cambii* 11 *Junii* 1802 § 4 *cor. Emo Bardaxi De Azara; et Signaturæ Tribunal in Anconitana, seu Æsina Circumscriptionis, et Appellationis* 10 *Februarii* 1832 § 12 *coram R. P. D. Grossi.* Firmum immotumque igitur manet ex Syngrapha anni 1814. Præsulem Alessium fructus percipere haud potuisse ultra *quincuncem* mensuram; quam extollere haud certe valuit posterior altera syngrapha diei 3 *Januarii* 1817, cum ex ea nonnisi cambii depacta fuerit progressivitas, et auctum fuerit ipsius caput ad quantitatem scutorum *termille.*

Incassum Praesul Alessius insuper propugnabat in sua defensione, prolata in superiori Causae propositione, licitos *decunces* fructus evasisse ob Canonicam Juris aequitatem, eo quod ipse fructus amiserat forte etiam majores, quos e pecunia mutata sibi quaesiisset; dum e contra ex ea ipsa pecunia lucrum ingens Consolio obvenerat. Recte enim Praesuli ita objicienti respondebat superior mea Decisio in § 8; ineptum scilicet esse Pontificium jus invocari, cum omnino abrogatum ipsum fuerit a tunc vigente Gallica Lege. Praeterea, si etiam jus Canonicum obtrudendum in contractu esset, attamen nunquam locus esse poterat compensativis usuris. Nemini enim ignotum est, etiam attento Canonico jure haud quaquam probari compensativorum fructuum perceptionem, si mora absit debitoris in restituenda pecunia, vel per legitimam requisitorum Castrensium interpellationem doctum non fuerit de damno creditori irrogato, ac de lucro ab eo amisso, prout *in Dec. Romana fructuum* 5 *Maii* 1823 § 3 *cor. bon. mem. Martinez; et in altera Romana fructuum* 12 *Martii* § 7 *ejusdem anni cor. me.* 3

Id autem minime probatur in casu. Quaelibet enim deficiebat proxeneta- 4

Digitized by Google

rum fides, quae assertam constitueret damnum illatum, et lucrum emissum. Ipsius fidei defectui supplere neutiquam poterat generica testium depositio, ex qua tantum constituebatur facile de anno 1813, et 1814 fuisse occasiones collocandi pecuniam in quæstuosis emptionibus; quin vero ullam determinare illi valuerint emptionem, quæ posset a Præsule conciliari, si mutuata pecunia ei a Consolio restituta fuisset. Est enim canon in Foro non controversus, quod ad legitimam fructuum compensat.vorum perceptionem *specifica, ac certa* semper requiratur probatio obventi damni, amissique lucri; sicuti passim constituit S. Noster Ordo; et præsertim in *Camerinen. Condict. Indebiti* 27 *Junii* 1796 § 5 *cor. Gardoqui*; *in Bononien. fructuum quoad legatum Frizzuti* 26 *Novembris* 1827 § 6 *coram Illmo, et Rmo Patrizi*; *et in Maceraten. Pecuniaria* 25 *Junii* 1832 § 9 *cor. R. P. D. Meo Marini*.

5 Excluso itaque, ob probationis defectum quolibet damno in Præsule Alessio ob retardatam suæ pecuniæ restitutionem, faciliter secundo loco videbatur minime sustineri ab eo posse perceptos illicitos fructus ex ingenti lucro quod ex mutuata illa pecunia Consolio obvenisse gratuite ipse asserebat. Nullo enim modo hoc ab eo probabatur; nec in facto verum reperiebatur utilem Consolio fuisse mutuam illam pecuniam. Sed, si etiam utilitas ipsius Consolii perspecta, indubiaque appareret, non exinde legitima evadebat fructuum perceptio in vetita illa mensura, cum absolutum, ac receptum juris sit principium, quod in materia usuaria spectetur solum quid intersit mutuatoris, non autem mutuatarii, nec sint fructus commensurandi ex utilitate mutuatario obventa, ad monitum *D. Hyeronimi in Cap.* 18. *Ezechiel. Benedict. XIV in Encyclica vix pervenit* § *Neque vero, et Leotard. de usuris quæst.* 78 *n.* 41.

6 Quæ vero huc usque animadversa fuero circa excessum fructuum conventorum in apocha privata anni 1814, repeti omnino merentur quoad declarationem a Consolio subscriptam eadem die 20 *Junii* 1818, quo, separato actu primaevus *mutui* contractus solemniter in obliqui cambii conventionem conversus fuit. Et recto quidem jure. Etenim, dum ex scriptis illis tabulis liquet castrensia requisita nonnisi ad *bessalem* rationem interpellata fuisse, e contra cum illa declaratione Consolius se obligavit ad *decuncium* fructuum pensitationem. Planum exinde videtur, quod, dum ex eorum requisitorum concursu legitima censenda est ipsarum *bessalium* usurarum stipulatio; e contra ob eorum defectum illegitima diiudicari oportet ipsorum fructuum promissio ad rationem *decuncem*, in contextuali illa syngrapha conventa ex ratione, quod consistere minime possint pactiones, quae adversa fronte cum Lege pugnat; praecipue cum nemini licitum sit justum reddere, quod injustum, ac nullum Leges ipsae jam declararunt; prout monuit = *Constant. Vot. Dec.* 30 n. 7, *et S. Rota in Ravennaten. seu Æsina Pecuniaria* 29 *Januarii* 1759 § 9 *cor. Caniliac., et in Montisalti, seu Firmano Dotis super fructibus* 10 *Martii* 1823, § 5 *cor. Me.* Nec releval, quod Consolius in illa apocha declaraverit sese fore *decunces* usuras pensitaturum, eo quod in Piceno ad eam rationem argentum collocabatur, atque uberrimos fructus se ex mutuata esse pecunia recepturum. Nam Patres mei recte animadvertebant, minime attendi posse hanc confessionem, ex ratione quod illi, qui pecunia indigent, facillime emittere solent hujusmodi confessiones, quae proinde nullimode valent, prout semper tenuit S. N. Ordo, et præsertim *in Camerinen. Condictionis Indebiti* 27 *Junii* 1796 § 3 *cor. Gardoqui*; *in Bononien. fructuum* 26 *Novembris* 1827 § 7 *coram Rmo Patrizi*.

Et perdito consilio Praesul Alessius 7 contendebat castrensia requisita in privata syngrapha diei 3 Januarii anni 1817 ad rationem *decuncem* interposita fuisse, proptereaque decunces usuras etiam ex collybo, qui mense Junio proximi anni 1818 conscriptum fuit, percipi jure valuisse. Nec enim in primis assertam ejusmodi interpositionem in facto demonstravit; siquidem sat ea

Digitized by Google

propter esse nequibant sive mutila epistolarum exemplaria, vulgo = *minute* =, quas Camillo cuidam Dardani dedisse, asserebat, ut Anconitanorum proxenetarum fidem requireret, sive spectatissimum testimonium Antonii Ungherinii, cujus familiaritate maximopere utebatur; sive denique ambiguum tabellionis Sommainii et substituti Pomponii testimonium; ex quibus nemo unus praedictam vidisse fidem perhibuit. Praeterea, licet anno 1817 castrensia requisita ad rationem *decuncem* interposita reapse fuissent, quum tamen proximo anno 1818 publicis de collybistico contractu tabulis conseriptis, nova proxenetarum fides adjecta fuisse, ex qua palam erat bessales dumtaxat usuras percipi tunc temporis valere, profecto consequeretur ut illas non, nisi ad ejusmodi mensuram, deinde percipere creditori fas esset. Nam ideo adamussim castrensia requisita sunt interponenda, ut nempe sit in compertis quantae tunc temporis, quo collybus contrahitur, sive damni emergentis sive lucri cessantis causa, percipi valeant usurae. Quin quidquam facessit, graviores, nec ne, percipi sive antea sive postea potuissent.

8 Inutili tandem studio sui favore Præsul Alessius invocabat observantiam solutionum. Hæc enim, prout est compertissimum in jure, licitum reddere haud potest, quod leges improbant; eo potius, quia sæpe sæpius contigit, quod debitor impar solidando, capiti religiosum se præbeat in fructuum solutione, qua capitis restitutionem differat. Proinde, probata fructuum excessivitate, patula est juris censura, quod ipse excessus cedere debeat in ipsius capitis imminutionem, ita præscribente, non tam *Art.* 3 *Gallici Decreti anni* 1807 quam Pontificiis Legibus, et Sententiis S. Nostri Auditorii, ut videri potest *in decis.* 232 *num.* 7 *et* 8 *cor. Molines*; *in Fulginaten. Pecuniaria super non resolutis quoad scuta* 8246 67. 24 *Aprilis* 1818 § 7 *cor. Piccolomini*; *et in Ravennaten. seu Mantuana Pecuniaria* 7 *Maii* 1830 § 3 *cor. R. P. D. Meo Zacchia*. Firma igitur retenta hac juris præscriptione; perpenso quod reus conventus tempestive, ac legitime opposuerit fructuum excessivitatem, ut actionem præpediret ab actore institutam, fieri, salva justitia nequibat, quod, dum in hodierno judicio causa absolvebatur quoad Præsulis Alessii creditum, cognitio autem continentis, et peremptoriæ exceptionis a Consolio allatæ ad alterum amandaretur judicium, prout fuisset in votis ipsius Præsulis. Recte proinde Patres Mei decrevere, ut ipse imputare debeat in sortem quidquid percepit ultra mensuram *quincuncem* ante instrumento anni 1818, post autem hujusce stipulationem demat e sorte quantum recepit supra bessem, diminuta de die in diem fructuum ratione pro gestarum solutionum modo, superextantisque capitis quantitate, ex ineundo calculo *a scaletta*, prout ajunt, reliquumque, quod supererit, instantis Præsulis creditum constituat.

Et ita, altera tantum, jus redditum fuit habita relatione ad præcedentem meam Decisionem, quæ confirmatur.

---

## CAMERINEN PECUNIARIA

*Veneris* 23 *Aprilis* 1836.

### ARGUMENTUM

In jure multae dantur causae, quae debitorem excusant a mora, quas inter recensetur crediti incertitudo. Quo in casu nulla datur actio ad damnorum emendationem, cum in Foro certissima juris regula sit, moram constitui non posse, nisi in credito certo et liquido tam in genere, quam in specie.

### SUMMARIUM

1. *Legitima est delibatio hereditatis filiis debita ex lege naturae.*

   *Ubi fructus descendunt ab jure dominii, non uti capitis accessorium, condici possunt uti ipsius pars - ibidem. -*

2. *Castrensium requisitorum fundamentum consistit in damno, quod creditori obvenire potest ex debitoris mora.*

   *Mora constitui non potest nisi in credito*

*certo et liquido, tam in genere, quam in specie - ibid. -*

3. *Ubi agitur de damno, quod asseritur obventum ex mora, rigorosa exigitur probatio.*
4. *S. Ordo non abloquitur nisi de iis, quae in dubii formula continentur.*
5. *In tertio jurisdictionis gradu, Tribunal nequit revocare ad trutinam sententias in ea parte, in qua secum congruunt.*
6. *In heredis arbitrio manet legitimam praestandi, vel ex stabilibus, vel ex mobilibus bonis a defuncta relictis.*

   *Species compensari nunquam potest cum quantitate - ibidem. -*
7. *Retentio tantum conceditur, si rei possessor probet, se rem, propria pecunia liberasse, vel in rem alienam, quae petitur, sumptus fecisse.*

   *Item conceditur, si pignus pro aliqua summa nominatim acceptum, retinent pro tutanda alia summa, quam illi postea quis dederit sine pignore - ibid. -*

   *Nunquam admittitur retentio, si creditum contra quod opponitur, sit liquidum tantum in genere, et non in specie - ibid. -*
8. *Ex interpositione requisitorum currentium tantum, jus acquiritur ad condicendos fructus.*

## DECISIO DII.

Elato funere Camertini Marchionis Venantii Savini, ipsius heredes ex testamento fuere germani fratres Petrus, et Aloysius cum onere persolvendi post biennium alteri fratri Francisco legatum scut. 800 = *senza decorrenza di frutti*, *e nel modo che loro fosse più piaciuto* = et praestandi matri superstiti annua sc. 50 usque ad vitae exitum, praeter quod eidem debebatur jure legitimae. At brevi legata praestatione fruita est mater. Ipsa enim insequenti anno 1829 mortem obivit, suamque transmisit hereditatem Francisco, relicta ceteris liberis legitima in quantitate scut. 1500 *da pagarsi in contante effettivo dopo due anni coi frutti compensativi dei cinque per cento.*

Fratris, matrisque exemplum, Petrus infeliciter aemulatus cito et ipse vitam cum morte immutavit. Quum vero is vivens universalis donationis titulo cuncta sua jura, et bona in fratrem Aloysium transmisisset, contigit, quod hic ex duplici repraesentatione creditor evaserit fratris Francisci in quantitate scut. 3000; et respondentium fructuum, dum contextim illius debitor erat sc. 800 ex titulo legati eidem a Venantio relicti, nec non sc. 100 pro duabus decursis vitalitiis praestationibus matri persolvendis ex ipsius Venantii testamento, una cum legitima, quae cognosci interim nequibat ob nondum adimpletam firmationem status illius hereditatis.

Ex mutuis hisce debiti, atque crediti titulis ampla erupit jurgiorum messis. Elapso enim biennio ab obitu Venantii, Franciscus coram Vicario Generali Camerti egit contra fratrem Aloysium ad condicendum legatum sc.800, et quiquid aliud ab illo debebatur matri interim defunctae, cujus ipse heres fuerat. Ipsius instantiam excepit ille Judex cum sententia diei 20 *Junii* 1831, in cujus sequelam idem *die* 17 *Martii* 1832 decrevit solvendam esse instanti Francisco quantitatem sc. 1146, 45, scilicet sc. 800 jure legati, sc. 100 pro duabus praecitatis praestationibus defunctae matri debitis, sc. 47 pro expensis judicialibus, et cetera liquidata fuere in causam fructuum. Provocavit ab ea sententia Aloysius aegre ferens, quod contra extremam Venantii voluntatem admissum fuisset fructuum creditum, et constitutum, legati praestationem ab eo expleri in numerata pecunia. Sed interpositam prosequi appellationem idem Aloysius deinde haud curavit.

Dum vero haec agitabatur controversia alter praeterlapsus erat terminus a matre constitutus pro legitimae solutione. Frustra hanc Aloysius cum petiisset a Francisco, vadimonium ei indicere coram Judice constituit. Interim cum domesticis pressus necessitatibus contrahere aes alienum debuerit ad rationem bessalem, in transmisso libello admissa favore citati fratris compensatione legati protestati Aloysius haud omisit ipsius damno cedere oportere quidquid ultra quincuncem rationem solvere ipse tenebantur. Camertinum Collegium, ad quod causa delata fuit, sua sententia *diei* 30 *Junii*

1832, admissa compensatione quoad sc. 800, et quoad fructus in inîranti liquidanda quantitate, damnavit Franciscum ad solvenda sc. 2200 Appellationem tunc Franciscus non solum interposuit ab ea sententia, sed ab altera etiam usque 27 *Septembris* 1830 contra se prolata ab Camertino Vicario circa donationem a communi præ defuncto fratre Petro expletam favore Aloysii, et quæ vero die 22. Augusti superioris anni 1835 solemniter confirmata fuit a Rotsli sententia in rem judicatam prolapsa, teste *Decisione Camerinen. firmationis status hæreditarii, et divisionis coram me edita sub die* 12 *Junii* præcitati anni 1835.

Ob hanc judicii pendentiam quoad donationis firmitatem Judices Macerstenses sub *die* 3 *Junii* 1834 suam panđiderunt sententiam, cujus summa fuit, quod a Francisco persolvenda tantum essent Aloysio sc. 1500 et quod super hac summa compensanda essent, sc. 430 medietatem constituentia sc. 900, quæ ex causa legati, et decursorum præstationum eidem Francisco persolvi debebant ab Aloysio. Quoad fructus autem reservata voluere instantibus jura ad tramites memoratarum sententiarum Camertini Vicarii dierum 20 *Junii* 1831, *et* 7 *Martii* 1832, et dum Aloysio decreverunt jus competere urgendi solutionem scut. 1050, e contra Francisci favore constituerunt beneficium retentionis ad solidandum creditum legitimæ, quæ illi uti matris heredi, pleno jure spectabat super successione Venantii, cujus heres fuerat Aloysius. In ipsarum sententiarum discrimine cum causa conscenderit ad S. Nostrum Ordinem, curavi hoc mane Patrum judicium exquirere cum concinnata dubii formula = *An et in qua summa constet de credito sortis, et fructuum, ita ut sit locus solutioni, compensationi, et retentioni, et sit relaxandum mandatum in casu etc.*, = et responsum accepi = *affirmative, et constare de credito sortis* in *summa sc.*3000 *ejusque fructuum ad rationem quincuncem, et esse locum solutioni, compensationi sc.* 947, *et esse relaxandum pro summa liquidanda.*

1 Post absolutum judicium super donationis validitate, quod ceterum, utpote ordinarium, neque intercipere, nec remorari ullatenus valuisset executivam, et expeditam actionem ipsius donationis tabulis innixam ab Aloysio propositam, dubitari amplius nequibat, quod agenti Aloysio, non tam ex persona propria, quam in prædefuncti fratris Petri repræsentationem, integra debeatur petita quantitas scutor. 3000. Hoc quoque ex ipsorum contendentium placito extra judicii aleam hodie reperitur, cum amplius Franciscus haud inficietur, se fratris Aloysii debiturem in præcitata illa pecuniæ quantitate. Idem æque sentiendum videbatur de fructibus. Cum enim legitima sit hereditatis delibatio filiis debita ex lege naturæ, consequitur, quod ipsius Creditor jure meritoque petere etiam possit ipsius fructuum solutionem *Merlino de legitima. Lib.* 2 *tit.* 1 *quæst.* 1 *num.* 3 *et seqq.* Cum enim in casu fructus descendant ab jure dominii, non uti capitis accessorium, sed vero ut ipsius pars condici possunt, uti ex textu notissimo in *L. fructus § item veniunt ff de Petit heredit.*, accedente potissimum in proposita contentionis thesi diserta et aperta ejusdem Testatricis lege, qua nominatim ea jussit, legitimæ fructus fratribus singulis ab Francisco rependi. Nec autem minus certa in casu videbatur ipsorum quantitas. Præter enim mensuram quincuncem in Foro receptissimam, præsto quoque erat præscriptio Testatricis, quæ voluit ipsos fructus ad rationem quincuncem esse persolvendos legatariis, donec ipsius legitimæ solutionem Franciscus non expleret. Quæstio igitur in proposita specie tantummodo erat, an idem Franciscus post biennium, scilicet a die 10 *Januarii* 1832 teneretur in causam damni fructus illos rependere ad rationem bessalem, prout ipse Aloysius se obligavit in Census contractu, quem ob memoratam ipsius legitimæ solutionem stipulari coactus fuit favore Comitissæ Mariannæ Ferretti.

2 At Patres Mei, sedulo perpensa hac Aloysii petitione perspexerunt illam re-

apuere omnino oportere. Animadvertebant ipsi enim, quod nemo teneatur ad damnorum emendationem, nisi ex proprio facto, vel culpa illis causam præbuerit; animadvertebant quod Castrensium requisitorum fundamentum consistit in damno, quod creditori advenire potest ex debitoris mora ad tradita S. N. Ordinis in *Romana fructuum* 12 *Martii* 1833 §. 7 *cor. Me*, *et in Romana Fructuum* 5 *Maii ejusdem anni* § 3 *cor. Martinez*; ex quibus facile ab iisdem eruebatur nullam in casu posse Francisco appingi culpabilem moram statim ac in facto probatissimum habebatur, de tempore initi contractus liquidum fuisse creditorem ipsum Franciscum in quantitate sc. 947 ex titulo legati, præstationum vitalitiarum, et expensarum judicialium; siculti probatur quod ipse quoque, si non in quantitate, saltem in genere certus creditor fuerat legitimæ debitæ defunctæ suæ Matri, ejusque fructuum. Ex hisce factis videbatur justam et congruam concurrere causam ad quamlibet excludendam in Francisco culpabilem moram, cum præsupponere bono jure ipse posset licitum sibi esse abstinendi ab Aloysii crediti solutione, illudque compensari cum eo, quod sibi debebatur. Habemus enim ex jure multas esse causas, quæ debitorem excusant a mora, quas inter recensetur crediti incertitudo, ad ea quæ præ ceteris tradit *Leotard. de Usuris quæst.* 84 *num.* 1 *et seq.*, *et censuit S. Rota in Dec.* 186 *num.* 5 *et seq. cor. Riminaldo*; *in Dec.* 191 *num.* 11 *cor. Ansaldo*; quo in casu nulla datur actio ad damnorum emendationem, cum in Foro certissima Juris regula sit moram constitui non posse, nisi in credito certo et liquido tam in genere, quam in specie, veluti monuit S. Noster Ordo in *Perusina Pecuniaria super I Dubio Februarii* 1803 § 4 *cor. Resta, et in Ferrarien. super damnis* 11 *Junii* 1824 § 12 *cor. Pianetti*.

3) Sed, si etiam per hypothesim admitti vellet in mora versari Franciscum, haud satis hoc fuisset, ut Aloysio jus esset condicendi bessales usuras. Ut hoc ipse obtinere posset, debuisset fratrem in mora constituere per solemnem Castrensium requisitorum interpellationem, ita monente *Decis. Civitatis Castelli super* 4 *Dubio* 10 *Junii* 1806 § *fin. cor. Serlupi*; *Romana seu Ferrarien. Pecuniaria* 6. *Aprilis* 1821 § 7 *cor. Emo Gualterini*; *et in Pisauren. Emendationis damnorum* 2 *Junii* 1825 § 11 *coram R. P. D. Meo Mazzarelli*. Nec regerendum utique est hujusce interpellationis defectui supplere potuisse vel epistolium, quod Aloysius asserebat ad fratrem se misisse, vel libellum diei 1 *Februarii* 1831, cum quo contestata fuit hodierna controversia. Quandoquidem etiamsi teneremus litteram illam reapse ad Franciscum missam fuisse, nihilominus ex præsupposita ipsius existentia legitima perinde haud fieret fructuum postulatio. Ad eos enim condicendos specifice, et plene probare oportet damnum obvenisse ex retardata solutione, quæ probatio haud certe haberi quibat, nec ex asserta illa epistula, nec ex judiciali transmisso libello, cum simplex creditori assertio constituere nullimodo possit rigurosam probationem, quæ a vigentibus legibus requiritur in casu, in quo versamur.

Animadvertebant insuper Patres Mei, 4
quod, si forte concederetur per æquipollens suppleri posse ea requisita, non ex eo perinde dici posset quod Franciscus in mora constitutus esset. Siquidem super ea pecuniæ quantitate rationabiliter sibi credere Franciscus poterat locum habere posse compensationem creditorum, quæ sui favore postea liquidavit Camertina Sententia diei 17 *Martii* 1832 in quantitate scut. 1146. 45. Accedebat altera controversia super legittimæ quantitate, prædefunctæ Matri debitæ super Venantii hereditate, quæ quoque alteram justam, legitimamque præbebat moræ excusationem. Omittendum tandem non erat petitam damnorum emendationem extraneam omnino esse propositæ dubii formulæ, cum ex hoc cohibita videatur hodierna controversia ad caput sortis tantum, et ad fructus, quali-

bet exclusa damnorum indagine. Proinde, in qualibet etiam possibili hypothesi, quod deberentur fructus ad controversam rationem octuncem, pro eisdem in congruo judicio agere attamen oportuisset, cum nemini ignota sit laudabilis S. N. Ordinis consuetudo, non obloquendi scilicet de rebus in dubii formula non comprehensis, teste *cit. Dec. Romana seu Terracin. Pecuniaria cor. Emo Gamberini* § 7.

5 Constituta igitur crediti existentia, et exigibilitate, consequens erat, quod justa petita ipsius solutio à S. N. Ordine decerneretur in hodierno judicio. Sed, cum vero et ipse Aloysius ultro consensisset in compensanda sc. 800 quantitate, fratri Francisco debita ex causa legati, proinde Patres Mei definiverunt quod summa illa detrahenda esset a petita quantitate sc. *trium millium*. Insuper Patres Mei, cum perspexerint pacificum inter Patres esse nomen sc. 100 ob duas vitalitias præstationes matri debitas, cum item certum videretur alterum crediti caput in sc. 47 ob expensas judiciales ad liquidum adductas a Camertina sententia diei 17 *Martii* 1832 ob non prosequutam appellationem in rem judicatam prolapsa, decernere haud hæsitarunt duorum horum creditorum quoque compensationem favore ipsius Francisci, cum liquidum sit utrumque creditum, nec ulli obnoxium exceptioni, et expeditam ambo paratamque habeant exequutionem. Quapropter a petita quantitate sc. 3000 si compensata demantur sc. 946 supererunt sc.2053, quæ liquidum constituunt Aloysii creditum cujus adamussim solutio decernitur in præsenti judicio, quin illam remorari valeat legitimæ debitum ab eadem Aloysio fratri præstandum. In eo enim credito interim excludendo æque convenerunt tam Judices Camerinenses, quam Juridici Maceratæ, ex quo evenit quod S. N. Auditorium editas eorum sententias revocare ad trutinam nequeat in hac parte, in qua secum congruunt, ceu docuit *S. Rota in Dec.* 241 *num.* 4 *part.* 1 *divers.*; *Dec.* 188 *num*, 5 *post Cencium de Censibus*, *et in additionibus ad Dec.* 567 § 9 *cor. Baratto*; præsertim cum id sit extraneum a proposito judiciali libello, et proinde retinendum uti extra judicii aleam, ut monuit Juvolenus *in Leg.* 18 *ff Com. divid.*; *Paulus in leg.* 170 *ff de regulis juris*; *Gothofredus in Comment. ad cit. l.* 170 *ff de reg. jur.*, *Perez Comment, ad lib.* 7 *Cod. tit.* 48 *num.* 1 *e* 2; *et S. Rota in Dec.* 180 n. 24 *p.* 6 *et Dec.* 151 *n.* 1 *p.*16 *in Rec.*

Reapse ex Venanti testamento ipsa legitima debetur solummodo in specie, 6 quia scitum est legitimam symbolam qualibet desuper hæreditaria gleba, et ex substantia, ac corporibus hereditatis deberi, atque in hæredis arbitrio manere ex stabilibus vel mobilibus bonis ab defuncto relictis eamdem præstare. Creditum e contra Aloysii consistit in quantitate, et proinde remorari nequit ab illo hujusce exactio, non modo quia expetenda adhuc est ipsius legitimæ liquidatio, quæ nonnullas et defficiles juris quæstiones involvit, quas proinde Judex debet definire, verum etiam quia diversa ipsorum creditorum natura quamlibet refugit compensationem, ceu post textum *in leg. ult. Con. de Camp.* millies docuit *S. Rota*, *ac potissimum cor. Falconerio Dec.* 9 *num.* 5 *de solutionibus*, *cor. Lancetta Dec.* 1904 *num.* 10 *cor. Emo Gamberini Dec.* 23 *num.* 18, cum species compensari nunquam possit cum quantitate, ita docente textu in *Leg.* 4 *Cod. eod. Leg.* 2 §. 1 *de rebus creditis*, quibus consonat *Dec.* 16 *num.* 26 *cor. Rovarella*; *Beneventana Divisionis* 30 *Aprilis* 1830 § *fin. cor. R. P. D. meo Marini*; *Camerinen. Immissionis*, *et Redditionis rationis* 27 *Januarii* 1834 § 7 *cor. Me*; *et in confirmatoria* 21 *Aprilis ejusdem anni* § 5 *cor. Me*. Contingeret enim, quod, si res in specie debita compensari posset cum credito quantitatis, ingens tunc absurdum oriretur, quod aliud pro alio creditor accipere invitus posset, quod omnibus juribus adversum esse non est demonstrandum post textum in *leg.* 2 *ff de rebus creditis*, *et leg.* 16 *cod. de solutionibus*.

7 Inutiliter vero Franciscus implorabat retentionis beneficium, quod intempestivo æquitatis intuitu obmoti admiserant Judices Maceratenses. Habemus enim ex jure, quod rei possessori retentio tentum conceditur, si probetur ipsum illam rem propria pecunia liberasse, vel in rem alienam, quæ petitur, sumptus fecisse, vel si pignus pro aliqua summa nominatim acceptum, retineat pro tutanda alia summa, quam illi postea dederit sine pignore, veluti post text. *in leg. Unic. ff de dolo malo, et leg.* 14 § 1 *ff. Commun. Divid., leg.* 27 § *fin.*, *et leg.* 38 *ff de rei vindicat.*; docent *Struvius Synt. Jurisprud. Exercit.* 2 § 20; *Donnellus in Comment. ad Instit. de action.* § 8. At hoc speciale jus possessorum favore inductum, et pro eorum credito ratione rei possessæ contracto, nequidquam extendi, et amplieri potest ad actionem personalem, qua Franciscus agit contre Aloysium in psæsenti judicio. Ipsius enim creditum pro titulo legitimæ supplere minime potest *possessionis factum* quod necessario a lege requiritur in creditore, ut retentionis beneficium rite invocari possit. Possessionis defectui accedit facti circumstantia, quod Aloysii creditum solvi debet in = *effettivo contante* =, dum e contra creditum Francisci dimitti ab eodem Aloysio potest etiam cum bonis stabilibus; qua etiam attenta rerum diversitate, admittenda a Patribus haud videbatur petita retentio, *cit. Dec. Camerinen. Immissionis et Redditionis rationis diei* 21 *Aprilis* 1834 § 5 *cor. Me.* Insuper animadvertendum etiam erat invocatum retentionis Beneficium prorsus alligare titulo turbido, atque illiquido. Reapse legitimæ creditum, si certum, et non controversum in genere videbatur, in specie autem incertum omnino apparebat, veluti luculentissime demonstrat lis nondum decisa super modo computandi eamdem legitimam; utrum nempe ipsa in tertia tertiæ, seu potius in tertia totius hæreditatis sit præstanda. Quibus ex rebus spernenda omnino erat petita retentio, quæ nunquam in jure admitti potest, si certa et liquida non sint credita tam in genere, quam in specie, veluti docent *Merlin. de Pignoribus quæst.* 27 *num.* 11. *Gratian. Disc. for. Cap.* 734 *num.* 15; *De Luca de legitima Disc.* 25 *num.* 70, *et de Tutoribus Disc.* 6 *num.* 20 *Constant. Vot. Dec.* 77 *num.* 27 *et seq.*; *et Sacra Rota in Dec.* 153 *num.* 23 *et seqq. part.* 6 *in Recent. Decis.* 1143 *num.* 5 *coram Lancetta, Dec.* 201 *num.* 13 *cor. Molines, Decis.* 292 *num.* 1 *cor. Olivatio, in Montis Falisci Restitutionis Capitalis, et redditionis rationis* 4 *Februarii* 1820 § *fin. cor. Me.* Ad ipsam insuper repellendam retentionis exceptionem accedebant quoque variæ sequestrationes, Aloysio usque ab anno 1831 indictæ, quæ debitæ legitimæ quantitatem, si non in totum, saltem in maxima parte cum absorbeant, e medio tollunt subjectum ipsius retentionis.

Quoad denique fructus Aloysio debitos ex admisso ipsius credito contra Fratrem Franciscum, Patres Mei animadverterunt admittendos eosdem esse non in summa tantum sc. 300, ut contendit ipsemet Franciscus, sed in majori summa liquidanda ad praestitutam mensuram sc. *quinque* pro quolibet *centenario*, quia non de biennii dumtaxat, sed de posterioris quoque temporis fructibus rationem habere in praesens oportet, non tam ex Aloysii postulatione, quam etiam ex Praxi Judiciaria. Ad compensandum vero creditum quod ex decreta hac fructuum liquidatione eruet, referri minime possunt fructus capitis, quod Francisci credito admitti superius decretum fuit; nam huic petitioni obstat prae primis Venantii voluntas, qui Francisco sc. 800 titulo legati reliquit = *senza decorrenza di frutti* =, et persolvenda prout heredi magis placuisset; sed et factum ipsius creditoris Francisci, qui post defectum biennium, solutione praestitutum, in mora haud constituit Aloysium, et interponere omisit requisita Castrensia, ex quorum tantum interpellatione jus adquiritur condicendi fructus, ut superius innuimus. 8

Et ita etc. Utraque etc.

## CAMERINEN PECUNIARIA

*Lunae* 20. *Julii* 1836.

### ARGUMENTUM

Habes in Superiori, quae confirmatur - DECISIO DII.

**SUMMARIUM**

1. *Ex legitima fructus debentur ex jure.*
2. *Fructus debentur, si damnum obvenerit ob moram debitoris in solvendo.*
3. *Ad reposcendam damni compensationem, haud necesse est castrensium requisitorum interpellatio, sed sat est debitorem de obvento damno admoneri.*
4. *Non deficiente substantia, de extrinseca castrensium requisitorum forma non est disceptandum.*
5. *Nemini licet, quod quisque juris in alterum statuerit, idem jus sibi dici sum aspernari.*
6. *Quaestio de fructibus, venit sub generica quaestione de damnorum sarcitione.*
7. *Debitum speciei nequit compensari cum credito quantitatis.*
8. *Ubi deficit possessionis factum, nequit opponi jus retentionis.*

## DECISIO DIII.

Marchio Venantius Savini Camertinus anno 1828., quo vitam cum morte commutavit, hæredes scripsit germanos fratres Petrum atque Aloysium, sub lege, ut alteri fratri Francisco legatum scutorum 800 solverent post biennium = *senza decorrenza di frutti, e nel modo che loro fosse più piaciuto* =; utque præter legitimam superstiti Matri annuam rependerent præstationem scutorum 50 quoad usque ipsa lucis usura frueretur. Quod breviter contigit; anno quippe 1829 cessit fato, et Saviniorum, mater, quæ hæredem nuncupavit ex asse Franciscum, præfinita legitima, cæteris liberis tribuenda, in scutatis 1500 = *da pagarsi in contante effettivo dopo due anni, coi frutti compensatici del cinque per cento* = Universali is donatione inter vivos bona cuncta sua transtulerat in fratrem Aloysium. Factum hinc est, ut defuncto fratri Petro superstites Franciscus, atque Aloysius, quisque jura foveret in alterum exercenda. Venantii nempe ex testamento, matrisque ex successione jus erat Francisco condicendi ab Aloysio legatum 800 argenteorum, præstationes matri insolutas ad scuta *centum*, atque legitimam, cujus vires, ob non firmatum hæreditatis statum delitescebant. Aloysius vero ex materna legitima tum sibi, tum donatario fratri debita, Francisci creditor incedebat in 3000 nummis, præter fructus, qui ex illa dimanaverant.

Primus ivit Franciscus ad Judicem, Vicarium Generalem Camertini Antistitis. Sententia obsignata die 17 Martii 1832 concessit is Francisco scutata 1146 45 octingenta nempe scutata pro legato, alia centum pro matris debitis præstationibus; *quadraginta septem scutata pro judicialibus* expensis, ac reliqua *centum nonaginta novem*, obolosque *quadraginta quinque* pro illius pecuniæ fructibus. Provocavit a Sententia Aloysius. Sed provocatione abjecta, cum dies venisset solvendæ legitimæ a matre sibi, atque donatario fratri relictæ postquam fratrem monuerat sese pecunia illa egere ejusque ob defectum fuisse coactum foenebres sumere nummos *bessali* sub usura, misit ei libellum, quo legitimæ creditum ad 3000 argentea una cum fructibus postulabat: postulabat quoque expensas pro fæneri sumenda pecunia passas, nec non excessivitatem fructuum ejus pecuniæ ultra quantitatem eorum, qui pro legitima erant debiti: obtulit præterea sponte compensationem legati argenteorum 800. Camerinenses Judices quibus coram Causa agebatur, probata legati, liquidandorumque fructuum compensatione, Aloysio jus tribuerunt pro scutis 2200 ejusque fructibus, imperantes, ut quoad reliqua in aliis judiciis decertaretur. Appellante inde Francisco, itum fuit ad Maceratæ Appellationis Tribunal. Judices illi ex eo quod Franciscus adduxerat in discrimen validitatem donationis a Petro in Aloysium expletæ, cujus vindicat nunc validitatem solemnis Resjudicata, post Rotalem a me subsignatam Sententiam

-enata, Aloysii credita, ac debita cohibuere ad medietatem: nempe præfinierunt legitimæ creditum in scutis 1500 ejusque fructus ad rationem dumtaxat *quincuncem*, legati vero, et annuæ præstationis debitum cum eo cumpensandum ad scuta 450 et quoad cætera reservarunt utrinque jura. Fecerunt itaque creditorem Aloysium in scutis 1050 et fructibus *quincuncibus* in summa liquidanda. Verum imperaruntur, ut ea Franciscus retineret, quoadusque liqueret quanti ejus assurgeret creditum pro legitima in Marchionis Venantii successione Matri debita.

Hujusmodi ab pronunciatione ventum ad Sac. Nostrum Tribunal fuit. Et die 29 Aprilis præsentis anni dubio a me in hæc verba proposito = *An, et in qua summa constet de credito sortis et fructuum, ita ut sit locus solutioni, compensationi, et retentioni, et sit relaxandum mandatum in casu etc.* = responsum fuit = *Affirmative et constare de credito sortis in summa scutorum* 3000, *ejusque fructuum ad rationem quincuncem, et esse locum solutioni compensationi sc* 947, *et esse relaxandum mandatum pro summa liquidanda* ceu videre est mea ex decisione ad eum diem evulgata. Novi faciendi periculi fuit postmodum venia concessa. Hodie autem cum PP. assuetum proposuerim Dubium » *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* unus Aloysius descendit in Arenam. Quapropter audivi responsum = *in Decisis juxta modum in decisione exprimendum.*

1 Modus ab Aloysio expetitus in eo sedebat, ut fructus quoad ratam scutorum 2300 *a die* 1 *Februari* 1832 supputentur, ad rationem *octuncem*, utque Franciscus una *octingenta* valeat argentea compensare. Cuncta justitiæ congruebant. Et reapse de credito sortis nulla esse poterat disceptatio. Quippe ex matris testamento liquebat tribuisse illam, legittimæ loco, filiis Aloysio, atque Petro argentea 1500. Petrus autem, universali firmissima, per rem judicatam probata nunc donatione jus suum contulit in Aloysium: Is itaque, tum proprio, tum fratris nomine maternæ hæreditatis creditor erat in 3000 nummis. Hujusce vero legitimæ quotæ fructus deberi manifestissimum in genere erat: ex legitima enim fructus debetur ex Jure in themate eo fortius, quia matris de rependendis fructibus accedebat imperium sub ratione *quincunci*. Sanum haud esset de bisce contendere. Verum contentio sedebat præcipua in eorumdem fructuum præfinienda quantitate: videlicet num isti post diem 1 Februarii 1832 quoad ratam scutorum 2300 causa damnorum quæ Aloysius ob remoratam capitis solutionem fuerat perpessus, in contrahendo debito alterius tantæ quantitatis *bessali* sub usura, rependendi ea ratione illi essent.

Negatam id omne præterita in concertatione fuerat. At vero quæ hodie Aloysius protulit, tanti valuere, ut adjectum per modum probarentur. Et quoad *bessalium* fructuum solutionem per capite scutorum 2300 quæ Aloysius ob remoratam sui crediti solutionem fænori quærere fuit coactus, *a die* 1 *Februari* 1832, qua pro postulando capite judicium instituit, ac ea de re Franciscum in libello admonuerat. Damnum enim obvenisse ob moram, in solvendo Aloysii credito a Francisco factam, negandum non erat, quippe quia fænebrem ea de causa sumere ille pecuniam debuit. Nec, ad effugiendam damni sarcitionem, valere videbatur non obvenisse damnum ex Francisci culpa. Statim ac enim debitor certus liquidae quantitatis ipse incedebat ultra vim scutorum 2300., quidquid damni ob ejus non gestam solutionem evenit, ejus e culpa evenisse clarum undique remanebat. Sit enim, ut certa æque Francisci credita suo cum debito compensanda existerent; at non ista excedebant argentea 800 prout hodie Patres statuerunt, aut argentea saltem 947, prout præterita firmavit decisio. Quæ si demas etiam inexpugnabili ab Aloysii credito pro legitima, ac fructibus ad argentea 3300 vis remanet argenteorum 2500, aut saltem 2353 nulla ex justa causa non solvenda. 2

3 Quin licite posset solutionem Franciscus intercipere ob illiquidum legitimæ creditum in fratris hæreditate matri debitæ, quo ipse pollebat in Aloysium. Creditum namque illiquidum, in specie, non in quantitate assequendum, compensandum haud certe erat cum liquidissimo quantitatis debito; prorsus ut injuriose ea de causa solutio intertineretur. Quapropter, cum Franciscus, adventa jam solutionis die non solverit, quod nullo retinere titulo valuisset, culpabili residebat in mora; unde rite Aloysius obventi inde damni sarcitionem expostulabat. Et negandum utiliter haud erat post diem 1 *Februarii* 1832 fuisse illum in mora constitutum, cum *judiciali* misso libello de obvento sibi damno diserte eum monuisset Aloysius. At vero ad reposcendum id quod damni respicit compensationem, haud necessaria quidem est Castrensium requisitorum formalis interpellatio, quæ interponenda fuisset si de cessante reposcendo lucro ageretur, sed sat est a creditore; de obvento sibi damno debitorem ex veritate admoneri, sicuti tradit S. N. Tribunal *in Romana Pecuniaria* 14 *Junii* 1743 § 17 *coram Bussi*, *in Ravennaten. seu Æsina Pecuniaria* 29 *Junii* 1759 § 10 *coram Canilliac. in Urbinaten. Restitutionis in integrum* 6 *Junii* 1804 *cor. cl. me. Serlupi* § 10 *atque in Romana Imputationis Fructuum* 17 *Martii* 1828 §3*cor. R. P. D. Meo Marini*.

4 Cum itaque de obvento sibi damno ex veritate, quam publicæ, solemnesque contracti debiti tabulæ obstendebant, Franciscum judicio admonuisset, recte Aloysius postulabat, ut post missi libelli diem, *bessali* ratione sibi quoad contracti debiti quantitatem fructus concederentur. Quamquam, cum nunciatione illa judiciali monitus ex veritate Franciscus de illato ob remoratam solutionem damno fuerit, satis id erat, ut, cum intrinseca Castrensium requisitorum substantia non esset in themate desideranda, sollicitos haud de extrinseca eorum forma RR. PP. se præberent, quibus perspectum ex jure erat, non deficiente substantia, de extrinseca Castrensium requisitorum forma inutiles audiendas non esse disceptationes. *Leotard. de Usur. Quæst.* 71 *num.* 5; *Card. De Luca de Usur. disc.* 14 *n.* 10 *et* 12; *ac S. Rota in Romana Pecuniaria* 19 *Maji* 1816 § 4 *coram Emo Odescalchi*; *in Perusina* 8 *Maji* 1820 § 5 *coram me*; *in Romana Dotis quoad Sententiam* 26 *Novembris* 1827 21 *Junii* 1833 § 5 *coram R. P. D. Meo De Retz*; *atque in Perusina Dotis et augmenti super fructibus* 12 *Januarii* 1835 § 2 *coram Eodem*.

Quæ cuncta locum potissimum in proposita contentionis thesi sibi vindicant, cum ipsemet Franciscus, ab omni etiam procul Castrensium requisitorum interpellatione, sub unius emergentis damni obtentu, ab Camerinensi Curia longe antea jam obtinuisset, Marchionem Aloysium ejusdem favore damnari ad fructus legati scutorum *octingentum*, ex majoribus licet Aloysii creditis absorpti, sibi rependendos, ita ut fuerit Patribus incivile prorsus, et propudiosum visum, de rigidæ Castrensium requisitorum interpellationis defectu adversus eumdem Aloysium turbas hodie Franciscum ciere. Receptissimum quippe est, et naturali etiam consonum rationi, nemini licere, quod quisque juris in alterum statuerit, vel obtinuerit, idem jus sibi dici eum spernari, ceu apertissimi edocent *Textus in Leg.* 1 *et seq. ff quod quisque juris etc.* 5

Neque obesse videbatur dubii formula, in qua nulla erat de damni sarcitione quæstio comprehensa. Cum enim disceptandum sub ea esset = *in qua summa* de fructuum credito constaret, = omnia illa veniebant in disquisitionem, quæ fructuum quantitatem minuerent, vel augerent. Quod cum præcipue in illato damno sederet, recte et quoad illud, utpote fructuum augendorum caussam, disquisitio instituebatur. Suadebant itaque hæc omnia, liquidum Aloysii creditum quoad sortem stetisse in 3000 nummis; quo vero ad fructus ad rationem *quincuncem* usque ad diem 1 *Februarii* 1832, ab hac autem die ad rationem *octuncem* super capite scutorum 2300. 6

7 Cæterum hac sui crediti cum quantitato nec Aloysius ipse inficiabatur compensanda esse *octingenta* argentea, ab Venantio in testamenti tabulis Francisco legata, uti professus ipse judiciali quoque in libello fuerat. At argentea 147, quæ Decisio præterita compensanda imperaverat, postulavit hodie, ut delerentur. Et vero, quum duæ jam editæ Sententiæ probaverint compensationem, prima Camertinorum Judicum quuad una 800 argentea, altera autem Maceratensis Tribunalis quoad 450 tantum, respuerunt unanimiter quidquid aliud præter argentea 800 compensandum Franciscus opposuerat. At, cum duæ congruant sententiæ, et revocare eas ad trutinam S. N. Tribunal cum nequeat, sitque illud extra postulata, ad ea, quæ monet *præterita Dec.* § 10, merito una argentea *octingentum* compensari hodie posse Aloysius contendebat. Reque autem vera, cum quidquid ex matris juribus e Venantii hereditate Franciscus postulabat, nec esset liquidum, prætereaque esset *in specie*, non *in quantitate* debitum, frustra compensandum opponebatur cum liquidissimo quantitatis Aloysii credito; siculi *praeterita ipsa decisio admonet* § 11 discrtissimo inibi allato ex Jure.

8 Quod denique retentionis jus Franciscus imploraverat, cique altera fuerat in Decisione negatum, negare præ justitia et hodie oportuit. Quæ namque retentio conceditur ei, qui alienam rem propria pecunia liberaverit, qui in re pariter aliena sumptus fecerit, qui pignus pro restituta pecunia datum retinet pro alia summa, quam sine pignore deinde dedit, personali Aloysii actioni inciviliter accomodaretur. Deficit ei quippe possessionis factum, a Jure requisitum, ut rite valeat rei detentio imperari. Adjiciebatur illiquidum, turbidumque esse Francisci creditum, de quo præfiniendo lis et in præsens exardescit. Sequestrationes denique adiiciebantur Aloysio indictæ, quæ creditum Francisci vel delebant ex integro, vel non modice saltem corradebant. Videtis *Dec.*, quæ revidetur § 12. Consequens inde erat, nil esse petita retentione abnormius, quæ idcirco neganda necessario erat, relaxato Aloysii favore mandato pro summa, quæ, juxta hodie imperatum modum, inita ex supputatione erumpat.

Et ita etc. Altera tantum etc.

---

## CAMERINEN

### REDUCTIONIS CANONIS

*Veneris* 3 *Junii* 1836.

### ARGUMENTUM

Habes in superiori quae confirmatur - DECISIO CCCCXXXVIII. -

SUMMARIUM

*1. In vim leg. 1. Cod. de jur. Emphy., si adest rei imminutio, canon est reducendus ad aequalitatem.*

*2. Emptor laesus dicendus est, quoties rem emptam ultra duplum solverit.*

3. Lex 2. Cod. de resciod. vend., *protendi etiam potest ad contractus emphyteuticos.*

*4. Ubi fructus haud pares sint ad canonem solvendam, contractus ad aequalitatem reducitur.*

*Limita vero, si id non procedat ob imminationem in re emphyteutica superventam, sed ob vitium praeexistens ab exordio contractus, quia tunc hic rescinditur* -Et num.5.-

*6. Aequitativa Bartoli theorica, procedit tantum in casu, quo interitus rei emphyteuticae post contractum obvenerit.*

*7. Peritia plenam fidem sibi vindicat, si conformis reperitur alteri relationi praecedenter ab altera perito expletae.*

*8. Valor ex fructibus desumptus commensurari non potest, ex industria quam quisque communiter adhibere non solet*

*9. Canonis reductio calculari debet a die obmotae litis.*

*10. Idem contractus non potest in parte consistere, et in parte corruere* - Et num. *11.* -

### DECISIO DIV.

Camertini Brephotrophi S. Mariæ Pietatis Curatores, anno 1778, præeuntibus publicæ licitationis solemniis, in emphyteusim ad tertiam generationem bona omnia urbana, ac rustica, quæ

illud Brephotrophium possidebat = *a' Piè di Chienti* = in patrio districtu, fratribus Peruginiis concessere, qui; uti coloni, diu antea illa retinuerat. Canon constitutus fuit in annuis nummis *bismille quingentis quinquaginta*, prout obtulerant, excluso vigesimæ, et sextæ augmento, tum quia primum ab homine promittebatur nullius census, tum quia alterum ipsorum colonorum favore remissum fuerat ex venia speciali Pontificis Pii VI. sa; me: Pactum fuit insuper, quod vectigalia, et publica onera emphyteutæ pro rata commodi perferrent. Sed, cum ea tractu temporis admodum aucta reperirentur, novæ stipulationi opera data fuit, qua simpliciter, ac non in utilis dominii correspectivitatem, duæ ex quinis partibus ipsarum intributionum addictæ fuere emphyteutis, tribus illis reservatis Xenodochio directario.

Jugiter statis temporibus emphyteutæ conventum canonem pensitarunt. Sed, cum postmodum, vel ob depressum cerealium pretium, vel ob annonæ caritatem, eo rependendo impares facti fuissent, res eo venerat, ut apparitores quolibet semestri adventante solutionis die fructus repererent vix collectos. Sed nihilominus, cum per integrum biennium intermissa fuerit canonis solutio, Hospitalis Moderatores devolutionis judicium instituere non dubitarunt. Tunc Peruginii, de inæqualitate expletæ partitionis onerum Fiscalium conquesti, exceperunt quod in causam canonum imputandum esset quidquid ipsi pro rata commodi illuc usque persolverant.

Firmanæ Episcopalis Curiæ Rever. Vicarius, coram quo Causa agebatur, dubitavit de canonis immodicitate, ac proinde deputavit Josephum Nicolardium, ut referret, an prædiorum fructus a canone revera superarentur. Immoderatum esse canonem cum ille repulerit, ejus peritiæ innixus Judex, postulatam denegavit devolutionem, mandavitque in canonum causam imputandum esse quidquid a Peruginiis datum probaretur ob duas datiorum quintas partes, ab iisdem persolutas in vim initæ transactionis. Sed ad Sacrum Nostrum Ordinem delata causæ cognitione, cum PP. mei perspexerint in suo implicito validitatis statu adhuc eam transactionem consistere, editam sententiam infirmarunt. Obtinuerunt tunc fratres Peruginii a Sanctissimi Auditore S. N. Ordini facultatem attribui judicium ferendi etiam super canonis reductione ad æqualitatem. Ponente itaque R. P. D. meo Zacchia, cum *die* 18 *Junii* 1830 proposita fuerit dubii formula. = *An, a quo tempore, et in qua summa sit locus reductioni canonum ad æqualitatem* =, placuit RR. PP. alterius agrimensoris judicium exquirere, ut referret super bonorum valore = *habita respectu ad epocham contractus, et quoad fructus ad decennium.*

Ad hanc explendam relationem accitus fuit. Nicolaus Gabriellius, qui pariter post accuratum rerum examen, retulit impares esse prædiorum fructus solutioni canonis conventi. Idcirco Patres, huic relationi innixi, aliisque impulsi animadversionibus, cum viderint discrimen consistere in scutis 277. 10, in comitiis 10 *Junii* 1831 propositam controversiam diremerunt edito responso *Affirmative in omnibus a die motae litis in summa sc.* 277. 10. 9 = Perspensis hujusce rescripti viribus in convento *diei* 24 *Februarii* 1832. Patres steterunt = *In decisis juxta modum in Decisione exprimendum.* = Modus vero fuit = *ut, quoad datia Cameralia haberetur respectus ad epocham contractus; quoad vero fructus, ad recursum Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium* =; ampliaruntque reductionem ad sc. 438. 18. 9. Tertio loquendi facultas facta fuit Brephotrophii Moderatoribus in comitii, diei 4 *Jun.* ipsius anni 1832. Sed adverso rursus marte pugnarunt, edito novissimo rescripto = *In decisis* =; et ita ad normam secundæ et tertiæ Decisionis, Sententia Rotalis, Ponente prælaudato R. P. D. meo Zacchia, obsignata demum fuit.

Provocarunt ab ea Hospitalis Curatores; mihique commissum cum fuerit DD. meorum judicium exquirere, assuetæ dubii formulæ = *An sententia Ro-*

*talis sit confirmanda in casu etc.* =, die 18 Martii 1833, frustra dilationem potentibus iidem Moderatoribus, responsum accepi = *Pro informantibus* = scilicet = *Sententiam Rotalem esse confirmandam* =. Facile novæ audientiæ beneficium obtinere a Sacri Nostri Ordinis docilitate Xenodochii Curatores potuerunt. At, cum in novo causae periculo extrajudicialem ipsi attulissent cujusdam Vincentii Ottaviani prædictarum peritiarum refutationem, qua probarunt errores, in quos irrepserat judicialis peritus Gabriellius, a Sacri Auditorii facilitate obtinuerunt rescriptum = *Dilata, et ad D. Ponentem pro deputatione periti agronomi, qui referat super redditu bonorum emphyteuticorum in actu, et in potentia, et super causis, quibus imminutus fuit idem reditus, habito respectu tam ad epocham contractus, quam ad tempus posterius* =. Etsi non pacifice electus tandem fuit Joseph Bartolini, qui inedita sua relatione constituit prædiorum redditus *in actu* ac *in potentia* ad canonis solutionem sufficere.

Die itaque 9 Maii mox præteriti ad Patrum judicium venit rursus causa, et tunc graviter dubitari cepit, an legitime superior Rotalis Sententia Bartoli theoricam pendenti aptasset controversiæ; iterum proinde, iterumque comperendinari definitionem contigit, dilatorii rescriptis = *Dabitur resolutio in proxima* = et = *Dabitur resolutio post potiones* =. Tanta hæsitatio aperte demonstrabat, quam utile causæ diremptioni futurum fuisset, si alios Patres accire licuisset, ut prior Sacri Nostri Auditorii mos ferebat. Sed veneranda vigentium legum præscriptio obstabat ampliationi. Verum, dum obsequendum sibi religiose obtinenti legi Patres mei videbant, nec detrectabant, haud simul comprimere poterant votum, quod Sanctissimus Princeps, quem Deus diu sospitet, priscam praxim, et laudabile institutum restituere dignetur, exemplum æmulatus sa. me. Clementis XIII, qui sua Constitutione = *Ex parte Collegii etc.* = Sacrum Nostrum Ordinem in facultatem redintegravit rescribendi juxta veterem consuetudinem, quam Benedictus XIV. anno 1746 abrogaverat Constitutione, quæ incipit = *Justitiae, et pacis custodes etc.*

Explotis novissimis induciis, contendentes in porrectis defensionibus unicam, et maximi in causa momenti, juris quæstionem declinandam duxerunt, in facis potius, minus fortasse opportune, instantes, idque, posthabita etiam ex parte Brephatrophii appellatione a Rotalibus Decretis, quibus periti acciti fuerant, ut referrent super reali emphyteuticorum prædiorum reditu. In hoc rerum statu, proposito dubio = *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.* =, responsum datum fuit = *In decisis, reservato, jure optionis favore Brephotrophii* =.

Recte quidem Patres mei contrectabant hujusce controversiæ gravitatem, 1
præcipue cum minus contraditoria in anteactis propositionibus apparuisset utriusque contendentis opinio. Peruginii enim, et in emphyteusi manere prætendebant, et freti *Leg.* 1 *Cod. de Jure Emphyt.* poscebant canonis reductionem ad æqualitatem. E contra Brephotrophium acriter inficiabatur ipsius legis præsidium invocari posse in casu, cum nullus contigerit rei interitus: propterea que contendebat controversiam dirimendam potius esse ad tramites *Leg.* 2 *Cod. de Resc. vendit.*, et esse videndum an reapse ab initio asserta intercessisset læsio metienda ad formam præcitatæ legis. Feliciter ab Emphyteusis proponi potuit sibi favorabili ordini, nempe, quod in casu locum habere deberet canonis reductio ad æqualitatem ad tramites invocatæ theoricae Bartoli in præcitata *Leg.* 1 *Cod. de Jur. emphyt.*, etsi nulla adesset rei emphyteuticæ imminutio. At ad trutinam hodie revocata edita Rotali Sententia, et superiori mea Decisione, quæ memoratam Bartoli theoricam admiserant, in severiori juris scrutinio dubitabatur minus recte fuisse ad rem presentem traductam eamdem Bartoli doctrinam.

Sedulum reapse rei examen perspectum effecerat PP. mei liberum contrahentibus ab initio fuisse arbitrium 2
de rebus suis disponendi pro pretio,

quod magis eisdem placuisset = *Leg.* 16 § 4 *ff. De Minor* = ; cum læsionis querelam promovere haud licuisset nisi in casu, quod adhibita probaretur vis, vel metus, vel machinatio, vel dolus; cum ex eorum concursu destruatur consensus, quo tantum intercedente justus dijudicandus est quilibet contractus. Sed paulisper visa fuit necessitas admittendi etiam doli speciem in *se ipsa*, quoties immodicum probaretur pretii discrimen; quo in casu haud Judicis arbitrio committenda videbatur ipsius immodicitatis inquisitio. Qua de re Imperatores Diocletianus, et Maximianus legem præcitatam 2 *Cod. de Resc. Vendit.* edidere, qua cautum fuit læsivum renunciandum esse contractum *si nec dimidia pars* veri pretii soluta sit, firma retenta initi contractus validitate in cæteris casibus, in quibus expleta probaretur solutio ultra dimidium veri pretii = *LL.* 8 *et* 15. *Cod. eod., et Leg.* 1 *Cod. De praescript.* 30. *vel.* 40. *annor.* = Cum vero ipsa *Lex.* 2 *Cod. de Resc. vend.* de venditoribus tantum loquatur, acriter a DD. impugnatum fuit, quod ipsius censura procedere posset favore emptorum. Sed contrarium habet *Glossa Leg. ipsius* 2, *et Gloss.* altera *in Cap. Cum causa in* 6 *De vendit.*, quas sectati deinde sunt selectiores Juris Civilis Interpretes; Canonistæ omnes, et S. Nostrum Auditorium, præcipue *in Civitatis Plebis Læsionis* 7 *Februarii* 1817 *coram Piccolomini*, qua constitutum fuit emptorem læsum dicendum esse; quoties rem emptam ultra duplum solverit.

3 Gravis deinde exarsit controversia, an præcitata *Leg.* 2 *Cod. de Resc. Vendit.* de contractibus emptionis venditionisque loquens, et porrecta deinde ad alios *bonæ fidei* contractus *argum. Leg.* 3 *Cod. Comm. utriusque jud.*, protendi etiam posset ad contractus emphyteuticos: et in acri DD. disputatione benignior in Foro invaluit opinio, quod beneficium ipsius *Leg.* 2 procedere etiam deberet in emphyteusi quoties redditus fundi non sufficiant ad explendam conventi canonis solutionem, dummodo læsio ista ex adhibito dolo, vel circumventione intercesserit in emphyteusis exordio. Si vero absque emphyteutæ culpa ex improviso contingerit ipsa læsio temporis progressu, præsto tunc est *Lex* 1 *Cod. de Jur. Emphyt.*, quæ emphyteutæ jus tribuit petendi canonis remissionem *si ei nihil reliquum permansit.* Quæ verba benigniori interpretatione Bartolus explicavit, novam inducens disciplinam, nempe, quod, posset emphyteuta ipsam petere canonis reductionem quoties tanta emerserit clades in ipsa re emphyteutica, ut ipsius fructus superexistentes satis haud sint ad pensionem solvendam.

4 Cum vero in prima hypothesi procedat ipsius emphyteusis rescissio; in altero autem casu haud rescindatur contractus, sed solummodo ad æqualitatem reducatur canon, jure meritoque Patres mei graviter dubitarunt an recte a Rotali Sententia, et a præcedenti mea Decisione recepta fuerit Bartoli theorica, ipsiusque legitima fuerit applicatio ad casum, in quo versamur. Æquitativa enim Bartoli interpretatio specialem casum considerat, quod in re emphyteutica imminutio aliqua ex improviso obvenerit absque culpa ipsius emphyteutæ. At in casu, cum Perugini minime probaverint rei emphyteuticæ imminutionem, patens erat perperam ab iis petitam fuisse canonis reductionem, et minus recte ipsam reductionem admissam fuisse ad tramites invocatæ Bartoli theoricæ. Proinde, si non obventam rei imminutionem; sed ob vitium præexistens usque ab exordio initi contractus canon conventus excedere reperiatur redditum ipsius rei, tunc procedere haud potest memorata theorica Bartoli, sed *Lex* 2 *Cod. de Resc. Vendit.*, de qua superius loquuti sumus.

5 Quibus ex rebus videbatur minus recte in præcedentibus causæ propositionibus, prætermissa indagine an redditus bonorum dimidium attingerent canonis solvendi, admissam fuisse petitam ipsius canonis reductionem ex sola *facti* circumstantia, quod rei emphyteuticæ fructus impares reperirentur canoni repræsentando, etsi nulla prædii clades



Digitized by Google

obventa fuisset. Quæ conclusio male etiam variis fulcita apparebat auctoritatibus. Bartolus enim, eum canonis reductionem admiserit in casu imminutæ rei emphyteuticæ, perperam citatus videbatur ad comprobandam justitiam ipsius canonis reductionis in altero casu maxime diverso, quod ab initio læsio intervenerit, de quo ipse minime loquitur. Pejus etiam invocabatur Emerix *Votum*, quia, prout ipse fassus est, in eo retulit peculiares ponderationes contendentium, quæ nihil in jure relevare possunt, prout tunc ipsamet S. Rota constituit, cum *in Decis.* 1186 *coram Eodem*, posthabitis iisdem ponderationibus, declaraverit = *non esse locum reductioni, neque dimissioni, nisi probata læsione in causis particularibus* = Propositæ solus Zanchius favet thesi, cum reapse læsionem admiserit quoties fructus non sufficiant ad solvendum canonem *tract. de Læsione part.* 2 *cap.* 8 *num.* 94. Sed Auctores, ad quos se refert ipse *Zanchius*, e contra probant haud veram esse panditam ejus doctrinam.

5 Demonstrata ex hisce videbatur necessitas jugiter retinendi distinctionem inter casum *laesionis* existentis ab initio initi contractus, et casum, a læsione omnino diversum, *interitus* rei emphyteuticæ postea obventi. Dum ex indueta æquitativa Bartoli interpretatione redditio canonis specialiter admittitur in secundo casu quoties redditus sufficere haud videatur ad ipsius solutionem, e contra in primo casu DD. omnes, et selectiores interpretes, nec non Sacrum N. Auditorium, constanter docuere læsionis querelam non concedi, nisi ad formam *L.* 2 *Cod. de Rescind. Vendit.*, *Constant ad Stat. Urb. Annot.* 46 *Art.* 2 *num.* 162, *Donell. Comm. in Cod. Tit.* 44 *Lib.* 4 *Cod. de Rescind. Vendit. Leg.* 2 *num.* 55, *Gobius Cons. Dec.* 24, *Surd. Cons.* 197 *num.* 3, *Cavarr. Pract. Quæst. Cap.* 30 *num.* 1 *vers. Quamobrem*; *Menoch. De Arbitr. Cap.* 76 *num.* 5, *Valasch. Juris Emphyt. Part.* 1 *Quæst.* 11 *num.* 7 *vers. Sed quamvis*; *Gratian. Discept. Foren. Cap.* 57 *num.* 8; *et S. Rota in Romana Remissionis Affictus* 19 *Jul.* 1598 *cor. Corduba*: *Dec.* 235 *num.* 5, *Dec.* 338, *et Dec.* 468 *num.* 11 *et* 13 *Part.* 14 *in Rec.*; *Dec.* 422 *num.* 5 *cor. Coccino*; *Dec.* 398 *num.* 1 *cor. Lancetta*; *Decis.* 31 *num.* 4 *cor. Herzan.*; *Dec. Nullius, seu Carrarien. contractuum* 29 *Novemb.* 1786 § 9 *cor. Bussio*; *Romana Associationis* 5 *Julii* 1771 § 10 *coram Origo*; *et in Confirm. diei* 11 *Maii* 1772 § 5 *cor. Ratta.* Nil proinde aliud supererat nisi quod exploraremus an reapse fructus emphyteutici tanti essent, ut nec sufficerent ad solvendum dimidium canonis conventi.

At inutilis omnino, et potius academica evaserat juris disquisitio, statim ac Camerinensis Brephotrophii Moderatores ultro sponteque in præsenti controversiæ valedixerant juridicæ disceptationi super modo probandi læsionem, cum ad nudum, simplex factum hodiernum jurgium reduxerint, nempe ad videndum an prædiorum emphyteuticorum redditus reapse annuus constitutus canon excederet. Quod in casu contingere dubitari nequaquam potest. Reapse hunc excessum constituit peritus judicialis Gabrielli, cujus peritia in pretio baberi debet, præcipue quia conformis reperitur alteri relationi præcedenter ab altero perito Nicolardio expletæ, quam etiam quia consona reperitur rationibus exhibitis a Canonico Rossetti, qui ante bonorum concessionem in emphyteusim bona ipsa administravit. Ipsius relationis veritatem tandem comprobat Moderatorum ipsius Hospitalis silentium, qui nunquam Libros administrationis proferre voluerunt, quod haud facere neglexissent, si ex iis constituti canonis justitiam probare potuissent. 6

Nec urgentis hujusce inductionis robur infirmare valet nuperrima Bartolini peritia de mandato Sacri Nostri Ordinis confecta. Ipsa enim in ea parte, quæ prædiorum redditus *in actu* respicit, constituit de anno 1788 favore emphyteutarum annuum compendium sc. 168, quod vero in auras abiit ob detractiones necessario expleudas quoad præstitutam colligendorum fructuum 7

quantitatem, et quoad pretium eisdem fructibus a perito attributum. Quod autem peritia constituit circa fructus *in potentia* attendi nullimode potest, quia peritus non consideravit industriam, ut ex communi consnetudine agendum fuisset, sed rationem dumtaxat habuit *– della potenza medesima sotto il regime di una industria più raffinata, non comune al maggior numero dei coltivatori, ma propria soltanto dei più ingegnosi ed esperti –*; quod omnino facto deprehenditur contra mentem Sacri Nostri Ordinis, qui, dum voluit, ut redditus emphyteuticorum prædiorum æstimarentur *in potentia*, eo tantum consilio hoc præcepit, ut nimirum innotescere posset utrum ex ignavia emphyteutarum, negligentique cultura per eos adhibita, redditus minor esset eo, quod ipsi quotannis canonis nomine directo dominio rependunt.

8 Cum igitur ex ipsamet Bartoliniana peritia, ab incursis erroribus depurgata juxta observationes a Bianchinio extrajudicialiter expletas de Peruginiorum mandato, appareat quoque, uti factum incontroversum, reapse canonem exuperare redditum ipsorum prædiorum; et cum ab hujusce facti inspectione contendentes pendere faciant admissionem petitæ canonis reductionis, jure meritoque proinde Patres mei, huic facto inhærentes, seposita qualibet juris inspectione, putarunt jam decretam canonis reductionem iterum confirmandam esse, eamque calculandam a die obmotæ litis.

9 At Patres mei, dum intentioni favebant Peruginiorum, qui huc usque ab initio læsivam conclamarunt initam emphyteusim, recte perpendebant, quod invocati juris censuram respuere ipsi nequibant in ea parte, quæ eorum votis contraria esset. Videbant ipsi, quod firmum retinere emphyteutæ non poterat contractum, cujus pacta observare recusant. Et, cum in contractibus omne correspectivum esse debeat, jure meritoque advertebant nequidquam posse initum contractum in parte consistere, et in parte corruere. Proinde, ne iniqua Brephotrophio conditio inferretur, constituerunt, quod ejusdem Moderatoribus jus sit optionis, ita ut ipsis liceat a contractu resilire, quatenus canonis reductionem admittere nolint.

Contra autem hanc æqnitativam Sacri Nostri Ordinis resolutionem perperam objiceretur locum esse non posse in casu demandatæ optioni, ex ratione quod Perugioniorum opera aucta fuerit emphyteuticorum bonorum cultura. Nil enim impedit quominus oxtantia melioramenta babeat quidem Brephotrophium, sed in correspectiviratem obstrictum ipsum esse debeat sarcire emphyteutis Peruginiis jacturam, quæ hisce ob interceptum contractus cursum obvenire possit. 10

Et ita in acri Partium conflictu decisum fuit etc.

---

## CENTUMCELLARUM

### EXEQUUTIONIS TRANSACTIONIS SEU PECUNIARIA

*Lunae* 2 *Maii* 1836.

### ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

#### SUMMARIUM

1. *Mandans, et Mandatarius unam legalem personam constituunt.*
2. *Res-judicata oritur ex Sententia, quae contradicentibus accepto habita sit.*
3. *Qui liti renunciat, singulas expensas reficere debet.*

### DECISIO DV.

Bartolomaeus Bustelli, qui tam proprio, quam sociorum nomine, mercaturam Centumcellis exercet, anno 1828 rubra centum tritici emit ab Angelo et Dominico Antonio Fratribus Dasti, convento pretio scutorum duodecim pro unoquoque rubro, quod in continenti solvit, etsi mercis traditio post quadrimestrem explenda fuisse. Cessit dies consignationis, sed venditores Dasti,

Digitized by Google

qui redempturam exercebant furnorum Cornetanorum, cum ad adimplendam susceptam obligationem imparatos sese cognoscerent, non solum ob ipsius mercatoriae rationis lenitate consignationis dilationem obtinere, sed ab ea insuper acceperunt alia rubra sexaginta, pacto convento, quod in frumentatione insequentis anni eidem debitores Dasti restituturi forent quantitatem rubrorum 175

Iterum adventa die, qua ea frumenti 175 rubra erant restituenda, impares fuere fratres Dasti exequendo susceptam obligationem. Ex dreditoris indulgentia obtinere ipsi valuerunt, quod tradituri frumenti emptores ipsi fierent, et pro conventi pretii solutione collybisticas obsignarunt literas, quae novum specimen adversi eorum animi præbuere. Ad remorandam enim ipsarum literarum solutionem coram Judice Bustellios rapere haud erubuerunt sub prætextu, quod læsivum fuisset constitutum tritici pretium. In silentio ipsius rationis mercatoriæ favorabile obtinuerunt Decretum, quo vero, conscii mali sui juris uti haud voluere, præferentes amica transactione rem componere.

Die itaque 10 Januarii anni 1821. solemne stipulatum fuit transactionit Instrumentum, quod obsignatum fuit ab Æconomo, interim Dastiorum patrimonio deputato a Sanctissimo Principe. Ex communi eo placito constis tutum fuit nomen in quantitate scutorum 2200, exolvendum intra biennium, depactis interim fructibus ad rationem *sexunceai* pro quolibet centenario. Gratissima fuit inita concordia fratribus Dasti, qui eam executioni quam cito tradiderunt persolutis scutis 1396 6 ½ in partiariam sortis diminutionem, et scutis 288 25 pro conventis fructibus. Persolvenda tantum superant argentea 883 93 ½ et respondentes usuræ: Sed tergiversari cœperunt debitores inficiantes ipsius crediti existentiam, et in discrimen adducentes initæ concordiæ firmitatem. Qua de re coacta fuit mensa nummularia coram Centumcellarum Tribunali Debitores Dastius rapere, ut sibi facultas fieret ex Judicis ministerio illam recipere residui crediti solutionem, quam inutiliter urbanis officiis eousque petierant. Sed cum contrariam mensa ipsa experta fuerit ipsius Tribunalis Sententiam, provocavit ad S. Nostrum Ordinem, coram quo judicii alea immutata est. Reapse *die 4. Julii anno* 1825 Ponente Rmo P. D. Meo Spada, nunc amplissimo S. R. E. Cardinali, cum duæ propositi fuerint dubii formulæ, altera nempe = *An constet de nullitate transactionis in casu* = et alia = *An, et in qua summa constet de credito, itaut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = priori = *Negativum* responsum datum fuit, dum secundo rescriptum fuit = *Affirmative, et esse relaxandum mandatum in summa scutorum* 876 8 ½

Fracti Fratres Dasti adquiescere constituerunt resolutioni Sac. Nostri Auditorii, et ad hunc effectum speciale remiserunt mandatum eorum procuratori, qui ad ipsius tramites solemnem in actis emisit renunciationem duabus illis causis, acceptoque habuit, nomine committentium, utraque memorata rescripta, pandita a S. Nostro Ordine, expromissa, non tantum debiti solutione, quam expensarum omnium refusione. Sed cito novissimæ hujusce obligationis obliti sunt debitores. Perperam Fratres Bustelli, qui ob interceptam litem quolibet carebant executivo mandato promissionis executionem comiter petierunt a debitoribus, iisque ad plures migratis, ab Angeli filiis Josepho, et Paulo. Fracta tandem eorum patientia, iterum in arenam descenderunt, et Patrum definitioni proponere hoc mane curarunt dubii formulam = *An sit locus solutioni scutorum* 876 8 ½ *et refectioni expensarum, ita ut sit relaxandum Mandatum in casu etc.* = cui datum responsum fuit *Pro Informante* = *nempe* = *Affirmative* in *omnibus* = Dastiis vadimonium deserentibus.

1 Accurata jam exposita factorum series, et silentium ipsorum fratrum Dasti, adeo certum, indubiumque effi-

eiunt creditum instantis mensæ, ut quælibet exulet necessitas argumenta enucleandi ad ipsius comprobandam existentiam, atque quantitatem. In quolibet enim casu constitutum indubie fuit ab ipso Nostro S. Auditorio, usque a *die* 4 *Julii* 1825. cum proposito dubio rescripserit, in Partium conflictu, constare favore mensae nummulariae de credito in summa scuturum 876 8 ½ Nec utique revisioni subjecta dici hodie potest illa definitio, cum solemnissime aprobata deinde fuerit ab iisdem debitoribus, qui, Rescripti justitiam bene cognoscentes, speciale Romæ transmiserunt mandatum suo procuratori, ut solemnem in actis remitteret renunciationem litibus, illucusque actis eorum nomine, tam contra initæ transactionis validitatem, quam contra crediti existentiam. Cum mandato religiose paruerit eorum Procurator; cum hic accepto habitis S. Nostri Auditorii Rescriptis, confessus fuerit, committentium nomine, eorum debitum in præstituta illa quantitate sc. 876 8 ½ præter expensarum refusionem, patens est, quod amplius eisdem fratribus Dasti, eoruve filiis, et hæredibus, licitum hodie esse haud possit propriam, ac suorum actorum impugnare confessionem, proprioque, et auctorum contradicere facto; quia, uti ab iisdem gestum, retinere oportet quidquid per eorum procuratorem actum fuisse appareat, ad tramites transmissi mandati, ex ratione, *unam* legalem personam constituere mandantem, et mandatarium ad textum *in Lege Filia ff. de Condit. et demonst. §. fuerat*: ac passim *S. Rota in Ravennaten. Pecuniaria* §*t* 5 *coram Marco*. *et in Perusina Reductionis* 13 *Maii* 1803 §. 3 *coram Cesarei*.

2 Constituto itaque renunciationis facto, legitime per fratres Dastios emissæ memorialis Judiciis pendentibus coram Sac. Nustro Ordine, altera Juris regula consurgit, quæ eisdem ac ab iis causam babentibus, vetat iterum suscitare jurgia, quæ exemissa renunciatione suum viderunt exitum. Nemini enim ignotum est remjudicatam oriri ex Sententia, quæ contradicentibus accepto babita sit. Hoc enim non tantum præscribitur a §. 913 vigentis Praxis Judiciariæ, quam ab ipso Civili Jure, *ut ex Textu in Leg. fin. Cod. de Edicto D. Adriani tollend.*, *et S. Rota in Romana Immissionis in specie* 13. *Januarii* 1762. §. 3 *coram Elephantutio*; *in Firmana Immissionis quoad bona fideicommissaria* 8 *Junii* 1821 §. 4 *coram Emo Marco*. Cum vero in foro tritissimum sit rem judicatam pro veritate haberi, eamque facere jus irretractabile inter Partes, facile videbatur quod receptissimam hanc juris censuram firmissimam habere oportebat in casu, quia ex postulatione ipsorum fratrum Dast orta fuerat illa res judicata, *Leg. Ait*: *Prætor* §. 5. *Si Judex ff. de reb. Jud. Leg. Precum Cod. De Liber. Caus.*, *et S. Rota præcipue in Decis.* 60. *num.* 9. *coram Consalvi*, ita ut nulla hodie adesse possit difficultas, quominus ad tramites ipsius rei judicatæ petitum relaxaretur mandatum pro illa concessa nominis quantitate in summa scutorum 874 8 ½

In decernenda autem ipsius mandaii 3 expeditionem præ oculis etiam haberi omnino debebant expensæ judiciales, quibus causam præbuere ipsi fratres Dasti. Cum utraque S. N. Auditorii rescripta diei 4 *Julii* 1825 plenissimam tribuerint victoriam mensæ mercatoriæ, rejectis cunctis exceptionibus ab opponentibus Dastiis prolatis, æquitati, et justitiæ congruum omnino videtur, quod judiciales expensæ per victos fratres reficiendæ sint victrici rationi in ea quantitate, quæ ex liquidatione peragenda justa apparebit. Hoc enim descendit, tam ex aperta sanctione textus in *Leg. Properandam* 13 §. *sive autem Codic. de Judiciis*; quam perpetuo retinuit S. Noster Ordo *teste Decis.* 393 *num.* 2 *coram Ansald. decis.* 8 *num.* 1 *coram Emo Consalvi*, *et Romana Expensarum* 28 *Februarii* 1823. §. 2 *coram Emo Marco*; quam ex peculiari emissæ renunciationis circumstantia, cum in casu patula sit censura *Art.* 915 vigentis Praxis Judiciariæ, quæ præscribit, = *che il renunziante*

*in virtù dell' atto di renunzia debba ritenersi come condannata a pagare le spese in favore dell' altra parte* = Firmiorem autem ipsam præscriptionem efficiebat explicita ipsorum fratrum Dasti promissio in actu ipsius renunciationis emissa, reficiendi scilicet expensas = *de jure refattibili* = seu expensas omnes eidem rationi mercatoriæ occursas ex debitorum mora, ac facto, cum a Leonina Lege, tempore emissæ renunciationis vigente, sub *Art.* 636 sublata fuerit quælibet distinctio = *fra funzioni, e spese giudiziali e stragiudiziali* =, et cum attendi tantum deberet = *la tassa stabilita dalla Legge, salve le particolari convenzioni.*

Et ita. Altera tantum.

---

## FIRMANA

### ACTIONIS HYPOTHECARIAE

*Veneris* 22 *Jannarii* 1836.

### ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Qui praedium legitimae hypothecae obnoxium comparavit, tenetur vel debitum parata pecunia dimittere, vel fundum pati sub hasta licitari.*
2. *Ex solis publicis hypothecariis tabulis, liquet utrum hypotheca inscripta, legitime per renovationem conservata fuerit.*
3. *Hypotheca super integro latifundio inscripta, nequit ex sola voluntate debitoris, ad ejus tantum partem cohiberi.*
4. *Non una in censue tabulis adnotatio sat est, ut emptor a futuris hypothecis subtrahatur, sed necesse est ut in hypothecarios codices dominii expleatur transcriptio.*

### DECISIO DVI.

Latifundium in Firmano agro; ad jugera assurgens circiter trecentum quinquaginta sibi Franciscus Savini ex rejudicata quæsiverat anno 1779. Duobus illud prædiis componebatur: alterum sub nomine = *S. Michele* = alterumque = *Monte Marino* = Ipsum hoc autem Latifundium, quod in censuariis tabulis anno 1778 confectis sub uno tantum nomine = *di S. Michele* = integre designabatur, dum latæ in Piceno hypothecariæ leges anno 1811 fuerant Eugenius Francisci filius speciali hypotheca per solemnes tabulas devinxerat, favore fratrum Erioni, quorum debitor ipse incedebat, ad præclaram vim argenteorum 2400, sub usura sexunci, veluti assurgebat, altero ex instrumento anni 1809. Haud desides Erioni fratres suam hypothecam ad tabularium detulerant inscriptione requisita = *Sopra una possessione posta nel Circondario di Fermo Contrada S. Michele* = quam debitis temporibus legitime semper renovarunt. Versa sed deinde in pejus Saviniorum fortuna; ut alieno suscepto æri faceret, Eugenius satis Latifundium ipsum per venditionem transtulit in emptores diversos.

Impar hoc ipso evaserat, ut depactas cum Erioniis usuras rependeret nomenque restitueret. Caput itaque una cum iis solutis fructibus, ut isti recuperarent hypothecaria instituta actione, tertios devincti sibi Latifundii possessores pulsarunt. Alii fasces ultro submiserunt, cum vero Dominicus Borghini, Joannes Vagnozzi atque hæredes Hyacinti Uva resisterent impensissime vadimonium tenuerunt penes R. C. Auditorem, quo coram actionem suam Erionii fratres experiebantur. Acceptam post relationem periti ab so deputati, tulit judex ille sententiam, qua Hyacinti hæredes hypothecaria actione teneri. Joannem vero Vagnozzi pro una tantum acquisiti prædii parte pronunciavit, absoluto e contra Dominico Borghini. Interjecta ex appellatione conscendit ad S. N. Ordinem causa, atque hodie mane, dum ego deducentibus sua jura fratribus Erioni concinnatum Dubium = *An constet de credita, et hypotheca, ita ut sit locus subhastationi in casu etc.* = in Aula proposui, deserto vadimonio super principali actione, Hyacinti hæredes contendebant fieri locum causae propositioni haud posse, eo quia

non omnes in appellationis judicio starent Latifundii possessores; Joannes autem Vagnozzi, ac Dominicus Borghini, ulterius postulabant, uti inconcinnam, prout ipsi asserebant dubii formulam PP. DD. reformarent. Verum despectis protelateriis hisce postulatis, responsum accepi = *Pro informantibus* = nempe = *Affirmative in omnibus* =.

1 Et recte quidem. Quod enim hypothecariam effugere actionem tertii possessores nequeant, dum qui illam exercet certa, legitimaque hypotheca fulcitur docuit semper S. hoc Nostrum Tribunal, præcipueque *in Fonen. Subhastationis* 4 *Julii* 1817 § 3 *coram Zinanni atque in Perusino actionis hypothecariae* 22 *Julii* 1832 § 5 *cor. Me.* Cujus quippe actionis vis est, atque efficacia, ut qui prædium legitimæ hypothecæ obnoxium, inscite, vel incuriose comparaverit, necesse habeat, urgente creditore, vel debitum parata pecunia dimittere, vel fundum pati subbasta licitari, ut illius ex pretio creditor hypothecarius quantum sub hypotheca tenet, tantum adamussim recipiat. *Cod. Leoninus lib.* 3 *Art.* 346 *Tit.* 13 *Codex Gregorianus Art.* 1456 *S. Rota in citat. Fonen. Subhastationis coram Zinanni* § 4 *in Veliterno* 4 *Junii* 1819 § 11 *cor. Emo Morco, et in Ferrarien. Subhastationis* 12 *Martii* 1832 *cor. R. P. D. Meo Zocchio.* Quamobrem qui prædium ab Eugenio acquisierant legitima hypotheca pro Erioniis fratribus, pro tutissimo eorum credito mancipatum damnandi, etsi tertii possessores ex jure erant, nisi debitum prompte dissolverent, ut Latifundii subhastationem paterentur.

Nec rite ambigere de credito, vel hypotheca tertii possessores valuissent. Creditum ex publicis instrumenti tabulis liquidissimum assurgebat. Hypotheca legitime inscripta ac servata integro super Latifundio ab Erioniis fuerat. Præsto ad hoc erat publici hypothecarii tabularii fides unde proclamata inscriptio, ac deinde semper legitimo tempore conservata videbatur = *sopra una possessione posto nel Circondario di Fermo Controda S. Michele* = qua super specialem hypothecam per tabulas anni 1811 Eugenius adpromiserat. Hæc autem possessio, cum ea ipsa esset post contractam, inscriptamque hypothecam in tertios per Eugenium venditione translata, rite illam hypothecarii creditores Erionii pro suo credito impetebant. Contra hæc autem undique evidentissima, non esse attendenda PP. DD. merito ponderabant, quæ tertii possessores forsan attulissent, si indicto extitissent vadimonio. Ineptum enim foret contendere prædium ab istis possessum non esse illud hypothecæ mancipatum, ex quo cecidit hæc in prædio = *S. Michele* =; Tertii autem possessores alterum tenebant = *Monte Marino* =. Cum enim ex census tabulis ex peritorum fide ex mensura soli, certissimum evaderet prædia illa duo, quæ integrum componebant Saviniorum Latifundium venisse dein sub uno tantum nomine = *S. Michele* = comprehensa, ac in census tabulis designata hypotheca, sub qua Eugenius creditoribus dedit prædium = *S. Michele* = unum alterumque prædium obligationi mancipaverat, quin ulla facienda nominis discriminatio per captiunculam esset.

Et reapse, quæ confinia prædium = *S. Michele* = in census tabulis præfinicbant, ea ipsa erant, quæ utrumque prædium sese intra continebant qui tertii hujus prædii possessores nunc incedebant, inibi possessores designabantur unius praedii = *S. Michele* =: nulla amplius in census tabulis post annum 1778 nominatio reperiebatur alterius praedii = *Monte Marino* =. Ex quibus recto colligebatur depactam ab Eugenio hypothecam in praedio = *S. Michele* = unum, alterumque comprehendere eorumque tertios possessores ipsa illa hypotheca incedere obnoxios. Dixerint autem quidquid voluerit Eugenius venditor, atque emptores, dum praedii partes comparabant, quod fieri per verba, in fraudem hypothecae forsan emissa, nequaquam fieri poterat, ut rei natura immutaretur, atque hypothecam, quae integro cubabat super Latifundio, ad unam ejus partem cohiberetur. 3

Nec esset attendendum, quod de hypothecae nullitate mussitaretur, ex quo 4

Digitized by Google

in hypothecae inscriptione servata haud fuerit praescriptio legis transitoriae in Piceno latae ad diem 28 *Octobris* 1808. Quum enim lege isto regerentur inscriptiones peragendae ante Gallici Codicis promulgationem, Erionorum hypotheca, quae fuerat post latum codicem illum inscriptioni commendata, non obtemperanda ad illius praecepta, sed unius codicis regenda legibus erat, quibus cum rite fuerit obtemperatum, incassum de nullitate tertii possessores quererentur inscite. Quin utilius isti dictitarent; At dum contracta hypotheca in census tabulis translatum jam dominium ab Savinio in nosmetipsos fuerat. Verum non una in census tabulis adnotatio sat est, ut emptor ab futuris hypothecis subtrahatur, sed necesse est ut in hypothecarios codices dominii expleatur transcriptio. *S. Rota in Bononien. seu Faventina Pecuniaria* 23 *Junii* 1817 § 14 *coram Emo Odescalchi, atque in Romana Pecuniaria* 16 *Januarii* 1818 § 6 *coram Emo Tiberj*. Cum igitur ipsi transcriptionem haud peregerint nisi anno 1817 effugere hypothecam nequeunt, Erionii legitime inscripserant longe antea nempe anno 1812. Quæ omnia cum vindicarunt institutæ ab Erioniis fratribus hypothecariæ actionis justitiam, baud par erat illius effectus intertinere, sub obtutu ad inducias captandas excogitato, quod non omnes adessent in præsenti appellationis judicio tertii Latifundii possessores. Hi quippe si voluissent, adesse potuissent utique, cum in prima actione vadati legitime fuerint, eisque nota interjecta provocatio esset. Non aderant ergo, quia eorum hæc non intererant. Quod si aliorum interest ut sistant præsenti hoc in judicio, vocent eos, veluti fas erit semper, dum alteri causa suberit experimento.

Atque ita etc. Unica etc.



# FIRMANA IMMISSIONIS

*Lunae* 11. *Januarii* 1836.

## ARGUMENTUM

Remoranda non est immissio ad bona haereditaria, statim ac patens appareat instantis vocatio, et plene probetur diem cessisse suae vocationis. Juxta gallorum leges, receptissima erat regula, quod testamentum etsi nullum esset, tam ob defectum formae, quam ob personam testatoris, nequibat tamen amplius impugnari, quoties sciens et prudens haeres illud executum fuisset.

### SUMMARIUM

1. *Heres debet statim immitti in possessionem hereditatis, si testamentariae tabulae nullo apparenti vitio laborant.*
2. *In morientium elogiis attendi non debet sonitus verborum, sed inspicere oportet substantia veritatis.*
3. *Sub imperio legum gallicorum, integrum evertebatur testamentum, in quo comprach sasa reperiretur substitutio.*

   *In ambiguis semper pro testamenti validitate est respondendum - ibidem. -*
4. *Diuturna haeredis observantio, et subsequens ejus spontanea agnitio, valde conferunt ad interpretandum testatoris voluntatem.*

   *Si heres, declaratione sua firmitatem testamenti recognovit, qui suo jure ob eo mititur, ipsius declarationi controdicere non potest - ibidem. -*
5. *Ad tramitem gallicarum legum, testamentum etsi nullum esset, tam ratione formae, quam ex testatoris persona, validum nihilominus dicebatur, si heres cum causae cognitione illud executum fuisset.*

   *Res-judicata prolata quoad testamentum, facit statum adversus omnes - ibidem. -*

   *Exceptio nullitatis testamenti, non retardat judicium immissionis - ibidem -*
6. *Onus conservandi bona haereditaria, eaque restituendi, requiritur ad constituendam substitutionem.*
7. *Sunt omnino secernendae conditiones, quae fideicommissorium onus inducunt, ab eis, quae nullum continent onus restitutionis*
8. *Nunquam est ratio habenda, de quaestionibus, quae extraneae sunt propositae dubii formulae.*
9. *A die quo ususfructus cum proprietate consolidatur, jus oritur condicendi fructus.*

## DECISIO DVII.

Gallis adhuc imperantibus, communi cedens fato Sacerdos Joseph Barbaros-

Digitized by Google

sa extremum suum condidit elogium, in quo accrescendi jure præstituto, hæredes scripsit suas germanas Sorores Franciscam et Laurentiam, quas declaravit = *padrone e signore* = cum facultate alienandi, et permutandi, = *con patto, e condizione, che restando Erede Lorenza, e potendo mutare stato, allora in quel caso voglio, che tanto l'usofrutto che il capitale vada, e ritorni a favore di chi nominerò* =. Procedens deinde ad hujusce nominationem = *in tutto quello che potrà rimanere dopo la morte delle dette mie germane, nomino e chiamo ora per allora Erede universale il mio diletto Nipote Clemente, al quale ordino di restituire dopo la morte delle ridette Sorelle il legato a Leon Giacomo mio Nipote etc.* =.

Diu Sorores pacifice fruitæ sunt delata hæreditate, quæ tandem integra coaluit in superstitem Laurentiam. Hæc Deo multo antea dicata ex restituto rerum publicarum ordine ad monasticam vitam redire cum haud amplius prohiberetur, coram Tabellione, et testibus die 23 Maii anni 1829 ingenue confessa est, se ab anno 1812 institutam fuisse a fratre Josepho = *Erede usufruttuaria soltanto di tutti i di lui beni* = quia = *erede proprietario* = institutus fuerat = *il Signor Clemente Barbarossa di lui nipote* =. Et cum interim quoad ipsam declarantem casus contigerit = *di mutazione di stato contemplato dal Testatore dichiara ed intende di non aver più alcuno interesse nella eredità, la quale per la seguita morte della Sorella Francesca si è consolidata nel nominato Signor Clemente* =. Proinde liberum eidem admisit jus capiendi possessionem ipsius hæreditatis, et plenum sibi addicendi ipsius usumfructum = *col procedere alla sua intestazione nei libri Censuali, e far tutt'altro che conviene ad un legittimo erede* =.

Expleverat Clemens hæc omnia, sed brevi gravisus est adepta bonorum possessione. Eum enim deturbarunt Conjuges Quintiliani qui ex juribus Aloysii Barbarossa alterius ex fratribus præcitatæ Laurentiæ in vim cujusdam renunciationis ejus favore ab illa expletæ usque ab anno 1777 ei vadimonium dixerunt coram Auditore Archiepiscopalis Curiæ Firmanæ ad aupiendum instantes immitti in realem possessionem bonorum hæreditariorum *ad effectum illis fruendi modo, et forma quibus fruita esset Laurentia* =. Favorabiliter excepit eorum instantiam Judex Firmanus, cujus Sententia in rem judicatam abiit ob omissam appellationem cum Clemens eisdem oppugnare haud crediderit concessum usum fructum.

Ad extremum tandem suæ vitæ pervenerat Laurentia tunc egit Clemens coram eodem Auditore ad recuperandam bonorum possessionem. Acriter eis obstiterunt præcitati Conjuges Quintiliani proponentes nullitatem testamenti Sacerdotis Josephi quia vetitam a Gallicis legibus contineret fideicommissariam substitutionem. Sed Judex ille, despecta nullitatis querela, amica Sententia admisit Clementis petitionem. Ex interposita Appellatione illius judicatum revisioni S. Nostra Auditorii delatum fuit, et proinde, cum hac mane PP. Meos rogaverim = *An sit locus immissioni, et restitutioni fructuum in casu etc.* incunctanter responsum accepi = *Affirmative in omnibus* =.

1 Elementare est in Jure quod removenda non sit immissio ad bona hæreditaria, statim ac patens appareat instantis vocatio, et plene probetur diem cessisse suæ vocationis. De utraque autem dubitari nequidquam poterat in casu, cum pacificus esset obventus Sororum interitas et testamentariæ proferrentur tabulæ nullo apparenti vitio infectæ, nec de falso incusatæ, quæ in genere et quacumque se posita secundaria inspectione, satis sunt, ut hæres immittantur in possessionem hæreditatis *ad textum in Leg. final. Cod. de Ediet. D. Adr. toll. et S. Rota in Decis. Camerinen. Fideicommissi* 28 *Aprilis* 1747 § 3 *cor. Bussio, Romana Immissionis* 11 *Januarii* 1765 § 4 *coram Giraud, et in Tuscanen. Immissionis, seu Reintegrationis, et Restitutionis Fructuum* 23 *Martii et* 22 *Januarii anni* 1835 § 2 *cor. R. P. D. Mco De Retz.* Perperam proinde contradicentes Conjuges, variis ad-

ductis adminiculis, omnino extraneis in hac Sede judicii, Clementi inficiabantur vocationem, quæ pleno probata aliunde videbatur ex litera ipsius testamenti ex observantia et confessione Laurentiæ, nec non ex judiciali ipsorumque Conjugum agnitione. Incivile prorsus PP. Meis ideo videbatur quod ipsi studerent proprium subvertere factum et directe subsistere confessione Laurentiæ a qua repetunt jura cum quibus pugnet in præsenti judicio.

2 Patula autem ex testamento videbatur Clementis vocatio, dum aperte in eo legitur = *nomino e chiamo ora per allora erede universale il mio diletto Nipote Clemente al quale ordino di restituire il legato* =. Quæ verba *nomino e chiamo* nec non subsequens injuncta *legati* præstatio, satis constituunt directam ipsius Clementis institutionem. Nec in contrarium facessit quod in ipso testamento Sorores Francisca et Laurentia a Josepho vocatæ fuerint *Signore e Padrone* cum facultate alienandi et permutandi. Receptum est enim in jure, quod in omnibus humanis actibus, et præsertim in morientium elogiis attendi non debeat sonitus vorborum, sed inspicere potius oporteat substantia veritatis *Card. De Luca Disc.* 25 § 11 *et* 61 § 24 *de regal.* Proinde verba illa congrua intelligenda sunt; et eo referre oportet ad simplicem usumfructum, quem testator eisdem absque ulla limitatione elargiri voluit, illis insuper permittens quod in casu necessitatis ipsamet bona hæreditaria alienare posset firma vero manente super remanentibus institutione Clementis.

3 Quod autem hæc fuerit probabilis ipsius testatoris mens, quod genuina hæc sit ipsius elogii intelligentia planum efficit ipsamet indulta distrahendi facultas. Si enim testator voluisset prout contendunt Conjuges Quintiliani vocatis Sororibus proprietatem bonorum relinquere, se procul dubio abstinuisset ab inutiliter elargienda illa alienandi licentia cum præcipua ea sit dominii attributio ex tritissimo adagio, quod quisque liber sit suæ rei moderator, et arbiter. Quocirca PP. Mei perpenderunt in casu simpliciter tributum fuisse defunctis Sororibus usumfructum, reservata Clementi proprietate, prout etiam colligitur, a dictionum diversitate, qua usus est testator. Reapse ipse, de Sororibus obloquens genericam tantum adhibuit dictionem = *Eredi* = E contra, dum casu prævidit status immutationis Laurentiæ = *in quel caso* declaravit, *voglio che tanto l' usufrutto che il Capitale vada, e ritorni a favore di chi nominerò*. Separata ista capitis, et ususfructus mentio, nec non usa verba = *vada, e ritorni* = satis probant discrimen aliquod sua mente testatorem ipsum concepisse in hæredum vocatione, quo in casu a rigidioribus etiam Hermeneuticæ legibus non aborret juridica præsumptio, quod sororibus, uti ætate majoribus, simplicem usumfructum suæ haereditatis tribuere voluerit testator, dum Clementi, uti juniori, proprietatem reservavit. Favorabiliter haec interpraetatio magis magisque PP. Meis arridebat, quia agebatur de testamento condito sub imperio Legum Gallicarum quibus inspectis extremae Josephi tabulae nullae renunciandae forent, si Clementis vocatio tamquam substitutio censeri deberet, cum scitum unicuique sit ab iisdem legibus integrum everti actum, in quo compraehensa reperitur vetita substitutio. Nutissimae sunt enim in foro juris regulae quod testantium voluntates, plenius interpretari debeant *Leg.* 12 *ff de reg. jur.*, quod in ambiguis pro testamenti validitate semper sit respondendum, monente *Gloss. ad Leg.* 3 *Cod. de inoffic. testam.*, *et Sac. Rota in Decis.* 453 *num.* 13 *coram Molino Decis.* 731 *num.* 6 *corom Molines, Decis.* 13 *num.* 17 *coram Tanora, Decis.* 292 *numer.* 32 *coram Ratto, Decis.* 7 *num.* 6 *coram Eminentissimo Gamberini, Bononien. Testamenti* 18 *Junii* 1830 § *ultim. coram R. P. D. Meo De Retz*; cit. Tuscanen. Immissionis 22 Junii superioris anni *cor. Eodem*: praesertim si vehementes concurrant conjecturae, quae illud confirment.

Nequidquam vero in casu vehementissimæ desiderantur conjecturæ, quæ 4
confirmarent testamentum Josephi. Præ-

sio enim erant diuturna Laurentiæ observantia, et subsequens ipsius spontanea confessio, nec non ipsorumque opponentium Conjugum judicialis agnitio: quæ satis superque sunt ad interpretandam testatoris voluntatem, teste *S. Rota in recent. Decis.* 212 *part.* 3 *tom.* 1 *num.* 7 *Decis. Camerinen. Immissionis in specie* 9 *Novembris* 1727 § 7 *coram Eminentissimo Marco, et in Confirmatoria* 24 *Martii* 1728 § 3 *coram Eodem.* Recolere hic enim juvat quod superius innuimus, scilicet quod monasticam vitam iterum amplecti Laurentia cum vellet sua sponte declarare ingenue haud hæsitavit, se in simplici usufructu hæ edem institutam fuisse a prædefuncto fratre Josepho, qui in proprietate hæredem scripserat Clementem. Si igitur Laurentia testamenti firmitatem recognovit, et ex ideo usumfructum solummodo sibi addictum confessa est, procul dubio prohibentur conjuges Quintiliani, qui sua jura ab ea metiuntur, ipsius declarationi contradicere teste *Leg. cum a Matre cod. de rei vindicat. Gratian. Discept. Forens. Cap.* 50 *num.* 16 *Constantin. Vot. Decis.* 362 *num.* 21, *et Sac. Rota in Decis.* 12 *n.* 8 *coram Emo Marco, Reatina Immissionis* 9 *Junii* 1823 § 7 *coram Eminentissimo Spada.* Quæ juris præscriptio firmissima in casu habenda est, attenta quod ipsi Conjuges de eo tempore ex juribus ipsius Laurentiæ vindicare tantum constituerint ipsum usumfructum judicii ab hoc transmissa instantia contra Clementem, quam favorabiliter Judex excepit. Si igitur Conjuges solemniter de eo tempore fassi sunt sibi non aliud competere, quam simplicem usumfructum, quo insuper per quadriennium, absque ulla querela, usi sunt, si rationi, et æquitate apprime congruit, quod eo jure quisque judicetur, quod aliis dixit vel dici curavit *L.* 1 *ff quid quisque juris etc.* compertissimum apparet, quam inciviliter iidem Conjuges propriæ confessioni resistentes defendant in hodierno judicio et proprietatem sibi competere, contra receptissimam juris regulam, quod amplius displicere non debeat, quod semel placuit, concurrente præcipue ipsius placiti observantia, quæ quemlibet a testamentis, si adsit, removet dubietatem teste *Leg. Hæc autem jure ff de servit. Urb. præd. Card. de Luca de alienat. disc.* 3 *num.* 3; *Sac. Rota in rec. Decis.* 104 *num.* 22 *part.* 18, *et recentius in Faventina Census* 17 *Maii* 1819 § 8 *coram Tiberi, in Sabinen. Immiss.* 11 *Maii* 1821 § 4 *cor. me, et in Anconit. Immiss.* 16 *Junii* 1823 § 20 *et* 21 *cor. me.*

5 Inciviliter proinde, ac inutiliter ab eisdem Conjugibus provocabatur quæstio circa testamenti nullitatem, inspectis etiam Legibus sub quorum imperio tabulæ scriptæ fuere. Ad tramites enim ipsarum Gallicarum Legum receptissima erat regula, quod testamentum et si nullum esset, tum ratione formæ, quam ex testatoris persona, valide nihilominus dicendum erat, quoties cum causæ cognitione hæres voluntarie illud executus fuisset, ad monita *Birett. trattato della nullità part.* 1 *cap.* 2 *sez.* 2 § 11 et ex Doctrina Sac. Nostri Auditorii *in cit. Decis. Tuscanen. Immiss. etc.* 23 *Martii*, *et* 22 *Junii superioris anni* 1835 § 3 *cor. R. P. D. Meo De Retz.* At Conjuges cum exequuti sint ut premonuimus testamentum Josephi, intempestiva proinde, ac incivilis dicendum est exceptio hodie ab eisdem promota circa ipsius testamenti nullitatem. Quod eo magis attendendum esse suadebat facti circumstantia, nempe quod ipsi eodem testamento innixi a Firmano Judice usufructuum tantummodo obtinere valuerit super bonis hæreditariis. At illa sententia Rei judicatæ vires cum adepta sit statutum facit in casu et obstaculi est, quod nullitatis exceptio valide opponi possit cum hodie nequeat nullum declarari quod validum per rem judicatam jam antea fuit definitum, nec possit eadem dispositio partim probari, et partim scindi contra jura in Foro recepta, docente *Bartol. in leg. Aurelius § quia etc. Menoch. de arbitr. Judic. lib.* 3 *Controv.* 1 *num.* 28, *Rocca Dihput. cap.* 42, *et Sac. Rota in Decis.* 652 § 1 *cor. Cerro*, *Dec.* 365 § 5 *cor. Ansaldo Decis.* 323 *cor. Olivatio, et Decis.* 412 *num.* 12 *cor. Ri-*

Digitized by Google

*minaldo*. Culmon tandem imponebat animadversio quod inutiliter in præsenti executivo judicio proponeretur hæc nullitatis exceptio, quæ cum sit altioris indaginis remorari haud certe valet expeditam actionem, qua Clemens instat ad immissionem obtinendam juxta tabulas testamentarias ad *text. in leg.* 2 *Cod. de Edicto D. Adrian. toll.*, et præsius sæpe laudata *Tuscanen. Immissionis* 23 *Martii* § 3 *cor. R. P. D. Meo de Retz.*

6 Nec pondus conjecturarum hoc usque enucleatarum ad firmandam controversi testamenti validitatem *in specie* imminuebatur ex objecta substitutionis existentia. Perspexerunt enim PP. Mei, quod illa neutiquam appareret ex tabulis testamentariis Josephi nec Juridico ullo modo illam evinceret opponentes Conjuges Quintiliani. Et revera hi, dum, literali retento verborum sonitu, acriter propugnabant in proprietate haeredes institutas fuisse sorores Franciscam et Laurentiam minime vero probabant eisdem substitutum fuisse Clementem Gratuitae eorum assertioni insuperabile propugnaculum sperant apertissima verba cum quibus Testator vocaverat *ora per allora* suum *erede universale* = ipsum Clementem. Si igitur hic directe fuit institutus, substitutus idcirco dici non potest; cum per maxime ex jure inter se descriminentur institutio, et substitutio. Accedebat insuper alterum quoque invictum argumentum scilicet quod institutis sororibus impositum haud fuerit a testatore onus conservandi bona, haereditaria, eaque restituendi substituto Clementi, quæ duo ad tramites articuli 891 Gallicae Legis absoluto requirebantur ad substitutionem constituendam prout monuit *Jovillier. loc. cit. num.* 21, ut docuit S. Noster Ordo in pluries laudata *Dec. Tuscanen. Immissionis cor. R.P.D. Meo de Retz* § 7.

7 Caeterum cum versemur in re in qua patens haud apparet asserta substitutio: sed imo interpretatio omnino requiratur ad illam arguendam, absoluta proinde etiam quoad alterum hoc caput videbatur proposita quaestio. Cum enim invocatae Gallicae Leges una cum vetita substitutione corruere etiam praescripserint ipsum testamentum jure meritoque animadversa fuit a PP. Meis necessitas bene discernendi conditiones, fideicommissariam substitutionem inducentes, ab eis, quae nullum continebant onus restitutionis *Grenier de donat. et Testam. sect.* 8 § 9. Proinde firma etiam retenta ad tramites ipsorum Legum, libertate in Testatore uni concedendi usumfructum, et alteri proprietatem *cit. Toullier cit. lib.* 3 *tom.* 5 § 16 attamen nunquam in illa jurisprudentia perpenderunt admissas fuisse conjecturas ad constituendum quod *una disposizione contenga una sostituzione proibita* = quia hoc directe adversaretur induli Gallicæ legis, quæ aliunde præsupponit testatorem = *niente voglia scrivere d' inutile* = prout animadvertit laudatus *Teullier in loc. cit. num.* 25.

At rei conventi cum ex conjecturis ac interpretatione inducere pertentaverint nullitatem testamenti Josephi repulsi idcirco dicendi sunt ab ipsarum Gallicarum legum censura, quæ eo magis firma in casu habenda est, cum præter testamentorum favorem, extranea prepositæ Dubii formulæ omnino videatur disputatio hæc de testamenti nullitate, de qua proinde ratio haberi nequit juxta constantissimam Sacri Nostri Ordinis disciplinam prout monet *Card. De Luca in Relatione Romanæ Curiæ seu Auditorii Rotæ Disc.* 32 *num.* 50, *et ipsa Sac. Rota in decis.* 576 *coram Olivatio num.* 4, *et in Decis.* 55 *num.* 1 *coram Eminentiss. Marco*, præsertim quia se refert ad actum ex contradictorum placito executioni judiciali jam commissum, quod impedit ad tramites etiam Gallicarum Legum inutiliter posse proponi præfatam nullitas exceptionem. *Art.* 1340 *Gallici Codicis Cirret cit. Trattato della nullità part.* 1 *Cap.* 2 *Sez. Granier delle Donaz. e testam. vol.* 2 *part.* 1 § 25 *in fin.*, *Merlin. Repertorio di Giurisprudenza in verbo legato Sez.* 7 *part.* 44 *Edict. Bruxell.*, *et sul verbo nullità* § 3 *num.* 13. 8

Quapropter compertissimum ex deductis cura videatur de tempore obve- 9

nienti Laurentiæ obitus jus Clementis ad consolidandum usumfructum cum preprietate patens proinde est, quod ab illo tempore idem Clemens adeptus sit jus condicendi fructus debitæ sibi hæreditatis *ad text. in leg.* 42 *ff de Usuris, leg. si tibi homo ff de Legatis, et S. Noster Ordo in Bononien. Immirsionis s3per fructibus* 9 *Maii* 1795 *coram Severino, Maceraten. Immissionis quoad fructus* 5 *Julii* 1822 *coram Martinez, Alatrina Manutentionis super fructibus* 28 *Junii* 1827 § 2 *coram me, et sæpe memor. Tuscanen. Immissionis* 22 *Junii anni* 1835 § *ultim. cor. R. P. D. Meo de Retz*. Quia forte excusare valeat opponentes Conjuges bona fides quæ prout ex enucleatis factis plene scstet, perperam quæreretur in casu.

Et ita etc. Utraque etc.

---

## PRIVERNEN PECUNIARIA

*Veneris* 15 *Januarii* 1836.

### ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

#### SUMMARIUM

1. *Qui compensationem opponit adversus creditum, hoc ipso proprium debitum fatetur.*
2. *Nequit dici socius ille, cujus nomen nunquam obsignatum fuit in codicibus socialibus.*
3. *Si transactio cecidit super re tantum speciali, nequit amplecti cuncta negotia, et jura transigentium.* - Et num. 4. -

### DECISIO DVIII.

Aloysius Capozi ex Oppido Arcisgurgæ inter Privernates formidans latrones; a quibus se redimere non poterat nisi magna persoluta vi pecuniæ, anno 1815 patrios deseruit later Urbem appetens, universa domestica negocia, quibus Auxiri detinebatur, fidei committentens cujusdam Alexandri Trevisani Sublacensis; qui olim fuerat ipsius Patris Oppidi Gubernator. Ut res rectius procederet, socium illum ipsum activit quoad conductores latifundiorum *Cutarda et Ponte Maggiore*, nec non quo ad redempturam *dello sfratto dei Fiumi Pontini*, ac negociationem suam; quarum rerum omniam liberam etiam et commisit administrationem, sibi tantum reservato vectigali *del macinato di Subiaco*, quod quoque erat commune inter amicos.

Contigit autem, quod Alexander pecunia indigens, in solidum una cum Victoria Capozzi matre Aloysii mutuum pro quantitate argenteorum 13 o contraxerit erga Raphaelem Mogliazzi, quod adventante die restitutionis, scilicet extremo die mensis Aprilis 1817 integrum persulvit ipsa Victoria, quæ vero cauta fuit declarare solidale illud nomen se dissolvero = *con animo di rivalersene per la metà contro il Sig. Alesandro Trevisani* = sed repentino morbo correpta mense Octobris insequentis anni repetero baud valuit ipsius medietatis reintegrationem, quam nec postea reclamavit filius Aloysius rei penitus inscius, etsi dati, acceptique rationes postmodum dispunxisset cum socio Alexandro, qui de restituenda illius mutui medietate nec verbum obmussitavit, prout debuisset. Lethali morbo correptus et ipse Alexander fato cessit in mense Novembris 1819. Ipsius hæres extitit frater Salvator, qui egit cum Aloysio de dissolvenda societate, et de generali expungenda rationum redditione. Ineunte igitur Januario anni 1821 solemne stipulatum fuit transactionis instrumentum, vi cujus universa Terracinensia negocia tributa fuere Aloysio, dum Trevisanio reservatum fuit vectigal *del macinato di Subiaco*, et jus condicendi ab eodem Aloysio quantitatem sc. 800. Ultro, citroque compensata, ac remissa fuere jura, ac actiones nes omnes, quæ taxative ex singulis memoratis societatibus proflere poterant, conventum insuper = *per fatto espresso, che quolunque precedente interesse, che in qualunque modo potesse riguardare la suddetta società, e di cui non si fosse fatta espressa menzione e molto meno se ne fosse avuto riguardo ne'passati interessi, ed ancorchè non conosciuto sino al presente giorno* = comprehensum

de communi placito haberi deberet in inita transactione.

Institit anno 1826 Salvator pro solutione expromissæ quantitatis sc. 800. Hujusce nominis compensationem urgebat Aloysius ex causa mutui persoluti a defuncta Matre, cujus probationem interim invenerat inter hæreditarias scripturas. Fretus ipse Salvator inita transactione, nonnullas objecit exceptiones, quas favorabiliter amplexus est A. C. Alberghini meritissimus hodie S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis. Delegata causa ex appellatione ad A. C. Cattani, ac posta ad judicium S. Nostri Auditorii ob nuperas invectas praxeos leges non bæsit Sacer Ordo semel, ac bis Aloysii creditum probare, prout pandunt decisiones ab R. P. D. Meo D'Avellà editæ die 4 *Julii* 1832 *et* 23 *Januarii* 1833. Sed in tertio causæ periculo ad diem 7 subsequentis mensis Junii, cum Magdalena Marcini Vidua, ac hæres interim demortui Salvatoris rei veritatem adumbrare studuerit quadam adducta cujusdam Canonici Vincentii Segatori attestatione, delata fuit causæ resolutio, et rescriptum fuit, quod formiter examinaretur idem Canonicus. Sed expleto ipsius examine cum nil certi ac relevantis emerserit die 12 Maii anni 1834 in decisis PP. Mcis persistere rati sunt. Absolutissima perinde orta est rotalis Sententia, quæ ex interposita appellatione hoc mane ad trutinam revocaretur, assueta proposita dubii formula = *An sententia rotalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu etc.* cui vadimonium descrente provocante Vidua Mancini PP. Mei responderunt = *Sententiam Rotalem esse confirmandam* =

1 Infacto compertissima videbatur existentia crediti ab Aloysio repetiti, sicuti nec a contradicente Vidua Mancini probatur, quod deinde illud extinctum esse potuerit, ita ut duobus hisce extremis consistentibus, omnia hic redire necessario debebant, quæ jam animadversa fuerant in superioribus causæ propositionibus. Et reapse, quod existat nomen, de quo agitur dubitari amplius nequibat statim ac in actis adducta fuit syngrapha a Mogliatio obsignata sub die 10 Aprilis 1817 a qua apertissime comprobatur Victoriam Capozi integrum mutui debitum argenteorum 1300 creditori persolvisse = *con animo di rivalersene per la metà contro il Signor Alessandro Trevisani* = Cum autem nil obmussitare contra illius syngraphæ veritatem ausa ipsa Magdalena certa ideo haberi debet existentia crediti, de quo agitur in præsenti judicio. Ineluctabili huic probationi accedat insuper factum ipsius Trevisani, qui humanis fuit, nunquam inficiatus est illius nominis existentiam, sed potius tam in judiciali contentione, quam in ultimo suæ voluntatis elogio quatuor menses ante obitum confecto, opposuit tantum, vel compensatum fuisse debitum cum aliis pecuniis Capotio transmissis vel extinctum in transactione dici 31 *Januarii* 1821. Ex quibus exceptionibus admissa de plano PP. Mcis apparebat etiam per ipsum opponentem Trevisanium crediti existentia, nec proinde hodie amplius dubitari posse de jure, quo Aloysius uti legitimus defunctæ Victoriæ hæres coram Judice agit ad condicendam ipsius nominis medietatem in præstituta quantitate sc. 650.

Tota igitur vis defensionis, quae a vi dua Mancini in anteactis causæ disceptationibus proponebatur, nitebatur unice ad evincendam socialem indolem ipsius mutui, ut proinde comprehensum dici illud oporteret in transactione anni 1821. Sed perditissimam aggressam fuisse provinciam perfacile demonstrabatur. Ex ipsamet enim syngrapha diei 10 Aprilis 1817 nihil scatet, quod constituere valeat controversum mutuum contractum fuisse pro socialibus negociis, sed e contra rectius ab iis extraneum æstimari oportet ex potissima ratione, quod non illud contraxerit socius Aloysius, sed Victoria, quæ nullum unquam interesse habuit in societatibus a filio Aloysio initis cum Trevisanio. Quod hoc autem verissimum sit in facto, invicte etiam ab ipsis codicibus socialibus probatur, in quibus numquam ipsius Victoriæ no- 2

men obsignatum reperiretur, et id quoque a dispunctis rationibus eruitur, quas adprobare et ipsa Victoria debuisset, si socie reapse fuisset. Nec deficiunt insuper testes, qui idem confirmant. Inter alios Canonicus Fasani, qui de eo tempore in ædibus Capozi morabatur, testatur, initam societatem per maxime displicuisse Victoriæ, quæ cum ea faciebat =*non pochi sfoghi contro del figlio per essersi unito col Trevisani, mentre era totalmente odiosa de' sociali negozj* = Camprobatæ Mulieris repugnantiæ adjungere quoque oportet factum momentosissimum, quod Victoria post quam anno 1815 una cum filio patrium deserueral Municipium ab Urbe baud amplius exiit, ibique extremum vidit suæ vitæ diem = *senza essere mai più tornato in Roccagorga* = prout ipsi testes deponunt; quod omnino etiam excludit potuisse Victoriam aliquo modo se immiscere insocialibus negociis, a quibus infessissime semper abhorruit.

3 Admissa igitur crediti existentia, et exclusa ipsius sociali qualitate, videndum tantummodo supererat num hujusmodi Trevisani debitum dispunctum ac comprehensum fuerit in transactione diei 31 *Januarii* 1821. At quod controversum nomen comprehensum haud fuerit in illa concordia luculentius erui haud certe potest, quam ab ipsius concordiæ verbis, quæ cum respiciant una negocia socialia super » *il subappalto del macinato* » super » *le due tenute delle Paludi Pontine* » super » *lo sfratto de' fiumi Pontini* » et deniquc » *su gli animali neri* » compertissimum reddunt quod comprehendi in ca nent quam possit mutuum de quo agitur. Imo ex integro ipsius transactionis contextu apparet, quod de eo ne cogitatum quidem fuerat, cum initæ concordiæ summa fuerit, quod Trevisanius sibi retineret vectigal *del macinato*, et Aloysio reservata forent superius, memorata universa negocia Terracinensia, prævia solutione scutorum 800 ab eodem Capozio explenda.

4 Cum igitur ad negocia socialia unice intenderint transigentes, prout ex ipsa etiam depositione comperitur, testis Canonici Segatari per Viduam inducti, delirium videbatur PP. Meis ad mutui extinctionem trahero pactum, quo Thevisanius sibi caverat = *che qualunque precedente interesse, che in qualsivoglia modo potesse riguardare la detta la società, e di cui non si fosse fatta espressa menzione, e molto meno se ne fosse avuto riguardo ne'passati interessi ed ancorchè non conosciuti fino al presente, e che potesse in qualunque futuro tempo conoscersi, debba restare a tutto peso e carico di esso sig. Capozj per essersi a tutto avuto riguardo: con avere ristretta la somma da pagarsi a di lui favore in luogo di quello di più, che gli sarebbe potuto appartenere* = Nam huc redibat, quod Vidua contra ea, quæ jam superius animadversa fuere, evidentissime evincere teneretur primum, quod ab Aloysii matre, quæ mutuum contraxit societas inita fuisset, et deindo quod pro socialibus negociis mutuum fuisset contractum. Sed cum neutrum constituire valuerit Magdalena et contrarumprorsus apparcretPP.Meis probatum ex patula juris censura consequebatur quod in memorata transactione comprehensum dici nequiret mutui creditum, quia nihil commune habebat cum præcitatis iisdem negocii socialibus, prout tenuit S. Rota in decis. Fulginaten Pecuniaria 18 Junii 1821 § 5 6 cor. Emo Isaard. et in Romana LL. Montium 19 Novembris 1827 § 14 cor. Emo Marco.

Et ita etc. unica tantum etc.

---

## ROMANA CONSIGNATIONIS

### QUARTI ET PASCULARIS

*Lunae* 16 *Maii* 1836.

### ARGUMENTUM

Quantum aequum est, ut novus conductor futura sibi paret lucra explendo novalia, ne primo suae conductionis anno frumentatione careat, tantum vicissim ab aequo et jure devium esset, ut

**hac ratione cessante, ante initi contractus exordium, aliquid lucrari debet, cum omne compendium ex oneroso titulo acquisitum cedere prorsus debeat in veteris conductoris commodum.**

**SUMMARIUM**

1. *Novus conductor, futuro sibi parat locra explendo novalia, ne primo suae conductionis anno frumentatione careat.*
   *Omne compendium ex oneroso titulo acquitum, cedere debet in veteris conductoris commodum - ibidem. -*
2. *In locatione et conductione, ut inquiunt - a* tutto frutto - *conductor nequit expelli, antequam omnes fructus collecti sint.*
3. *Novo conductori est danda immissio in fundum locatum, perdurante etiam antiqua locatione, ut novalia ibi sibi parare possit.*
   *Cessante ratione, et causa obligationis, ipso etiam cessat, et evanescit obligatio - ibidem. -*
4. *Conductione ad suum exitum semel perventa, quaelibet correspectiva ipso jure cessat solvendae pensionis obligatio.*
5. *In fundis rusticis, si conductor habet jus suas faciendi herbas - avanti gli aratri, - expelli non potest a fundo ante mensem Martii.*
6. *Est omnino deferendum illis testibus, qui deponunt circa stylum propriae artis.*
7. *Judiciales resolutiones, plene probant consuetudinem.*
8. *Conductori integrum manet semper jus super herbis, donec eae aratro non sepelliantur.*

## DECISIO DIX.

Perampla Romani Agri planities pluribus dividitur Latifundis, quæ pro certa annua mercede *ad novennium* locari solent. Ad frumentum præcipue exercentur; cujus satio fit in quarta agri parte, præmissa quadrifaria ipsius divisione, cum quartorum alternatione; ita ut dum unum quartum excolitur, tria alia quiescunt, ibique herbæ virescunt. Horumce locationis conductionisque contractum exordium *Kalendis Octobris*, exitus *mense Septembris anni noni* constituitur, ita ut conductores novies frumentationes, et novies pariter herbas, præ cujusque quartæ partis destinatione, volvente novennio colligere valeant. Cum vero frumenti satio, quæ fit de mense Octobris, perfici nequeat, quin multo prius tellus findatur aratro, hinc apud campestres negociatores *perantiqua est consuetudo*, quod vetus Latifundii conductor in postremo anno sui contractus sinat, suamque præstet patientiam, ut novus conductor, pro novalibus tantum parandis perficiendisque, usque a mense Martii cum aratris ingrediatur in quartam illius Latifundii partem vulgo = *quarto di rompitura* = quæ ex turni destinatione serenda erit insequenti mense Octobris, quæque proinde, ad prædictum effectum, tradi debet extirpata, dumisque purgata juxta regulas artis. Ne vero boves aratorii novi conductoris conficiendis novalibus addicti herbis indigerent, unde, hodierno labore functi, vires relicerent, aut ne defessi quotidie in longinquis regionibus easdem herbas quærere forent coacti, sic in vim vetustissimæ consuetudinis vetus conductor, a Kalendis usque Februarii postremi anni suæ conductionis, tenetur reservare quamdam partem agri impastam novalium tamen quantitati respondentem, quæ vulgo dicitur = *il pascolare campetente* =, et quæ cedere debet commodo novi conductoris, quoties vero alendi illius boves araturii novalia in = *quarto di rampitura* = reapse conficiant. Hæc porro ex inverta consuetudine agraria fiunt, modo pendendo per novum veteri conductori debitam pro herbis tam quarti, quam pascularis mercedem, modo non pendendo, si expresse conventa fuerit, tam quarti, quam pascularis traditio = *gratis, e senza alcun pagamento* =.

Huic agrariæ consuetudini inhærens, Vir Princeps Augustinus Chisius die 8 Aprilis anni 1796 Latifundium = *l'Olgiata* = Francisco, et Antonio Fratribus Jacometti locavit = *a tutto frutto* =, ut ajunt, explicito scripto pacto, = *che detti Signari Affittuarj nel 1 di Febbraro dell' ultima anno del laro affitto debbano assegnare il pascolare competente, secondo lo stile dell'arte, per li bovi aratari del nuavo affittuaria, che subentrerà ad essi per rampere il quarta, che allora toccherà alla sudetta Tenuta, e tal pascolare debbano rilasciarla nella stessa farma; e sita che l'avrà rilasciato il precedente affittuario* = Prout stylus agrarius ferebat, ipsi

Fratres insequenti mense Martio, absque ulla *Valentini Antonini* cessantis, suamque patientiam præstantis, conductoris oppositione, novalia pararunt in quarto serendo sequenti mense Octobris; quando scilicet, ad exitum adducta priori conductione initium ducturus erat eorum contractus. Expleto interim primo conventæ locationis condutionisque=*dell'Olgiata* = novennio, Patribus, ex mutuo earum consensu, illud semel, bis ac tertio, sub iisdem vero constantissime pactis, renovare placuit; quin unquam in tanta temporis fuga expleta fuerit formalis Latifundii consignatio, de more alioquin in ingressu contractus conficienda. Ventum tali pacto est ad annum 1829, quo cogitatum fuit de ea conficienda consignatione, antequam expiraret novennium, quod tunc currebat. Peritus accitus, retento anno 1835, uti postremo locationis, et perspecto, quod, juxta ordinem turni, quartum serendum erat illud sub vocabulo = *le Cerquette* =, declaravit fratres Jacometti teneri ad illud mense Martii tradendum = *sterpato, e pulito nella quantità convenuta per la parte lavorativa di rubbia cinquanta, unitamente al pascolare competente gratis, e senza alcun pagamento, perchè così ricevettero il quarto e pascolare in principio del loro affitto* =.

Stato tempore haud omiserunt fratres Jacometti designare, tam quartum ad novalia conficenda destinatum, quam agri portionem necessariam pro pastione bobum aratoriorum quam competentem dijudicarunt periti, a Principe locatore deputati. Sed, cum deinde perspexeriot, quod novi conductores *Sili, et Gasparri*, loco proscendendi terrenum, herbas potius divendere sibi proposuerant, judicialiter coram Jurisdicis A. C. protestati sunt contra Chisium, semel paratos exhibentes consignationi novis conductoribus faciendae, quatenus conficiendis novalibus inservirent; at insimul obstantes, ne, seclusa novalium necessitate, cum eorum prejudicio herbæ ipsius quarti cederent in commodum recentium conductorum. Obstitit Chisius, insistendo pro absoluta traditione, et voti compos factus est, reservato tantum favore fratrum Jacometti = *il compenso per il pascolo avanti gli arati se, e come di ragione* = Provocarunt at ipsi ad S. Nostrum Ordinem; et, cum in hodiernis Comitiis Patres rogaverim, concepta dubii formula = *An, et quomodo sit locus consignationi quarti, et pascularis in casu etc.* = Responsum accepi = *affirmative ad effectum conficiendi novalia* =.

1 Propositæ controversiæ vis omnis in eo est, ut definiatur, an novi conductores ante finitum priorem contractum ingredi debeant quartum, frumenti sationi destinatum, ad effectum illud proscindendi, et novalia parandi; vel potius illud pleno jure occupare possint, ad effectum ibi explendi quidquid magis eis lubeat, herbasque sibi addicendi, non modo ejus quarti, sed et proximi pascularis, in præjudicium prioris conductoris. Qua in re Patres Mei animadvertebant, quod quantum æquum vederi potest, ut novus conductor futura sibi paret lucra explendo novalia, ne primo suæ conductionis anno frumentatione careat, tantum vicissim ab æquo et jure devium esset, ut hac ratione cessante, per septem integros menses, ante initi contractus exordium, aliquid actu lucrari debeat; cum omne compendium ex oneroso titulo acquisitum cedere prorsus oporteat in veteris conductoris commodum. Id profecto scatet ex indole contractus, qui a fratribus Jacometti initus fuit *a tutto frutto*, et a consuetudine agraria. Consuetudo hæc, dum veteri conductori tolit compendium hebarum, quae ex facto proscissionis sepellirentur; minime certe, omissa ea proscissione, sinit, quod earum usu fruatur novus conductor. Idemque dicas de reservatis pascui pro bobus aratoriis, quibus profecto novus conductor non indiget, semel ac rationi non vacat.

2 Reapse, contra contractus tabulas, per summam injuriam Vir Principes Chisius mitebatur locationem quoad quartum *le cerquette* medio tempore intercipere, atque fratres Jacometti expellere ab ea Latifundi parte, antequam præstituta dies cederet. Cum enim pro-

stremus annus agrarius, juxta contractum diei 9 Novembris anni 1825 Kalendis Octobris anni 1834. incipere, exitumque habere deberet *a S. Angelo di Settembre* insequentis anni 1835. patens est, quod, si controversa quarti, et pascularis consignatio pure et simpliciter explenda fuisse a Kalendis usque Martii, ut Chisius contendi, illud sequeretur, ut conductores, contra fidem pacti. septem mensium spatio rei locatæ fructu privati ex parte manerent, quod haud patitur æquitas, atque Juris ratio. Pacta enim conventa, quæ neque sunt adversus Leges, vel bonos mores, neque, uti nulla ob dolum malum, improbant Jura, religiose esse servanda, non tam clamat æqua Prætoris vox, quam inviolabile etiam Jus omnium Gentium, prout affabre monuit S. Noster Ordo *in Romana Societatis* 15 *Junii* 1825 *n.* 4 *cor. Emo Spada*; cum nihil humanæ fide magis congruat, quam ea que inter paciscentes placuerunt, custodire *ac Text in Leg.* 1 *et et Leg.* 7 § *Ait Prætor ff. de Pactis*; *Leg. Non minorem* 20. *Cod. de Transact. Capit* 21 *de reg. Jur. Pacion. de Locat. et conduct. Cap.* 25 *n.* 129. Quod eo fortius in casu tenendum est, cum res sit de locationis contractu, qui initus fuit, ut ajunt *a tutto frutto*, in quo scilicet paciscentes convenere quod conductori jus esset, durante conductionis novennio, colligendi per novem vices frumentum in quarta Latifundii parte, et herbas in cæteris tribus aliis ipsius partibus pascendi, inque suos usos vertendi. Firma igitur retenta indole contractus, magis magisque liquet, quam absonum sit ante conductionis exitum a fructuum perceptione fratres Jacometti prohibere.

3 Et inutili studio Viri Principis defensor pactum invocabat, syngrapha diei 26 Martii anni 1829 conventum, quo iidem fratres Jacometti sese obligarunt=*di consegnare all' Eccmo Proprietario, o al nuovo Affittuario il secondo descritto quarto detto delle Cerquette nel* 1. *Marzo* 1834= Hujusmodi enim conventio, si cam recte intelligas, aperte explicat contrahentium mentem fuisse prospicendi necessitati conficiendi novalia ad futuram parandam frumenti sationem. Luculentissime enim hoc evincunt verba, quæ mox sequuntur, scilicet, quod superius memoratum quartum consignandum esset = *sterpato, e pulito nella quantità convenuta per la parte lavorativa di rubbia cinquanta unitamente al pascolare competente.*= Conventio enim tradendi ipsum quartum =*pulito e sterpato*, = una cum = *pascolare competente*, = urgentissime Patribus Meis demonstrabat non alia de causa consignationem quarti, ineunte Martio volitam, promissamque fuisse, nisi ut novi conductores novalia inibi parare posset. Evidens proinde videbatur, quod fratres Jacometti pacto convento baud contradicunt, sed illud potius adimplere ad unguem nituntur, dum in præsenti judicio contendunt, non alias quarti, et pascularis consignationem decerni novis conductoribus posse, nisi ad effectum dumtaxt conficiendi novalia. Nunc vero, si ipsa novalia parare ii voluissent, nemini dubium, quin fratres Jacometti ea Latifundii parte jure meritoque privandi essent. At, cum in facto compertissimum sit ipsos de novalibus ne a longe quidem cogitasse, quælibet hinc cessat ratio, cur ipsis quartum, et competens pasculare tradi debeant. Nemini enim ignotum, quod, cessante ratione, et causa obligationis, ipsa etiam cessat, et evanescit obligatio, veluti animadvertit S. Rota in *Recent. Decis.* 31 *n.* 9. *Part.* 14. *Falconer. De Reb. creditis Dec.* 13 *n.* 4. *et in Rom. Pecun.*, 15 *Februarii* 1803 § 7 *cor. Resta*; cum certissimum insuper in Jure sit, quod quidquid promissum fuit in uno casu, in altero prorsus diverso peti minime possit; nec quod ad unum fidem conventum fuit, ad alias prorsus diversas obligationes inducendas traducendum sit.

Perperam vero Excellentissimus locator in porrecta sua defensione, ut demonstraret fratres Jacometti teneri simpliciter, et absolute tradere de mensæ Martio quartum, de quo agitur, confugiebat ad pactum alterum, in syngrapha anni 1829 literaliter expressum, 4

Digitized by Google

videlicet, quia = *così ricevettero il quarto, ed il pascolare in principio del loro affitto* = Hujusce quippe objectioni responsum Patres Mei facile reperire censuerunt in verbis post adjectis, ferentibus, quod ea consignatio explenda esset = *gratis, e senz' alcun pagamenta* = Unusquisque enim per se facile intelligit, quod si conductio quoad controversum quartum cessare ex Jure debuisset mense Martii, ut est in votis Viri Principis, otiosa, et inutilia ea verba tunc manerent; nam, conductione ad suum exitum semel perventa, quælibet correspectiva ipsos jure cessat solvendæ pensionis obligatio. At contrahentes adamussim cum perspicerent, quod ipsius quarti locatio suum finem sortiri debebat *a S. Angela di Settembre*; cum alioquin adverterent, quod, juxta normas artis agrariæ, a menso usque Martii novalia forent suscipienda, ad futuram parandam frumenti sationem, cauti idcirco pactum adduxere, quod cessans conductor patientiam præstaret, ut = *gratis, e senza alcun pagamento* = novus conductor ipsamet novalia explere valeret.

5 Quod insuper taxative circumscriptum fuisse jus novi conductoris ad simplex factum conficiendi tantum novalia, ipsemet Vir Princeps Chisius luculentissime probavit. Hinc enim, dum coram S. Nostro Ordine instat pro confirmatione sententiæ Judicorum A. C. contextim fratribus Jacometti haud denegat jus pascendi post mensem Martii herbas ipsius controversi quarti = *avanti gli aratri*. = Si enim ex ipsius Principis confessione haud prohiberi possunt iidem fratres, quin suas faciant herbas = *avanti gli aratri*; = cum id ipsi, nonnisi quam uti conductores, explere valeant, sane contradictione capit manifestissimam contextim contendere, quod locatio, quoad præcitatum quartum, ante Kalendas Martii suum exitum sortiri debuerit.

6 Tandem, si ambiguum forte videretur pactum illud conventum ex syngrapha anni 1829, haud tamen non secus ac fuit hodie dirempta, absolvendam esse præsentem quæstionem dilucide evincebat agraria consuetudo, quam frustra denegant Chisii oratores. Innumeri siquidem testes deponunt, quod = *la parola di consegnare il quarto, che cade a rompitura, s'intende, affinchè il nuovo affittuario possa ramperlo, giacchè il vecchio affittuario ha diritto di pascerlo tutto intiero, qualara il nuovo affittuario non lo rompa per suo conto* =. Cum testes, qui hoc deponunt, sint omnes agrarii mercatores, omnimodam eorum relationi fidem habendam esse nemo non videt. Nemini enim non notum in judiciis omnino deferendum esse illorum opinioni in concernentibus eorum stylum prout animadvertit *Ansaldus de Commer. et Mercat. Disc. Gener.* n. 41; *et passim S. Rota, in Recent. Decis.* 696 *numer.* 1. *Part.* 4 *Tom.* 3 *in Fulginaten. Damnorum* 25 *Junii* 1824 § 7 *cor. Pianetti*; *et in Romana affictus* 30 *Aprilis* 1787 § 5 *cor. Emo Cesarei*.

Sed, si etiam, una cum opponente Chisio, placeat nullam adhibere fidem tot peritissimorum testium asseverationi, non ideo minus probata in specie renuncianda erit consuetudo, de qua agitur; cum nec desint judiciales resolutiones, quæ rem absolvunt. Urgens reapse videtur in casu Decretum Præfecti Annonæ, prolatum in contradictorio judicio, acto inter Dominum Pamphilum De Petro, et Patrimonium Cenia, quo novo conductori præfixus fuit terminus = *quinque dierum et amplius ad effectum incipiendi integra novalia ad formam peractæ intimationis, vel ad adsportanda animalia* =. Si herbæ a mense Martio pertinere cæpissent novo conductori, plusquam fundo exprimi passit, evidens est, quod Annonæ Præfectus neutiquam potuisset eidem jubere animalium remotionem. Liberum enim eidem novo conductori esse debuisset illis herbis uti, prout ei magis libuisset. 7

Quibus ex rebus compertum igitur Patribus Meis apparuit, quod, dum novo conductori plena, absolutaque erat facultas ingrediendi quartum proscissioni destinatum, ad effectum explendi novalia; e contra integrum jus priori conductori superesse contextim debebat super herbis, donec eæ aratro nun- 8

Digitized by Google

seppelliantur, cum ad nil aliud præter *patientiam* ipse teneatur, prout ipsimet agriculturæ Consules optime explicarunt in quadam Causa, acta anno 1807 inter Rev. Capitulum *S. Mariæ in Via Lata, et Fratres Libertios*. Hi enim quoad quoddam tugurium la *Casetta* pro bubulcis, et quoad *il pascolare competente* pro bobus petitum ab instante Rev. Capitulo contrariam passi sunt Sententiam; quoad vero petitum *quarto di rompitura* damnati tantum fuere *præstandæ patientiæ ad formam instrumenti ad effectum conficiendi per instantem novalia*.

Et ita etc. Utraque etc.

## ROMANA EMPHYTEUSIS

*Lunae* 25 *Aprilis* 1836.

### ARGUMENTUM

Habes in superiori quae confirmatur - DECISIO CCCCLXXXVI. -

SUMMARIUM

*1 Mogna rei emphyteuticae cladee non ab Emphyteuticario, sed a directo dominio sustinenda est.*

*2 Quidquid contractui adversatur, expressa mentione opus habet.*

*3. Ferri ad incognita voluntas non potest*

*4. Qui expromittit nullam se postulaturum indemnitatem ob deterioramenta, implicite rei existentiam supponit.*

*5. Ubi adest pactum contrarium, non reficiuntur nisi melioramenta necessaria.*

### DECISIO DX.

Bona inter, quæ sua ex hæreditate Marcus Antonius Foppa, Piis Operibus destinata, reliquerat administranda Viro Emo S. R. Ecclesiæ pro tempore Vice Cancellario, erat domus sita in Urbis platea, quam dicunt = *del Fico* =. Concessa hæc in emphyteusim Josepho de Rossi Mutarelli ad tertiam usque generationem anno 1825 fuit, qui præter annuum canonem sc. 452 ferme domus reditui respondentem, quamplurimum aliis oneribus se se subjecerat. Præstat hæc inter recensere expromissionem conficiendi reparationes ab Salvio Architecto apposita in relatione designatas: urgentissimas nempe in scutis 451 ob. 50 minus autem urgentes in scutis 230 primæ intra anni curriculum erant perficiendæ; dum pro aliis biennium indulgebatur: recepit domus Emphyteuta eam = *tal qual è, e come si trova presentemente* = quin fuisset ab eo postulanda minima vel canonis imminutio = *per qualsivoglia deterioramento, che potesse scoprirsi, od accadere in seguito anche nei fondamenti*, e *muri maestri* =: demum suscepta obligatio ab Josepho fuit, ut ad emphyteusis exitum redderet = *il casamento piuttosto migliorato, che deteriorato* = Cuncta hæc post vigesimæ ac sextæ periculum, S. Cong. Episcoporum, ac Regularium, auctoritate accedente, solemne instrumentum excepit, quo Joseph uti meliori oblatori tributa domus possessio fuit.

Cito manus emphyteuticæ domus refectioni is apposuit. En autem compertum carere domum fundamentis. Non ab se esse illa conficienda putavit Josephus quapropter dum, ne domus laberetur fundamenta extruebat, nunciabat Emo Administratori defectum. Sed, cum nulla ratione suæ indemnitati consuleretur, canones renuit pensitare post Decembrem anni 1825. Factæ inde fuere sequestres ab Pio Opere domus pensiones: tunc proposita conciliatio: missi utrinque periti viri, qui de fundamentorum deficientia unanimiter retulerunt. Verum proposita compositio non ducebatur ad exitum. Itum idcirco ad Judicem Locumtenentem Emi Vicarii, qui selectus in emphyteusis instrumento ad quæstiones dirimendas fuerat: a Josepho ut expensarum pro fundamentis obtineret in canonas non solutos imputationem: ab Pio Opere, ut eorum solutionem postularet. Voluit Judex pronunciare insimul quoad utrumque postulatum. Petiit tunc Josephus uti Pii Operis peritis, qui nondum de fundamentorum deficientia retulerant, positionibus exhibitis sub gravatoria respondere; juberetur. Quod cum Judex

Digitized by Google

concesserit, nulla tamen indicta gravatoria, Signaturæ Tribunal ab ejus decreto suspensivam tribuit appellationem: unde Caussa conscendit ad S. N. Ordinem.

Deindo iterum verba data fuere de conciliatione; repræsentavit Josephus quatuorcenta argentea pro insolutis canonibus = *senza pregiudizio delle ragioni hinc inde nella causa pendente in S. Rota* = annuente Emo Odescalchi de eo tempore S. R. E. Vicecancellario aliæ domus reparationes fuere expletæ, quas Vicinus ob finitimi ædificii securitatem judicialiter postulabat. Sed Emo Viro illo e munere Vice Cancellarii, Summi Pontificis Vicario renunciato, qui ei successit Vir Emus Pedicini, ut S. Ordinis Nostri judicio controversia dirimeretur cum censuisset, die 26 *Junii superioris anni* rogationem in Aula ego exhibui = *An et in qua summa sit locus solutioni canonum, seu potius, et quomodo eorum imputationi in expensis reparationum in casu etc.* = cui PP. DD. responderunt = *Quoad solutionem canonum dilata post liquidationem, in reliqui affirmative juxta modum in Decisione exprimendum* = qui modus erat = *ut Pium Opus eas tantum ferret expensas, quæ directe, et necessario ex improevisa fundamentorum deficientia promanarunt, quas per me eligendus peritus æstimaret* = ceu videre est in mea Decisione ad eam diem evulgata, in qua enucleatius hæc cuncta exposui. Novo sed vero hoc mane facto a Partibus suorum jurium periculo res mansit in eodem acceptum a me per responsum = *in decisis* =.

1 Nulla juris disceptatio erat. Senserant enim, qui causam pro Pio Opere dicebant, quam firmum in jure esset, quod magna rei emphyteuticæ clades non ab Emphyteuticario sed a directo Domino sustinenda esset; veluti perbelle docet *Lex* 1 *Cod. de jure Emphyt., atque probata Dec.* § 5. Et fundamentorum defectus, cum ea esset fatalitas, quæ nullo procul dubio emphyteuticæ rei secumtulisset interitum, magnasque inter clades cum merito accenseretur, quod pro iis construendis fuerat expensum jure sane Pio Operi, qua domus directario erat imputandum. Quod autem erat eo fortius in themate retinendum, quum de impropria emphyteusi ageretur, in qua depactus canon domui reditui pene respondens cum fuerit; si onus emphyteuticario imponeretur occurrendi iis etiam expensis, quas extraordinarii, imprævisique casus atque ipsius rei existentia secumtulissent, res vergeret ad iniquitatem, cum ei onus imponeretur sustinendi expensas, ex quibus læsus ipse sine dubio incederet.

Suæ itaque defensionis castra Pium Opus hodie posuerat in adstipulatis pactionibus, quibus contendebat extruendi fundamenta onus Josephum suscepisse, atque in facto, quo illa non defecisse propugnabat; et si necessarium Josepho fuit extruere illa, id facto suo obvenisse, eo quia ampliare domum, suamque in utilitatem per novum opus voluerit immutare. Neutrum tamen valuit ad victoriam: inepta quippe cuncta videbantur. Et vero pactum utique in emphyteusis tabulis fuerat, quod Josephus reciperet domum = *tale qual'è* = quodque nullam expostulare ipse posset canonis imminutionem = *per qualsivoglia deterioramento, che potesse scoprirsi, ed accadere in seguito anche nei fondamenti e muri maestri* = atque demum; quod Josephus perageret sumptu suo = *tutte quelle riparazioni, lavori, e risarcimenti* = quæ fieri oporteret, quin ullam canonis diminutionem postularet. At non hæc inter verbum reperitur de fundamentorum deficientia: non erant igitur pactiones istæ tradendæ ad id, de quo non loquebatur, quodque contractui cum adversaretur opus expressa ejus mentione fuisset, ut initam suaderent conventionem; verum si, recepta domu = *tale qual'è* = suo fulcita fundamento contrahentes illam supponerent, præsumi nequibat, ut de eorum defectu pepigissent, neque ruentem domum immani constituto ad redditus mensuram canone, eam sine fundamentis Josephus recepisset. Et de fundamentorum defectu non cogitasse Contrahentes erat evidentissimum. 2

Nulla namque domus reparationibus indigeret Peritus Salvi in sua relatione 3

exposuerat, quæ contractus normam ut præberet contrahentibus placuit. At vero nihil in ea dictum de defectu illo; non inter primi gradus reparationes, non cæteros inter, quæ erant minus urgentes, fundamentorum defectus accensebatur. Cognitæ Josepho, Pioque Operi unæ illæ reparationes cum essent, quæ Salvius indigitarat, cognitusque domus status ex Salviana relatione cum eis tantummodo esset, cumque nihil inibi dictum de fundamentorum deficientia fuerit, receperat domum Josephus = *tale qual'è* = uti Salvius descripserat, suis videlicet fundamentis innixam, quorum status erat utrinque ignotus. Verum non ferri ad incognita voluntas potest: præter. dec. § 9. Cum itaque domum Josephus recipere putaverit cum fundamento, quod reapse haud existebat, ex pactione illa recipiendi domum = *tale qualè* = potius quam præsumere eam sine fundamentis voluisse Josephum recipere, seseque eorum extructioni obligare, erat opportunius concludendum, quod cum id deficeret, cujus existentiam utrique contrahentium supposuerant, præstandum ab Pio Opere esset, quod tradere ipsum, ac Josephum recipere putabatur.

4 Nec melius obligationem suscepisse Emphyteutam extruendi fundamenta ex aliis pactionibus eruebatur. Ex ipsa enim verborum indole contrarium descendebat. Qui namque expromittit nullam se postulaturum indemnitatem fore = *ob deterioramento* = atque sere adstringit = *migliorare, e mantenere* = nec non conficere = *riparazioni, risarcimenti* = implicite rei existentiam supponit, ejusque excludit inexistentiam. Quæ res haud extat, nec ruere valet in pejus, nec recipit meliorationes. Igitur non ista erant ad non existentia fundamenta inscitissime protrahenda *Dec. quæ confirmatur* §§ 7 *atque* 8. Quamquam cum res esset de interpretatione pactorum contractui adjectorum, ea interpretatio sumenda ex jure erat, quæ contractui naturæ conveniret, quumque dubia pactionis expressio ex Pii Operis facto dimanaret eo quod clarius valuisset rem a dubietate procul exponere, et erat imputandum quod ex æquivocis adhibitis verbis descendebat ipsa cit. decis. quæ revidetur §§ 8 et 9.

Perperam autem, quod non ex jure, non ex pacto obtinere Pium Opus intelligebat, sibi ex facto tribuebat contendens quod fundamenta extarent, eorumque destructio ex Josephi facto dimanasset, eo quia nova opera in sui utilitatem excitavit. Primum omnium non id injuria ab Josepho gestum, cui tradita fuit domus in emphyteusim ut eam melioraret, quique de meliorationibus Pii Operis Moderatores edocuit, eorumque licentiam postulavit. Deinde vero, quum ex novis operibus ampliasset domum, fructiosioremque ipse reddiderit, injuria Pium Opus querebatur de re utili per Josephum gesta, qui ad emphyteusis exitum reddebat domum sua ex pecunia longe effectam meliorem. De fundamentorum præterea defectu ex peritorum dictu haud erat dubitandum. Sed ista inutillime disputabantur. Quum enim per modum Decisioni adjectum cohibita expensarum imputatio fuerit ad eas unas, *quæ directe, et necessario ex improvisa fundamentorum deficientia promanarunt*, non Josepho ea tribuit decisio, quæ alia ex causa descendebant, de quibus idcirco inutiles prolatæ querimoniæ videbantur. Nec de immani insolutorum canonum quantitate rectius Pium Opus excipiebat. Non iste eo usque excrevisset si Pii Operis moderatores liquidationis judicium curassent: quo expleto, nullo amplius jure canonum solutionem Josephus emphyteuta detrectare poterit. 5

Et ita etc. Utraque etc.

---

## ROMANA LEGATI

*Lunae 22 Februarii 1836.*

### ARGUMENTUM

Nomen, cognomen, stegma, patria, familiaris arbor genealogica, usus ejusdem Paraeciae, possessio omnium graduum, publica vox et fame, publici Civitatis libri, rerum publicarum scripto-

Digitized by Google

res, plenissime atque indubie constituunt, descendentiam, et originem a communi stipite. In hac enim materia, multa quae singula non prosunt, unita juvant.

SUMMARIUM

1. *Ad obtinendam jussam legati praestationem, demonstrari oportet, adimplevisse se quae institutoris praecepta.*
2. *Nomine, cognomine, armis et insignibus quibus quis utitur, demonstrant eandem familiae originem.*
3. *Arbor genealogica, de concilio interesse habentium confecta, probat item communem originem.*
4. *Identitatem familiae, probant aeque libri Civitatis, et scriptores rerum publicarum.*
5. *Publica vox et fama non leve perhibet descendentiae argamentum.*
6 *Multa, quae singula non prosunt, unita juvant.*
7 *Qui in quasi possessione filiationis versatur rejicit onus probandi contrarium in contradictorem.*
8. *Sub vocabolo - domus et familiae - comprehenduntur etiam illegitimi.*

   *Etiam spurii habentur de sanguine patris et sub consanguineorum appellatione continentur - ibi -*

   *Quod testator non expressit, censendum est illud consulto omisisse - ibi -*
9. *Baptismalis testimonium, et instrumentorum enunciativae, satis sunt ad probandam legitimitatem.*
10. *Matrimonium, etiam in defectu fidei, semper praesumitur.*
11 *Illegitimae, ut vitium mere personale, non afficit successoribus.*

## DECISIO DXI.

Cardinalis Lazzarus ex Nobilissima Januensi Familia Pallavicinia, quæ suam repetit originem a quodam Nicolao, qui floruit sæculo XII; ad avitam asservandam gloriam, ac Familiæ decus augendum, extremo, quo decessit, elogio anno 1680, perinsignem in urbe instituit primogenituram favore Nicolai Rospigliosi secundo loco geniti ex nepte Maria, nupta Duci Joanni Baptistæ, data lege, quod nomen, et insignia Gentis Pallaviciniæ institutus hæres retineret. Prævidens autem testator, quod Nicolaus sine sobole decedere posset, vocavit secundo loco alios genitos ex ipso Joanne Baptista = *escluso il Primogenito* =, et deinde descendentes Simonis, et Dominici Pallavicini, et in ultima spe Augustinum Comellino; impertita ultimo ex vocatis facultate nominandi aliquem ex Familia Pallavicinia =*escludendo però sempre il Signor Agostino figlio di Ansalda, e suoi discendenti in infinito* =, sicuti extorres quoque in ævum declaravit fœminas, earumque descendentes, nec non *i bastardi benchè legittimati* =. Cum vero præscripserit testator Institutæ primogenituræ possessorem = *sia tenuto a dare mille scudi l'anno ad un Prelato della vera Casa, e sangue Pallavicino* =, ad hoc legatum assequendam ordinem vocationis ipse constituit, prorsus diversum ab illo superius præstituto pro primogenitura. Nulla enim facta mentione de Gente Rospigliosa, descendentes tantummodo vocavit Simonis, et Dominici Pallavicini, = *e non essendovi alcuna dei discendenti dei sopradetti, s' intenda chiamato a detto Legato quel Prelato della vera Casa, e sangue Pallavicina* =; firma solummodo retenta superius abnotata Augustini, ipsiusque descendentiæ.

At præsenti tempore, cum qualitates omnes a testatore ipsæ convenirent in Præsule Aleramo Pallavicinio, nepote alterius Alerami, qui fuit postremus Januæ Dux, judicialiter ipse egit contra Virum Principem Aloysium Pallavicinium, et vero secundam ab A. C. retulit Sententiam; a qua provocavit Aloysius. Etsi hic interim e vivis elatus fuerit, Causa attamen prosequitus coram S. Nostro Ordine; quocirca ego hoc mane cum PP. rogaverim concinnata Dubii formula = *An sit locus præstationi annui Legati, in casu etc.* = Responsum incunctanter accepi = *Affirmative* =.

Ad obtinendam jussam in legati præ- 1
stationem duo præcipue juxta legem institutoris requiruntur, scilicet, quod, qui legatum optat, probet præprimis se Doctoralem Lauream assequutum esse in Philosophia, in Theologia, et

in utroque Jure; secundo se pertinere ad Domum; et sanguinem Pallavicinium. Utramque vero probationem luculentor in casu actor expleverat. Adducta enim documenta indubie probant Præsulem Aleramum Doctorem renunciatum fuisse in omnibus præcitatis illis facultatibus: qua de re incerta haud videbatur ipsius vocatio circa hujusce præscriptæ primæ conditionis adimplementum. Videndum perinde supererat, an reapse ipse pertineat = *alla vera Casa, e sangue Pallavicino* = At in hoc evinciendo multa occurrebant argumenta, et nonnulla allata fuerant documenta, quæ invictissime rem demonstrant.

2 Animadvertebant PP. Mei, quod natus Præsul Aleramus in Civitate Januæ, cum nomen, et cognomen ferat Gentis Pallaviciniæ non obscurum præbet argumentum se pertinere ad Familiam testatoris *Dec.* 907 § 39 *coram Molines*. Luculentius id quoque eruitur ex armis et insignibus, quibus actor utitur, quæ cum perfecte respondeant stegmati adhibito ab ipsis reis conventis, magis magisque probant, quod una eademque sit utriusque contendentium origo *Dec.* 1829 § 4 *coram Coccino*, et quod contrarium asserenti incumbat onus probationis *Dec.* 772 § *fin. coram Donizzetti*.

3 Idem quoque probabatur ab adducta in actis veteri arbore genealogica Gentis Pallaviciniæ, in qua constitutus legitur uti stipes ipsius Familiæ Nicolaus Senior. qui vita compendio fruebatur de anno 1154, et adnotati inveniuntur cuncti ipsius descendentes usque ad Joannem Franciscum, avum cujusdam Opitii, qui cum illa genealogia propria probata vocatione, legatum obtinuit eodem anno 1680, quo decessit Lazzarus primogenituræ institutor. Multum autem in casu præcitatæ arbori fidendum est ex ratione, quod scimus eamdem de consilio integræ Familiæ Pallaviciniæ confectam fuisse a tabellione Antonio Rocca, vocatis omnibus interesse babentibus, et quia confirmata tandem fuit die 8 Martii 1592 per Sententiam Prætoris Januæ, a qua nemo unquam provocavit.

4 Accedunt insuper aureus liber Civitatis Januæ, et Scriptores rerum publicarum illius Urbis, qui mire collimant ad constituendam identitatem, de qua agitur. Reapse in aureo libro, quo nomina posteritati amandantur eorum qui ad antiquioris Januenses familias pertinent, sub rubrica = *Famiglia Pallavicino* = adnotantur adscendentes omnes Præsulis Alerami usque ad ipsius patrem Antonium, qui natus die tertia Decembris anni 1769 describitur filius Serenissimi Alerami quondam Sebastiani, item repetitum id legitur in opera edita sub titulo = *Genealogia delle Famiglie Nobili di Genova* = ubi in Nobilissima Familia Pallavicinia invenitur comprehensa etiam *linea* instantis Præsulis, ipsiusque adscendentes. Ex propositis hisce monumentis plene firmata debetur actoris Alerami descendentia a communi stipite, ex recepta Juris regula, quod tamquam probata fidei monumenta illa haberi debeant, prout animadvertit *S. Rota in Dec.* 999 § 48 *cor. Molines, et Dec.* 90 § 2 *part.* 4 *tom.* 1 *in Recent.* =.

5 Nec de horum documentorum fide dubitari utique potest. Gubernatores enim ipsius Gentis Pallaviciniæ, et Syndaci Civitatis Januæ, quoad *arma et insignia* adhibita a Præsule Aleramo, deponunt = *essere il vero stemma della Famiglia Pallavicino di Genova*, = et quoad memoratam arborem genealogicam = *attestiamo in senso di pura verità essere esatto, e vero l'Albero della discendenza sudetta, avendolo verificato cogli atti autentici esistenti presso Noi, e presso il nostro Segretario*=. Hoc autem testimonium maximo in pretio haberi debet, præcipua etiam ex ratione, quia adjuvatur publica, voce et fama quæ semper non leve perhibet descendentiæ argumentum *Dec.* 384 *num.* 5 *coram Priolo*; *Dec.* 910 § 6 *Part.* 11 *in recent. et Dec.* 309 § 5 *coram Lancetta*; præsertim ubi agitur de Prænobili Familia *ad Text. Leg. Fama in se ff de Censibus*; *Dec.*

Digitized by Google

706 § 5 *coram Cerro* =. Reapse ipsamet publica fama specifice in casu probabatur relatione nonnullorum spectatissimorum Civium Januæ, qui una cum laudatis Syndacis referunt = *che Monsignor Aleramo di Antonio , non che tutti li suoi Antenati , è , e sono stati sempre individui della vera Casa, e sangue Pallavicino di Genova ; che hanno fatto sempre parte delle corporazioni di Famiglia ; che hanno partecipato sempre delle assegnazioni che la Famiglia tenea per l'addietro nel banco di S. Giorgio che hanno fatto sempre uso della Parrocchia Gentilizia sotto il titolo di S. Pangrazio* =. Ex qua depositione alterum non leve argumentum desumitur ad magis magisque comprobandam actionem, qua Præsul Aleramus agit in hodierno judicio. Revera, si ipsius linea ad veram Pallaviciniorum Familiam non pertineret, neutiquam ipsi premissum jus Pareciæ fuisset *Dec.* 907 § 29 *coram Molines*, sicuti nec admissus ullus ex illa unquam fuisset ad participanda Familiæ emolumenta; quum potius ipsius lineæ concurrentes, uti extranei, arceri debuissent prout ipsa S. Rota firmavit *in Recent. Dec.* 44 *num.* 4 *part.* 19 *et Dec.* 255 § 6 *part.* 9.

6 Enunciata hæc argumenta, desumpta a nomine, cognomine, stegmate, et patria Præsulis Alerami; adducta Familiaris arbor genealogica; usus ejusdem Paræciæ, possessio omnium graduum, et emolumentorum Familiæ; publica vox, et fama; publici Civitatis libri, et rerumpublicarum scriptores plenissime, atque indubie constituunt, quod actor Aleramus reapse pertinent ad veram Domum, et sanguinem Pallavicinium. In hac enim materia notissima procedit Juris regula, quæ constituit singula, quæ non prosunt, unita juvant *Decis.* 795 § 10 *cor. Molines*; *præsertim* quando agitur de Nobilissimis Familiis cujus descendentia pro notaris habetur *ad Textum in Leg. si plures*, *verbo condunata ff de Pactis*; *Constantin. vot. decis.* 91 *numer.* 4. *Gratian. Discept. Forens.* 645 § 16.

Maxime vero adductæ probationis vis ac robur crescit si paulisper perpendatur præsulem Alexamum versari in quasi possessione filiationis, et legittimatis, quo in casu nemini ignotum est, levissimas etiam præsumptiones sufficere ad decernendam instanti petitam legati præstationem; quum in contradictorem transeat onus probandi contrarium *ad Text. in Cap. per tuas* 10 *de probat. Lap. de Illegit. et natur. Comm.* 2 § 3 *num.* 51 *Surd. cons.* 1 *num.* 46 *Paleot. de Noth. Et Spur. Cod.* 22 *num.* 1; *Menocch. de Arbitr. L.* 2 *Cent.* 1 *Cap.* 89 *num.* 69 *Soustant. ad statut. Urbis Cap.* 144 *adnot.* 38 *art.* 2 *num.* 269; *S. Rota coram Penin. Dec.* 102 *num.* 9 in *recent. Dec.* 87 *num.* 35 *part.* 5 *Dec.* 310 *num.* 5 *parte* 11 *Dec.* 255 § 11 *part.* 9; *et* in *Bononien. Filiationis*, *et Alimentorum* 4 *Julii* 1840 § 2 *cor. R. P. D. Meo Zacchia.* Inciviliter proinde exigi videbatur a reo convento probationem per gradus communionis instantis Præsulis cum stipite Familiæ, sicuti perperam ab illo requirebatur specifica probatio legitimitatis ipsorum graduum. Semel ac enim Cardinalis Lazzarus, designatis lineis Simonis, et Dominici in eorum defecto ad legati compendium generice vocavit Præsulem, qui actu adesset *della Casa, e sangue Pallavicino di Genova* patulum est, quod generice probata ab Aleramano sua consanguineitate, atque descendentia, neutiquam ipse teneatur specificam illam afferre probationem per gradus, veluti docent *Marcscottus Var. Resol. cap.* 70 *num.* 4 *Rota Decis.* 260 *numer.* 10 *cor. Buratto*, *Decis.* 154 *cor. Richio Decis.* 310 *num.* 4 *cor. Penting. Dec.* 319 n. 4 *cor. Lancetta.* 7

Item quoque de requisita ipsorum graduum legittimitatis probatione sentiendum est. Præprimis enim Patres Mei animadvertebant; quod a testamento Cardinalis Lazzari exclusi minime sunt illegittimi Ipse, naturali adbibito loquendi modo, generice tantum vocavit Præsulem, qui adesset de Domo, et Familia Pallavicinia. Certum autem est, quod in recepta si- 8

gnificatione, ipsius vocabuli. *Domus*, *et Familiæ* comprehenduntur etiam il legittimi *ad Text.* in *Leg.* 6 *Cod. de Verb.*, *et rer. signif.*, *Perez* in *Cod. lib.* 6 *tit.* 38 *num.* 1, *Voet.* ad *Pandectas L.* 3 *tit.* 1 *num.* 27. *Bartol. ad L. ult. Cod. de Verb. significat.*; *Salicet ad eamd. L. num.* 9. *Peregrin. De Fideicomm. art.* 22 *num.* 83. *Cyriac. contr.* 209 *num*, 38 nec proinde in casu ulla adesse potest congrua ratio restrictivam adhibendi interpretationem ipsius dictionis, quia ex Jure etiam nothi, et spurii habentur uti de sanguine patris, et in consangnineorum appellatione continentnr, veluti docuit *Bartolus in leg. Pronunciatio* 195 *ff De verb.*, *et rer. signif.*, *Peregrin. De Fideic. art.* 22 *num.* 89. Patulam hanc Juris conclusionem aperte insuper firmabat diversus quoque vocatorum ordo a testatore præstitutus circa institutas primogenituram, atque prælaturam, et in iisdem vocationibus expressa exclusionum diversitas. Ab hujusmodi enim legati compendio exclusum tantummodo habemus *il Signor figlio di Ansaldo Pallavicino, ed i suoi discendenti* quas etiam repulerat testator a primogenituræ successione, a qua quoque literaliter exclusas declaravit foeminas atque illegittimas. Peculiaris hæc loquendi discretiva a Cardinali adhibita in designandis specificis vocationibus circa successiones ad primogenituram, et ad legati fruitionem, plene non edocet non item ipsum censisse in utroque casu; forte quia illegittimæ nativitatis maculam satis per Prælatitiam vel per Cardinalitiam honorificentiam abstergi ipso authumavit, Qua de re concludere rite potest, quod si Cardinal illegittimos a legati fruitione arcere voluisset, id exprimere haud omisisset, utpotefecit quoad primogenituram. At id cum non expresserit, censendum est illud consulto omissum, veluti monet *Lex unic.* §. *Sin autem Cod. de eqd. toll. L. cum Præt. ff de Jud.*, *Card. de Luca De Legat. Disc.* 45 *num.* 5. *Grat. Consult.* 53 *num.* 54 *l.* 1., *S. Rota Decis.* 100 *num.* 51 *cor. Ansaldo*; *Dec.* 1213 § 18 *coram Molines*; *Dec.* 51 § 2 *coram Olivatio*; *Dec.* 628 § 11 *cor. Eod.*; *Dec.* 89 *num.* 31 *tit. de Fideic. cor. Falcon.*, *et* in *Romana Execut. Contractus* 25 *Junii* 1832 § 3 *coram R. P. D. meo Bofondi.*

Sed accademia videbatur quidquid hoc usque circa legitimitatem, et communionem cum stipite animadversum est, In facto enim non controvertitur, quoad Præsul Alleramus cum superius memorata arbore genealogica inveetissime usque ad annum 1592 probaverat suorum proavorum legittimitatem, atque descendentiam a Nicolao, nt qui ut vidimus, fuit communis stipes totius Gentis Pallevicíniæ. Cum autem arbore illa semper usi sint Præsules omnes de Familia ad obtinendum legatum, nulla hodie adest congrua ratio, qua in prætio haberi eadem non debeat quin illius credibilitati obicem parare possit facti circumstantia; quod anno 1592 Judes in arbore illa confirmanda salvum declaraverit jus aliorum. qui docerent se esse legitima ex Familia Pallavicinorum, quia ex hac reservatione putius evidens apparet reapse pertinere ad Familiam, scilicet legitimos esse omnes, qui interim in eadem arbore adnotati fuere. Quocirca ab anno 1150 ad 1582 in probatis censeri oportet Præsulem Aleramum in hac quoque requisita specifica probatione circa graduum legitimitatem. Quoad vero tempus posterius actor innixus libris *Parœciæ*, qui, teste ipsius rectore, suam repetuut originem ab anno 1591, præcitatam communionem, et legitimitatem facile probavit cum adductis Baptismatum testimoniis, et nonnullis allegatis adminiculis, et instrumentorum enunciativis, quæ satis superque sunt ad controversiam absolvendam *ad Text. in Cap. Licet exquadam* 47 *de Test.*, *et asses. Narescott. Consilus.* 512 *num.* 4. *Rota Dec.* 219 § 0 *cor. Coccino*, *Dec.* 7 *num.* 1 *et* 14 *cor. Bichio*, *Dec.* 907 § 34 *cor. Molines*, *et Dec.* 992 § 48 *cor. Eodem*; *Dec.* 878 *num.* 3 *cor. Lancetta*, *Dec.* 56 *num.* 8 *cor. De Vert*, *Dec.* 770 *n.* 8. *coram Donizzetti*, *Decis.* 245. §. 3, *et Decis.* 585 *numer.* 7 *coram Mo-* 9

Digitized by Google

*lines*; *Dec.* 101 *num.* 4 *part.* 18 *in Recent.*

10 Contra tot rerum congeriem unum tantum strenue opponebatur a reis conventis, scilicet non constare de legitimo matrimonio inter Thubiam Andreæ patrem, a quo actor Aleramus descendit, et Franciscam Doning; cum aliam uxorem habuisse Thobiam, nempe Benedictinam Spinula, idem constituere nisi sunt, cavillando super documentis ab Aleramo adductis, cum quibus ipse comprobaverat ejusdem Andreæ illegitimitatem. Sed incivilis omnino, et a facti veritate extorris videbatur hæc objectio. Perpendebant enim Patres Mei, quod mere negativa erat proposita illa illegitimitatis exceptio, quæ omnino se fundabat super defectu fidei præexistentis matrimonii, quod ex jure semper præsumitur. Sed si etiam per hypothesim id concederetur, nil tamen in casu concluderet; quia Andreas, cui illegitimatis nota appingitur, cum natus sit anno 1622, anterior proinde est Cardinali Lazzaro primogenituræ institutori, quem recte loquendo, præsumi haud potest rationem in suo scribendo elogio habuisse de illis quoque, qui suam præcesserant institutionem.

11 Inspecta vero proprius objecta exceptione, facilius quoqua excludebatur eamdem Benedictinam fuisse matrimonio junctam præcitato Thubiæ. Id minime scriptum legitur in documentis ab Aleramo productis, utpote prava lectione videre placuit reis conventis; sed potius ab iisdem compertissimum apparet eamdem Benedictinam uxorem fuisse quondam Baptistæ Pallavicinii, et Andreæ aviam. Gratuitæ hnjusce exceptionis futilitas funditus tandem climinabatur animadvertendo, quod non sine solemnitate Sacro fonte ablutus fuerit Andreas in Paræcia familiari S. Pancratii, et quod ipsius patrini fuerint vir illustris *Joannes Vincentius Imperiali*, *et Magnifica D. Felix Spinola.* Duæ hæ facti circumstantiæ, desumptæ ab ipsamet Baptismatis fide, facile suadebant Patres eumdem Andream habendum esse uti natum ex justis nuptiis, quod in qualibet hypothesi semper est præsumendum, nisi contrarium evidentissime probatur. Demum parvi æstimandum erat quidquid objiciebatur de altero Præsule Joanne Baptista, qui ab A. C. Turiozzi rejectus fuit ob illegitimitatis maculam. Ipsius illegitimitas uti vitium personale officere neutiquam potest Præsuli Aleramo; eo magis, quia Sententia illa, revisioni obnoxia, revocari potuisset, si transactionis ope contendentes rem componere non maluissent.

Et ita etc. Utraque etc.

---

## ROMANA

### LIBERTATIS BONORUM

*Lunae* 29. *Februarii* 1836.

### ARGUMENTUM

Motus proprius, *Pii VII* anni 1816, soluta fideicommissi vinculo declaravit bona quoties, perdurante gallica occupatione, alter ex hisce duobus extremis observaretur, videlicet vel quod fuissent - alienati e trasferiti nei terzi possessori- vel delata fuissent - a qualunque persona per la morte dei gravati accaduta durante la medesima epoca, a titolo di successione o testata, o intestata - Et in hisce casibus, vocabulum alienatio sumitur in lata significatione.

### SUMMARIUM

*1 Bona, quae valorem excedebant scutorum quindecim millium, ad vetus vinculum fideicommissi redire poterant, in vim notissimi Motus proprii 1816.*

*2, Pontificia lex Anni 1816 soluta a vinculo fideicommissi declaravit bona, quoties vel fuissent - alienati e trasferiti nei terzi possessori - vel delata fuissent - a qualunque persona per titolo di successione testata od intestata.*

*Et in praecedentibus casibus declaratur, quod verbum - alienazione - sumitur in lata significatione - ibi -*

*3. Res alienatae non videntur, quae adhuc in patrimonio venditoris manent.*

*4. Particula -- quae -- est copulativa quae jungit qualitatem praecedentem, subsequenti.*

*Sub dictione - alienazione - comprehenduntur tantummodo casus, in quibus bona*

*realiter ab actualis possessoris persona, in tertium acquirentem transit, a priori possessore prorsus diversum – ibi –*

5 *Proinde, si transactum fuit super bonis fideicommissariis, ac divisio expleta fuit, hic actus non importat alienationem juxta praecitatae legis sensum.*

6. *Heredes gravati, si per transactionem inter se res componant, non novum constituunt titulum, sed veterem tantum agnoscunt.*

7. *Verba, sunt semper intelligenda juxta mentem loquentium.*

8. *Clausulae nunquam immutant naturam actus cui famulantur.*

*Ex evictionis promissione, nunquam remissum censetur vinculum fideicommissi - ibi -*

9. *Quamvis Institutor fideicommissi, divisionem, prohibuerit, peragi nihilominus semper potest ex rationabili causa.*

10 *Diuturna observantia, normam praebet interpretationi voluntatis transigentium.*

11 *A Regula non est recedendum, nisi exceptio concludenter probetur.*

## DECISIO DXII.

Inter jurgia gravissima, et propemodum infinita, quibus causam præbuit Majoratus a Sa. Mem. Urbano VIII institutus, non ultimum tenet locum præsens controversia novissimis hisce temporibus a Viro Principe Mapheo Sciarra Colonna excitata ad bonorum libertatem propugnandam. Postrema siquidem ex agnatione inclitæ Familiæ Barberiniæ fuit D. Cornelia, nupta Julio Cæsari Columna De Sciarra, quæ utens facultate eligendi a majoratus institutore impertita, ad illum nominavit secundo natum Carolum, posthabito primogenito Urbano, quem satis superque ditatum ex Columnensi patrimonio perspexit.

Sævæ inter fratres, et diuturnæ dissentioni, quæ magis etiam incruduit post funus Matris, signum dedit istiusmodi nominatio. Urbanus enim contendebat, quod mater ob nonnullas expletas alienationes, in indictam caducitatis poenam incidisset, et sibi idcirco uti natu majori bona majoratus pleno jure essent adjicienda. Carolus e contra alienationes denegans, strenue pro sua nominatione pugnabat. Vario cessit marte disputatio, donec placuit S. N. Ordini rescribere = *Placere de concordia* =, extenso quoque in specie Voto Rotali, ut videre est in *Romana Majoratus super Restitutione in integrum* 11 *Januarii* 1808 *cor. Resta.*

Sed animorum infensio cum non permiserit, quod demandata divisio pacifice a Viris Principibus expleretur, *ex officio* eam iniit S. N. Auditorium. Bipartito itaque Majoratu, unicuique fratrum suam adscripsit quotam, cum expressa declaratione, quod super bonis divisis, atque adsignatis = *dovrà restare fermo il vincolo della primogenitura dei beni di Urbano VIII colle stesse leggi è facoltà di nominare a favore delle rispettive linee* =. At ex tenore trium Brevium, quibus Urbanus majoratum a se ante institutum firmaverat, auxeratque, præcipue commendabatur ipsius majoratus *individuitas*, quapropter cautum a N. S. Ordine fuit, quod rata firmaque in ævum superesse deberet inita divisio, cui = *non osti la individuità della primogenitura voluta da Urbano VIII il quale non può dirsi che abbia voluto ciò, che si oppone alle massime di buon costume* =.

Contigit interea, Gallis irrumptibus, publicarum rerum eversio. Tunc Carolus, cui permaxime displicuerat inita concordia, judicium instauravit coram instituta nuper *Aula Appellationis*: sed adverso prorsus omine: Tribunal enim, exclusa matris Corneliæ caducitate, nullam atque irritam declaravit nominationem ipsius favore expletam, et integrum Mapheo Barberini majoratum addixit. Unum erat Carolo ad Supremam Cassationis Aulam diffugium. At satius utrinque visum est novissimi judicii aleam effugere. Inita fuit igitur anno 1811 Lutetiæ Parisiorum solemnis conventio, qua jurgiis omnibus, atque prætentionibus compositis, universa majoratus substantia æqualiter bipartita fuit inter transigentes viros principes, qui mutuo sponderunt nullam se in posterum excitaturos molestiam super libera et pacifica adsignatorum bonorum possessione.

Restituto exinde legitimo SSmi Principis regimine, cum ad vitam ex Motu

Proprio anni 1816 revocata fuerint fideicommissa, eorumque indicta hypothecaria ;nscriptio, sollicitum se præbuit uterque Princeps do adnotandis in publicis Codicibus, uti primogenialibus, bonis ex transactione illa obventis. Nec plures insuper desiderantur actus, ex quibus indubie scatet, plene transigenses semper agnovisse, et admisisse in inscriptis bonis fideicommissariam qualitatem. Quin imo, cum vir Princeps Maphejus domesticis pressus necessitatibus, aliena indiguerit pecunia, supplex adivit Pontificem, ab eoque petiit, ut super iisdem bonis ad majoratum Barberini pertinentibus facultas sibi impertiretur hypothecas imponendi, cum derogatione contrariæ institutoris prohibitionis. Pro gratia benigne annuit Pontifex. At Princeps Franciscus Barberini, qui in juribus sui defuncti parentis Caroli jam successerat, vix ac agnovit Maphejum ære alieno implicasse bona primogenialia, supplex et ipse adivit Sacratissimum Principem instans, ut sibi præ primis concessa aperitione oris contra Chirographa ab eodem obtenta, liberum foret contra Maphejum agere coram S. N. Ordine pro inscriptarum hypothecarum delectione. Dum vero petitam veniam assequebatur Franciscus, Maphejus cor. Juridicis A. C. speciale instituebat judicium ad obtinendum, ut contra eumdem Franciscum declararetur, quod bona primogenialia, quæ in vim Pariensis transactionis obtinuerat, sibi essent a quovis primogenituræ, majoratus, vel substitutionis vinculo soluta. Ablegata per Supremæ Signaturæ Rescriptum istius quoque causæ ad S. N. Ordinem cognitione, curavit Vir Princeps Franciscus, ut singulæ controversiæ in præsentibus Comitiis una simul definirentur. Quocirca quoad instantiam a Maphejo promotam cum Patres Meos rogaverim, concinnata Dubii formula = *An constet de libertate bonorum in casu etc.* = Responsum accepi = *Negative* =.

1 Quod bona, de quibus agitur, fideicommissi vinculo subjecta fuerint ab Urbano VIII majoratus institutore, indubia res est; sicuti non controvertitur, quod bona transigentibus adsignata, cum valorem excedant scutorum *quindecim millium*, ad vetus vinculum redire potuerint in vim notissimæ sanctionis Motus Proprii editi a S. M. Pii VII anni 1816. Quæstio tantum est, an versemur in casu limitationis regulæ generalis indictæ ab Art. 131 ipsius Legis, an scilicet ipsa bona ob memoratam concordiam Anni 1821, uti *alienata* favore transigentium iure censenda sint; ita ut ad tramites invocatæ illius legis librum in posterum ipsi adepti sint eorum dominium, resolutumque fuerit quodcumque vinculum fideicommissarium. Vir Princeps Maphejus, qui unus bonorum libertatem in bodierno judicio conclamat, jugiter suadere nitebatur realem, absolutamque contigisse ipsorum alienationem ex ea transactione, attenta patula præcitatæ legis censura, qua declarasur verbum = *alienazione* = intelligendum esse = *nel suo largo significato* =.

Ut rite Patres Mei in dirimenda hac controversia procederent, animadvertere præprimis rati sunt, quod Pontificia lex anni 1816 soluta a fideicommissi vinculo declaravit bona quoties, perdurante Gallica occupatione, alter ex hisce duobus exremis observaretur, videlicet vel quod fuissent = *alienati e trasferiti nei terzi possessori* = vel delata fuissent = *a qualunque persona per la morte dei gravati accaduta durante la med. epoca a titolo di successione* o *testata o intestata* =. Nullum in casu bonorum transitum contigisse pacificum est. sicut indubium habemus nullam a gravatis ipsorum boaorum alienationem expletam fuisse, quamvis id eisdem liberum esset ex Gallicarum Legum imperio. Inspiciendum proinde solummodo est, an juxta mentem Legislatoris in lata significatione vocabuli = *alienazione* = comprebendatur etiam transactio anni 1811, prout est in votis instantis Mapheii. 2

3 At Patres Mei, dum facile conveniebant, quod mens Legislatoris fuerit, ut ad quoslibet casus dominia rerum transferentes extendi debeat verbum ipsum = *alienazione* =; sibi autem

persuadere haud potuere, quod sacratissimus Princeps diversam voluerit illo vocabulo appingere significationem ab ea, quam importat ipsius vocabuli germanus usus. Proinde alienare, cum nil aliud sit, quam rem, vel jus quoddam e suo patrimonio, vel bonis dimittere teste *Calvino in suo juris lexic. verb. alienare*, et cum res alienatæ non videantur, quæ adhuc in venditoris patrimonio maneant, teste *Vicat. vocabul. jur. eod. verbo*, concludendum proinde jure statuerunt, in sensu etiam invocatæ legis anni 1816, dici haud posse, quod aliqua in casu intercessisset bonorum alienatio. Ex præfata etenim transactione simplex tantummodo bonorum divisio facta fuit inter viros Principes, qui illuc usque dimicaverant, ut unicuique integri majoratus dominium decerneretur ex juribus *successionis*, quæ privative sibi competere uterque autumabat.

4 Quid autem legislator juricatam illius vocabuli significationem voluerit, luculentissime colligitur etiam ex ipsius legis litera. Hæc postquam libera declaravit bona, quæ de tempore Gallicæ occupationis *alienato* probarentur continuo, addidit = *e trasferiti nei terzi* o *titolo oneroso*, *lucrativo* o *misto* =. Adbibita illa particula, et quæ suapte natura est copulativa, cum jungat qualitatem præcedentis subsequenti, *Barboso de dict. usu frequent. verb. Et*; id sane ostendit, ex ipsa legislatoris mente sub dictione = *alienazione* = comprehendendos esse tantummodo casus, in quibus realis observaretur bonorum transitus ab actualis possessoris persona in tertium quemlibet adquirentem a priori possessore prorsus diversum. Nec alia profecto mens adtribui poterat legislatori, semel ac constat indubie innocuis tertiis possessoribus favere ipsum voluisse. Si indiscriminatim ab eo indicta fuisset fideicommissorum reintegratio, sequeretur, vel quod cogendi fuissent ii possessores ad restituenda bona jam legitime avulsa a fideicommisso; et maxima cum bona fide ab eisdem adepta, vel deberent pati, quod bona facta iterum fideicommissaria manerent apud extraneos, etsi ii ex peculiari titulo, et non ex institutoris vocatione illa bona possiderent. At, excluso bonorum transito in tertios possessores cum admitti nullimode possit hæc abnormitas, de plano consequitur, quod cessare omnino debeat favor legis, quo deficiente, in auras ex necessitate abire debet ratio libertatis, et reviviscere debent postremæ morientium voluntates.

Perpensis hisce rationum momentis, 5
facile comperitur, quam male Princeps Maphejus sibi suaserit, quod inita transactio libera reddere potuerit bona sibi adsignata, de quibus res est in præsenti judicio. Et revera ex ipsamet transactione colligitur, transigentes viros Princeps non bonorum alienationem, sed divisionem explere tantummodo voluisse. Ipsi cum jurgia omnia componere inter se constituissent, haud certe innovare cogitarunt titulum possessionis, sed solummodo confirmarunt jus, quo eorum uterque ex Rotali indicta concordia potiebatur. Nec ad trutinam revocatis factis præcedentibus secus res procedere poterat. Inter ipsos enim adhuc perdorabat quæstio a pluribus annis excitata super validitate nominationis actæ a Cornelia, quod nil minus importabat, quam ut incertus adhuc esset legitimus possessor majoratus. Unusquisque enim sibi arrogabat integram successionem. Proinde controversia nondum absoluta possidere bona jam tradita uterque debebat nomine *illius*, qui in litis exitu legitimus heres declaratus fuisset. Sed periculo definitivæ Sententiæ amicam concordiam preferre ipsi maluerunt. Et cum in ra probata, ac conventa tantummodo fuerit divisio bonorum, quæ actu ab iisdem possidebantur, plusquam fundo assequi possit, ex hoc compertum habemus ex inita transactione nihil innovatum fuisse, quoad primævum titulum fideicommissi; sed potius constituere debemus duas, loco unius, personas vocatas fuisse ad majoratus compendium in posterum perfruendum ex præcedenti titulo, *ad Text. in Leg. si pro fundo Cod. de Transact. Menoch. Cons.* 38 *n. Urceol. de Transact. Quaest.* 82 *n.* 30 *Card. De Lu-*

Digitized by Google

*ca de Feudis disc.* 47 *n.* 9 *tit. de Regal. disc.* 50 *n.* 7 *et disc.* 93 *n.* 9 *Bonfin. de jur. Fideicom. Tit.* 3 *disp.* 109 *n.* 38.

6 Nec utique si valuissent, transigentes eumdem titulum immutare valuissent. Habemus enim ex jure. heredes gravatos, si ad evitandum incertum litis eventum inter se res componant, inita transactione non novum constituere titulum, sed veterem tantum agnoscere, atque confirmare, veluti tradunt *Molin. de just. et jur. Tom.* 3 *disc.* 556 *n.* 8 *Sobell. verb. Transact. pag.* 318 *n.* 10 *Valeron. de Transact. Tit.* 4 *Quæst.* 2 *n.* 31 *Grotian. discept. Foren. Cap.* 476 § 12 *et* 13 *et S. Rota dec.* 622 *num.* 5 *et seqq. cor. Cerro, dec.* 766 § 11 *cor. Merlino dec.* 218 *n.* 9 *cor. Crispo.* Quæ juris conclusio, si viro Principi Maphejo non arridet, et verior ab ipso censeatur sententia eorum, quibus inter alienationum species recensere placet etiam transactionem, fortius tunc contra eumdem absoluta dicenda erat præsens controversia. Et revera ipse post editam sententiam Aulæ Appellationis legitimus factus est possessor totius majoratus, super cujus possessione strenue illuc usque cum Carolo dimicaverat: Admisso igitur, quod uti alienata censeri debeant bona utrique adsignata ope memoratæ transactionis, recto tramite fluit, quod non bona, quæ ipse Maphæjus retinuit, sed illa potius, quæ in Principem Barberini ex illa transactione translulit, ne coram Supremo Cessationis Tribunali sua jura deduceret, libera ad summum hodie renuncianda forent. Sed cum utrinque transigenteres veteres sopire controversias et pacificam sibi pacisci possessionem in adsignatis bonis unice voluerint, concludere oportet, quod ipsi sibi super bonis divisis propriam reservarunt vocationem, juxta mentem testatoris, et minime sibi persuasum habuerunt, quod ex ineunda divisione bona in posterum libera effici debuissent; secus enim expressissimis verbis fideicommisso nuncium remittendum fuisset, ad *Text. in Leg. Cum pater* § *hereditatem ff de Legat.* 2 *Leg. qui Romæ* § *Duo fratres ff de Verb. oblig. Fusar. de Subst. Quæst.* 393 § 6 *et* 7 *et Sac. Rota in Fanen. Immissionis* 26 *Martii* 1792 § 13 *cor. Acciajoli*; quod in facto probatur nec excogitatum fuisse, nec potuisse excogitari, cum de eo tempore vaticinari nemo posset vincula fideicommissi quandoque foret restituta.

Misero autem studio ad fulciendam 7 propositam actionem Maphejus in medium adferebat *verbo* huc illuc ex transactionis instrumento decerpta, quibus viri Principes mutuo sibi expromiserunt liberum et plenum bonorum dominium: sicuti perperam ab eo invocabantur *clausulæ*, et expressa *voluntas* S. M. Urbani VIII quod bona majoratus nunquam dividi possent, sed in in uno tantum capite perpetuo manere deberent ad familiæ perpetuitatem. Ad has diluendas exceptiones animadvertebant præprimis Patres, quod attinet ad *verba*, hæc intelligenda semper esse juxta mentem loquentium. Memoriæ proinde repetere juvat, quod uterque ex transigentibus legi institutionis innixus privativam integri majoratus possessionem judicialiter impetiverit. Item quod ex Rotali concordia uterque uti successor in controverso majoratus, jus habebat ad bonorum medietatem. Item, quod postea a Carolo reintegrato certamine coram Aula Appellationis, favorabilem ipsemet Maphejus retulit Sententiam, quæ ei tribuit jus ad assequendam integram primogenituram. Si loco vindicandi bona, ex Rotali antecedenti concordia jam divisa, ipse maluit, initam confirmare, et renovare divisionem, et jus Carolo tribuere retinendi bona jam possessa, quin in posterum alter alteri ex quolibet colore ullam molestiam inferre posset, manifestum fit, quod transigentium verba referre omnino oportet ad confirmandum in eisdem adsignatorum bonorum dominium, ad effectum, ut nemo ex iis posset deinceps ad vitam revocare controversam prælativam vocationem ad majoratum, cui nuncium ex inita concordia missum fuerat.

Item dicendum est *de clausulis*, quæ 8 semper interpretandæ sunt, habito respectu ad naturam contractus, cui sub-

Digitized by Google

jiciuntur. Habemus enim ex jure, quod clausulæ minime immutant naturam actus, cui famulantur, et multo minus aptæ sunt ad inducendam fideicommissi remissionem. *Decis. Civitatis Plebis Laudi* 10 *Junii* 1771 § 19 *cor. Mannelli, et Fanen. Immissionis* 26 *Martii* 1792 § 14 *cor. Acciajoli*. Nec in specie relevat, quod transigentes juribus omnibus valedixerint = *colla piena Clausola del Costituto in forma ed effetto del Precario* =, et quod sibi promiserint = *l' evizione generale è particolare in tutti i casi possibili* =. Quod enim attinet ad clausolam constituti efficacissima quidem hæc est, ubi agitur de juribus futuris; præsentem causam præseferentibus; at nullius roboris censetur, ubi juribus futuris, futuram causam habentibus prout adamussim est casus non prævidendæ posterius obventæ fideicommissorum redintegrationis *Bartol. in L. Duos Fratres n.* 19 *Ripa n.* 18 *Menoch. de præsumpt. lib.* 3 *præsumpt.* 115 *n.* 37 *et Fusar. de Subst. Quæst.* 593 *n.* 91, ex in concussa juris regula, quod voluntas non fertur ad incognita *Bart. cit. Leg. Quæst.* 5 *et Fusar. Cit. Quaest. num.* 104. Nec minus perperam objicitus evictionis promissio ad comprobandam in transigentibus intentionem remittendi fideicommissi vinculum; ex jure enim habemus, ex evictionis promissione nunquam remissum censeri vinculum fideicommissi. *Tiraquel. de Retract. signat.* § 2 *hloss.* 9 *n.* 35 *Gratian. discept.* 234 *n.* 1 2 *Cyriac. contr.* 232 *n.* 8 *Petra de Fideicom. Quaest.* 14 *n.* 35 *et seq. Peregrin. Art.* 52 *num.* 69 *Michalor. de fratr. par.* 3 *Cap.* 41 *n.* 58 *De Luca de Fideicom. discep.* 51 *n.* 20 *Menoch. de Praesumpt. lib.* 3 *Praesumpt.* 115 § 12 *et Bofin. de jure Fideicom. Tit.* 3 *disput.* 126 § 15. Quin in contrarium quidquam facessit haud excogitata, quæ accidit, fideicommissorum redingratio. Eadem enim procul a transigentium facto ex Supremo Principis imperio manavit.

9 Rem tandom non immutat objecta *divisionis prohitio*. Hanc enim efficaciter objicierc Maphejus valuisset, si *voluntarie* inter partes inita fuisset; sed cum ex rationalibus causis expleta fuerit, nullo certe in pretio habenda erat ad monita per *Caccialup. de tractat. inter Tract. magn. t.* 6 *par.* 1 *pag.* 37 *Urceol. de Transact. in Exor. n.* 16 *et S. Rota in Dec. Romana seu Mediolanen. Transact.* 7 *Junii* 1754 *n.* 10 11 *coram Vicecomite, et in Confirmatoria* 17 *Februasii* 1755 § 7 *cor. Eod.*, præsertim quia ex divisa *in duo capita* majoratus substantia, intimior institutoris voluntas haud pessumdata poterat renunciari ad *Text. in Leg. In rem* § *Item quaecumque ff de Rei Vindicat. et in Leg. Gallus* § *Quid si tandem ff de liberis et posthum. Peregrin. de Fideicomm. Art.* 11 *n.* 47 *Menoch. con.* 432 *n.* 2 *e. seq. et S. Rota in Perusina Successionis* 11 *Junii* 1751 *n.* 5 *in fin. cor. Canilliac. et in Tolentina Fideicom. et divisionis* 21 *Aprilis* 1752 § 7 *cor. Elephantutio*.

Sed si forte aliqua adhuc dubietas superesse videatur circa transigentium mentem, eam procul dubio absolvit posterior eorum observantia. Innumera enim extant monumenta, quæ præsertim ostendunt Maphejum semper retinuisse, quod fideicommissi vincula super suis bonis adhuc consisterent. Et revera vix ac prodiit lex anni 1816 in publicis codicibus uti fideicommissaria inscripsit bona stabilia, quæ ex inita transactione anni 1811 sibi reservaverat. Cum vero res pretiosas ipse inscribere omisisset, et de hac omissione Princeps Barberini conquestus esset cor. Pontifice, post rem diu discussam, Maphejus ipsas res pretiosas inscripsit, expresse declarans, se id peragere = *in esecuzione della Sovrana risoluzione* =, qua recognita fuerat existentia majoratus Barberini. Iterum hoc ipsum agnovit Maphejus, dum supplex a Pontifice veniam expostulavit hypothecas imponendi super bonis fideicommissariis, et dum, conventa marmoreorum signorum venditione cum Principe Hereditario Bavariæ contractus perfectionem devinxit conditioni, quatenus = *la Santità di Nostro Signore si compiaccia di permetterlo, togliendo i vincoli e proibizione del Pontefice Urbano VIII che vietò ai possessori del Maggiorasco Barberini ogni minima alienazione* =. 10

Digitized by Google

Postremo invicte ipsius Mapheii conscientiam evincit eominatio, quam ipse utens facultate ab Urbano VIII impertita, explevit die 14 Maii anni 1822 favore sui fratris Prosperi, quam vovit = *alla successione dei beni attualmente da lui posseduti soggetti al Maggiorato, ossia gius succedendi Barberini* = Ex luculentissimis hisce factis diuturna exurgit observantia quæ normam præbet interpretationi voluntatis transigentium prout docuit *Barbosa in Leg. post datam num.* 47 *et seqq. ff solut. matrim. Leg. si de interpretatione ff de Leg. et Leg. Quaedam ff de reb. dub. Valen. Cons.* 79 *n.* 29 *Fontanel. claus.* 6 *Glos.* 3 *Part.* 2 *n.* 39 *Card. De Luca de donat. disc.* 49 *n.* 4 *et S. Rota in Auximana Bonorum super Fructibus* 19 *Junii* 1750 § 9 *cor. Molino, in Romana seu Fanen. Pecuniaria* 15 *Februarii* 1754 § 16 *cor. Bourull., in Veliterna juris Pascendi* 15 *Junii* 1769 § 9 *cor. Francipane, et in Sutrin. seu Portuen. Damnorum* 26 *Novembris* 1759 § 7 *cor. Paracciano.* Nec in contractum lacessit futilis objecta exceptio *ignorantiae* qua Maphejum ad mox recensitas agnitiones, et confessiones edendas ductum ipsius defensores insinuare tentabant; nam objectionem funditus ignorantiam nulla admittitur excusatio ad *Text. in Leg.* 9 *ff de juris et fact. ignorantia, et S. Rota in Romana Adsignamenti* 21 *Novembris* 1757 § 12 *cor. Canilliac. et in Senogallien. Avaniae* 14 *Februarii* 1785 § 6 *cor. Azevedo.*

11 Quapropter Patres mei, admissa in viro Principe Mapheio absoluta præexistentis oneris scientia, rati sunt nullo modo admittendo esse petitam bonorum libertatem. Enucleatis enim animadversionibus, altera hæc quoque ratio accedebat, eempe quod Maphejus ad libertatem comprobandam omnino se fundabat in *limitatione* præcitatæ legis anni 1816, dum e contra vir Princeps Barberinius sui favore invabat ipsam legem fideicommissorum restitutricem, quo in casu ex jure Francisci potius, quam Mapheji favore erat præsens quæstio dirimenda ex recepta ratione quod *a regula* non sit recedendum, nisi exceptio concludenter probetur vel digito demonstretur adesse casum ipsius limitationis *ad Text. in Leg. ult. cod. de prob. Argel. Cons.* 191 *n.* 1 *Surd. Cons.* 552 *n.* 74 *Marcscott. Variar. Resolut. lib.* 10 *discept.* 72 *n.* 4 *et S. Rota in Recen. dec.* 347 *n.* 33 *Part.* 12 *dec.* 43 *n.* 7 *Part.* 17 *dec.* 429 *Par.* 19 *n.* 1 *dec.* 161 *n.* 12 *cor. Ubaldo, dec.* 13 *n.* 3 *Tit.* 27 *de Probat. cor. Falconerio, dec.* 612 *n.* 26 *cor. Ansaldo, dec.* 436 § 12 *coram Priolo, et in Romana seu Forosempron. Immissionis* 5 *Maii* 1755 § 8 *coram Paracciano.*

Et ita in alacri Partium conflictu decisum est, universæ Aulæ cum voto.

---

## ROMANA LOCATIONIS

*Veneris* 15 *Januarii* 1836.

### ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

#### SUMMARIUM

1. *Administrator tenetur non pro gestis tantum, sed et pro gerendis, et non solum pro pecunia exacta, sed et pro exigenda.*
2. *Syndaco administratori onus incumbit cavere, ne coetus creditorum fructibus fraudetur.*
3. *Unicuique, quoad contractus ineundos, liberum jus est, res moderandi propria arbitratu.*
4. *Nemo potest a praestitutis pactis declinare nisi aliquid non gravis, sed vero illiciti eidem concurrere constet.*

### DECISIO DXIII.

Syndaci judicialiter præpositi negociis curandis decocti Abrahami Vitalis de Vivoli cum cognoverint Petrum Rossi sine locatione unam retinere diaetam cujusdam domus, ad patrimonium administratum pertinentis, quin aliquid responsionis causa repræsentaret eum egerunt de assueta conscribenda apoca, ut ex ea in posterum appareret conventæ pensionis quantitas, et singulæ conditiones, quibus alliganda erat futura conductio. At Petrus tergiversa-

tionibus, ac theenis utens contractum inire detractavit, nec a domu recedere voluit. Pertæsi tandem syndaci de ipsius agendi methodo, in actis folium referre curarunt in quo obsignatæ erant conditiones futuræ ineundæ locationis. Contextim autem coram prima Sectione Tribunalis A. C. insteterunt, ut terminus præfiniretur Petro ad ipsam locationem stipulandam, quo termino inutiliter elapso, et apocha non conscripta, damnaretur idem Petrus ad evacuandum. Consonam propositæ instantiæ A. C. Tribunal edidit suam sententiam sub die tertia mensis Septembris mox elapsi, a qua autem cum provocaverit Petrus, causa concedit ad S. N. Ordinem, cujus judicium ego hac mane requisivi, proposita dubii formula = *An sit locus præfixioni termini pro stipulatione locationis et relaxationi mandati de evacuando in casu etc.* = At Petrus qui melius omen sibi polliceri inutili prorsus videbatur, vadimonium deseruit, quare PP. mei in ipsius silentio rescripserunt = *Pro informante* = scilicet = *Affirmative juxta modum nempe ad formam Sententiæ.*

1 Pacificum est in jure, quod præcipua cujuslibet administsatoris cura esse debeat majorem promovere utilitatem rei sibi commissæ, eo magis quia, procuratori cum administrator æquiparetur tenetur ipse non pro gestis tantummodo rebus, sed et pro gerendis, sicuti quoque non pro pecunia solum exacta, sed et de exigenda *ad text. in leg* 21 *Cod. Mandati*; *Bruneman in Pandectas cib.* 26 *tit.* 2 *leg.* 32 *Escobor. de Ratiolin. admiscist. Cap.* 16 *num.* 1. *et S. Rota in Bononien. Pecuniaria* 16 *Julii* 1827 §. 2 *cor. R. P. D. Ruspoli.*

2 Posita igitur ex jure in syndacis taxativa obligatione curandi majorem administrati patrimonii utilitatem, patens, ac propatula erat justitia promotæ actionis. Agitur enim de domus contignatione a Petro inabitata quin obulum ipse rependeat conductionis gratia. Nequibant igitur syndaci ulterius arbitrariam hanc occupationem permittere; sed præcipua eisdem incumbebat obligatio curandi, ne amplius creditorum coetus de justo ipsius diaetæ compendio defraudaretur. Aequitati non minus quam justitiæ consonum proinde videbatur, ut a Petro vel obsignaretur locationis apocha juxta pacta singula inexhibito folio contenta, vel ut libera ab eo redderetur contignatio, de qua res est.

Nec utique ad juridicam hanc consequentiam divellendam exceptio proficua esset, quod gravamen reperiatnr in oblatis conditionibus. Id enim excludit simplex eorum enucleatio. Requirebatur præ primis quod apochæ conscriptionem præcederet = *una precisa descrizione del piano* = quod ineundæ locationis tempus = *verrà fissato per un anno* = ; quod pensio in quantitate scutorum 80: jam antea definita a perito Architecto Petro Gambao = *verrà pagata di tre in tre mesi anticipatamente* = exhibitio ad cautionem = *un fideiussore solidale in persona idonea* » Singulæ hæc conditiones cum apprime conveniunt indoli contractus ineundi, sunt a Petro ad unguem observandæ, et si forte nimis graves easdem ipsi apparerent. Prohibitum enim est eidem aliquid in contrarsum obmurmurare ex compertissima ratione, quod unicuique quod contractus ineundos liberum jus sit res moderandi proprio arbitratu; in iis præcipue quæ non sunt *de essentia sed de natura* contractus prout in specie tradunt *Ulpianus in leg.* 31 *ff. de Pactis, et Paulus in leg.* 10 *Cod. Eod.* 3

Id circo juridici A. C. merito animadvertentes easdem conditiones omnino convenire = *in tutto, e per tutto alle leggi, e consuetudini osservate nei contratti locatizi*, = terminum dierum quindecim Petro constituerunt, vel ad apocham obligandam juxta pacta oblata, vel ad liberam vacuamque domino reddendum Syndacis domus contingnationem, ut de ea deinceps ad lubitum disponere possent. Quapropter Patres mei A. C. sententiam confirmantes, rite recteque definierunt neutiquam posse Petrum a præstitutis pactis declinare, nisi aliquid non *gravis*, sed vero *illiciti*, in easdem concurrere prorsus constet, cum domino, vel administratori, qui pro domino possidet, suas res proprio arbitratu moderari liberum semper esse debeat. 4

Et ita etc. Altera tantum etc.

Digitized by Google

## ROMANA NULLITATIS EXECUTIONIS

*Lunae* 20. *Julii* 1836.

### ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1 *Executio valida ab initio, infirmari non debet, si aliquid minus legitime, post commissam executionem, actum sit.*

2. *Processus patratae executionis exhiberi debet in actis Cancellariae Tribunalis primae actionis.*

### DECISIO DXIV.

Debitor evaserat Comes Antonius Foschi, ad diem 27 Junii anni 1831 pro residuo pretio pecudis, anno 1820 una cum Eusebio Guardarucci, empti ab Ignatio Pasqualuccio, nec non ob decursos, et non solutos fructus quantitatis scutor. 4251 96 ad quam condicendam creditor Pasqualuccius judicialem promoverat actionem coram Innocentianis Judicibus, qui favorabiliter exceperunt ejusdem instantiam sub die 9 Julii anni 1832.

Actum tunc fuit de concordia, quæ cum in irritum cesserit, curavit Pasqualuccius editam Sententiam exequi super quadam frumenti quantitate, et super nonnullis animalibus quæ invenit in præsidiis a debitore Fuschio possessis in districtu » *le Macerie di Matelica* » qui jurisdictioni subest Tribunalis Civilis Primarum Actionum Camerini. Postridie commissæ executioni die scilicet 13 Augusti 1833., curavit Pasqualuccius ad acta ipsius Tribunalis verbalem processum peractæ oppignorationis deducere, prout vigens jubet Praxeos Lex. At Comes, cui permaxime displicuerat perpassa executio ad A. C. Triumviros convolavit, petiitque ad urgentiam ipsius nullitatem, fretus art. 1266. Piani Codicis, juxta quem illius processus exhibitio explenda fuisset » *nella Cancelleria del luogo ove fu commessa l'esecuzione* » Quocirca Judices illi, ex adducto testimonio Cancellariæ Matelicæ cum certi facti fuisse processum, amica Sententia admisere Comitis petitionem. Ab illa provocavit Pasqualuccius, et, cum pro sui crediti exactione speciale Dubium proponi curaverit, prout videndum est in coæva mea Decisione *Romana Pecuniaria*, censuit quoque in præsenti controversia alterum Patrum judicio proponi dubium = *An constet de nullitate executionis, seu potius de illius validitate et sit locus reportationi pignoris in casu etc.* = quod in silentio emptorum Patres Mei dimiserunt assueto Rescripto = *Pro informante* = scilicet = *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, et esse locum reportationi pignoris* =

1 Grave siquidem videbatur quo A. C. Sententia assertam executionis nullitatem admittere voluisset ex unica tantum ratione, quod nulli essent actus, postea expleti: si enim verum hoc in Jure probaretur, consequeretur tunc, quod cujuslibet actus validitas, vel nullitas pendere omnino deberet ab eo, quod in posterum contingere posset; itaut nil ex se validum dijudicari unquam posset, cum semper inspici oporteret quidquid in posterum obventurum fuisset. Recte proinde S. Noster Ordo animadvertebat, quod si aliquid minus legitime actum in casu probetur, post commissam executionem, hoc nullitatem saltem constituere valebit subhastationis, et deliberationis rerum executioni commissarum, ut minime infirmari poterit ipsa executio, quæ si valida fuit ab initio, valida in posterum renunciari omnino debet.

2 At præter necessitatem id animadvertebatur, nam in specie editæ A. C. Sententiæ injustitia facile contrectabatur perpendendo, quod Juridici illi Viri propositam definiverint controversiam cum invocata Piana Lege, potiusquam cum Gregoriana Praxi, ut debuisset, cum hæc, et non ulla vigeret de tempore promoti judicii. Et revera dum invocata Lex Piana, præscribebat quod processus exhibendus esset = *nella Cancellaria del luogo, ove fu commessa l'esecuzione* = vigens Praxis in Art. 215 hoc tantum retinuit, quod = *li atti di*

*subasta, e delibera* » in casu quod » *la somma del credito contenuta nella Sentenza*, o *cosa Giudicata non è maggiore di duecento scudi* » quia » *negli altri casi si faranno avanti i Tribunali Civili* ». Cum itaque res esset de credito quantitatem scutor. 200 excedente jure meritoque Pasqoaluccius exhibere curavit processum patratæ executionis in actis Cancellariæ Tribonalis Primæ Actionis Camerini ; nam si illud exhiberi curasset in Cancellaria Guberni Matelicæ, ex vigentis Legis censura tunc in illam incidisset nullitatem, de qua perperam patrata executio incusata fuit a Foschio cor. A. C. Triumviris qui illam contra Legem admisere, causam dijudicantes ad tramites Legis jam abrogatæ, non juxta illam vigentem.

Et ita etc. Altera tantum etc.

---

## ROMANA NULLITATIS TESTAMENTI

*Lunae 4. Junii* 1836.

### ARGUMENTUM

Cardinalibus, dom maximo illo omnium bonore ab Summo Pontifice cohonestantur[1], eodem tempore in creationis Diplomate teibuitur privilegium, ut testamentum faciant, quomodo poterunt. Proinde dummodo constet de voluntate, in Cardinalium testamentis, nullis aliis solemniis opus est.

#### SUMMARIUM

1 *Cardinales, testamentum facere possunt, quomodo volunt, et quomodo possunt.*

*Testamenta ad pias causas, dummoda de voluntate constet, aliis solemnis non indigent – ibi –*

2. *Qui in scriptis testari noluit, subscritionis defectus testomenti validitati nihil detrahit.*

3. *In testamento privilegiato voluntas eruitur, ex testibus, et ex circumstantiis, quas praecessere ac exbequutae sunt testamenti factionem.*

4. *Tres testes, qui nullum in causa interesse habeant, si de testamento privilegiato agitur, plenessime voluntatem probant.*

5. *Eruitur etiam voluntas in testamentis privilegiatis, ex iis omnibus quae peragit testator, quae peragere nequivisset, si ultimam suam voluntatem non pandidisset.*

6. *Praecordinata voluntas, posteriori testamento omnimodam conciliat fidem.*

7. *Testes de insania testatoris deponentes, posthabendi omnina sunt, dum alii adsunt, qui mentis sanitatem attestantur.*

8. *Testamentum integra Cardinalis manu scriptum, et subsignatum, nulli est exceptioni obnoxium.*

### DECISIO DXV.

Testamentariam schedam cla. mem. Cardinalis Julii Mariæ De Somalea, quam, Eminentissimo ipso Viro dictante, adstanteque tabellione Bartholomæo Josepho Offredi, *die* 31 *Martii anni* 1830 conscripserat eximios SacerdosJosephus Tarnassi, in qua nuncupavit quoad patria bona hæredes propinquos suos Comites Cajetanum, Carolum Augustum, atque Julium Mariam De Somalea, quo vero ad bona in Pontificia ditione posita vocavit fiduciarium hæredem tunc Præsulem Sacræ Congregationis Propagandæ Fidei Secretarium, nunc S. R. E. Cardinalem, Castruccium Castracane, a quo declaratum fuit suam reliquisse in Pontificia ditione hæreditatem Eminentissimum De Somalea S. ipsi Propagandæ Fidei Congregationi, utpote eam, quæ supremam Testatoris haud præseferret voluntatem, eo quia sui non compotem, quo tempore ea fuerat conscripta, Cardinalem dictitabant, nullam apud A. C. Tribunal intestati Cardinalis hæredes ipsi Comites Cajetanus, ac Carolus, Augustus De Somalea conclamaverant, eam ob rem intestatam postulantes successionem. Rejecit A. C. Judex, Præsul Pentinius utrumque postulatum: ex quo factum, ut, provocatione interjecta, veneril Causa ad S. Nostrum Tribunal sub die 3 *Junii* 1833. Ponente Eminentissimo Spada, qui senior tunc S. Ipso sedebat in Ordine. Differre eo die placuit Causæ definitionem, quorumdam testium formali imperato examine. A qua pronunciatione cum S. Propagandæ Fidei Congregatio appellaverit, ac servari in suspensivo appellationem apud R.

P. D. Meum De Avellà fuerit definitum, ope subrogationis in nosmetipsos factæ, eo quia ex sedium mutatione rediissent ad ferendum judicium limet ex Patribus, qui decretum pro examine tulerant, de qua etiam re disceptare apud S. Ordinem hæredibus De Somalea, placuit, hodie mane, dum proponebam quoad Rotalis Decreti justitiam rogationem, infirmandumque illud PP. DD. censuerunt, veluti ex mea sub hac quoque die edita Decisione, in qua facti diligentissimam conscripsi historiam atque cuncta hæc fusius fuere enarrata, videre quisque potest, et quoad testamenti nullitatem quæsivi = *An constet de Nullitate Testamenti in casu etc.* = responsumque accepi = *Negative* =.

1 Et merito sane. Nullum quippe esse testamentum potest, aut propter solemnium omissionem, aut propter aliquem voluntatis defectum. At ineptum de Solemnium omissione quærere. Testamentum namque Cardinalis exarabat, ejusque dispositio Piissimam Causam respiciebat. At nemo ignorat Cardinalibus, dum maximo illo omnium honore ab summo Pontifice cohonestantur, eodem tempore in creationis Diplomate tribui privilegium, ut testamentum faciant = *quomodo volent*, *et quomodo poterunt* =; quemadmodum, missis cæteris docet S. Rota *in Dec.* 306 *n.* 2 *cor. Crispo, et in Neapolitana, seu Foroliviens. Legati* 28 *Aprilis* 1828 §§ 3 *et* 4 *cor. R. P. D. meo Bofondi.* Aeque autem nulli ignotum testamenti erga Piam Causam conditi esse privilegium, ut dum de testatoris voluntate constet, ad instar testamentorum militum, de solemniis nulla esse sollicitudo debet. Ita firmatum *a S. N. Ordine in dec.* 430 *num.* 1 *cor. Lancetta*; *in Compsana immissionis* 24 *Januarii* 1717 § 3 *Cor. Scotto*; *in Asculana Immissionis* 21 *Julii* 1757 § 4 *cor. Canillac*; *atque in Imolen. Testamenti* 12 *Maii* 1825 *cor. Emo Spada.*

2 De omissione itaque solemnium nonnisi per ineptiam disceptaretur. Nec, eo quia testamentariam schedam Vir Eminentissimus haud subsignavit, hac ex omissione fuisset illa despicienda. Non enim testar Solemniter in scriptis Cardinalis voluit, sed, privilegio sui Ordinis utens, voluit suam Confessario, qui Schedam scripsit, tabellione Offredio adstante, atque fiduciario evocato hæredi, verbis patefacere voluntatem; Quo in themate nil subscriptionis defectus testamenti detrahit validitati, cujus probationem, longe a subscriptione infide testium Eminentissimus reposueret, quemadmodum optime *Rota in Dec.* 411 *num.* 1 *part.* 4 *tom.* 1 *Recentior, in Romana Hæreditatis* 1 *Februarii, et* 21 *Junii* 715 *coram Crispo; in Altera Romana Hæreditatis* 4 *Maii* 1716 *coram Cerro; atque in Romana Immissionis* 29 *Aprilis* 1709 *coram Scotto docet Card. Lanfredinius in Res.* 24 *n.* 10 13, *ac* 16.

Unum quapropter, missa hac inanissima quæstione supererat inquirendum, 3
num controversa scheda Cardinalis testatoris præseferret voluntatem. At de hoc dubitare, nec temporis momento licuisset. Quo enim te vertas voluntatis probationem videre potes. Quæ acta testamenti tempore, quæ illud fuere subsequuta, ac denique, quæ ipsum præcessere, cuncta demonstrant eam fuisse Cardinalis voluntatem, ut quæ Romæ bona possidebat S. Propagandæ Fidei Congregationi relinqueret. De iis, quæ tempore testamenti evenerunt, testes habemus luculentissimos eximium Sacerdotem Tarnassium, qui schedam conscripsit; tabellionem Offredi, virum probatissimum, qui ad hoc evocatus, testamenti factioni præfuit; ac denique Virum Eminentissimum Fiduciarium hæredem, qui accitus venit, ut relictam sibi fiduciam testatoris ex ore acciperet. Atqui narrat Tarnassius sese scripsisse = *quanto Egli* ( Eminentissimus testator ) *andava dicendo* = a quo intellexerat = *chiaramente, che di tutto ciò, che egli aveva in Roma, ed in qualunque luogo dello stato Ecclesiastico, istituiva un erede fiduciario nella persona di sua Eccellenza Reverendissima Monsignor Castracane, Segretario della Sacra Congregazione di Propaganda Fide, a cui aveva già dichiarate le sue intenzioni* =

Digitized by Google

Cæteroquin Ecclesiasticam extra ditionem bona relinquebat propinquis. Huic Offredius concinit, dum exponit = *Sua Eminenza nominò per suo Erede Universale, ma fiduciario, e per li beni soltanto di Roma, e dello Stato Pontificio il Segretario di Propaganda Fide Monsignor Castruccio Castracane* =, *qui denique vir Eminentissimus deponet, testatorem* = *mi ripetè presso a poco negli stessi termini, quando la sera del 13 Marzo mi aveva espresso, aggiungendomi di passare d' intelligenza nell' esecuzione della ultima volontà con il Signor Cardinal Cappellari da buoni Amici.*

4 Tres itaque adsunt testes, qui de contenta in Scheda Eminentissimi voluntate uno ore deponunt. Testes autem instructissimi, probatissimi omnes, nullum in Causa interesse habentes, qui itaque plenam voluntatis probationem plenissime conficerent. Nam = *In ore duorum, vel trium stat omne verbum* = *prout in Cap. Relatum de Testamen. Adjiciendi* vero sunt plures alii, qui fieri ab Eminentissimo De Somalea testamentum, atque ex opera illorum, qui illud reapse coufererant proprio ex facto deponebant. Sacerdos Menichellius, Cardinalis ab epistolis, novit ab illo, quod et condere testamentum vellet, et jussus in id fuit evocare Offredium, qui edoctus jam de sua voluntate fuerat; cubicularius Tejus, qui proferri hæc ipsa ab Eminentissimo audierat. Rursus ipsi Menichellius, ac Tejus, qui præsentes erant, dum testator rogabat Tarnasius ne descederet = *che ci è da fare qualche cosa* = Offredioque respondebat se se eum accersisse = *voleva fare il suo testamento* » Adjiciendus pedissequus Zanzarius, cui jussum, ut continuo fiduciarium vocaret hæredem; atque hi denique omnes cum pedissequo altero Pierottio adjiciendi, qui præsentes adfuerant dum testator Eminentissimus, ac Fiduciarium concursus hæredem, ei dixerat « *Monsignore per oggi basta, e ci vedremo domani mattina; ed intanto si metta di concerto coll' Eminentissimo Cappellari, perchè la mia volontà sia eseguita.*

5 Probationes itaque, quæ de præsenti Cardinalis de Somalea voluntate afferebantur ad Piam præsertim Causam testantis, plusquam oporteret illam evincebant. Nec tamen satis. Ea namque cum PP. DD. perpenderent, quæ schedæ scriptionem fuere subsecuta, evidentissima alia hauriebant ad hujusmodi voluntatis probationem. Quod enim pluries adnisus testator fuerit Schedam propria subsignare manu, fieri nequaquam valuisset, nisi in ea postrema ejus imperia designarentur. Quod testator Præsuli Baffio, atque Eminentissimo Nasallio, familiarium Causam perorantibus, responderit « *che credeva di avere sufficientemente provveduto ai suoi familiari* » quodque « *ci avrebbe meglio pensato* » hæc innuebant traditam jam ab eo suam fuisse voluntatem. Quod tandem, Parocho Nina etiam præsente, amplissimeque ferente testimonium, eam rem, una cum præstationibus Nosocomio S. Spiritus, Pauperum Asylo, ac Sanctis Palestinæ Locis elargiendis, arbitrio sui hæredis fiduciari tribuerit, ad evidentiam usque revincebat, fiduciarium ab eo fuisse hæredem jam inde institutum, veluti Scheda ipsa præseferebat.

6 Quamquam si hisce omnibus huc usque enucleatis conjungere lubeat, quæ in antecessum Cardinalis ipse, pluribus conscriptis tabulis, verbis, ac facto denique eloquentissimo pandidit, nec scepticus de vera testatoris voluntate anceps, adhuc hærebit. Reque autem vero; quæ ab anno 1818 conscriptæ; vel manu sua vel ejus imperio, tabulæ fuerunt, cunctæ in eo mirifice consentiunt, ut quoad bona Ecclesiasticæ Ditionis S. Propagandæ Fidei Congregationem hæredem suam institueret. Constanti Sermone ipsam hanc voluntatem Reverendissimo Antiocheno Archiepiscopo aperuerat, quemadmodum eam declaverat Auditori suo Præsuli Baffio, ac tabellioni Offredio. Factum denique verbis conjungens, idem fuerat notum, paulo ante suæ ægrotationis, Eminentissimo tunc S. Congregationis Præfecto, nunc, Deo dante Pontifici Optimo Maximo Gregorio

Digitized by Google

XVI; dum ei præ necessitatibus aureorum capsulam offerebat; iterumque dum sub 13 die ejusdem Martii ad illum redierat, ut donum ad *decem millia* nsque argenteorum extolleret: qua occasione Congregationis evocato in id Secretario Eminentissimo Castracane ajebat « *Voi sarete il mio Erede Fiduciario* » eique suam de hæreditate Pontificia in ditione possessa, voluntatem latissime aperiebat. At, si præordinata voluntas posteriori testamento omnimodam conciliare fidem recte statuunt *Polit. de donat. dissert.* 13 *n.* 1. *et seq. Laufred. n. resp. jur.* 24 n. 28 *Mantissa ad Card. De Luca de Testam. lib.* 9 *Dec.* 5 *n.* 9; probatque *S. Roto in Privernen. Immissionis* 3 *Julii* 1826 *cor. R. P. D. Meo Muzzorelli* § 5; non est certe dubitondum quod veram Eminentissimi Cardinalis de Somalea voluntatem Scheda illa præseferat; cujus in susteataculum, ex præordinata voluntate, cæterisque non unum, sed plura, eaque urgentissima succurrunt Argumenta, a me huc usque enucleata.

7 Quod cum et ipsi intestati hæredes facillimae præsentirent, toti in eo eraat, ut sui non compotem Virum traducerent Eminentissimum, quem correptum apoplexi, dictitabant, ideoque nullius conficiendi testamenti capacem. Verum quanta id confidenti confideatia ajebant, eo magis destituti erant probationibus. Unis quippe innitebantur attestationibus Præsulum Alessi, ac Soragna, Parochi Nina, atque Canonici Massajoli. Sed cum hi nullo esse in pretio habendos ex pluribus nominibus in coæva Decisione *super testium examine* offenderim, destituebantur itaque illi probatione omnimoda. Adjiciam testes de insaaia testatoris deponentes posthabendos omnino esse, dum alii adsunt, qui mentis sanitatem obtestantur, licet illi essent numero plures, ad tradita per *S. Rot. in Tolentina Testamenti super* 1 *Dubio* 24 *Febr.* 1796 § 4 *cor. cl. me. Cesorei, otque in Hortono Testomenti* 18 *Junii* 1819 § 8 *cor. Emo Marco.* Quisque igitur per se intelligit quanam ratione essent testes hujusmodi reiiciendi, dum e contra adsunt instructissimi, probatissimique testes *octo decim*, qui de sana testatoris mente, non ex Auditu, non vano sermone, non sibimetipsis contradicendo, sed proprio ex facto, ex iis, quæ viderant, quæque ipsi audierant, Sacramenti subfide deponebant

8 Æque vero inutiliter ad cadaveris autopsiam intestati hæredes confugiunt, cum et hic redeant, quæ de ejus inanitate citata in Decisione PP. DD. ponderabant. Quibus denique ultimo non effugerat, quod, etsi nuvissimæ schedæ inanitas probaretur, revivisceret testamentum ad Nucerinas aquas per Eminentissimum De Somalea conflatum, quod integre ejus manu scriptum, subsignatumque, nullique proinde concludenti exceptioni obnoxium, inanes redderet intestatorem hærendum conatus, ut, adversante testatoris voluntote, elargitam S. Congregationi Propagandæ Fidei successionem eriperent.

Atque ita acri in Partium certamine judicatum fuit.

---

## ROMANA NUNCIATIONIS

### NOVI OPERIS

*Lunoe* 14 *Mortii* 1836.

### ARGUMENTUM

**Quamvis leges deot jos coique in solo extruendi per quaio libuerit al titudioem, quodque favendo extructionibos vicino facultatem tribueriot obscurandi etiam lumina vicini, recedont tamen semper leges ab dato favore, dom ingens damnum ex novo opere profloat.**

#### SUMMARIUM

1. *Nemo aedificando, potest vicino adimere lumen.*
2. *Dum leges jus cuique tribuunt in suo extruendi per quam libuerit altitudinem, non dant tamen vicino facultatem obscurandi lumina vicini.*
3. *Nunquam sunt trahendae leges ad iniquitatem.*
4. *Vicinus non est cogendus, ut partem muri communis cum vicino comunicet, si id suae rei detrimentum afferat.*

5. *In materia servitutum tantum praescriptum consetur, quantum possidetur.*
6. *Utilitatem, non detrimentum in Ecclesiae rebus, leges imperant.*

## DECISIO DXVI.

Aedes, quas possident Ven. Ecclesiæ, ac Nosocomium Divi Jacobi, et Sanctæ Mariæ Montis Secati Inclytæ Nationis Hyspanicæ secus viam Urbis, quam dicunt *Frattina* jacent conterminæ domunculæ humillimæ ab Josepho Quaroni recenti tempore comparatæ. Voluit is domunculam novo opere extollere. Cum autem viderit id fieri ab se non posse, nisi obscuratis fenestris, quæ antiquitus adapertis contermino ex pariete lumen præbebat Scalis, quibus aditus Ecclesiarum domibus patebat, preces Pii Loci Moderatoribus dedit, ut ex Architectorum consilio quid agendum decernerent amice, pretiumque definiret ab Josepho pro construendi muri fulcimento exsolvendum. Eodem sed vero tempore Josephi Architectus Ecclesiarum monebat Architectum Camporesium, quod novum opus = *non reca alcun pregiudizio alla loro Casa* = At longe hæc erant a veritate; nam ex Josephi constructione lumen finitimarum ædium omnino schalis adimebatur, veluti Architectus ipse Camporesius, ro accurate inspecta, Regiarum Ecclesiarum Moderatores monuit. Novum at vero opus inciviliter Josephus inceperat, ac prosequebatur. Necesse igitur fuit novi operis nunciatione curare, ut per A. C. Judices injuriosæ extructionis prosequutio inhiberetur, jamque confecti destructio præciperetur. Et ne aliud Josepus ageret sub poena Judices illi interlocutoria pronunciatiatione statim jusserunt, dum Perito Architecto Salvi mandarunt, ut præcipue referret, num Josephi extructio damnum reapse finitimarum Ecclesiarum domui afferret, ac num ob eam illius schalæ obcæcarentur, quo in casu ei mandarunt, ut referret, si aliqua ex parte ademptum lumen posset restitui. Retulit Peritus, et relationis summa erat, quod ex futura luminis ademptione damnum Ecclesiarum domui certe imminebat nullo modo amovendum, cum nullus in schalarum parietibus locus adesset, ex quo lumen esset hauriendum.

Sed non hæc satis fuere A. C. Tribunali, quod interlocutoria altera pronunciatione deputavit unum ex Judicibus Præsulem Marulli ad hoc, ut in rei faciem accederet, ac juncto sibi Perito Viro, nosceret controversarum ædium statum, ac videret quonam tutiori modo contendentium indemnitati esset consulendum. Venit Judex, comitante Antecessore Venturolio in Peritum adlecto, in rem præsentem, et de multis in accessu oblatis rationibus jussit, ut Venturolius accuratam ederet relationem. Opus confecit is, quo de damno certissimo ex novo opere proventuro testatus iterum altissime fuit, ac despecto eo quod inter accessum Partes Proposuerant utpote pene inutillimo, alteram conciliandi rem proposuit ipse rationem, qua obventuro damno aliquantis per ococcurreretur. Verum cum id falso supposito lucis reflexæ e cavedio hauriendæ laboraret. Camporesius, qui Ecclesiarum partibus pro suo Architecti munere consulebat, rei inutilitatem Judicibus demonstravit. Tanta itaque in Peritorum varietate Judices A. C. implexi fuere sententiam, qua dum Josepho indulgebant, ut extructionem perficeret, imperabant in extruendo modum, ut nempe ad secundæ contignationis altitudinem solarium conficeret, ex quo ductus ope lumen obscurati primi schalarum ordines haurirent, atque ut destrueretur quod jam fuerat hujusmodi præter modum in cavedio extructum.

Verum Josephus, qui pluries aspernatus hæc inter judiciales inhibitiones fuerat, eo venerat in æstu, ut et sententiam aspernaretur, ac temere audebat, non confecto solario, nec tuba, opus præ arbitrio conficere. Quod Ecclesiarum Moderatores ut interciperent, solemniter ei sententiam nunciavere. Provocavit ipse, et Causa venit ad S. N. Ordinem, Ponentem Emo Spada, qui tunc Decanus inter Patres sedebat. Proposita in Comitiis diei 10 *Martii*

Digitized by Google

1834 dubii formula = *An et quomodo sit locus nunciationi novi operis in casu etc.* = comperendinato judicio datum munus Perito Architecto Sarti fuit, ut referret super condominio muri, et super epocha ædificationis utriusque domus. Sensit is in relatione sua quoad muri condominium, ut ille esset usque ad præexistentem altitudinem Quaronianæ domunculæ realiter communis, atque in ea parte, quæ illis supereminebat virtualiter, seu in *potentia* comunis: quo vero ad extructionis epocham sensit pro vetustate antiquiorique ex ædificatione domus, quæ ad Hispanicas Ecclesias pertinet. Post hæc suffecto meipso in locum Ponentis interim præ sua virtute ad S. Purpuræ honorem merito elati, rursus hoc mane primæva illi sub formula a PP. DD. quæsivi responsum, quod prodiit = *Affirmative* =.

1 Ita sane juris, æquitatisque ratione suadente. Ut enim ingens, immane, haud ferendumque damnum ex novo Josephi opere Hispaniarum Ecclesiarum ædibus obventurum istæ per interdictum recusarent certissimo ex jure descendebat *ad Text. in leg. Si quis sepulchrum vers. Præses etiam ff de religios., et sumptib. funer.; in leg.* 206 *ff de reg. jur. in leg. Nam hoc Cod. de cond. indeb., et in leg.* 49 *ff de reg. jur.* Ex his namque haud licet alteri inferre damnum, ejusque cum jactura locupletari. Et dubitandum non erat de damno, quod Josephi extructio contiquæ domui afferebat, cum Periti, re attente inspecta, in eo omnes convenerit, ut per novas Josephi ædes lumen Ecclesiarum domui scalis adimeretur ex integro. Quapropter ut Josepho liceret immane hujusmodi damnum vicino inferre, necessario et onus incumbebat probandi id fieri ab se impune posse.

2 Inania autem nimis erant quæ ipse proponebat, ut injuriosam alterius rei perturbationem cohonestaret, suumque jus evinceret altius tollendi comparatas ædiculas, vicini etiam posthabito detrimento immanissimo. Totus ipse præ primis erat in libertate, quæ cuique tributa ab legibus est proprio in solo ædificandi quam velit ad altitudinem; atque in legum favore pro excitanda ædificiorum extructione, atque Urbis, ut consuleretur ornatui. At vero leges nullae tendunt ad impietatem, nec unquam istae suum favorem in cujusque damno posuere, imo ab damno inferendo quam maxime aversantur, acquitatisque, ac justitiae sedent in custodia. Negandum itaque etsi non esset quod leges dent jus cuique suo in solo extruendi per quam libuerit altitudinem, sique fieri per rei naturam possit ad ipsa usque sidera, quodque favendo extructionibus vicino facultatem tribuerint obscurandi etiam lumina, quae contermino in pariete vicinus alter aperuerit, recedunt leges ab dato favore, ab concessa permissione recedunt, dum ingens damnum, immane, irreparabile ex novo opere profluit per *text. in cit. leg. Si quis sepulchrum ff de religios.; et sumpt. funer., Novar. quæst. forens.* 1 *part.* 13 *numer.* 2. *Gratian. discept. forens. Cap.* 896 *num.* 1. *Pacichell. de distant. Cap.* 6 *membr.* 4 *num.* 34 *Card. de Luca de servitut. disc.* 9 *num.* 7, *ac disc.* 11 *num.* 4. *Costant. Vot. decis.* 476 *num.* 22, *et* 23, *atque S. Nostrum Tribunal in dec.* 424 *num.* 2, *ac* 8 *de servitut. cor. Falconer. in dec.* 48 *num.* 5 *cor. de Veri, atque in Anconitana Nunciationis Novi Operis* 10 *Martii* 1827 § 12 *cor. me.*

Haud enim trahendæ leges ad iniquitatem sunt. Iniquum perfecto cum esset, obcæcatis luminibus, unde lux in scalis domorum Ecclesiarum effulgebat, Conductores cogere medio sole uti lanterna, vel imminenti subire periculo, fracto in obscuritatem collo, intereundi veluti ad veritatem Peritus Venturolius alteris cum Peritis concinens retulit, unde ingens immane damnum Ecclesiarum ædibus dimanabant, non erat id sane, quod leges de ædificatione favenda disponentes intollerabili alterius cum damno permittebant, atque idcirco novum opus legittime ab earum Moderatoribus nunciatum Josepho fuerat. Eo autem magis legittima evaserat novi operis nunciatio Josepho indicta, quum damnum, quod inde eveniebant non intollerabile tantum, ac 3

immane, sed irreparabile quoquo erat Auctores namque sunt Periti Viri omnes non alio posse lumen in scalis hauriri, nisi ex fenestris, quas vellet Quaronius excæcare: non inde ex æmulatione, non præ libidine, sed necessitate ipse suadente Ecclesiarum Moderatores novo conficiendo opere obsistebant, Quin ad hæc esset audiendus Peritus Ghassi, qui de Scala in altera domus parte construenda extrajudicialiter disserebat. Non Peritis judicialibus pluries in rei faciem deventis, non Judici ipsi pro re nata accedenti hæc placuere. Et recte quidem. Dato namque etiam, ut fieri quæ Gnassius proponit per rei naturam possint, cum magni in id sumptus requirantur nullo jure ad unum Josephi commodum sustinere ingentes sumptus Ecclesiæ debent. Qua prætcrea in Gnassi relatione de intollerabili damno ex novo opere in vicinis dumibus obventuro patula Josephi ipsius confessio residebat.

4 Nec melius quocumque pacto ædificandi licentiam sibi Josephus effingebat in contermini muri comunione, de qua Peritus retulit ab S. Nostro Ordine requisitus. Si comunis reapse integer murus actu cesset inconcinna minus argumentatio videretur: cum tamen de irrogando immanissimo damno muri consocio ageretur, non sine controversia liceret definire in eo muro dominii jure quid vellet agere consocium posse. Verum in themate cum Peritus retulerit conterminum murum in ea tantum inferiori parte, quae subtus domunculae tectum jacet, censeri actu communem, in ea tamen quae supereminet virtualem unam, seu ut ajunt, *potentiæ* comunionem existere, cumque haec potentiae communio ad actum ex vicini assensu esset reducenda, non habet utique Josephus actuale condominium superioris muri, neque vicinus est ex jure cogendus, ut partem illam cum vicino comunicet ad hoc, ut suae rei videat interitum; suisque propemodum manibus praefocetur *ad Text. in præcit. leg. Si quis sepulchrum ff. de religios. et sumptib. fun. Covar. lib. 3. var. resol. Cap.* 14 *in fin. post Glos. in leg. Rescripta, in verb. non lædat Cod. de præcib. Imperat. offer. atque Rota in dec.* 372 *num.* 2 *part.* 1 *recentior.*

Quamquam muri haec asserta comunio somnium Periti videbatur, ex sua ipsius peritia explodendum. Dum namque referebat quænam ex domibus esset antiquior sententiam aperuit, facta, vocatis partibus, accurata inspectione, pro vetustate ex ædificationis ædium ad Hispanicas Ecclesias pertinentium Ergo si extructa fuit prius domus insthæc, non ab origine murus erat comunis: comunio valuit incipere ab extructione domunculæ, quæ spectat ad Josephum. At communio insthæc quonam pacto inceperit nec ipse, neque Peritus possunt indigitare. Non affert Josepus titulum ullum. Peritus possunt conjici ex immissione trabium, ex fulcimento, quod domunculæ conterminus modus præbet. Ille itaque caret necessaria comunionis probatione. Iste non ex jure conjectat. Ex iis enim quæ pro cominione præsumenda exponit, unæ educendæ sunt probationes de servitutibus domunculae concessis *tigni immittendi*, atque *oneris ferendi*; nam haec tantum, Perito ipso auctore, Josephus sibi asseruit, ita ut ex iis comunionem educat; male itaque ille conjectavit dum ea possessione ista longissimi quoque temporis etsi eam effingas, muri comunionem eduxit:tantum quippe prae scribitur quantum possidetur, uti jura clamant apertissima *in leg.* 1. § *Julianus ff. de itin. actuq. priv. in cap. Audistis, et Cap cum olim de Offic. Deleg.* 5

Quod si autem conjectionibus foret indulgendum, ut de comunionis existentia constaret, multa, eaque evidentissima sese efferebant, quae non datam illam luculenter evinceret, vel si datam tributam fuisse sub pacto ne aedes extruendae praeter mensuram extollerentur. Utut enim bardum affingas hominem, non eum tamen valeas tibi effingere, qui velit quod suum omnino est comunicare ad immane, inferendumque proprio in fundo damnum ineptissime permittendum: neque, si voluissent qui res moderabantur Ecclesiae, id facere potuissent ex lege: uti- 6

Digitized by Google

litatem enim, non detrimentum in Ecclesiae rebus leges imperant procurandam: si cessa reapse muri comnnio fuisset, non scalae, ubi extant, fuissent extructae, ut momento temporis ad vicini libitum conjicerentur in tenebras. Post haec de probata muri comunione non esset prudenter sentiendum, vel necessario esset concludendum datam illam sub lege fuisse, ne jungendae aedes in damnum Ecclesiarum extollerentur. Qua vero non probata comunione, imo rite seposita, quæ cuncta Josephus comunioni innixus sermocinabatur, cum novo destruendo opere corruebant. Corruebat facultas de quid vellet in re propria agendo: corruebat rationis identitas cum S. Nostri Ordinis responso per Josephum magno animo allato, quod datum fuit in *Senogallien. Fabricæ* 9 *Maii* 1791 *cor. de Strasoldo*. Inibi comuoio muri non controversa, imo autem certissima erat: hic autem non tantum est probatione carens, sed excludenda est ex facto, ac conjecturis. Diversa itaque rei ratione justum fuit, ut illa decisio diversam proferret responsionem: corruit denique quidquid Quaronins obganuit de obscurandis impune luminibus in fenestris utpote in muro extructis non ad id destinato.

7 Cuncta, quæ demonstrabant non esse immani, atque irreparabili cum vicinæ ædis detrimento ab Josepho per domunculæ suæ elationem obcæcandas illius schalas; ( obstructis fenestris, e quibus unis lumen haurire illæ poterant, quod nulla fieri neque juris, neque comunionis, seu condominii ratione poterat, viderat, Josephus vel ipse, ejusque Architectus viderat. Quapropter ille veniam conciliationemque extructionis ab Ecclesiæ Moderatoribus postulabat: is vero Ecclesiarum Architecto fide non bona nunciabat, quod novum opus = *non reca alcun pregiudizio alla loro Casa* = Unde eo vel magis aperte malum Josephi jus erumpebat: ex quo fieri non aliter potuit, quam ut novi operis nunciationis probaretur interdictum, ne immanissimo damno Ecclesiarum domus subjiceretur per injuriam.

Et ita etc. redditum judicium utrique fuit. 1

# ROMANA PECUNIARIA

*Veneris* 18 *Martii* 1836.

## ARGUMENTUM

**Usurae lucrativae prohibentur, quia percipiuntur tantum ob simplicem concessam temporis dilationem ad pecuniae restitutionem, e contra probantur usurae compensativae, quas sibi creditor stipulatus fuerit ad justam retributionem, tam lucri, quod amiserit, quam detrimenti, quod ex debitoris mora patitur.**

**SUMMARIUM**

*1. Damnata est usura, quoties concurrat verum, vel interpretativum mutuum.*

*2. Legitimam reddit fructuum perceptionem lucri cessantis, et damni emergentis causa, si haec unum creditorem, non autem debitoris personam respiciat.*

*3. Ubi fructus tendunt ad compensandum quidquid debetur ex haereditate, haud possunt imminuere sortis caput.*

*4. Fructus non veniunt accessorie, sed tamquam pars principalis contractus, et uti compensatio jurium hinc inde facta.*

*5. Quod sponte datur, vel donatur, sine labe usuraia recipi, et retineri potest.*

*6. Inter mercatores usurae censentur depactae loco damnorum.*

*7. Usuras pasci non possunt in praemium dilationis.*

*8. Legitimae fiunt usurae ex procrastinata pecuniae restitutione, quoties concurrant extrema requisita.*

## DECISIO DXVII.

Clementina Frusi vidua, et hæres usufructuaria defuncti sui viri Gasparis Mora, *die* 13 *Aprilis anni* 1833 paternam dividens successionem inter filios, unicuique eorum partem addixit in argenteis 1166 50, sub lege, quod adsignatæ hæreditariæ symbolæ remanere penes eam deberent ex causa usufructus ad prosequendum mercaturæ exercitium, promittens tantum filiis, qui domesticam oeconomiam privative instituere vellent = *un annuo frutto in ragione dell'otto per cento ed anno, come avrebbero potuto percepire, ed investire la loro porzione in un Cambio, o credito fruttifero, secondo apporisce dalla fe-*

*de di due pubblici Sensali, che si unisce etc.*

At de inita hac divisione satisfactus cum non videretur Josephus, alter ex filiis, qui a paterna domo discesserat, ipsius mater Clementina post bimestre spatium, scilicet *die 27 insequentis Julii*, privata apocha eidem auxit menstrua scutata 5 et ob. 22, declarans, quod hoc expleverat = *per mero atto di liberalità* =: Sed cum aliud etiam obmussitandum superesset, contra præcitatam divisionem tam mater, quam alii ejus filii satius duxere amica transactione domesticas cum Josepho componere res. Proinde die 21 Martii insequentis anni 1816 iidem promiserunt Josepho augmentum scutorum 834 = *che uniti agli scudi* 1166 *formano la somma di scudi* 2010, *onde possa il detto Sig. Giuseppe Mora, e sua famiglia industriarsi in un qualche conveniente negoziato* =. Insuper inter paciscentes conventum fuit quod aucta summa remaneat penes matrem, quæ vere conventus antea fructus *ad bessalem* rationem repræsentare teneretur eidem Josepho = *acciò con detti frutti uniti alla sua industria personale, possa comodamente vivere* =.

Sed contentionibus finem imponere haud valuit ea transactio. Alia enim oportuit concordia, qua sub die 29 sequentis Octobris, cofirmatis rebus omnibus superius depactis, conventum fuit, quod ex quantitate scut. 2000 a Clementina ex pacto retenta, summa decerperetur scutor. 500 Josepho tradenda = *per rinvestirla, e ricavarne un frutto maggiore* =. Quoad residua autem scuta 1500 repetita iterum fuit pactio fructuum in *bessali* mensura, quæ denique quarta vice agnita, et confirmata privata apocha a Philippo fuit sub die 27 *Septembris anni* 1825.

Contigit anno 1830 obitus Clementinæ: tunc Josephus institit, ut sibi debita restitueretur hæreditaria summa in pluries confessa quantitate scut. 1500. Obstit frater Philippus, qui præcedentium agnitionum prorsus immemor, reconventionalem instituit actionem contra agentem Josephum, instans coram Juridico A. C. Collegio, ut declararetur absque ullo legitimo titulo illuc usque solutos fuisse fructus super præcitata illa quantitate scutor. 1500, et proinde referendos esse in sortis diminutionem, duplici proposita calculatione, scilicet vel = *col conto a scalare, per cui l'istante piuttosto di essere debitore; sarebbe creditore della somma di .c. 46 ec.*, ovvero *scomputando li frutti sudetti senza fare conto a svalare* =, quo in casu petiit, = *che venga residuato il sudetto debito alla somma di scudi* 945, *e vengono ordinate le altre convenienti deduzioni ec.* =.

Cum Juridici A. C. perspexerint ambos fratres una convenire in præcitata scutor. *nongentum quadraginta quinque* quantitate, pro hujusce solutione admiserunt Josephi petitionem = *ferma rimanendo la Causa avanti il Tribunale per il rimanente* = Provocavit ab eorum Sententia Philippus, sed reformidavit deinde S. Nostri Ordinis judicium. Proposita enim per me hoc mane Patrum definitioni Causa sub concinnata Dubii formula = *An, et in qua summa constet de credito, ita ut sit relaxandum mandatum, in casu etc.* = vadimonium deserente eodem Philippo responsum accepi = *Pro informante* = nempe = *Affirmative in omnibus pro summa scutorum* 1500 =.

Contendebat Philippus persolutos fructus imputandos esse in sortis caput ex supposito, quod damnatam usurariæ pravitatis notam illi continerent. Ipse enim inniti conabatur Juris censuræ et Divinis, atque Canonicis legibus desumptæ, scilicet vetitum esse usuras pacisci pecuniæ, quam mutuam creditor dederit, vel datam recuperare distulerit, quia nefas est ex beneficio, quod debitori fecerit, quidquam sibi lucrari. Sed patenti Juris, et facti errori omnino innitebatur ipsius suppositum. In facto enim haud probabatur, quod Josephus matri pecunia mutuam dedisset, vel mutuatam recuperare distulisset. Invictissime contra ex superius expositis eruebatur, ipsam Clementinam ad proprium commodum retinere maluisse debitam pecuniæ quantitatem, pro qua prætulit conventas persolvere usuras.

Difficile autem demonstrare haud erat, eumdem Philippum gravissime quoque errasse in Jure. Receptissimum enim est in Foro damnatas censeri usuras, quoties concurrat verum, vel interpretativum mutuum, pro quo nequit admitti usura. Hæc in Jure proprie dicitur accessio mutui ob dilatam pecuniæ restitutionem, uti post *Surd. Dec.* 306 *num.* 6 *et* 7; *Leotard. de Usuris quæst.* 16 *num.* 20, *Card. de Luca Disc.* 11 *num.* 6 *de Usur.*, *Constant. Vot.* 567 *num.* 7, *et S. Rota in Dec.* 28 *num.* 16 *part.* 13 *in Recent.*, *et in Dec.* 260 § 3 *part.* 19.

2 At Juris rigor quoad vetitam hanc usurarum perceptionem minime procedit in contractibus, in quibus nullum verum, seu palliatum mutuum continetur, *S. Rota in Dec. Romana Pecuniaria* 15 *Maii* 1711 *num.* 12 *coram Falconerio*; *Camerinen. Venditionis, et Locationis* 8 *Junii* 1830 § 15 *coram Muzzarelli.* Permissa enim videtur fructuum perceptio, si ex facti circumstantiis justus scateat titulus, vel legitima causa, qua congruos reddat ipsos fructus, uti ducet *Constantin. Vot. Dec.* 507 *num.* 12 *et S. Rota in Decis.* 337 *num.* 6 *part.* 18 *in Redentior.* Hinc in Foro invaluit notissima distinctio inter usuras mere lucrativas, et compensativas, vi cujus pro Juris canone constitutum est, legitimam reddere fructuum perceptionem *Lucri cessantis*, *et damni emergentis* causam, si hæc unum creditorem, non autem debitoris personas respiciat, veluti, *post Div. Ambrosium in Lib. Unic. De Thabia Cap.* 6 *et Constit. Benedict.* 14 143 statuunt *Leotard. de Usur. Quæst.* 78 *num.* 24 *Card. de Luca eod. Tractat. Disc.* 12 *num.* 41 *et S. Rota præsertim in Viterbien. seu Centumcel. Pecuniaria* 20 *Junii* 1806 *cor. Tassani* § 4. Proinde, Divina, humanoque Jure execrantur usuræ lucrativæ, quæ tantum percipiuntur ob simplicem concessam temporis dilationem ad restitutionem, e contra Legibus omnibus probantur usuræ compensativæ, quas sibi creditor stipulatus fuit ad justam retributionem, tam lucri, quod amiserit, quam detrimenti, quod ex debitoris mora patitur, teste *S. Rota in Romana Imputationis fructuum* 17 *Martii* 1828 *cor. Marini, et in Fulginaten. Imputationis fructuum* 27 *Junii* 1831 § 7 *cor. me.*

Unus igitur titulus legitimam, vel 3 improbandum constituit fructuum perceptionem. Hoc vero minime perpendit Philippus. Reapse ex transactionum serie superius enucleata nonnulli, et validissimi descendunt tituli, qui singuli legitimam constituunt fructuum perceptionem in præstituta *bessali* mensura. Revera ex domesticis concordiis *dierum* 21 *Martii, et* 20 *Octobris* 1816 habemus, quod fructus illi conventi fuerint ex causa alimentorum, uti Josephus decentior et commode vivere posset, una cum sua familia: proinde, cum ii fructus tenderent ad compensandum quidquid Josepho debebatur ex paterna hæreditate, venire in casu haud possunt ad imminuendum sortis caput, ita doceate *Surdo de Alimentis Tit.* 8 *Privil.* 29 *num.* 3 *Leotard. de Usuris quæst.* 18 *num.* 19 *et S. Rota in Dec.* 330 § 3 *Part.* 13 *in Rec.*

Titulo ex alimentorum causa desumpto, alter autem accedebat descendens ab indole ipsarum transactionum, quarum ope compositæ fuere inter fratres obortæ contentiones. Scimus enim, quod de usuraria pravitate obloqui non debetur, quoties res sit, non de simplicibus transactionibus, sed de illis aliquam causam præseferentibus, ex ratione, quod in hisce sunt omnia correspectiva, et unum censeatur gestum propter aliud, ita ut fructus non veniant accessarie, sed tamquam pars principalis contractus et uti compensatio jurium vel bonorum hinc inde facta; quia majus conventum lucrum potest esse pars pretii, respectu ad illud, quod minus datum, vel promissum fuerit de sorte principali, uti monuere *Constant. Vot. Dec.* 107 *num.* 6 *Ansald. de Commercio, et Mercat. Disc.* 67 *num.* 27 *Urceol. de Trans. Quæst.* 40 *num.* 8 *et Nostrum S. Auditorium in cit. Dec.* 330 § 6 *Par.* 18 *in Rec. in Dec.* 260 *num.* 3 *part.* 19 *et in Dec.* 13 *cor. Falconerio de Usuris.* 4

Insuper, cum conventa hæreditariæ 5 portio in quantitate scut. 2000 = *gra-*

Digitized by Google

*tuitamente di sua spontanea volontà* = aucta fuerit a Clementina = *per dargli un maggior contrasseyno di affetto* =, necessarium proinde est, quod fructus etiam a mera ipsius Clementinæ liberalitate procedere dici oporteat. At quod sponte datur, vel donatur, cum licite, et sine labe recipi, et retineri possit, exclusa proinde videtur quælibet debitoris suffocatio, quæ sola in fructuum perceptione pravitatem constituit *Surd. de Aliment. Tit.* 9 *Quæst.* 18 *num.* 11 *et seq.* præsertim in casu, quin res de portione hæreditaria eidem Josepho debita, ac nondum tradita; nam tunc usuræ veniunt loco fructuum, qui percipi possunt ex propria substantia cit. *Leotard. de Usur. Quæst.* 18 *num.* 32 *S. Rota in Dec. Æsina Fructuum* 25 *Januar.* 1733 *num.* 1 *cor. Rezzonico.*

6 Animadvertendum quoque erat conventas usuras, nec illegitimas, nec excessivas censeri posse, attenta altera facti circumstantia, quod Clementina retinuerit Josephi quotam ad pecuniosam exercendam mercaturam = *di Modista e di Spazzineria* = proinde fructus metiri oportebant habito quoque respectu ad hæreditariæ apothecæ adviamentum, et ad quæstuosa lucra, quæ, uti omnibus compertissimum est, percipiuntur ab eo mercaturæ genere *Card. De Luda de Usuris Disc.* 15 *in fine Rocca Disp. Juris Cap.* 59 *num.* 8 *Ansaldo de Commercio, et Mercatura Disc.* 67 *num.* 29 *et S. Rota in Dec.* 193 *num.* 11 *cor. Ubaldo.* Idcirco ne alter cum alterius damno locupletaretur, admissum fuit in Foro non damnandam esse inter mercatores usurarum conventionem, legitimam aliquantum excedentem cum id depactum censeatur loco damnorum, veluit docuit *S. Nostrum Auditorium in Mediolanen. Pecuniaria super* 1 *Dubio* 23 *Januarii* 1793 § 4 *cor. Prialo*; *in Æsina* 11 *Maii* 1804 § *fin. cor. Guardoqui.*

7 Minime autem conventæ dici possunt ea usuræ in præmium dilationis. Ex pacto expresso enim probibebatur Josephus suam posse repetere hæreditariam quotam, quæ remanere debebat = *presso la sua genitrice Sig. Clementina* = donec viveret. Si igitur ante matris obitum vindicare nequibat præcitatam illam pecuniæ quantitatem, ex hoc adamussim consequebatur, quod usuraria dici non posset ipsamet fructuum stipulatio juxta receptam in Foro distinctionem, de qoa *Card. De Luea in Disc.* 15 *num.* 4 *de Usuris, et S. Rota in Dec.* 773 *num.* 6 *Part.* 2 *in Recent.*

In postrema tandem hypothesi omnimodam dubietatem eliminabat concursus requisitorum Castrensium, de quibus apertissima adest mentio in concordia diei 15 *Aprilis* 1815 qua expressis verbis legitur, quod conventum fuit = *un'annuo frutto in ragione dell'otto per cento, ed anno, come avrebbe potuto percepire, se avesse ora conseguita, ed investita la sua porzione ec. secondoche apparisce dalla fede di due publici Sensali, che qui si annette del tenore ec.* = Exploratissimum enim est in Foro, legitimas fieri usuras ex procrastinata pecuniæ restitutione conventas, quoties conditiones concurrant, quas Castrensis Jurisconsultus tradidit in *Leg.* 3 § *fin. de eo, euod certo loco*, prout perpetuo tenuit S. Noster Ordo Sacrorum Canonum vindex præsertim *cor. Olivatio Dec.* 585 *num.* 57 *et* 58 *cor. Emo Marco Dec.* 195 *num.* 1 *in Panormitana Pecaniaria super fructibus* 4 *Maii* 1818 § 4 *cor. Emo Odescalchi*; *et in Cæsenaten. Pecuniaria* 5 *Julii* 1819 § 3 *cor. Martinez.* 8

Et ita etc. Unica etc.

## ROMANA SEU SABINEN

### DIVISIONIS

### SUPER REDDITIONE RATIONIS

*Lunae* 7 *Martii* 1836

### ARGUMENTUM

Habes in Superiori, quae confirmatur - DECISIO CCCCXCIV.

SUMMARIUM

1 *Heredes nullo pacto adigi possunt ad communionem servandam.*

*Nemo sive voluntarie sive necessario alienas vel communes res administraverit, declinare potest ab obligatione reddendi rationes. – ibid. –*

2. *In herciscundae familiae iudicio, cohaeres qui administrationem haereditatis retinuit rationum redditionem reddere tenetur.*

## DECISIO DXVIII.

Nullo relicto propinquo agnato, nullo scripto testamento cum anno 1812 mortem obiverit Andreas Valentini, ipsius successio ad tramites Legum Gallicarum tunc vigentium necessario ipsius consanguineis collateralibus deferri debuit. Idirco ejus hæredes fuere ex parte *Matris* Angela Somai nupta Nicolao Zezzi, et illius frater Thomas, qui ab antiquiore tempore cum defuncto communem habuerat vitæ consuetudinem. Ex partem autem Patris coheredes fuere Præsul Joannis Baptista, aliique Fratres Nardi, et Fratres Perrinii, qui suam repetebant Cognationem ab Aquilia amita defuncti Andreæ, quæ in Sacra descenderat familiæ Stoppini. Retinuit Thomas Somai diætam domus hæreditariæ, quam Andreas vivens habitaverat, nec non res mobiles, quibus illa instruebatur, et pensiones exigere continuavit aliarum diætarum, et foenilis cujusdam siti in Transtyberina Regione. Præsul e contra Nardius non solum haud restituit res, quas proprio marte usque ab anno 1807 sibi addixerat occasione obitus Joannis Matthiæ fratris Andreæ, quæque jure successionis ipsi Andreæ pertinebant, sed insuper argenta, aliasque res hæreditarias ipsius Andreæ occupavit, bona vendidit, et quædam quoque nomina exegit. Perrinii vero, quæ in Arce Antiqua morabantur bona rustica ibi posita occuparunt, ejusque fructus in propriam deinceps verterunt utilitatem. Una Angela, quæ hæreditatis dimidium cum fratre Thomate dividere debebat nihil unquam habuit in tanta rerum dispersione.

Reapse vitam cum morte immutavit, quin ex illa hæreditate aliquid assequi posset. Ipsius filiæ Annuntiata, et Vincentia Sorores Zezzi, fracta patientia prosequi tandem constituere judicium de herciscunda familia, quod ab anno usque 1814, earum Mater instituerat. Tribunal A. C., ad quod causa delata fuerat, post Periti Curialis officium accitum, *die* 27 *Septembris* 1832 suam pandidit sententiam Sororum petitioni consonam. Ab ea Præsul Nardi, Thomas Somai, et Fratres Perrini damnati fuere ad rationes edendas de eo, quod circa defuncti Andreæ hæreditatem ipsi patraverant. Editæ Sententiæ justitiam confestim agnovit Sacerdos Antonius Thomæ interim defuncti filius, qui cito paratum se exhibuit ad petitas reddendas rationes. Ipsius sequi exemplum renuit Præsul Nardius, qui ad Nostrum Sacrum Ordinem provocari voluit. Qua de re die 16 Martii 1835 cum proposuerim Dubium = *An sit locus præfixioni termini ad reddendas rationes Thomæ Somai de pensionibus domus, et foenilis Urbis, Perriniis de fructibus bonorum Arcis Antiquæ et R. P. D. Nardi super rebus, et pecuniis hæreditariis exactis, quo elapso sit relaxandum mandatum de gravando in casu etc.* = in oppositione ipsius Præsulis, vadimonium deserentibus Perriniis responsum accepi = *Quoad Thomam provisum per declarationem, in reliquis affirmative in omnibus juxta modum nempe ad formam A. C.* =. Obtinuit idem Præsul Nardius veniam iterum obloquendi, et cum hac die statuta fuerit causæ propositio, aui mali juris conscius idem Præsul, fere in ipsius propositionis pervigilio, declarationem in actis retulit, qua promisit se redditurum foro demandatam rationum redditionem. Assueta nihiluminus proposita dubii formula, vadimonium iterum effugientibus fratribus Perriniis, PP. rescriberunt = *In Decisis* =

Et merito quidem cum compertissima undique videretur justitia Sententiæ A. C., veluti ipsimet Præsul Nardius, qui ab ea pruvocaverat, manifeste tandem agnovit, dum obtenta a S. Nostri Ordinis lenitate licentia obloquendi contra superiorem meam Decisionem, quæ illam confirmaverat, prætulit fasces submittere, et paratum se exhi- 1

bere petitæ redditioni. Soli supersunt fratres Perrinii, qui in silentio persistentes perperam sibi persuadunt posse effugere petitam rationum expunctionem. Ipsi enim nunquam obtinere valebunt quod Sorores Zezzi invitæ persistere debeant in bonorum hæreditariorum communione, obsistentibus clarissimis *textibus Leg. in judic. dividendo, leg. in re communi ff. de servit. Urb. præd.*, *leg. Nulla societas ff.* pro Socio, et Sac. *Rota* in *decis.* 241 *num.* 30 *part.* 5 *in Recen.*, *decis. Nullius seu Farfen. Divisionis* 17. *Junii* 1757. §. 2. *coram Olivatio*; præcipue cum de hæredibus agatur, qui nullo pacto adigi possunt ad communionem servandam, prout habemus *ex Leg. final. Cod. Communi dividend. Leg. Cum Pater* 77 §. *Dulcissimis* 20 *ff. de Legat.* 2., *et S. N. Ordo in decis.* 232. §. 1 *coram Lancetta*. Quocirca si ex jure liberum est Sororibus Zezzi hæreditariæ substantiæ exquirere divisionem, consentaneum est, quod ipsæ quoque legitime petere possint rationum redditionem ab illis, qui vel communium habuere rerum administrationem, vel hæreditariorum bonorum sibi addixere proprietatem, cum ex cognoscenda ipsarum rerum hæreditariarum quantitate præcipue pendeat justa ipsius hæreditatis divisio inter vocatos. Notissimum enim est in foro, neminem sive voluntarie, sive necessario alienas vel communes res administraverit, declinare posse ab obligatione reddendi rationes *ad text. in Leg.* 1 §. *Ex officio ff. de tut. rat. Distr.*, *Leg. Si quis absentis ff. de negot. gest.*, *Leg. quædam ff. de Edendo*, *Voet. in Pandectas lib.* 17. *tit.* 2. *num.* 11 *pro Socio*, *Excodar. de Ratiocin. Cap.* 5 *num.* 6, *Felic de Societ. Cap.* 37 *num.* 1

2 Cum vero in facto incontroversum sit, quod obventa morte Andreæ ab eisdem fratribus Perrini occupata fuerint bona omnia stabilia, quæ ab eo in Oppido Arcis Antiquæ possidebantur, eaque quoque hodie ab iis retineantur, cum ex illis bonis quotannis fructus ipsi percipiant, evidens est, quod effugere neutiquam ipsi valebunt allegati Juris censuram, nempe quod instantibus Sororibus reddere teneantur petitam rationum redditionem, quæ si a quolibet administratore, ut vidimus, reddi debetur, fortius ab hærede in promoto herciscundæ familiæ judicio expungenda erit ad ea, quæ docet *Text. in Leg. Incerti* 19 *Cod. Com. herciscund.*, *et Vinnius in Commentar. Juris Civil. Lib.* 4 *tit.* 6. §. 7, *et S. N. Ordo* in *Romana, seu Florentina Divisionis super Creditis secundæ classis* 28 *Junii* 1771 §. 2 *cor. Verri*.

Et ita, admissa Præsulis Nardi declaratione decisum fuit, vadimonium iterum effugientibus Fratribus Perriniis.

---

## ROMANA SUCCESSIONIS INTESTATAE

*Veneris* 4 *Julii* 1836.

### ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Extante testamento, intestati causa silere debet.*

### DECISIO DXIX.

Intestati hæredes Viri Eminentissimi Julii Mariæ De Somalea, clarissimæ utique recordationis, dum contendebant nullum esse testamentum, quod per schedam ab Sacerdote cuique probatissimo Josepho Tarnassi conscriptam ille, privilegiario Cardinalium more condiderat, postulationem de intestata obtinenda successione proposuerant. Quas instantias A. C. Sententia cum rejecerit, veneritque ex provocatione utraque contentio ad S. N. Ordinem, post Causæ vices in alteris meis hujusce diei Decisionibus super *examine Testium*, ac *Nullitate testamenti* enucleatas, consentaneam hanc disceptationem, una cum illis, me hodie proponente sub dubio — *An sit locus successioni intestatæ, ita ut sit danda immissio in casu etc.*, dirempta res ne-

cessario responso fuit — *Negative in omnibus* —.

1 Extante quippe testamento, intestati silere causa debet, ac secundum tabulas deferenda successio est *od Text. in Reg.* 38 *ff de Acquir. hæred. ibique Brunemann. num.* 1 *in Leg.* 7 *ff Eod. in Leg. Quomdiu* 89 *ff de reg. Jur.*, *Cujoc. Tom.* 5. *Edit. in Neopol. pag.* 762, *et S. Boto in Romono Immissionis* 28 *Jan.* 1754 *num.* 2 *corom Molino*; *otque in Decis.* 253 *num.* 3 *corom Olivatio.* At coeva Decisio firmat Emi De Somalea voluntatem, supremo panditam elogio, *diei* 31 *Mortii* 1830 Sacerdote Tarnasio scribente, exarato, suis omnino consistere viribus, traditque, quod, etsi illud deleretur, alterum semper superesset ad Nuccrinas Aquas Anno 1818 Viri Emi manu conscriptam, subsignatamque, qnapropter necessarium consectarium erat intestatæ successioni locum fieri nequaquam posse; sed deficere illam omnino, ad validi testamonti imperia, ex jure oportere.

Atque ita utraque decisum fuit.

---

## TERRACINEN EVACUATIONIS

*Veneris* 22 *Aprilis* 1836.

### ARGUMENTUM

Distinctio a lege inducta, inter rusticos, et urbanos fundos non desumitur a loco, sed ab usus et a fine ipsius destinationi; proinde receptum est illud proprie urbanum dici, quod magis ad civilem hominem vitam aptum apparent; dum rusticum habetur e contra alterum quod agrorum culturae, et fructuum collectioni praecipue inservit.

SUMMARIUM

*1. Conductor rem locatam poseidet pro domino.*

*Praeterlapso locationis tempore, contractus nunquam praesumitur renovatus in fundis urbanis.*

*2. Distinctio inter rusticos, et urbanos fundos non desumitur a loco, sed ab usu.*

*Inter urbanos fundos, adnumerari debet caupona, etsi in medio agrorum contineatur — ibi —*

*3 Est in facultate Tribunalis, seposita falsitatis exceptione, controversiae decernere meritum.*

*4. Ex dicto testium, qui res de auditu referunt, in descrimen adduci non potest res de facto*

*Legis praesumptio semper stat pro actus validitate — ibi. —*

*5. In locatitiis contractibus dies interpellat pro homine.*

*6. Exemplar locationis, quod manet penes locatorem, necesse non est ut ab ipso subscribatur.*

### DECISIO DXX.

Ineunte anno 1833 Paulus Censi Cauponam, quam in Mesæ Latifundio retinebat, Raphaeli di Leo pro conventa mercede scutorum Tercentum locavit. Initi contractus conditiones ipsemet et Locator adnotaverat in quodam privato folio, quod conductor obsignaverat, præsente quodam Josepho D'Isa, qui quoque se subscripsit, uti = *testimonio alla suddetto sottoscrizione* = Præcipua autem ipsius locationis pacta fuere, quod contractus perdurare tantum deberet *a tutto Gennaro* 1834 et quod nullus præter conductorem in præcitato Mesæ districtu posset *vendere Vino, Pane, e Componotico ec.*

Exspiravit annus præstitus pro contractus termino, et nihilominus in exercitio perduravit conductor Di Leo ex locatoris conniventia. Sed sensim a pactis recedere ipse incepit. Non amplius Cauponam instructam ipse retinebat rebus, quæ necessariæ erant ipsius exercitio. Ex quo evenit, quod rustici homines, qui Mesæ inhabitabant = *furono obbligati di fare delle spedizioni per conto del detto Sig. Censi in Terracino, onde provvedere pane, Vino, ed altro ec.* = veluti Testes deponunt.

Ne hujusce damni casus in posterum renovaretur, censuit Paulus alio veniam elargiri novam aperiendi Cauponam. Pervalde hoc displicuit Raphaeli, qui proinde de damnis obloqui incepit. At Censius cum recte cognosceret elapsum jam fuisse terminum in locationis con-

tractum præstitutum, Raphaelem citavit, vel ad contractum renovandum, vel ad Cauponam evacuandam. Postremam promotæ actionis partem omplexus est Di Leo, qui etsi, styliis omnibus Cauponam expoliasset, ipsius attamen claves restituere negavit. Coactus igitur fuit Paulus illum coram Veliterno Judice rapere, ut legitimam sibi expleret ipsius Cauponæ restitutionem. Obsistit Di Leo, strenue excipiens nondum esse contractum ad exitum perventum, et falsam esse privatam Locationis Apocham, qua super se fundabat actor. At Tribunal Velitrense, cum perspiceret objectas exceptiones minime prubatas fuisse *a forma di Legge*, benigne admisit Censii actionem. Tunc De Leo, jurata emissa protestatione quoad illius Apocæ falsitatem, ab ea Sententia provocavit. Delata hujusce Causæ cognitione ad S. Nostrum Ordinem, proponitur hec mane utraque controversia quam Patres mei de Turno dirimere haud hæsitarunt favore Pauli. Reapse quoad prætensam falsitatem, quæ per Memoriale proponebatur, eam excluserunt, edito rescripto = *Nihil* = quoad autem petitam evacuationem, dubio = *An sit locus evacuationi ita ut sit relaxandum mandatum de evocuando in casu etc.* = responderunt = *Affirmative in omnibus* =.

1 Cum enim conductor rem locatam possideat pro domino, consequens est, quod ille ipsius possessionem retinere debeat pro eo tantum tempore, quod in contractu fuit conventum. Eo autem prælerlapso, rem quam conduxeral vacuam ex locato reddere, suoque domino religione restituere tenetur, ceu tradit *Text. in l.* 25 *Cod. de locat. et cond. leg.* 25 *ff eod. titulo Pacion. de loc. et cond. cop.* 13 § 651, *et S. Rota in Bononien. exfractionis* 3 *Julii* 1818 *n.* 6 *cor. Emo Marco*; *et in Rom. Evacuat. domus diei* 30 *Martii* 1821 *cor. eod.*, Quapropter cum ex privata scripta apocha ambiguum minimum sit Cauponam locatam fuisse = *a principiare al Febraro* 1823, *e tenerla a tutto Gennaro* 1834, plunum erat integrum annum transiisse, ex quo resoluta erat inita locatio, quæ proinde a reo convento retineri haud poterat, quam dictim, exclusa qualibet contractus renovatione, juxta doctrinam, quam ex libera *Leg.* 13 *ff loc. et cond. amplexi sunt Richerius Jurisprud. lib.* 3 *Voet ad Pand. l.* 19 *loc. et cond. n.* 16; *et Rota in Romana evacuationis, seu exfractationis* 24 *Aprilis* 1820 *cor, Emo Isoard.*

Perperam vero excipi quibat hujusmodi jurisprudentia vim suam tantum exercere quoad bona Urbana, quæ inter recensendo haud videbatur Caupona, de qua agitur. Nam contra facile animadvertebatur distinctionem a legibus inductam inter rusticos, et urbanos fundos minime desumi a loco, sed ab usu, et a fine ipsius destinationis; proinde receptum est illud proprie urbanum dici, quod magis ad civilem hominum vitam aptum appareat, et quod eorum commodis, facilius curandis respondeat; dum rusticum habetur e contra alterum quod agrorum culturæ, et fructuum collectioni præcipue inservit. Posita hac distinctione, dubitari amplius nequibat quod inter urbana bona adnumerari deberet controversa caupona, etsi in medio agrorum contineatur, cum hominum ibi commorantium necessitatibus præcipue inservint. Quapropter, etiamsi conductor Di Leo in re locata versatus diutius videretur, quam ex consensu domini Cauponam illam retinuisse, nec illum proinde unquam impeditum fuisse, quominus conductorem e re locata expellere posset, prout animadvertitur in præcitata *dec. Romana Evacuationis etc. cor. Emo Isoard.* 2

Inutiliter autem Raphael innixus § 804 novissimæ vigentis legis Gregorianæ propugnabat nullimode judicium ferri posse super causæ merito, donec apocæ veritas purgata, haud fuisset a falsitatis, nota, qua illam insimulaverat. Eidem enim id objicienti respondebat alter § 840 = *se la causa può decidersi indipendentemente dalla scrittura querelata di falso, è in facoltà del Tribunale di pronunziare sul merito non avuto riguardo alla eccezione* = Hujusce articuli censura innixus S. N. O. recte animadvertit quod in sua facultate omnino erat de- 3

specta falsitatis exceptione; favore instantiis Censii petitam decernere controversæ Cauponae evacuationem. Quod urgentius evaserat, postquam Patres Mei, edito rescripto = *Nihil* =, definierunt haud constare de objecta apocæ falsitate.

4 Ad nectendas moras prolata videbatur serotina illa falsitatis exceptio, quæ omnino pendebit a gratuita ipsius Raphaelis assertione. Novum insuper erat, quod ex dicto testium, qui res de auditu referunt, in discrimen adduci posset res *de facto*, veluti adamussim est controversa subscriptionis legitimitas, veluti animadveriit *decis.* 12 *n.* 4 *cor. Olivatio*. In defectu igitur cujuslibet probationis necessarium omnino reddebatur nullo in pretio haberi posse præcitatam exceptionem, ad eam enim excludendam concurrebat etiam Juris præsumptio, quæ pro actus cujuslibet firmitate semper pugnat veluti post *Textum in leg.* 3 *ff de Testam. militar. in Leg. quoties ff de verb. obliq.* censuit S. Ordo *in Bononien. Exequutionis* 13 *Januar.* 1823 § 3 *cor. Emo Serlupi*, et Legum prohibitio delicta non praesumendi, quae fortius in themate firmissima retineri oportebat, quia, si admitti posset, quod Censius supposuisset subscriptionem Raphaelis in Apocha contentam, supponi ex necessitate etiam oportebat illius criminis Sociorn quoque fuisse testem D'Isa, qui absque ulla Causa impulsiva delictum illud patrasset; quod praesumi minime potest.,

5 Genericis hisce animadversionibus, praesuppositam falsitatem respuentibus, alia praesto erant rationum momenta, quae scatebant ab ea protestatione, qua Raphael ratus est Apocam falsi incusare. Ipse enim suppositam dictitavit Apocham, quia pactis conventis haud respondebat. Obiiciebat ipse præ primis defectum DISDICTÆ, quam ipse ajebat conventam fuisse in Contractu, et quæ ex pacto ei fieri oportebat per tres menses ante ipsius contractus solutionem. Sed Patres facile ipsius exceptionis futilitatem contrectarunt; animadvertendo quam rationi inviam esset, quod Paulus, in cujus libera facultate erat disdictam illam transmittere prætolerit potius crimen committere eum tanta suæ couscientiæ, et æstimationis jactura: improbabile insuper videbatur, quod paciscentes initi contractus continuationem repetere maluissent ab illo defectu disdictæ, statim ac unius anni terminum taxative constituerant. Nulli enim, in Jurisprudentia etsi minime versato nova utique est regula vulgatissima, quod dies interpellat pro homine, ita ut, et eidem excipienti Raphaeli perspectissimum esse debebat, quod semel ac perventum esset ad mensem Januarii anni 1834 suum exitum sortiri necessario debebat initus Contractus, et quo in ipsius exercitio, nisi dietim, versari ipse deinde haud potuisset.

Levioris denique levitatis comperiebatur altera exceptio, nempe quod falsa dici deberet locationis Apocha ex defectu subscriptiouis ipsius Consii. Statim ac Apocha illa, scripta per integrum ab eodem Paulo, et subscripta a Raphaele penes ipsum scribentem Paulum adservari debeat, patens est inutilitas ipsius subscriptionis. Insuper, si in pretio haberi deberet ipsius subscriptionis defectus, illum excipere tantum posset ipsemet Paulus et non Raphael, qui ob propriæ subscriptionis præsentiam semper obligatus esset. Quod recte cum præsensisset Raphael, ad ultimum confugit præsidium inficiandi scilicet propriæ subscriptionis authentieitatem. At Patres Mei, cum intelligerent patratam assertam falsitatem esse rem de facto, quæ admitti haud potest ex gratuita excipientis assertione, in defectu cujuslibet probationis illam respuere rati sunt coævo rescripto NIHIL, ita ut liberum Eisdem fuerit suum ferre judicium super petita Cauponæ evacuatiune, quam immediate expleri favore instantis Pauli dijudicarunt. 6

Et ita etc. Utraque etc.



Digitized by Google

# TYBURTINA

## RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

*Veneris* 13 *Januarii* 1836.

## ARGUMENTUM

Pubblica utilitas exigit, ut agricolatio faveatur per leges, utpote quae vita est, ac societatis incrumentum. Proinde in agricolturae damnum reciderut obligatio communiendi sata repagulis ac sepibus, si ab iis dominus velit damnum avertere; cum facilius agricultores tunc ab serendis agris sese abstinerent.

### SUMMARIUM

1. *Injusta res iudicata, restitutionis in integrum remedio, delenda est.*
2. *Si quis damnum, sive dolo adhibito, sine procul a dolo alteri inferat, actione de dolo, vel in factum, illud sarcire debet.*

   *Animalia, si vel a dominio, vel a custode in alienos agros impellantur ad pastum, indemnitas peti potest ex lege Aquilia - ibi -*

   *Si vero per se, ferino ingenio suo, irruant in aliena, indemnitas est praestanda ex lege XII Tabularum - ibi -*
3. *In Tiburtino agro, quoad damna ex animalibus provenientia, adest statutum, specifica forma a Pontifice adprobatum.*
4. *Publica utilitas postulat, ut agricolatio faveatur per leges.*

   *In praedia sata, non licet belluas immettere ad depascendum - ibi -*
5. *Non licet invocare consuetudinem e diametro pugnantem cum jure naturali, et civili.*
6. *Non sunt attendendi testes, qui carent requisitis a Glossa praescriptis,*

   *Nec probant, si deponant de consuetudine legi contraria - ibi -*
7. *Consuetudo non potest deduci ex actibus, qui sunt posteriores contestationi judiciariae.*
8. *Ex actibus facultativis, nunquam consuetudinis probatio educitur.*

## DECISIO DXXI.

Quae duo Latifundia extant in Agro Tyburtino, alterum *S. Angelo in Valle Arcese* partim saltuosum, pabuloque animalium destinatum, partim vero frugibus serendis, colligendisque opportunum, ad Patricios Bettios dominii jure antiquitus pertinens, ac nuper divenditum Equiti Aloysio Mencacci, alterum *degli Arci*, Equitis Josephi Lolli dominio suppositum contermina sese inter jacent, longoque terræ tractu conjuncta. Nullo sepimento munita erant illa, sed utrinque aperta, ac dissoluta. Factum inde est, ut frequenter pecudes e Lolliorum Latifundio ad finitum transgrederentur *di Valle Arcese* inibi ferino impulsu damnum illaturæ. Exarsit hinc ab anno usque 1793 litigium de sarciendis damnis per Lolliorum pecudes, Bettiorum Latifundio allatis. Qui cum in judicio Bettii ceciderint, damnorum sarcitione, prius ab Tyburtino Vicesgerente, ac deinde ab Generali Vicariu denegata postularunt ipsi, ineunte anno 1794 ut Lolliis vetaretur, quominus immitterent *belluas ad depascendum, et inferendum damnum in eodem latifundio, et præsertim sementibus contiguis cum sylvis ejusdem D. Lollii, etiam si non adsint repagula, seu vulgo fratta, o staccionata, circumcirca sata.* At hanc quoque litem diremit Judex ille adversus Bettios inimica obsignata Sententia ad diem 17 *Feb.* 1894 a qua cum Betii oscitanter non provocassent, ex fatalium lapsu abiit illa in rem judicatam.

Obstante hac itaque rejudicata, quoties posterum Bettii postularunt a Lolliis damnorum sarcitionem ob excursionem pecudum in eorum latifundium toties ceciderunt e judicio; siquidem, innixi Judices illi, censuerunt fieri locum sarcitione baud posse, nisi Bettii suum repagulis communiissent latifundium. Atque ita evenit *die* 29 *Augusti anni* 1805 *die* 30 *Aprilis anni* 1821 *atque die* 25 *Junii anni* 1838 in quibus Sententias protulerunt Generalis Vicarius, ac Tyburtini Gubernatores. Nec diversum subiit judicium Aloysius Mencacci, post emptum a Bettiis Latifundium. Cum enim peragere tulisset damnum Latifundii satis ab Josephi Lolli pecudibus illatum, petiit continuo apud Tyburis Gubernatorem indemnitatem. Sed repulsam fuit expertus non

*solo in forza della consuetudine agraria di Tivoli, ma eziandio in conformità della regiudicata emanata nella Curia Vescovile* 1794 uti se habet Sententia ad *diem* 5 *Februarii* 1834 obsignata.

Totus quapropter Aloysius tunc fuit ut rem judicatam illam subverteret, a qua, continuo apud S. N. Ordinem provocavit. Attamen inutiliter. Etenim non esse concedendam a rejudicata appellationem PP. DD. responderunt in Comitiis diei 14 *Septembris* 1834. Imploravit opportuniore consilio Aloysius restitutionis in integrum beneficium ab Signaturæ Tribunali, quod facile quum obtinuisset per rescriptum *De Causis*, rediit ad me, ut assuctam cunctis Patribus formulam dubii proponerem = *An constet de rejudicata, seu potius de causis restitutionis in integrum in casu etc.* quam hodie mane dimiserunt responso = *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.*

1 Injusta namque resjudicata, quæ reijudicatæ, nomen haud idcirco meretur probanda nequaquam est, sed e contra restitutionis in integrum remedio delere illam oportet ex Jure *ad text. in Cap. Literis* 18 *de integr. restit. in Leg.* 1 2 *et* 3 *eod. tit. atque tradit S. Rota Dec.* 24 *n.* 1 *cor. Herzan. in Viterbien. Manutentionis* 2 *Martii* 1777 § 3 *cor. Litta in Dec.* 51 *n.* 1 *cor. Emo Odescalchi ac in Romana, seu Auximana Immissionis in specie super restitutione in integrum* 12 *Jan.* 1835 § 4 *cor. Me.* At vero Tyburtinæ rejudicatæ injustitia evidens erat: immo autem patentissima. Dum enim Bettia Gens postulabat ab Tyburtino Generali Vicario, ut Lollios possessores Latifundii *degli Arci* contermini Latifundio alteri *di S. Angelo in Valle Arcese* quod ipsi libere possidebant, prohiberet quominus immitterent *belluas ad depascendum et inferendum damnum* in eodem latifundio, et præsertim sementibus contiguis cum Sylvis ejusdem D. Lolli, etiam si non adsint repagula seu vulgo *Fratta* o *Staccionata*, Vicarius pronunciabat, Bettios obligatos esse ad conficienda, seu complenda regula, iisque unis confectis; et conservatis *non licuisse, neque licere belluas D. Lollii depascentes in dictis Sylvis impune depasci, et damnum inferre in satis DD. Betti conterminis dictis Sylvis*, atque hæc abnormis Sententia fatalium, lapsu nacta reijudicatæ vires fuit.

Verum ab Judice illo violabatur aperte tum naturalis, communisque Juris sanctio; tum *Statutum* Tyburtini, agri a SS. Pontificibus in forma, ut ajunt, specifica confirmatum quæ omnia fieri, nisi adversante justitia possunt. Naturali quippe Juri repugnat, ut alteri damnum in re sua afferatur, atque alienam in rem impune irrumpere ipsa natura vetat, prout docent *Coccejus in Comm. ad* § 8 *Prolegom. Hugo Grotius de jure belli et pacis, atque Puffendorf. lib.* 6 *Cap.* 13 § 1 *de Jure Natur. ac Gent.* Quin naturalis ipsa libertas patiatur, ut ad rem suam servandam illam dominus intercludere teneatur, gravique ita subjiciatur servituti quæ dominii jus non modice corrodaret, atque enervaret. Quapropter Civiles, et ipsæ Leges nunquam adversus Naturales Jus impesantes generatim caverunt, ne quis damnum, sive dolo adhibito, sive procul a dolo alteri inferat, alias vel actione *de dolo vel in factum* illud sarciatur *ad Text. in leg.* 14 §. *final. ff. de Praescriptis verbis, itique Glossa, speciatim vero* quoad pecudes, ut si istæ, vel a domino, vel a custode in alienos agros impellantur ad pastum, peti indemnitas possit ex *Lege Aquilia*; si vero per se, ferinoque ingenio suo irruant in aliena, a domino pecudis indemnitas sit omnino præstanda *ex Lege XII tabularum,* ad ea quæ tradunt *Vinnius in Justit. lib.* 4 *tit.* 9 § 1 *Donell Comment. Jur. Civ. lib.* 15 *cap.* 45 *in notis n.* 6 *ac Woet. ad Pandectas lib.* 9 *tit.* 1 § 1 *n.* 1 *et* 2., quin datum inibi nec in toto juris corpore sit invenire præceptum de claudendis, sepiendique agris repagulis, vel alio modo, ut licite postulari damnorum sarcitio possit. 2

Et naturali Civilique Juri consonum aderat in Tyburtino agro *Statutum*, specifica forma per SS. Pontificum auctoritatem adprobatum, eoque ipso spe- 3

cialis de hac re vim legis obtinens ubi in *Cap.* 4 *Lib.* 3., sancitum fuerat quod *si Bos, vacca, bubalus, porcus, capra, vel alia animalia damnum dederint, vel invanta fuerint in grano, hordeo spelta millio, fabis, vel aliis segetis, vel in vinea plena* (*nisi per scampimentum, vel fuga sine fraude*) *dominus solvat pro quolibet bove, vacca bubalo, si de die f. VI si de nocte f. XII, et pro quolibet equo, equa muto, vel mula si de die III si de nocte VI.* = iteruinque Cap. 36 = *quod nulli habenti gregem, vel armentum bestiarum minutarum, vel grossarum, liceat ipsas bestias ducere, et facere pascuari vel ambulari perseminata aliena culta, vel inculta sine licentia domini tenimenti, et qui contra fecerit, solvat dominus bestiarum pro qualibet vice pro poena viginti solidos*, nulla prædiorum dominis obligatione imposita, sua sata quoquomodo communiendi, si damni sarcitionem ad certam usque vim in statuto æstimatam, ab damnificantium belluarum dominis vellent obtinere. Evidentissimum inde erat quantum resjudicata peccaret, quæ definierat licitum belluis DD. Lolli posse impune depasci, et damnum inferre in satis DD. Betti, latifundio *degli Arci* conterminis, nisi ista repagulis, vel sepimentis ad usum artis confectis defensa fuissent, ac communita, apertam adversus Naturalis Civilisque Juris sanctionem, specialeque Tyburtini statuti præceptum.

4 Quod autem eo magis exosum; atque immane videbatur, cum resjudicata injuriosa hæc porrexerit præcise ad ea arva quæ dominus sationi destinaverat. Publica namque utilitas ac causa postulat, ut agricolatio faveatur per leges, utpote quæ vita est, ac societatis incrementum. Cum enim nulli liceat allato ex Jure, in aliena quoquomodo irrumpere, eo minus id erat permittendum, dum in agriculturæ damnum vertebat, qua re nil carius, ac favorabile in bene coordinata societate esse debet. Et certe quidem in agriculturæ damnum recideret obligatio communiendi sata repagulis ac sepibus, si ab iis dominus velit damnum avertere; cum facilius ab serendis agris se domini abstinerent, ne sub odiosæ servitutis pretextu, quod sibi in pleno, ac toto dominio retinent, defendere immani impensa ob sationem unam adigerentur. Læserat itaque possessorum Latifundii « *S. Angelo in Valle Arcese* » exploratissima jura Tyburtini Vicarii resjudicata quæ sanxerat a Bettiis defendenda illius sata repagulis esse si damnum in iis pati ad Lulliorum arbitrium noluissent. At vero quoad Latifundii libertatem, nulloque et damno subiici illud posset Lollii ipsi erant auctores, qui sui Latifundii « *degli Arci* » libertatem ad annum 1801 vindicaverant negantes activam pasciendi servitutem in ejus agri etsi forent aperti. Cum enim nulli nec sit servituti suppositum tenimentum S. Angeli « *in Valle Arcese* » incivile est contendere, quod in terrenæ inibi sata liceat belluas impune immittere ad damnificandum. Petere quippe ut alter judicetur adversus ea, quæ pro se quisque statuenda curaverat, neque ex jure licere nec æqnitatis pati rationem admonet. *Rota in Dec.* 509 *n.* 1 *cor. Ansaldo, in Dec.* 807 *num.* 7 *et* 13 *cor. eod. atque in Bononien. Tutelæ* 30 *Junii* 1727 *cor. Ratto.*

Quæ autem omnia quum Josephus ipse intelligeret reijudicatæ justitiam propemodum reddere manibus ipsis contractandam, diverticulum inutiliter quæritabat in consuetudine, quam Tyburtino in Agro vigere contendebat sopiendi nempe sata dum hæc essent contermina agris, in quibus belluæ ad pascendum immitterentur: aliter damnorum sarcitioni locum haud posse se fieri: atque in hujusce consuetudinis fulcimentum implorabat ea judicia ad Tyburtinis Jurisdicentibus reddita dum Betti; atque Aloysius indemnitatem perpessi damni postulaverant, aliaque reddita judicio, quibus pariter fuerat damnorum reintegratio denegata. Sed tamen consuetudinem invocare, adversa fronte Naturali, Civilique cum Jure pugnantem, atque e diametro oppositam Statuariis Legibus ejusmet Civitatis, quo illa legis vim inducisse sibi 5

Digitized by Google

fingebatur, futile erat, atque ineptissimum. Oportet quippe iste, et si invaluerint, e vestigio respuere, cum in Jure non landabilem probandamque firment consuetudinem, sed habita sint semper uti abusiva corrupta, atque inania, quæ nullam exercent efficaciam, quæque esse spernenda jubent. *Text. in Leg.* 14 *ff. de Legibus in Leg.* 39 *ff. Eodem*; *Rota in Mindionem Officii Diaconalis* 28 *Aprilis* 1758 § 8 *cor. Paracciano, Dec.* 21 *n.* 5 *de Officio Ordinarii cor. Falconerio*; *in Dec.* 458 *n.* 12 *cor. Olivatio*; *et in Dec.* 365 *n.* 18 *cor. Emo Marco.*

6 Etsi tamen mittere hæc libuisset, inutiliter Joseph consuetudinem invocaret. Carebat quippe necessaria ac concludenti illius probatione, ab eo necessario offerenda qui consuetudinem adversam Legum dispositioni proponebat *Rota Dec.* 118 *n.* 4. *De Miscell. coram Falconerio, Dec.* 49 *num.* 12 *cor. Ratto*; *Dec.* 346 *n.* 15 *cor. Lancetta, et Dec.* 50 *num.* 35 *cor. Ansaldo.* Reque autem vera, illæ quas ipse consuetudinis probationes attulerat, aliæ erutæ ex testibus erant, aliæ autem ex redditis quibusdam judiciis, tum ante remjudicatam, tum vero post enatam illam. At testes numero perpauci, nec ex Glossæ requisitis sua in dispositione testantes; quippe per contrarios testes respuebantur, nihili penitus fieri debent; præcipue vero cum deponerent de consuetudine legibus omnino contraria. *S. N. Tribunal in Tridentina Decimarum* 23 *Aprilis* 1754 §. 6 *cor. Borall. et in Treviren Quartæ funerariæ* 21 *Martii* 1757 § *Final. cor. Canillac.* Adjiciebatur, loquutus fuisse non satis clare, ea consuetudo vigeret quoad agros finitimos pascuo publico destinatos, vel quoad omnes agros, qui essent aliis contermini, ubi pecus pro domini arbitrio pasceretur. Rursus, cum bi essent Tyburtini possessores, facile in proprium commodum deponebant. Merito itaque in hisce Testibus non consuetudinis probationem consistere PP. DD. censuerunt.

7 At nec reddita judicia probationem illam constituebant. Quæ enim reddita fuerant ante remjudicatam, de cujus justitia querebatur, eos respiciebant casus, quo belluæ pauperiem fecerint in agris, publico pascuo, vel vineis finitimis, prorsus ut nihilum efficerent quoad consuetudinem, quæ presumebantur in Latifundiis, neutri horum speciei fundo pertinentibus. Siquidem ratio ad inducendam consuetudinem ex loci natura illis in circumstantiis existens, deerat altero in casu, quo circumstantiæ illæ desiderabantur. Quæ vero judicia sequuta remjudicatam fuerant utpote quæ ab eodem errore, unde illa obtinuerat, dimanaverant. Supponebant utique consuetudinem, sed illas admissionem minimo vindicabant. Ex actibus quippe reijudicatæ *anterioribus* probanda consuetudo erat, non vero *ex posterioribus*, qui ducentes ab eodem errore originem suam, inefficaces esse ad consuetudinem inducendam imperat. *Text. in Cap.* 2 *de Constit. et in Leg.* 2 *Cod. De Leg. ac doct. Rota Dec.* 255 *n.* 5 *part.* 1 *recent. atque Dec.* 50 *num.* 47 *cor. Ansaldo.*

Verum enim vero nec unquam prætensam hanc consuetudinem extitisse ex rei natura optime PP. DD. concludebant. Cum enim Tyburtino in agro promiscuum jus pascendi certissima locum sibi vindicaret, fieri nequaquam poterat, ut induceretur consuetudo sepiendi omnia sata, si damna ab iis avertere agricolæ voluissent. Tunc dum serebatur repagula vel sepes sumptu immani fuissent extruendæ, ut recollectis segetibus, inaniter impensa pecunia, destruere sepimenta agricolæ ipsi adigerentur, ne promiscuum pascendi jus interciperetur. Neque erat in themate ullimode attendendum, quod Josephus, redactus ad incitas, arripiebat, ajens, ipsam probasse consuetudinem, remque judicatam acceptu sibi habuisse Bettios, atque Aloysium, dum repagula circum Latifundii sata extruxerant. Id enim fieri necessario debuit, ut extantes reijudicatæ effectus, damna perpetiendo, averterentur; deinde vero, cum liberum dominis Latifundii prout ipsi incedebant, esset illud omni ex parte suam inutilitatem circumsepire, 8

ex actu *facultativo* non recte Judicatæ rei acceptatio consuetudinisque probatio educebatur. Cum hanc autem injustam, atque læsivam omni ratione dignoscerent, eam merito delendam PP. DD. judicarunt.

Et ita etc. Utraque Parte sua jura deducente redditum ab OO. DD. jus fuit.

---

## VELITERNA PECUNIARIA

*Lunae* 1 *Februarii* 1836.

### ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Qui debitor est dotis, nisi contrarium probet, praesumitur quod debitor sit quoque fructuum.*

*Instrumentum donec suis stet viribus, promptam et paratam executionem semper habet - ibi -*

### DECISIO DXXII.

Egisse Benedictum Fiscari in Rosam Ricci apud Judices Capitolinos ut ab ea reposceret cambium ad 1200 argentea, atque insulutos fructus ad mensuram septunccm, in tabulis 1808 restituendum post annum adprossimum: quod manabat cambii creditum, ex Flaminiæ Fiscari dotis reliquo Benedicto ab ea in proprietate tributæ, atque restituendæ ab Francisco Lucci, cujus bæres Rosa evaserat, narrat altera mea hujus dici Decisio super prefiixione termini. Eadem vero illa narrat, Rosam damnasse Capitulinos Judices ad solutionem: provocasse illum, ac causam detulisse coram R. P. D. Ruspoli: Raymundum autem Alfonsi, qui, quia tertius fundi, Benedicti favore pro illo credito generali hypotheca devincti, possessor incedebat, hypothecaria actione is prosequebatur, postquam damnatus ab A. C. Judicibus fuerat, per appellationem judicium instaurasse coram R. P. D. Meo Marini, fretusque occasione, que tulit, ut ipse per Catharinæ Ricci, Rosæ Sororis, atque hæredis successionem mediatus ejusdom Rosæ bæres evaserat, interposuisse recursum pro causarum unione, eoque per Benedictum admisso, opus ei fuisse hanc quoque subire concertationem super credito; quocirca, cum uno comparente Benedicto, dubium ego suffectus in locum R. P. D. Rusgoli e S. Auditori ad R. Cameræ Auditoratum elati, proponerem = *An, et in qua summa constet de eredito, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = habui responsum = *Pro informante* = hoc est = *Affirmative in omnibus in summa scutorum* 1868.

Certum sed enim erat dotem, quam Flaminia Fiscari Benedicto Supremis in tabulis dederat, ab ejus viro Francisco Lucci, atque a Rosa Francisci hærede fuisse insolutam quoad reliquum argenteorum 1200. Hinc Rosæ indulgens dilationem, Benedictus solemnes conficere tabulas ad annum 1808 curaverat, in quibus post cuncta adhibita a Legibus requisita, debitum ad eam vim Rosa confessa fuerat, ac legittime confecto cambio, septunces ipsa supor capto usuras, atque capitis restitutionem post annum expromiserat. Habet itaque Benedictus, ut elapso jamdudum conventæ dilationis anno, cambii, caput insolutasque usuras reposcat, luculentissimum suæ actionis fundamentum in instrumento anni 1808. quod quousque stet exequi per Leges debet: Nisi ergo Raimundus, qui Rosæ nunc subest obligationi, probet extenuatam per solutionem fuisse illius actionis efficaciam, crèditum ex instrumento scatens necesse babeat, ut prompte exsolvat. Atqui, cum id ipse delitescens non agata, nec quoad cambii caput, nec quoad biennii insolutos fructus quot Benedictus exposcit, merito damnatus ad eorum solutionem hodie mane fuit. 1

Et ita. etc. Unica etc.

---

## VELITERNA

### PRAEFIXIONIS TERMINI

*Lunae* 1. *Februarii* 1836.

### ARGUMENTUM

Cum inscripta prius sit generalis hypotheca, deinde specialis, id videtur factum, ut hypotheca specialis in generali comprehenderetur, non vero ut generalis jam inscriptae Hypothecae vim enervaret.

#### SUMMARIUM

*1. Creditum quod ab Instrumento pubblico dimanat, paratam habet executionem.*

*2. Qui retinet fundum hypothecae vinculo mancipatum, vel debitum solvere debet, vel fundum dimittere.*

*3 Nunquam lex respicit ad ea, quae praeterierunt.*

*4. Qui Fisci gaudet privilegio, ad excussionem peragendam minime tenetur.*

*Inepte excussionis privilegium opponit, qui personali obligatione devincitur - ibid. -*

*5. Exulat excussionis privilegium, dum nihil est, quod possit per bonorum deficientiam excuti.*

### DECISIO DXXIII.

Sobole carens cum moreretur Flaminia Fiscari, ultimo in elogio suæ dotis 3000 argenteorum, hæredem in usufructu nuncupaverat virum suum Franciscum Lucci, proprietate relicta Nepoti ex Fratre Benedicto Fiscari. Secundo quam citissime ad vota Franciscus convolaverat cum Rosa Ricci, quam moriens dixerat universalem hæredem. Postulavit itaque a Rosa Benedictus solutionem Dotis sibi ab Avuncula relictæ in reliquis scutis 2300 cum *septingenta* ei jam pridem Franciscus ipse solvisse. At integram solutionem noluit Rosa peragere; quamobrem datis unis argenteis 1100 pro reliquis 1200 solemnes Cambii tabulæ ad diem 6 Septembris anni 1808 fuerunt adstipulatæ, in quibus pacta post annum capitis restitutione, fructus legitime Rosa expromisit *ad mensuram septuncem*, obligatione quoad promissa omnia suscepta = *in ampliori etiam Rev. Cam. Apostolicæ forma* ». Cum vero latæ paulo post fuerint hypothecariæ Leges, sollicitus detulit Benedictus ad tabularium pro capite, ac biennii fructibus generalem in Rosæ Bonis hypothecam, quam sibi Cameralis obligatio tribuebat, atque post eam specialiter devinxit prædium = *l'Albereto* =. Neque id egit inutiliter. Defecit namque Rosa expromissis, non restituto unquam capite, nec solutis fructibus. Patienter Benedictus ad annum usque 1823 non ea petierat judicialiter. At fracta tandem illa, postulavit eo Anno ab Judicibus Capitolinis, ut Rosam adigerent ad solutionem scutorum 1200 pro Cambii Capite, atque aliorum scutatorum 963 obulorumque 60 pro insolutis fructibus a die stipulationis usque ad diem 5 Septembris anni 1822 veluti Sententia edita obtinuit.

Sed provocavit statim Rosa postulans a Signatura Sententiæ illius circumscriptionem. Rejecta vero cum fuerit circumscriptionis postulatio, unaque devolutiva appellatio indulta, innixus Benedictus generali, qua pollebat pro suo credito hypotheca, diligenter semper ab eo renovata, sese tunc convertit in Raymundum Alfonsi, qui ex inita cum Rosa Emptione, Tertius fundi ex generali illa hypoteca devincti possessor incedebat, quique insuper obligationem susceperat ex ejus pretio cuncta Benedicti debita solidanda; atque instituto judicio coram Præsule Cioja, Emi Decani eo de tempore Auditore, petiit ut terminus Raymundo præfigeretur, quo solveret argentea 2069 60 integram summam capitis, ne fructuum insolutorum, vel ut sibi liceret hypothecatum prædium sub hasta divendere. Solverat jam Alphonsus suscepta ex obligatione argentea 602 40., ita ut nullam videretur controversiam cum eo esse Benedictum habiturum. Verum aliter docuit res ipsa. Non enim uni tantum hypothecariæ restitit actioni Raymundus, sed in actorem et ipse erectus clamavit per reconventionem, haud esse Benedicti creditum a se solvendum, nisi prius præ cæteris sub hasta

posito et deliberato prædio altero, quod specialiter Benedictus hypothecaverat. Multa post tricas deventum tandem est ad novæ Praxeos Legum promulgationem, quin Assessor Eminentissimi Decani suam tunc edidisset Sententiam.

Oportuit igitur per novas leges, rem deferre ad alteram Civilis A. C. Congregationis Sectionem, ubi et multa miscens Raymundus interim Rosæ hæres per mediatam successionem Catharinæ Ricci effectus valuit Causam diutius protelari. At vero tandem damnatus ipse ab A. C. Judicibus fuit, ut infra Mensis terminum, solveret scutata 1368 quæ caput, ac biennii fructus constituebant, quod si non egisset fundum licitari Benedictus posset. Nam fractus ille provocavit ad Sac. Nostrum Ord. delata Causa ad R.P.D.MeumMarini. Cum tamen ab Capitolina Sententia super credito jamdudum, et Rosa provocasset, tulissetque judicium illud ab R. P. D. Ruspoli nunc ad Rev. Cameræ Auditoris honorem merito evectum, statim Raymundus recursum interposuit pro Causarum Unione; quod ad inutiles comprimendas nonias accepto Benedictus habuit, putans ut uno eodemque sub dubio Causas illas liceret definire. Quud tamen quum Sacer Ordo noster, cui de re illa controversia fuerat delata, haud faciendum censuerit, ego in locum suffectus R. P. D. Ruspoli, duo concinnata dubia hodie PP. exhibui. De hypothecaria actione, hoc est de termini præfixione, hæc loquitur decisio : de credito coæva pertractabit. Igitur dubium = *An et in qua summa constet de credito, et hypotheca, ita ut sit locus præfixioni termini ad effectum solvendi scuta mille tercentum sexaginta octo, sin minus subhastationi fundi, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = jura deducente uno Benedicto dimissum fuit responso adhibito » *Pro informante* » nempe » *Affirmative in omnibus* »

1 Credito namque Benedictus pollebat atque hypotheca, quæ quum duo succurrerent nil justius instituta hypothecaria actione, qua Raymundus persequebatur, erat. Reque autem vera, creditum qnod ex liquidissimo Dotis titulo proficiscebatur, quodque Franciscus Lucci pluries fuerat professus, quodque proprium esse Benedicti ex Flaminiæ supremis tabulis erumpebat, reliquum superesse in scutatis 1200 solemni Rosa instrumentu anni 1808 cunctis adhibitis sulemniis, quum dixerit non alia opus probatione erat, ut de illius existentia dubitare nec temporis momento liceret. Cum vero eodem in instrumento depactæ ad legis modum septunces, usuræ fuerint, easque per plures annos cum debitrix non solvisset, juste Benedictus reposcebat bienni usuras, cujus creditor ipse longe ultra biennium incidebat, veluti coæva Decisio probat.

Æquo autem de ejus hypotheca non erat ambigendum, ipso quippe Instrumento anni 1808. Camerali sub obligationis vinculo, tum capitis restitutionem, tum fructuum pensitationem Rosa adpromiserat. Ejus idcirco obligationis vigore cuncta bona sua generali hypotheca devinciebantur, prout docet *S. Rota in Decis.* 8 num. 1 *cor. Illmo, et Rmo Patrizj atque in Romana Delectionis Hypothecæ diei* 3 *Julii* n. 20 § *coram Emo Gamberini*. Quam generalem hypothecam cum invectis hypothecariis Legibus, intra utile tempus Benedictus in Rosæ bonis inscripserit pro capite, ac pro biennii fructibus eamque rite semper renovaverit, præsto ei sine ullo dubio hypotheca est pro credito, cujus urgot solutionem. Quamobrem Raymundus, qui nec inficiatur sese rem possidere de contractæ hypothecæ tempore in debitricis Rosæ bonis extantem, quamquo ideirco generali hypotheca Benedicti favore devinciebatur, effugere hypothecariæ actionis vim nequit, cujus effectus in eo ipso stat, quod Benedictus reposcit, ut nempe debitum vel Raymundus solvat, vel hypothecatum fundum sub hasta divendendum relinquat, quodquo ei idcirco concedi per Leges necessario debuit. *Sac. Nostrum Tribunal in Romana seu Sabinen. Pecuniaria* 9 *Junii* 1820 § *final. coram. Clar. Mem. Serlupi*, *in* 2

Digitized by Google

*Ferrarien. Pecuniaria* 22. *Novembris* 1822 *cor. Eminentissimo Tiberi* § 2 *atque in Forolivien.*, *seu Bononien. Crediti* 23 *Aprilis* 1823 § 4 *cor. Eodem.*

3 Nec recte Raymundus generalem Benedicti hypothecam, si jura deduceret sua, in discrimen adduceret, ex eo quod aboleta per Motum Proprium anni 1816. Fiscali obligatione, aboleta et cuncta fuisse, quæ originem ducebant ex illa foret dijudicandum; atque idcirco nullam esse generalem in ejus vim a Benedicto susceptam hypothecam. Non enim Lex respicit ad ea, quo præterierunt, jamque fuerint expleta, sed ea una regit, quæ in posterum sunt agendæ. *Text. in Leg.* 7 *Cod. de Leg. et Constitut. Et Gloss. ad eamdem Leg. atque millies S. Rota, præcipueque in Dec.* 47 *num.* 10 *cor. Emo Marco.* Præscriptiones itaque ejus Legis ad novam respiciebant Fiscalis obligationis susceptionem, quam prohibuerunt; non vero ad executionem illius obligationis, quæ contracta jam fuerat, dum non vetita per leges illa erat, veluti, probe unum ab altero secernens, statuit S. Nostrum Tribunal *in Bononien. Actionis hypothecariae* 12 *Maii* 1828 § 8 *cor. R. P. D. Meo Muzzarelli.*

4 Cameralis autem ipsa, per Rosam susceptа, obligatio enecaret, quæ posset Raymundus de privilegio excussionis, tertio possessori competenti, mussitare. Ex instrumento enim qui agit, fiscali illa vallato obligatione, ad excussionem peragendam nullimode tenetur, sed omnia valet debitoris sui impetere bona apud quemcumque extent possessorem. *Zanch. de prælat. creditor. Exercit.* 4 § 5 *n.* 38 *S. Rota Decis.* 54 *n.* 2 *cor. Ratto, in Urbevetana Pecuniaria* 13 *Decembris* 1822 § 9 *cor. Emo Bussi*, *et in Faventina Census* 21 *Martii* 1828 § 4 *cor. Illmo*, *et Rmo Patrizj.* Quamquam, quum Raymundus personali etiam devinctus obligatione esset solvendi Benedicti creditum, ineptius excussionis privilegium invocasset. Et personali reapse devinciebatur ipse oblatione, tum ex pacto cum Rosa initio solvendi ex rei venditæ pretio Benedicti integrum capitis, ac fructuum creditum, tum ex Juris dispositione, qua permissum Creditori venditoris est personaliter ex illius juribus impetere emptorem, ut de non soluto prætio sibi ipsi satisfaciat. *Averan. Interpret. Jur. Lib.* 5 *cap.* 32 *n.* 1 *Voet in Pandect. Lib.* 20 *Tit.* 1 *n.* 14 *Vers. Dum itaque, atque Rota in Decis.* 23 *num.* 3 *cor. Malvasia.*

Deinde vero, cum Raymundus ipse qui per mediatam successionem Catharinae Ricci, Rosæ Sororis, atque hæredi, ipsius Rosæ hæreditatem fuerat acquisitus, non dubitaverit in redditis hæreditariis rationibus profiteri ea in hæreditate nullius generis bona existere posthabendum hoc non fuisset, quidquid de peragenda excussione contenderet. Exulat quippe excussionis privilegium, dum nihil est, quod possit per bonorum deficientiam excuti. Ita *Zanc. de Prælat. Credit. Exercit.* 2 § 4 *n.* 153 *et Sacer Ordo Noster in Decis.* 80 *n.* 2 *cor. Illmo, et Rmo Patrizj.* Fuisset autem ineptissimum querelam excitare de peragenda prius per Benedictum subhastatione fundi = *l'Albereto* = eo quia specialiter prædium illud sibi haberet hypothecatum. Cum enim inscripta prius generali hypotheca, deinde specialem alteram in prædio = *l' Albereto* = Benedictus habere curaverit, videbatur id factum, ut prædium illud specialiter, ac signanter in generali ipsa hypotheca comprehenderetur, nun vero ut generalis jam inscriptæ hypothecæ, vim enervaret; quod fuisset insanissimum, propiereaque eo ipso, quod specialis, post generalem hypothecam, inscripta fuerit, tenendum firmiter est non amisisse creditorem privilegium, quæ vellet debitoris bona persequendi, uti post *Cujacium in Lib.* 8 *tit.* 13 *L.* 1 *Cod. Litt. A t.*9 *Edit. Mutin. definivit Sacer Noster Ordo in Romana seu Januen. Salviani* 26 *Febr.* 1817 § 17 *cor. Cl. Me Serlupi, et in Urbevetana Pecuniaria super consignatione diei* 13 *Decembris* 1822 § 8 *cor. Emo Bussi.* Post quæ autem omnia, quum nihil esset utiliter Benedicto opponendum, de cujus credito, atque hypotheca constabat luculentissime, ejus erat institutæ actioni ex iege plaudendum. 5

Atque ita etc. Unica etc.

Digitized by Google

# VELITERNA

## PRAEFIXIONIS TERMINI

*Lunae 5. Decembris* 1836.

## ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO DXXIII. -

### SUMMARIUM

1. *Denegari nequit actionis hypothecariae exercitium, quoties cumulata concurrunt Crediti existentia, legitima Hypotheca, ac Inscriptio.*
2. *Cum universalis praeprimis, et specialis deinde suscepta favore alicujus sit hypotheca, in creditoris facultate est fundum quemlibet excutere.*
3. *Bonorum deficientia quodlibet perimit excussionis privilegium,*

## DECISIO DXXIV.

Fuse narrat coæva mea Decisio, cui titulus *Veliterna Pecuniaria*, quomodo Benedictus Fiscori creditor renunciatus defunctæ Rosæ Ricci a Capitolina Sententia in quantitate scutorum 2173 speciale instituerit judicium Velitris coram Eminentissimi Antistitis Auditore contra Raymundum Alfonsi Rosæ hæredem, ut terminus ei præfigeretur ad nomen illud dimittendum, secus pati, quod sub corona venderetur palatium, quod Alfonsius a Rosa emerat præcedenter agenti Benedicto hypothecaria obligatione mancipatum in vim clausulæ Fiscalis. Narrat item, quod cum ob immutatam tunc praxeos legem Causa ad Civilem A. C. Congregationem delata fuerit, hæc Benedicti votis consonam edidit sententiam. Cum ob interpositam appellationem hæc quoque controversia una cum altera super crediti existentia proponenda esset S. N Auditori definitioni, curavi, ut sub distinctis Dubii formulis utrumque judicium absolveretur; quoad hypothecariam proinde actionem, de qua in præsenti agitur, concinnatum proposui dubium = *An, et in qua summa constet de credito, et hypotheca, ita ut sit locus præfixioni termini ad effectum solvendi scuta mille tercentum sexaginta octo, sin minus subhastationi fundi ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* =, et in silentio Raymundi responsum retuli = *Affirmative in omnibus* = prout habet mea Decisio *diei* 1 *Februarii* 1836, quam collaudavit altera Decisio *diei* 13 *insequentis mensis Maii*, in utriusque partis contentione edita. Renovato hodie certamine a semel iterumque jam pandita sententia haud recedendum PP. duxerunt, lato Rescripto = *In Decisis.* =. 1

Nec diversum utique expectandum erat responsum. Vulgatissima est enim Juris regula, quod denegari nequeat actionis hypothecarie exercitium, quoties cumulata concurrant Crediti existentia, legitima Hypotheca, ac Inscriptio ad formam vigentium Legum exarata in publicis Codicibus, prout et recentissime etiam docuere Sacri Nostri Ordinis *Decis.* 15, 20, 24, 55, 70, *et* 96 *num.* 1, relatæ a *Reveren. Canon. Tranquilli in sua hypothecaria Collectione Tom.* 11. At nullus ex his extremis deficiebat in casu. Præsto enim erat creditum, *in genere* ab ipsomet Raymundo non impugnatum; *in specie* vero probatum a contemporanea mea Decisione. Non deest hypotheca, quia hæc descendit ab obligatione Camerali conventa in instrumento anni 1808. *Zanchius de prælat. Credit. Exer.* 4 *num.* 36, *et Sacra Rota in citata Collect. Tom.* 11 *Decis.* 13 *num.* 4 *decis.* 30 *num.* 36 *decis.* 83 *n.* 9, *et decis.* 57 *num.* 2. Legitima tandem inscriptio haud desideratur, cum illam expleverit Benedictus die 25 Julii 1810 in tempore scilicet a tunc vigentibus Gallicis legibus præscripto ad utiliter inscribenda privilegia, et hypothecas manantes ex contractibus initis ante Kalendas Augusti anni 1809 teste *Decis. Romana Deletionis Hypothecæ diei* 3 *Julii* 1820 § 3 *cor. Eminentissimo Gamberini.* Quocirca cum Raymundus non deneget sese possidere domum de contractæ hypothecæ tempore in debitricis Rosæ, bonis extantem, effugere neutiquam potest vim hypothecariæ actionis, cujus effectus adamussim est, ut vel Benedicti creditum dissolvat, vel patiatur fundum possessum publice

venire sub hasta, ut ex illius vel venditione, vel adjudicatione debitam creditor satisdationem assequi valeat, prout S. N. Auditorium docet in *Romana, seu Sobinen. Pecuniarie* 9 *Junii* 1820 § *final. coram Serlupi, in Ferrarien. Pecuniaria* 22 *Novembris* 1827 *coram Emo Tiberi* § 2 *atque in Forolivien. seu Bononien. Crediti* 25 *Aprilis* 1829 § 4 *cor. Eodem.*

2 Et immerito propositæ actioni ubsistebat Raymundus contendens neutiquam licere Benedicto persequi Palatium a se possessum sub generali tantum hypotheca constitutum, dum adest prædium *specialiter* eidem hypothecatum sub Vocabulu *l'Albereto.* Licet enim banc thesim firmare conaretur adductis S. N. Auditorii Decisionibus; iste a re, de qua agitur, extraneae omnino erant. Animadvertebant quippe PP. Mei quod utiliter quidem invocari potuissent, si in casu versaremur, in quo peculiaris, prius, et deinde generalis conventa fuisset hypotheca, sed cum contrarium prorsus obvenerit, cum universalis praeprimis, et specialis deinde suscepta sui favore fuerit a Benedicto hypotheca, tenuerunt in Benedicti facultate esse fundum quemlibet excutere ad ea, quae in specie animadvertit *Cujacius in lib.* 8 *tit.* 13 *Leg.* 1 *Cod. let. D. Tom.* 9 *Edit. Mutin. et ipsa S. Rota in Romana, seu Januen. Solviani* 26 *Februarii* 1817 § 17 *coram Serlupi, et in Decis.* 93 *num.* 6 *coram Patrizi.* Quae juris conclusio firmissima in casu tenenda erat stante potissima facti circumstantia, quod ipsemet Raymundus in rationibus reddendis successiunem Rosae et Catharinae Sororum Ricci, apertis verbis profiteri non dubitaverit nil aliud praeter eum fundum de illis haereditatibus existere. Bonorum igitur deficientia, quodlibet perimit excussionis privilegium ad monitum *Zanch. de prelat. Credit. Exercit.* 2 § 3 *num.* 152, *et S. N. Ordo iu Decis.* 80 *num.* 2 *cor. Patrizi.* Adde specialem indolem Cameralis obligationis, qua fulcitum diximus Instrumentum anni 1818. Nemini quippe ignotum est, quod concurrente Fiscali Clausula exulet excussionis necessitas, cum liberum creditori sit bona omnia impetere apud quemcumque extent possessorem juxta ea, quae animadvertuntur a citato = *Zanch. Exercit.* 4 § 5 *num.* 38, *et a Sacra Rota in Decis.* 54 *num.* 2 *coram Ratto, et in Urbevetana Pecuniaria* 13 *Decembris* 1822 *num.* 19 *cor. Emo Bussi, et in Faventina Census* 21 *Martii* 1828 § 4 *cor. Emo Patrizi, et alibi passim.*

Nec meliori bominc ad remorandum 3
hypothecariae actionis exercitium, a Raymundo secundo loco ob mussitabatur nullitas cujusdam contractus Vitalitii a Benedicto cum Rosa Ricci initi, quo super de praesenti quaestio agitur coram R. P. D. *Meo Bofondi.* Perinde ac si completam ipse jam retulisse victoriam in ea controversia, argumentabatur Raymundus, quod ex infirmato illo vitalitii contractu cum in suum robur redire debuerit evictionalis hypotheca super bonis in eo contractu comprehensis a se suscepta, consequi ex necessitate debebat, quod dum ipse ex promota hypothecaria actiune cedere teneretur Benedicto excessum Palatium, e contra rite, recteque ipse ab eodem Benedicto repeti haud prohibebatur illius pretium super illis bonis adamussim, quæ ab eo in vim illius vitalitii possidentur. At speciosa omnino PP. Meis hæc argumentatio videbatur. Et merito, cum duplex in promptu esset responsum. Aut vitalitium revera est nullum, et nil Raymundo prodesse potest, quia semper subhastationi obnoxium est palatium ab eo possessum ob privilegium Fiscalis formulae, quo juvatur Benedicti hypotheca. Aut vitalitium irritum non est, et tunc multo magis vitare haud valet propositae actionis effectum, quia posita vitalitii validitate nulla alia supersunt bona, quae persequi liceat praeter fundum ab eo possessum, prout in mox citata rationum redditione ipsemet declaravit. In utroque igitur casu compertissimum videtur nullam subesse congruam causam comperendinandi praesentis causae definitionem, eo fortius quia reali actioni a Benedicto promotae altera personalis adjungitur obligatio ipsius Raymundi, qui in contractu controversae domus initio cum Rosa Ricci conventum pre-

Digitized by Google

tium erogare promisit in dimissionem crediti instantis Benedicti, qui idcirco ex juribus ipsius creditricis Rosae impetere personaliter etiam potest ipsum Alfonsum, ut de non soluto pretio sibi satisfiat ad ea, quae docent. *Averanius Interp. Jur. lib.* 5 *Cap.* 32 *num.* 2, *Voet. in Pand. lib.* 20 *tit.* 1 *num.* 14 *vers. dum itaque, atque S. Nostra Rota præsertim in Dec.* 23 *num.* 3 *cor. Malvasia.*

Et ita etc. Utraque etc.

---

## VITERBIEN COMMUNIONIS

### QUOAD

### REDDITIONEM RATIONIS

*Lunae* 22 *Februarii* 1836

### ARGUMENTUM

Patet ex Sommario.

#### SUMMARIUM

1. *Qui bona administrat sive communia, sive in communione collata, de iis rationem reddere debet.*

   *Et haec obligatio transit etiam in heredes et successores - ibi -*
2. *Qui administrat curare debet, ut sociales libri conficiantur, ac diligentissime custodiantur*
3. *Quod doli, ac criminis non tantum redolet, sed crimen revera est, oculentissime probari debet.*

### DECISIO DXXV.

Dum Michæl Rossi Danieli ab Aloysio Fratre postulabat comparticipationem fructuum omnium bonorum, tum ex parentum hæreditate promanatium, tum aliorum, quæ communi, ac peculiari nomine fuerant comparato, alteram quoque proferebat postulationem de explenda ab Aloysio redditione rationis eorum omnium, quæ ipse administraverat. Et propositæ primum coram Eminentissimo Spada sub die 15 *Martii* 1833. dubii formulæ - *An constet de communio negotiorum, ita ut quomodo, et a quo tempore sit locus redditioni rationis, et sit relaxandum Mandatum in casu etc.* - responsum fuit - *Affirmative in omnibus juxta modum in Decisione exprimendum*; qui sedebat in eo, ut redderet Aloysius rationes non tantum de negociis, ac Bonispaternis, sed de aliis quoque omnibus communi fratrum nomine, ac peculiar quæsitis, juxta tempus in altera Decisione super participatione fructuum præfinitum. Hæc ipsa robavit ex integro Decisio edita R. P. D. Ruspoli die 12 Junii 1833 qua rursus causam disceptare fuerat impertitum, prout fusius exponit cuncta ista altera mea hodierna Decisio super *Fructuum participatione*: cum ego igitur hodie quæ rem de Justitia prædictarum Decisionum quoad redditionem rationis, audivi responsum - *in Decisis.* -

1 Cum enim Aloysius administrasset, non erant ab reddendarum rationum obligatione ejus hæredes absolvendi. Qui enim bona administrat sive communia, sive in communionem collata, nil notius in Jure, quam ut de iis reddere rationem teneatur; *Præter. Dec prima, atque altera* § 2. Et administrasse cuncta Aloysium negari non poterat nisi contra veritatem. Erant parentis elogium, literæ Aloysii, mandata ipsi Michæli ab eo data, judiciale actus ab illo expleti, fama in omnium animo insita, quæ reddebant rem evidentissimam. Quin ex parentis voto, ut Aloysius cuncta gereret, sub Matris, ac exequutorum suæ voluntatis imperio, ac ut eorum præter assensum explere nil ipse valeret, datum erat veritatem obnubilare. Factum enim, ex quo liquebat non id ab eo fuisse servatum, sed omnia gessisse ad lubitum demonstrabat unus ipse stetisse semper in communium rerum administrationo absoluta. Reddere ergo ex hoc uno ejus hæredes gestæ ab illo administrationis rationes debent: *Decis cor. Emo Spada* § 2. Quippe hæredes, qui in bonis ejus, in ejus obligationibus quoque successerunt. *Secunda Decis.* § 4.

Neque effugere redditionem rationis Aloysius valuisset sub obtutu depredationis ab Aretiniorum copiis per pessæ, 2

atque dispertionis socialium scripturarum, ac Librorum. Si enim Aretini Milites commune patrimonium depopulati sunt, de ea re in ipso redditionis rationis judicio, in specie instituendo, optime disceptabitur: non vero in præsenti, quo in genere tantum queritur non esse locus redditioni rationis debeat. Si vero sociales libri reapse deperierunt, non difficile erit altero tuto modo unde eventi bonorum fructus dignoscantur reddere rationes jure expostulatas. Quum autem is qui admistrat curare debeat, ut sociales libri conficientur, ac diligentissime socialibus eum scripturis custodiantur, non hæc valebant, ut administratorem Aloysium ad reddendarum rationum obligatione subtraherent. Alioquin si hæc valerent nullus amplius administratos suffocatis libris, rationes amplius suæ ederat administrationis.

3 At vero pupillorum defensores njebant: Michæl suffuratus est libros, unde non ex Aloysii facto, sed ipsius Michelis ex crimine impossibilis rationum redditio evasit. Quod suspicari nullimode poterat, cum ipsius Michælis interesset codices mercatorios ejusmodi omnino servari ut proprium interesse tutum sarctumque haberet. Et melius ab improbi furti nota honesto viro appingenda, sese illi abstinuisset ut uno nacti spernendæ famellæ testimonio, ex quo non certe causa jurabatur; eodemque tempore parum honestæ defensionis suspicio assurgebat. Quod nempe doli, ac criminis non tantum redolet, sed crimen revera est, ut probetur luculentissime, Leges elato ore pronunciat *Rota in Alatrina Donationis* 24 *Novembris* 1752 *cor. clar. memor. Caprara*; *in Canilliac, in Decis.* 404. *n.* 33. *cor. Olivatio, et in Decis.* 166 *n.* 2 *cor. De Veri*. Quapropter, quum nullum extet diffugium, ut ab reddendarum rationum obligatione Aloysii hæredes subtrahantur,. reddent ipsi rationes in norma quam mea hodierna Decisio, super fructuum participatione, atque altera coram Eminentissimo Spada præbuerunt, tum quoad bona, de quorum fructibus reddenda ratio est, tum quoad tempus, a quo reddi ille debent, pro quibus omnibus opportunum esse relaxandum mandatum BP, DD. judicarunt.

Et ita etc. Utraque etc.

---

## VITERBIEN SEU HORTANA

### LOCATIONIS

QUOAD

### SOLUTIONEM PENSIONIS ET EXFRACTATIONIS

*Lunae 27 Junii 1836.*

### ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

*1. Simulata bonorum subhastatio nullum in deliberatarium transfert dominium.*

*Absque solemniis Mulieres utiliter sese obligare non possunt - ibi -*

## DECISIO DXXVI.

Super quibusdam praediis sibi specialiter obligatis executionem pro scutis 340 cum patrasset Joannes Baptista Mancurti creditor Christinae Properzi, haec ne eisdem bonis Spoliaretur, patruelem Alexandrum Verga rogavit, ut ad hastam accederet, et omnes vinceret concurrentes oblatores. Justa mulieris vota res cessit, et ob pecunias praecitatis Mancurtio, et Joanni Baptistae Santarelli numeratas Creditor cum factus fuerit Alexander, ad solutae Summae, et respondentium fructuum securitatem inter ipsos privata scripta fuit Apocha diei 25 Novembris anni 1830 in qua conventum fuit, quod Christina distractos subhasta fundos conductionis titulo retinere deinceps deberet pro annua mercede ad sextantem rationem statuta super scutorum 805 quantitatem, quot scilicet ab Alexandro numerata asserebantur, sine jurgio res processit, quousque in humanis fuit idem Alexander, sed ei creduli cæde

peremplo cum ab intestato successisset frater Franciscus, hic pro insultis pensionibus Christinæ ejusque Donatario universali Nicolao Andreuzzi diem dixit coram Viterbiensi Tribunali, cujus Judices post adprobatam cum separata Sententia objectam a Christina Deliberationis, et subsequutæ Locationis conductionisque nullitatem, locum non esse patitæ a Francisco Responsionum solutioni altera edita Sententia statuerunt. Ab utroque Judicato suam interposuit appellationem Franciscus. De nullitate ac inefficacia actus Deliberationis diei 10 Decembris anni 1829 ac successivi Contractus Locationis diei 25 Novembris Anni 1830 agit contemporanea mea Decisio. In præsenti super petita pensionum solutione cum ego mane PP. rogaverim = *An, et in qua summa constet de credito Responsionum ita utsit relaxandum mandatum in casu etc.* = Responsum accepi = *Negative in omnibus.*

1 Ut pensionum solutio decerni Francisci favore posset, probandum prius oportuisset reapse licitorum bonorum dominium ab Alexandro acquisitum fuisse in memorata Deliberatione; et rite confectum fuisse contractum, quo idem Alexader deliberata bona paptueli Christinæ deinde locavit. At utrumque plene excluditur in coæva mea Decisione super nullitate subhastationis et contractus. In ea enim demonstratur simulatam fuisse bonorum subhastationem, quæ perinde uti nulla transfundere in deliberatarium Alexandrum nequivit eorum dominium. Firma autem retenta actæ subbastationis nullitate, clare videbatur Alexandrum nequivisse bona illa posterius locare Christinæ, cui dominium eorumdem bonorum pleno jure pertinebat. Nec in solo dominii defectu nullitas ipsius contractus Locationis consistebat. Ad illum enim infirmandum concurrebat quoque defectus solemnium, sine quibus mulieres utiler sese obligare non posse quisque plene agnoscit. Accedebat insuper opinio, quod in eo contractu alexander sibi praefixerit usuras tegere, quas Christina solvere fuit coacta super summa, quam Alexander numeravit pro dimittendis Mancurti, et Santarelli nominibus quae usurae illicitae ac damnatae apprehendebatur, cum intionestum viderent PP. mei ex illato beneficio lucrum pacisci. Quibus ex rebus cum exclusa prorsus remaneat vis initi contractus, cum in jure idem sit nullum existere contractum, vel hunc existere nulliter confectum: consequebatur legitimum Alexandri haeredi deficere titulum ab obtinendam petita pensionum solutionem; Quapropter dum PP. mei non constare de harum credito decernere rati sunt statuerunt contextim agendi Francisco integra esse servanda jura ad assequendam pecuniam, quae a defuncto fratre de mandato Christinae numerata probetur pro dimissis Mancurti ac Santarelli nominibus.

Et ita etc. Utraque etc.

---

## ANAGNINA

### REDDITIONIS RATIONIS

*Veneris* 5 *Junii* 1837.

### ARGUMENTUM

Data rationum redditione, et expunctionum adprobatione facta, a parte, de administratione retenta, administrator non est obbligatus iterum ad rationes rendendas, nisi evidenter probetur in computo facto errorem vel dolum adfuisse.

### SUMMARIUM

1. *Rationum redditio est computorum exhibitio de exactis et expensis.*

   *Adprobatio udministrationis sine ulla reservatione facta, demonstrat quod 'nihil inventum fuit exceptioni obnoxium - ibid. -*

   *Reservationes nullum novum tribuunt jus, sed illud quod competebat, tantum reservant. - ibid. -*

2. *Non possunt rationes redditae impugnari, si a parte adprobata fuerit earum expunctio; nisi perspicuis probationibus dolum, erroremve intervenisse demonstraretur.*

   *Ex praestita opera merces etsi non conventa, ud prudens judicis arbiteium debetur - ibid -*

*Servanda sunt pacta quae contrahentibus semel placuerunt. - ibid -*

## DECISIO DXXVII.

Annua promissa mercede scut. quinquaginta Aloysius aliique fratres De Andreis Alexandro Capo e Valle Cursa, familiaritatis vinculo eisdem addictissimo, administranda dedere rustica omnia bona, quae in Ananiensi ac Ferentino territorio possidebant. Cum annuatim rationes amice dispungerentur, in calendis anni 1817 contigit, quod etsi ex adnotatis particulis bonorum redditus non excederet argenteorum 1864 58 ½, et cum ipsius calculi discrimen relatum fuerit in subsequentibus rationum dispunctionibus, evenit, quod hae quoque errore infectae fuerint. Illum tandem agnovit Alexander, qui ipsius emulationem anno 1823 reclamavit. Captaque itaque occasione cujusdam partitae scutorum decem ejus credito addicendae, declaratum fuit, quod haec deberet *riportarsi a favore del Signor Alessandro Capo nello revisione e ripetizione di altre portite omesse ed errate nei conteggi precedenti al presente detto di lui annuo Amministrozione.*

Actum deinde fuit de constituendo Alexandri credito, quod erumpere debebat ex emendatione errorum, qui in superioribus dispunctionibus irrepserant. Quod ut cognosceretur, optima quidem fide, petentibus fratribus De Andreis, Alexander Capo tradidit documenta omnia suam gestionem respicientia. Sed in ductis calculis convenire cum ipse nequiret, de communi placito statutum fuit, quod res committeretur arbitrorum judicio, promittentes *di stare a quel tanto, che sarà dai medesimi deciso.* Rebus bene perpensis, etsi arbitri promissum honorarium pro biennio tantum Alexandri favore calculare censuerint, attamen ejus creditum constituerunt in quantitate scutorum 407 7 ½ ad quae solvenda fratres De Andreis damnati fuere Sententia A. C. Manari, quae executivum eorum Laudum declaraverat.

Provocavere iidem fratres ad S. Nostrum Ordinem, et cum per me proposita fuerit Dubia formula = *An constet de legitimo redditione rotionum, ita ut, et pro qua summa sit relaxondum mondatum in casu etc.* = rescriptum prodiit = *Dilota et ad D. Ponentem pro Deputatione Periti Ratiocinatoris, qui referat super computis exhibitis, et super hinc inde deductis et deducendis.* Renovatum fuit coram judiciali Ratiocinatore initorum calculorum examen, ex quo patuit, ipsum Capo creditorem esse in majori quantitate scutorum 441. 43. Qua de re repropositam caussam, silentibus fratribus De Andreis, hac mane PP. Mei dimiserunt assueto Rescripto = pro informante = nempe *affirmative et esse relaxondum Mandatum favore Alexandri Copo pro summa scut.* 441 *et* 43 1.

1 Si rationum redditio nil aliud est, quam computorum exhibitio de actis, et expensis *Leg. Si quis § rationem ff de Edend.*, patens est, quod haec annuatim legitimo modo processit, nec ad eam renovandam nullimodo cogi potest Alexander, postquam praesertim de anno 1827 documenta omnia tradidit Aloysio De Andreis, qui de illius gestione satisfactus in dispunctione insequentis anni declarare haud omisit *questi conti sono stati approvati da ambe le parti*, prout iterum anno 1823 ambo adprobavesunt, declarantes *ambe le parti sono rimaste concordi, dichiarandosi soddisfatte salvo errore*. Quae adprobatio absque ulla reservatione emissa, cum respiciat postremum tempus aetae ipsius Alexandri administrationis, plene commonstrat. fratres De Andreis nil excipiendum habuisse contra legitimas jam redditas praecedentes rationum dispunctiones, integram ipsius gestionem respicientes *ad text. in Leg. Quicumque Cod. de Ap. Publ.* Nec congruam idcirco suppeditant causam intégro illas renovandi verba obiter adjecta in scripta generali quietantia *senza pregiudizio per altro per parte del Signor Luigi De Andreis dei Conti da farsi con detto Signor Capo per l'amministrazione tenuta*

*dei suoi proprj beni* –; id enim respiciebat tantum errores, in quos irrepere forte potuerint, sed reservatio ipsa funditus destruere baud certe poterat actum, cui adjecta reperitur, cum intelligi debeat ipsam suas exerere vires prout, et quatenus de jure, ex non ignota juris regula, quod reservationes nullum novum tribuant jus, sed illud, quod competebat, tantum reservent *Leg.* 4 § *si in venditione ff quib. mod. jus vel hypoth.* § *et S. Rota in decis.* 243 *par.* 1. *Dec.* 10 *numer.* 17 *par.* 10 *in Recent.*

2 Admissa igitur legitime expleta ipsius Alexandri rationum redditione, cum contra eam nil rite excipere valeant Fratres De Andreis, ex necessitate consequitur, in eorum arbitrio haud esse rationes ipsas impugnare; præcipue quum fuerit expunctio ab ipsis adprobata, ad ea, quæ S. Auditorium monet *in Dec.* 220 *num.* 8 *part.* 8 *Dec.* 110 *num.* 14 *part.* 14 *in Rec.* Id enim eisdem permissum foret, si perspicuis probationibus interventum dolum, vel errorem probarent *Dec.* 188 *num.* 4 *cit. part.* 8. *Dec.* 367 *num.* 9 10 *p.* 11 *in Rec.* At in reddita rationis revisione coram Arbitris, et deinde coram Judiciali Perito cum nullum errorem vel dolum intercessisse probaverint iidem fratres, cumque ex adductis documentis, quæ ex jam expleta eorum consignatione supererant. Alexander e contra comprobare singillatim valuerit, singulas partitas, ex quibus ejus creditbm efformatur, de plano consequebatur, admittendam esse constituti crediti existentiam, despecta qualibet exceptione circa assertam minus legitimam ipsarum rationum dispunctionem. Qua de re Patres mei admittentes ipsius Alexandri creditum in quantitate a Perito judiciali constituta, perpiciebant, quod id acceptum etiam esse debet reclamantibus fratribus De Andreis ex peculiari facti animadversione quod eorum commodo Judicialis Peritus cum manifesto Alexandri damno nonnullas crediti partitas prætermiserit, quas inter fuit conventum honorarium, quod calculavit tantum pro biennio, dum justitia, et æquitas expostulabant, quod illius favore calcularetur per integrum novennium, cum per totidem annos Alexander res ipsorum fratrum administraverit. Receptum est enim in jure, quod merces etsi non conventa ad prudens Judicis arbitrium debeatur, quoties constet de præstita opera *Voet ad Pand. lib.* 17 *tit.* 1 *num.* 2 *Groervegen. ad Leg.* 17 *Cod. l. tit. Menoch. de arbitr. Jud. Cap.* 223 *in fin. et Dec.* 13 *num.* 10 *post Zacchiam de Salario*, cum nemo præsumatur gratuite velle suos fundere labores. Quod fortius tenendum est, quoties speciale adsit pactum, ex altera inconcussa regula, quod servanda sint pacta, quæ contrahentibus semel placuere.

Et ita etc. Altera tantum etc.

---

## ANNCONITANA

### LIBERATIONIS A MOLESTIIS

*Lunae* 13. *Februarii* 1837

### ARGUMENTUM

Ille qui liberationem a molestiis promisit tenetur respondere semper de molestiis, etiamsi res propter quam molestiae illatae fuerint ad successores quoscumque pervenerit. Et si perctractetur de venditione alicuius fundi tenetur restituere pretium, non solum, sed melioramenta et damna reficere, nec non expensas iudiciales et extraiudiciales persolvere.

#### SUMMARIUM

1. *Ad liberationem a molestiis obtinendam duo requiruntur liberationis obligatio, et superventarum molestiarum factum* – Et num. 2. –
3. *Liberatio a molestiis competit, sive juste sive iniuste molestiae illatae sint.*
*Liberatio a molestiis promissa, transit ad successores – ibid –*
. *In iudicio liberationis a molestiis comprehenduntur omnia quae ex pacto promissa fuerint.*

## DECISIO DXXVIII.

Habetur ex coæva mea Decisione super inmissione quomodo defuncti Comitis Josephi Nappi hæredes Advocatus Parificus Marinelli, Joseph, et Philippus Giaccaglia, nec non Comes Antonius Nappi die 21 Julii 1816. Argentariæ Rationi *della Casa* vendidere prædium *la Tsavonessa* quod ad eorum auctorem pevenerat ex testamento Canonici Josephi Tauruleoni. Habetur quod cum emptrix ratio statuto tempore residui pretii solutionem haud expleverit, venditores obtinuere idem prædium publice licitari, ac deliberari favore Francisci Beducci, a quo suam ducit causam instans Catharina. Diu hæc in pacifica versata est prædii possessiones, donec turbari in eo contigit a P-rthenotrophio Charitatis Anconæ, quod favorabilem a S. N. Auditorio jam retulerat Rem judicatam, vi cujus eidem jus erat vindicandi bona, quæ ad præfatum Canonicum Tauroleoni pertinere probarentur. Feliciter etsi Catharina hodiernis Comitis impugnaverit Parthenotrophiu petitam immissionem, teste coæva altera mee decisiune, nihilominus baud omiserat a venditoribus petere debitam a molestiis liberationom Hodie itaque rogati PP. mei per concinnatam dubii formulam – *An sit locus liberationi a molestiis ita ut, pro qua summa sit relaxandum mandatum in casu etc.* iisdem silentibus venditoribus responsum retuli – *Pro informante nempe affirmative, et esse relaxandum mandatum in solidum in summa liquidanda.*

1 Neque secus rescribi certe poterat, etsi Comites Josephi Nappi heredes vadimonium non deseruissent. Siquidem quæ duo ad liberationem a molestiis obtinendam requiruntur, nimirnm liberationis obligatio, et superventarum molestiarum factum, in casu baud certe desiderabantur, Obligatio enim descendit ab ipsius liberationis promissione contenta in emptionis venditionis tabulis die 27 Julii 1816 solemni modo exaratis favore rationis mercatoriæ *della casa* in quibus inter alias declaratum fuit venditum prædium liberum *esse, ed esente da ogni sostituzione purificata, e da purificarsi* spopondentibus venditoribus *insieme, ed in solido di conservare in perpetuo il libera e quieto pacifico possessa, e pieno dominio sì in giudizio, che fuori, e liberare il detto Sig. Acquirente, e di lui eredi e successori ecc. con assumere sopra di loro ecc. il pesa di qualunque lite, che venisse eccitata, obbligandosi perciò ad agni generale e particolare evizione solidalmente ecc.* Quæ sane verba indubism reddebant ipsius obligationis assumptionem.

De illatis autem molestiis dubitari haud certe bodiernum judicium, in quo contendit Parthenotrophium, quod post obventam Comitis Nappi mortem, cum apertu sui favore fuerit successio a Canonici Josephi testamento præscripta in rasu quod beredes vocatus improlis decederet, eidem proinde jus sit obtinendi etiam possessum, controversi prædii *la Travonessa.* Duobus itaque concurrentibus hisce extremis acceps amplius esse nequit, quominus instanti Catharinæ petita liberatio a molestiis decernenda sit ad ea, quæ monnit *S. N. O. in dec.* 757 *num.* 1 *cor. Lancetta dec.* 204 *num.* 1 *dec.* 205 *num.* 1 *d c.* 207 *num.* 2 *coram Malvasia.* 2

Minime vero ad remorandsm ipsids Catharinæ actionem juvaret exceptio, quod injustæ fuerint molestiæ illatæ, et quod prædii evictio nondum contigerit. Res enim hic est de liberatione a molestiis, et non de evictione; rei ablatio necessaria in postremo casu. haud requiritur in primo cum materialis sufficiat molestiarum illatio sive injustae eae sint, prout animadvertit S. N. Auditorium in *dec.* 6 7 *num.* 2 *cor. Molines, dec.* 687 *num.* 21 *cor. Olivat. dec.* 204 *num.* 2 *et dec.* 205 *cor. Malvasia.* Nec attendenda fuisset altera forte propositura exceptio, quod venditores ementi tantum *della casa* molestias expromiserint, et non Beduccio, qui fundum ad hastam ecquisivit; cum enim ipsi venditores a molestiis liberare promiserint tam emen- 3

Digitized by Google

tem rationem mercatoriam, quam ejus heredes, ac successores, semper ad eam praestandam ipsi tenerentur ad expressissimum *text. in leg.* 9 *ff de except. rei vend. Mangil, de evict. quæs.* 167 *num.* 10 et in casu ememis ad bastam adamussim firmavit. *Path. de subh. Insp.* 63 *num.* 53.

Nec in casu solutum tantum pretium restituendum erit; accessiones enim melioramenta, damna, et expensae omnes tam judiciales, quam extrajudiciales compensandae, atquo reficiendae erunt, non tantum quia id profluit ex peculiari promotae actionis indole *dec.* 205 *num.* 5 *dec.* 207 *num.* 1 *cor. Malvasia*, quantum etiam quia venditores speciali pacto se devinxerint ad reficienda *tutti li danni, e spese anche stragiudiziali ed interessi si di lucro cessante, chi di danno emergente*, quae ex causa venditi praedii emptoribus obvenire posset.

Et ita etc. Unica tantum VV. OO.DD.

---

## ANCONITANA IMMISSIONIS

### QUOAD PRÆDIUM TRAVONESSA

*Lunae* 13 *Februarii* 1837

### ARGUMENTUM

Ad inducendam praescriptionem, requiritur bona fides, et justus titulus. Bona fides extimatur ex eo, quod possessor putavit eum a quo rem accepit, dominum esse, et ius habere transferendi dominum. Justus titulus, est causa idonea ad trasferendum dominium.

#### SUMMARIUM

1. *Si quis bona fide ac iusto titulo rem possideat temporis spatio ad praescribendum habili, in dubium verti nequit eumdem acquirere possessae rei dominium.*
2. *Successor singularis sui auctoris continuat possessionem, si uterque versati sint in bona fide.*

   *Cum res sit de tertio possessore, qui oneroso titulo bona adquisivit, decem vel viginti annorum cursus sufficit ad quamlibet inducendam praescriptionem, et ad operandam hypothecarum deletionem - ibid -*
3. *Possessor bonae fidei, qui rationabiliter putavit se legitimum esse defuncti haeredem, ergo verum haeredem ad id dumtaxat tenetur in quantum factus sit locupletior.*

   *Non potest haeres res venditas vindicare, si emptor regressum habeat ad bonae fidei possessorem. - Ibid -*
4. *Iuris principium, neminem sine proprio facto re sua expoliori posse, sibi locum vindicat quoties non possit aliunde opponi praescriptio.*

   *Quem de evictione tenet actio eumdem agentem repellit exceptio - Ibid -*
5. *Haud decipi aut damnum sentire debet, qui emit sub fide astas publicas, praecipue concurrente Iudicis auctoritate.*

   *Quisquis propriam ius prosequi negligit iuri suo renunciat. - Ibid -*

## DECISIO DXXIX.

Præsbiter Joseph de nobili Gente Tauroleonia Ecclesiæ Cathedralis Anconæ Canonicus, extremo, quo anno 1796 decessit elogio, hæredem in usufructu instituit sororem suam Annam Maria Comitis Antonii Nappi Viduam, cui pariter in usufructu substituit ejus filios Canonicum Cæsarem et Josephum, et deinde hujusce filios nasciturós, quousque descendentium ab eo masculorum linea persisteret. Deficientibus autem hæredibus usufructuariis, ad universæ hæreditatis usumfructum, et proprietatem accivit Parthenotrophium Charitatis Anconæ, et in ejus defectu alterum Parthenotrophium sub invocatione Divinæ Providentiæ. In ultimam spem voluit, quod integra sua hæreditas in consanguineos de familia Tauroleonia deferretur.

Ob mortem matris, et fratris Canonici usumfructus compendium coaluit in uno Josepho, qui notissimis superventis Gallicis legibus abolentibus fideicommissa, et substitutiones omnes, censuit se posse libere disponere de hæreditaria substantia. Suo itaque testamento anni 1814 hæredes nomine tenus instituit patrueles Emanuelem et Cyriacum De Nappis, vere tamen suam hæreditatem collatam

volnit in Advocatum Angelum Marinelli, Fratres Giaccaglia, et Antonium Nappi, quos Legatarios vocavit, quique autem veri deinde fuere ipsius hæredes ob repudiationem eorum favore emissam a scriptis hæredibus. Putantes itaque legatarii pleno proprietatis jure ad se pervenisse hæreditaria bona, nonnulla distraxerunt, quæ inter fuit prædium in *Travonessa* venditionis titulo translatum in argentariam mensam Della Case, habita pretii fide, pro quo deinde assequendo judicialiter contra illam egerunt, obtinueruntque, quod sub corona veneretur. Ipsius deliberatarius die 10 Septembris 1821 fuit Franciscus Beducci, a quo transiit in hodiernam possidentem Catharinam Beducci.

At Parthenotrophii Curatores ægre ferentes Testamentum Comitis Josephi quæsitum sibi ejus morte putarunt compendium hæreditatis Canonici Josephi institutores, et proinde supplices adivere Summum Pontificem Leonem XII Sa. Me. rescriptum expostulantes, ut rei cognitio ad universam Nostram Aulam defferretur. Voti compotes facti egerunt primum de immissione in genere, quam in vim rei judicatæ obtinuere super bonis, quæ ad Canonico Josephi hæreditatem pertinare probarentur. Egerunt tunc Curatores pro immissione in specie. Inter nonnulla judicia ab illis promota, quæ plura secundaria liberationis a molestiis judicia secumtulerunt, fuit illud quoque contra Catharinam Beducci pro reintegratione obtinenda ad possessionem prædii *la Travonessa*. Cum igitur hac manc Patres meos rogassem assueta Dubii formula = *An sit locus immissioni in casu etc.* = responsum accepi = *Negative* =.

1 Si quis bona fide ac justo titulo prædictus rem possideat temporis spatio ad præscribendum habili in dubium verti nequit eumdem acquirere possessæ rei dominium, ita ut jure a nullo possit in ipsius possessione deturbari. In casu da bona fide Catharinæ et de justo ipsius possessionis titulo dubitari certe non poterat, siculi ambigi nequibat de diuturna ipsius possessione. Et sane si bona fides extimatur ex eo quod possessor putavit eum a quo rem accepit, dominum esse, et jus habere transferendi dominium, calumniæ proximum esset in re præsenti inficiari, quod Catharina haud bona fide possideat praedium pro cujus vindicatione hodie agunt Parthenotrophii Curatores. Quisque enim qui testamentariam legisset dispositionem Canonici Josephi justam habuisset causam, quare putaret bona ab eo relicta libera facta fuisse in Comite Josephu Nappi ob supervenlas Gallicas Leges, quae vincula omnia, et successiones fideicommissarias deleverant. Si id igitur in transversa egit ipsum S. Nostrum Ordinem qui occasione qua primum controversia ad trutinam revocata fuit ipsius Parthenotrophii vocationem intercisam ab ea lege retinuit, mirum profecto esse non debet si Franciscus Beducci specie recti deceptus in eamdem et ipse venerit opinionem. Huc accedit quod in concepta mente confirmari poterat ex facto ipsius Partenotrodhii, cujus moderatores inscriptionem praescriptam a Lege 25 Octobris anni 1808 peragere non solum omiserunt, sed insuper antequam Franciscus praedium emisset, die scilicet 4 Novembris anni 1813, Votum confecerunt, quo in vim publicatae Gallicae Legis 6 Florealis bonorum pruprietatem consolidilatem in usufructuario Comite Josepho retinuerunt. Quod sane factum plenissime ipsius Francisci bonam fidem probat, cum nulla major bona fides dari possit quam quao ex adversariorum opinione descendit.

Praetera justus nec desideratur titulus seu causa quae idonea sit ad transferendum controversii praedii dominium. Praesto enim sunt solemnes tabulae emptionis, quae docent eidem Francisco post legitimas expletas ipsius fundi licitationes adjudicatum fuisse praedium, de quo agitur; quodque legitimo titulo deinde retinere ipse potuit, postquam auctorante Judice ipsius dominium adquirere ipse valuit. Diuturna denique haud deficiebat possessio, statim ac pacificum est inter contendentes 2

quod praesens controversia non prius quam elapsu anno 1836 suum sortita sit exordium, dum contra praedii distractiu ab haereditaria Canonici Josephi substantia videntibus, et non contradicentibus Parthenotrophii Curatoribus contigerit usque a die 27 Julii anni 1816. Scimus enim successorem singularem sui auctoris continuare possessionem, si uterque, prout non ambigitur iu themate, versati sint in bona fida ad *Text. in leg.* 13 § *ult. ff de æq. possess.* Quo posito nec lapsus temporis ad inducendam præscriptionem habilis ex præmissis deficiebat in easu, altera attenta receptissima juris regula, qua monemur, quod uti res est de tertio possessore, qui oneroso titulo bona adquisivit, decem vel viginti annorum cursus sufficit ad quamlibet inducendam præscriptionem, et ad operandam hypothecarum deletionem *S. Rota in Romana Immissionis seu Reintegrationis* 14 *Aprilis* 1818 § 15 *et* 16 *coram Piccolomini.*

3 Pro exclusiune petitæ immissionis aderat insuper altera juris ratio nempe quod hæres nequit res venditas a possessore vindicare, si emptor regressum bonæ fidei ad possessorem habeat. Possessor enim bonæ fidei, qui rationabiliter putavit se legitimum esse defuncti hæredem, erga verum hæredem ad id dumtaxat tenetur in quantum factus sit locupletior ad *Text. in L.* 22 § 6 *ff de Petitione Hæreditatis Leg.* 23 *ff de eod. Cujac. ad leg.* 126 *ff de divers. reg. Jur. tom.* 8 *Edit. Neapolit. Idem ad leg.* 15 *tit. de rei vendicat.* § 4 *tom.* 7 *et ad leg.* 1 *Cod. de petit. haer. tom.* 9 *Voet. in Pandectas lib.* 4 *Tit.* 3 *num.* 16 *Brunemann. ad leg. item veniunt* 00 *num.* 17 *ff Eod. Idem in leg. sed et si* 25 *num.* 15 *et* 21 *et Merlin. in suo Repertoire Universal. de Juris Prud. Verb. Hereditè* § 8. Nec locupletatio utique præsumitur, sed in specie quidem est probanda *leg. in pupillo ff de solut. Ruin. Cons.* 205 *n.* 15. *Menoch. de Praesum.* 27 *num.* 10 *Grat. discept. Forsn. Cap.* 101 *et S. Rota in decis.* 672 *num.* 6 *coram Emerix,* cum satis baud sit probare pretium venditæ rei ipsum recepisse, se evincendum est pretium illud adhuc apud eum existere, vel utiliter in aliarum rerum emptionem collocatum fuisse ad Text. in *leg. sed et si* 28 § *item si rem distraxit ff de petit. haered.* Hisce ex rebus patens videtur, quod si Catharinæ vindicandum esset prædium, de quo quæritur, ipsa regressum contra venditores haberet, illosque contra expositam juris censuram cogere posset ad persoluti pretii refusionem. Quod vetitum ex adductis juribus cum sit, rediit regula ab Ulpiano constituta non posse hæredem res venditas vindicare, si emptor regressam habeat ad bonæ fidei possessorem ad *Text. in leg. sed et si leg.* 28 § *item Si res ff de Petit. haered. Donellus de Jur. Civ. lib.* 19 *Cap.* 14 *num.* 35 *et Voet. in Pandact. lib.* 5 *Tit.* 3 *de Petit. Haered.* § 18. Veluti formiter discusso Articulo in Tuellerii oppositione coram Suprema Parisiensi Aula firmavit etiam *Merlinius Quaest. de Droit verbo Heritier* § 3 *Edit., de Bruxelles Tom.* 8 *pag.* 38.

Nec objiciatur neminem sine proprio facto re sua expeliari posse. Hoc enim juris principium, etsi verissimum, sibi tamen locum vindicat, quoties non possit aliunde opponi præscriptio. Hac enim, prout in themate, concurrente, currit exceptio, cum in incerto stare haud debeant rerum dominis, et idcirco ex diuturna possessione tacitus præsumitur consensus, qui satis est, ut bonæ fidei possessor amplius nequeat in adepta possessione turbari. Nec minus petitæ immissioni obstabat defectus *dell'inscrizione in testa propria,* quem sub poena damnorum præscripserat edictalis Lex diei 9 *Aprilis* 1808. Etenim si ad damnorum emendationem ipsum Conservatorium tenetur, porperam prædii vindicationem hodie urget ex vulgatissimo juris adagio quem de evictione tenet actio eumdem agentem repellit exceptio ad *Text. in Leg.* 17 *ff de Evictionibus.* Obstabat pariter ignorantia fideicommissi cujus existentiam nemo amplius suspicari poterat, postquam vel ipsi Parthenotrophii moderatores existimarunt hæreditatem Canonici Toriglioni libe- 4

ram fuisse effectam in Comite Josepho Nappi. Quæ ignorantia satis est ut Conservatorium desistat a molesriis Catherinæ inferendis. In jure enim seceptissimum est firmam ratamque esset oportere alienationem fundi fideicommissarii, si fideicommissi existentia ab utroque ignorabator, eum bæredibus vocatis jus rautum supersit agendi in congruo judicio contra alienantem, ipsiiusque bæredes ad pretium condicendum *leg. Quidam* 25 § 2 *ad* 1 *C. Treb. Leg. Final.* § *ult. ff de leg.* 2 *S. Rota Dec.* 252 § 2 *cor. Bichio Dec.* 831 *num.* 1 *cor. Merlino Dec.* 141 *n.* 4 *cor. Celso, et in Perusina Fideicommissi super Immissione diei* 13 *Junii* 1768 § 4 *cor. Mannelli.*

5 Hisce omnibus calculum addebst, quod controversum prædium emptum fuerit a Cathcrina sub hasta. Ignotum enim haud est nullam dari actionem contra emptorem, si nihil omissum ab eo sit in solemniis, nec ex deliberationis actu appareat ipsius emptionis injustitia. Non enim decipi, aut damnum sentire debet, qui emit sub fide hastæ publicæ, præcipue concurrente Judicis anctoritate. Nec ipsius deliberationis nullitas probari potest sub specie, quod Marinellius aliique legatarii qui praedium alienarunt nullum super eo dominium haberent. Id enim de tempore emptionis prorsus ignoraatur tum a venditore et emptore, quam ab ipsomet agente Conservatorio, quod sufficit, ut firma haberi debeat ipsius fundi alienatio ex juribus superius adductis, praecipue cum Beduccius controversum praedium emerit, postquam publicis moniti fuerint edictis ipsius Parthenotrophii Moderntores. Siquidem quum ex intimatione adesse licitationi, et proprium tunc jus, veluti licebat, prosequi potuerint, cum id neglexerint, merito videri potest eosdem renunciasse cuilibet juri, quod super controverso fundo jactare possint ad *Text. in leg.* 6 *Tit.* 26 *Cod. de Remis. Pign. leg.* 8 *Ibid. Post. de Subhast. Inspec.* 35 *n.* 79 *et S. N. Auditosium in Romana seu Centucell. divisionis* 20 *Januar.* 1823 § 2 *cor. Pianetti.* Cæterum iniquitatis saperet, quod melioris exederet condietionis Parthenotrophium quod sciens et patiens vidit ipsius praedii subhastationem quam emptor Beduccius qui optima fide et legis, sub praesidio ad hastam accessit et auctoritate judice ipsius fundi deliberatarius evasit. Si enim unicuique, magis certe dedecet Locis Piis locupletarii cum aliena jactura.

Et ita etc. Utraque etc. VV. OO. DD. Decisum fuit.

---

## BONONIEN PECUNIARIA

*Lunae* 13 *Martii* 1837.

### ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

*1. Ad justitiam recte administrandam plurimum confert omnes adesse, quorum interest.*

*Iudex facultatem habet rescribendi pro interventu ad causam, quoties in promota actione tertium interesse habere deprehendatur. - ibid -*

### DECISIO DXXX.

Extremo quo decessit elogio Æques Sebastianus Tattini Bononiensis universam suæ hæreditatis substantiam addixit uxori dilectissimæ Angelæ Franzoni excepta nuda stabilium proprietate, ad quam jure legati vocavit fratrem Joannem Baptistam, et pronepotem ex Sorore Josephum Benacci adhuc minorennem; pro quo legatum acceptavit ejus pater Franciscus. Cum vere idem Joannes Baptista credito scutorum 2661 46 polleret erga defuncti hæreditatem, dubitatum diu fuit, an ad ipsius dimissionem teneretur Angela, qua universalis scripta hæres, seu potius legatarii quibus bonorum adsignata fuerat proprietas. Pacifice res compositæ fuere per transactionem dici 21 Septembris 1821 si cujus hæreditarii illius nominis medietas in qualitate sc. 1529 26 Viduæ attributa; alteri autem medie-

tas pro viri legatariis accollata fuit. Adprobata in ea transactione etiam fuit hæreditari alienatiu prædii *la torre* pro pretio scutorum 2400 quod recepit creditor Joannes Baptista. Cum vero super illo ususfructus Angelæ competeret ipsius compendium extimatum fuit in scutis 850 quæ juncta argenteis 659 26 contextim ab Angela numeratis, solidationem expleverunt summæ scut. 1509 26 ei adsignatæ pro bæreditarii nominis dimissione. Dispunctis deinde rationibus inter Legatarios credito Josephi Benacci adsignata fuere argentea 1200 quæ valoris distracti prædii medietatem efformabant. Ipsius vicissim debito relata fuit quota præcitata hæreditarii nominis in præstituta quantitate scutorum 576 10 alia relata fuere sc. 465 39 impensa in vectigalis solutione favore Fisci, expleta pro defuncti Fquitis Sebastiani successione, nec nun scuta 425 pro medietate scutorum 850 quæ remissa fuerunt Angelæ ub renunciatum ab ea usufructum; quæ omnia simul conflabant quantitatem scutor. 1466 13. Ductis itaque calculis creditor superfuit Joannes Baptista in summa scutorum 266 13 9 cujus satisfactionem recipere contentum se dixit, statim ac ob Angelæ obitum bonorum usufructus ad eos rediisset.

Supremum vidit diem tam Angela, quam Joannes Baptista. Ob jus accrescendi a testatore præscriptum, Josephus jam ætate major factus, integram sibi addixit stabilium bonorum hæreditatem. Male ipse ferens modum, quo distrcti prædi valor erogabatur Patres Oratorii S. Philippi Nerii qui in Angelæ jura successerant, cosam Archiepiscopali Curia lacessivit, restitutionem. Quod petierat, admisit Judex cujus sententiam excepit deinde Tribunal Appellationis. In hujusce itaque Rei judicatæ executionem Advocatus Joseph Benacci Curiam Archiepiscopalem iterum adivit instans, ut Patres Oratorii damnarentur ad restituendum pretium venditi prædii in recepta scutorum 240 quantitate, nec non ad ei solvenda alia scuta 310 66 9 pro fructibus decursis *dal giorno* 7 *Novembre* 1827 *in cui morì la Signora Franzoni fino al giorno* 11 *Gennaro* 1833 *che fu l'ultimo della vita del collegatario Sig Gio. Battista Tattini.*

At judex ipsius petitionem rejicere opinabatur, juribus tantum eis reservatis *per agire regolarmente*. Ad hujusce judicati prulationem intercipiendam incidentali proposita instantia institit Benaccius, ut Joannis Baptistæ bæredes, ac proprius parens Franciscus vocatione rationem haberi *nella spedizione della causa in merito* Judex decrevit Provocavit Joseph ab interlocutorio isto decreto, et utraque causa ad S. N. Ordinem delata ipsius definitioni per me hac mane proposita fuit ex communi partium placito sub unica dubii formula » *An sit locus vocationi ad causam et in qua summa constet de credito sortis et fructuum, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* et responsum retuli » *Quoad vocationem affirmative; et in reliquis dilata.*

Assueta prudentia animadvertebant 1
Patres ad justitiam recte administrandam plurimum conferre, singulis judiciis omne adesse quorum interest ad monita per text. in *cap. ult ut lit. pend. in* 6 *Covar. pract. Quæst. Cap.* 3 *num.* 23 *vers. contrarium vero, Felix in Cap. Cum super n.* 15 *de re judic.* Et Sacra Rota *Recent. dec.* 618 *num.* 3 *par.* 2 consensientibus in id quoque nuper his legibus, quæ in articulo 836 Judici facultatem tribuunt rescribendi pro interventu ad causam quoties in promota actione tertium quoque habere interesse deprehendat. Nec profecto in subjecta specie de interesse eoque præcipue hæredum Joannis Baptistæ dubitari poterat. Animadvertebant enim Patres quod Benaccius in integrum restitutionem obtinerat a concordia anni 1821 in qua propter defunctam Angelam præcipuam partem babuit defunctus Joannes Aaptista Tattini, qui initæ ipsius concordiæ ope obtinere valuit solidationem crediti, quod contra prædefuncti Fratris Sebastiani hæreditatem reclamaverat. E medio sublata transactione, cum Actor Benaccius bo-

dia instet pro restitutione assequenda ejus quod solutum fuerat bæreditatis creditoribus in substantia Legati quod que potius solvendum videbatur ex bo-niis hæreditariis sedulitati S. N, Ordinis effugere proinde haud valuit necessitas, quod res agi deberet præsentibus ac adstantibus quoque bæredibus ipsius Joannis Baptistæ, qui propria jura defensionis legitimam promotæ actioni appositionem parare valeant. Propositis tunc in triangulari certamine uniuscumque juribus datum erit Patribus coique suum tribuere, utpote justitia exposcit, et semper constantissime adservatum fuit a Sacro Nostro Ordine perpetuo Justitiæ defensore ac vindice.

Et ita etc. tantum etc.

---

## CAMERINEN REDUCTIONIS CANONIS

*Lunae* 15 *Martii* 1837.

### ARGUMENTUM

In contractibus emphyteuticis laesionis querela, ad tramites leg. 1. Cod de rescidend. Vend. temperanda est, ut nempe excipienda veniat, quum constet quod praedii fructus, adeo pauci sunt, ut dimidium conventi canonis non attingant. Sed si evenerit, ut contractus justus in suo exordio ex supervenientibus circumstantiis, gravis fiat absque ulla emphyteutae culpa, tunc non fit locus eius rescissioni, sed oritur solummodo ius petendi ut canon ad aequalitatem reducatur. Vid. Decis. DIV. quae revocatur.

#### SUMMARIUM

1. *Re non amplius integra, haud facile admittitur laesionis querela.*
2. *Ubi imminatio in substantia rei emphyteuticae accidat, non legis 1. Cod. de jur. emphyt, sed, legis 2 Cod. de rescind. vend, dispositio locum sibi vindicat,*
3. *Laesionis querela non datur, nisi dilucide constet, de metu, machinatione, vel dolo.*
   *Ex leg. Cod. de rescind. vend, potestas venditori fit urgendi pro contractus laesione, si nec dimidiam iusti pretii sibi solutum probet - ibi -*
   *Censura praefatae legis non procedit quoad emptorem laesum - ibi -*



4. *Quoties inter canonem, et fructus laesiva adest disparitas, dispositio praecitatae legis 2. Cod, porrigitur etiam ad emphyteusim.*
5. *Laesio in emphyteuticis contractibus eadem norma procedit, quae in locationibus observatur.*
   *Conductori prohibitum est de enormi laesione queri, nisi fructus rei locatae plus quam duplo minores sint mercede - ibi -*
6. *Laesio in emphyteusi, si post initum contractum erumpat, haec haud importat eiusdem rescissionem, sed solum ius tribuit, ut ad aequalitatem canon reducatur.*
7. *Querela laesionis haud importat canonis reductionem, sed contractus rescissionem, vel moderationem.*
8. *Iuxta Motum proprium Benedictinum 23 Novembris 1742, in emphyteusi ecclesiastica, non admittitur laesio, nisi semissem excedit. - Et num. 9. -*
10. *canonis solutio per diuturnum temporis spatium scienter peracta, sat est ad excludendam laesionis querelam.*
11. *Ad effectum dimitiendi laesionem, non tantum est habenda ratio de fructibus, quos praedia de tempore concessionis ferebant, sed de illis quoque, qui in potentia colligi poterant.*
12. *Contractus firmitas pendere non debet a commercii vicissitudinibus, quae in diem immutantur.*
13. *Praescriptio triginta annorum, sat est ad excludendam laesionem, quae intercessit in exordio contractus.*
14. *Laedendi competit seligere inter canonis reductionem, et emphyteusis rescissionem.*

### DECISIO DXXXI.

Ob intermissam per integrum biennium et ultra Canonis solutionem vigiles Camertini Brephotrophii S. Mariae Pietatis Moderatores, ordinarium devolutionis judicium provocarunt contra Emphyteutas Sebastianum, aliosque fratres Perugini, quos jam exequutiva actione pulsaverant pro annua obtinenda ipsius præstatione in conventa quantitate scutorum bismille quingentum quinquaginta. At a Vicario Curiæ Archiepiscopalis Firmi contrariam passi sunt sententiam; quapropter a Sanctissimi Præsule Auditore petierunt, obtinueruntque Curatores, ut causa ad S. N. Tribunal deferretur, sicuti contextim ab eodem Auditore impetrarunt Fratres Perugini impertiri S. N. Ordini facultates

judicium ferendi etiam super reductione Canonis ad æqualitatem. In suspenso hinc relicta *devolutionis* causa, quoad petitam Canonis reductionem cum, Ponente R. P. D. Meo Zacchia, in Comitiis diei 18 Junii anni 1830 proposita fuerit dubii formula = *An, a quo tempore et in qua summa sit locus reductioni Canonum ad æqualitatem in casu etc.* = dilatorium prodiit rescriptum cum deputatione Agrimensoris Periti, qui referret super bonorum valore, habito respectu ad epocham contractus, et ad fructus præcedentis decennii. Nicolaus Gabrielli ad id referendum accitus, auditis tantum Emphyteutis, quia nemo ex parte Brephotrophii comparuerat, retulit impares esse prædiorum fructus conventi Canonis solutioni. Reproposita proinde causa die 27 *Junii* 1831 responsum datum fuit = *Affirmative in omnibus a die motæ litis in summa scutorum* 273 10 9 = quot adamussim Gabriellius asseruerat constituere discrimen inter prædii fructus, et canonem conventum.

Obtinuerunt Moderatores ad trutinam causam revocare, et in conventu diei 24 Februarii anni 1832 rescriptum prodiit = *In Decisis juxta modum* scilicet ut, *quoad datia Cameralia habeatur respectus ad epocham contractus; quoad vero fructus ad epocham recursus S. Congregationis Episcoporum et Regularium*, canonis vero reductio ampliata fuit ad scuta 438, 18 9 Par fuit resolutio novissima diei 4 Mensis Junii ejusdem anni, quam excepit Rotalis Sententia ab eodem R. P. D. Meo Zacchia obsignata.

Provocarunt solertissimi Brephotrophii Curatores, et eum per me die 18 *Martii* 1833 PP. Judicium requisitum fuerit assueto sub dubio = *An Sententia Rotalis sit confirmanda; vel infirmanda in casu etc.* frustra dilationem petentibus iisdem Moderatoribus, responsum retuli = *Sententiam Rotalem esse confirmandam* = Beneficium novæ Audientiæ pejierunt moderatores, extrajudiciale allata peritia cujusdam Vincentii Ottaviani, qui refutatis erroribus, in quos irrepserat judicialis Peritus Gabriellius, non solum constituit sufficere fructus ad canonis solutionem, imo vero etiam adesse excessum scutorum circiter quingentum. Ex facta venia iterum obloquendi, cum reproposita fuerit causa, rescriptum prodiit = *Dilata, et ad D. Ponentem pro deputatione Periti Agronomi, qui referat super redditu bonorum Emphyteuticorum in actu, et in potentia, et super causis, quibus imminutus fuit idem redditus, habito respectu tom ad epocham contractus, quam ad tempus posterius.* Referendi munus Josepho Bartolini committitur, is retulit prædiorum reditibus in actu, atque in *potentia* ad controversi canonis solutionem sufficere. Reproposita proinde causa in comitiis diei 9 Maii dilatorio Rescripto causæ definitionem Patres eumperendinarunt ad diem 3 sequioris Mensis Junii, qua tandem responsum dedere = *In Decisis reservato jure optionis favore* Brephotrophii. Tanta hæsitatio viam stravit petitæ novæ Audientiæ, cumque ego hac mane Patres Meos de more rogaverim = *An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.* responsum incunctanter accepi = *Recedendum a Decisis* =.

1 Una quæstio est, quam dirimendam causa exhibet, an scilicet agentibus Emphyteutis jus sit petendi Canonis reductionem ob assertam facti circumstantiam, quod contractus Emphyteuticus ab initio læsionis labe infectus fuerit. In qua aggredienda inspectione haud præ primis Patrum sedulitatem effugit, quod præsens læsionis querela prumota fuit, postquam a Brephotrophii Moderatoribus devolutionis judicium jam fuerat inchoatum, postquam scilicet Emphyteutæ pergrande canonum debitum cum directo Domino contraxerunt, quo profecto in themate traditum habemus haud ita facile læsionis querelam admitti, ut ponderat S. N. Ordo *in Decis. Tyburtina Læsionis enormissimæ diei* 10 *Decembris* 1832 § 2 *coram R. P. D. Meo Bofondi.* At hoc etiam post habito, respuendam reductionis instantiam suadebant quæ intrinsecus et in jure, et in facto concurrunt.

2 In jure quidem: nam admisso etiam juxta sensum Periti Gabriellii, quod

Canon Emphyteuticorum prædiorum redditum excedat, haud tamen reductioni locus fieret. Optimo quippe jure Brephotrophii Moderatores animadvertebant Canonis reductionem juxta notissimam *Legem* 1 *Cod. de jure Emphyt.* locum obtinere tantum in speciali casu, quo rei Emphyteuticæ imminutio superaccessa probaretur; quæ imminutio cum in themate non contigerit, contendebant non esse ad tramites illius Legis de reductione loquendum; sed potius expendendum, an ad tramites vulgatissimæ *Leg.* 2 *Cod, de resc. vendit.* læsio præsto sit, necne. Rotalis quæ iterum expenditur Sententia, prætermisso temporis discrimine, an scilicet ab initio vel postea læsio obvenerit, petitam indulsit reductionem, etsi nulla contigisset rei emphyteuticæ imminutio. Sed ad severiorem trutinam hodie revocatis juris principiis in subjecta re obtinentibus, facile PP. Meis apparuit necessitas ab ea sententia resiliendi.

3 Recolebant in primis liberum olim cuique fuisse res vendere pro pretio quod venditori videretur *Leg.* 16 § 4 5 *de minoribus*, adeout læsionis querela nunquam daretur, nisi dilucide constaret de metu, machinatione, vel dolo, cum eorum concursus plene intercipiat contrahentis consensum, sine quo obligatio oriri baud potest. Experientia deinceps necessitatem demonstravit admittendi etiam duli speciem *in se ipso*, quoties immodicum probaretur pretii discrimen, cujus tamen mensura haud Judicis arbitrio committenda videbatur. Præfiniendi idcirco erant limites, intra quos contrahentibus semel ad invicem decipere liceret: quod adamussim cautum fuit *in Leg.* 2 *Cod. de resc. vendit.*, in qua Imperatores Diocletianus, et Maximianus potestatem venditori fecerunt urgendi contractus læsionem, si nec dimidiam partem veri pretii sibi solutam probaret: secus si vis soluta veri pretii dimidium excedit, in suo robore manet contractus, nec rite læsionis querela proponitur *Leg.* 8 *et* 15 *Cod. Eod. L.* 1 *Cod. de Præscript.* 30 *vel* 40 *annor. et S. Rota in Dec.* 787 *num*, 5 *coram Riminaldo.* Cum do læso venditore taxative Imperatores caverent, dubitatum fuit, quid do emptore læso sentiendum foret. Acriter DD. eorum favore proredere denegarunt censuram præfatæ *Legis* 2 *Cod. de resc. vend.*; At contrariam amplexa est sententiam Glossa *in Leg. Ipsius* 2 *et Glossa* altera *in Cap. Cum Causa in* 6 *de vendit.* quas sertati sunt selectiores juris Civilis Interpretes, Canonistæ, et ipsum S. N. Auditorium præcipue *in Decis. Civitatis Plebis Læsionis* 7 *Februarii* 1817 *coram Piccolomini*, in qua læsionis querela emptoris favore probata fuit, quum duplum ultra legitimum pretium persolutum demonstraretur.

4 Plausum in foro recepit salutaris memoratæ *Legis* 2 *Cod. de re vendit.* præscriptio, quam extendere ad alios quoque bonæ fidei contractus Jurisconsulti non dubitarunt, ducto argumento *ex Leg.* 3 *Cod. Comm. utriusque Jud.* Quæstio tamen fuit, an porrigi posset ad contractus emphyteuticos, quum dubium esset, an hi inter bonæ fidei contractus recenseantur. Pro exclusione pugnarunt *Socin. reg.* 2 *Cod. de rescind. vend.*, *Jason. in Leg.* 1 *Cod. de jure emphyt. numer.* 75; *Thoming. Cons.* 33 *num.* 17 *tom.* 1, *Cephal. Cons.* 505 *num.* 12 *tom.* 4; *Poul. de Castro Cons.* 387 *per tot. Lib.* 2, *Fabian. de Monte de empt.*, *et vend't. quæst.* 8 *num.* 14; *Alter. de contract. tit.* 1 *Cap.* 14 *num.* 46; *Altimar. de nullit. contract. rubr.* 1 *part.* 4 *quæst.* 37 *vers. Sic læsio tom.* 6 *Mantica de Tacitis lib.* 22 *tit.* 2 *num* 51; *Monso Consul. Forcn.* 616 *num.* 3 *tom.* 7; *Costont. od Statut. Urbis Annot.* 46 *num.* 163, *Cyriac. od tit. Cod. de resc. vend. sub litt. E, Dionys Gothofred. in Leg.* 2 *Cod. eod. tit. num.* 7, alique quibus adhæsit S. Rota *in Decis.* 286 *num.* 11 *et* 12 *coram Seraphino, et Decis,* 235 *num.* 1 *part,* 14 *in Recent.* Sed benignior nihilominus invaluit sententia, quod cum censura *Legis* 2, *etc.* procedendum esset etiam in emphyteuticis contractibus, quoties reperiatur inter Canonem, et fructus læsiva disparitas.

5 At dubitatum fuit inter hujusce benignoris Sententiæ sectatores, quæ nam in themate constituenda esset læsionis

mensura. Fratres Perugini querelam admittendam esse contenderunt, cum constaret de canonis excessu etiam in obulo. At Patres eorum opinioni assentiri haud rati sunt firmissimo freti juris principio, quod ex redditus quantitate, quantitas veri pretii dignoscatur *ad text. in leg.* 16 *Cod. de rescind. vendit.* proindeque par eisdem videbatur conditio tam illius, qui emptione majus pretium solvit, quam illius, qui annuatim majorem justo rependit canonem. Quidquid enim ultra justi Canonis mensuram persolvitur, repræsentat fructus, quos Emptor legittime recipere valuisset ex persoluta ultra modum illa pecuniæ quantitate, si in quæstuosum negocium vertisset. In qua opinione ipsos magisque firmabat peculiaris etiam indoles emphyteutici contractus, qui sub locationis vocabulo late sumpto comprehenditur; *Carocc. de locat. et conduct. in princ. tit. Locationis divisio num.* 1, *Menoch. Consil.* 372 *num.* 12 *Pacion. de locat. et cond. Cap.* 3 *num.* 2 præsertim si pensio respondeat fructibus *Valasc. de Jur. Emphyt. quæst.* 26 *numer.* 11; *Andreol. Controv.* 9 *numer.* 6 *part.* 1; *Alexand. Cons.* 112 *numer.* 3 *Marescot. variar. lib.* 2 *Cap.* 76 *num.* 1 *Pacion. cit. de locat. et Cond. Cap.* 3 *num.* 38. Receptissima enim tunc est sententia, quod læsio in emphyteuticis contractibus eum eadem norma procedit, quæ in locationibus adservatur. *Dec. Associationis* 5 *Julii* 1771 § 10 *coram Origo, et in confirmatoria diei* 11 *Maii* 1772 § 6 *coram Ratta.* Scilicet conductori prohibitum esse debet de enormi læsione queri, nisi fructus rei locatæ plusquam duplo minores sint mercede, prout fert receptior S. Auditorii sententia, et jugiter tenuere omnes melioris notæ Jurisconsulti, et Pragmatici, ad ea quæ monuit ipse S. Ordo *in Decis. Tyburtina læsionis diei* 10 *Decembris anni* 1832.

6 Constituto Juris principio, quod in Emphyteuticis contractibus læsionis querela ad tramites *Leg.* 2 *Cod. de rescind. vend.* temperanda sit, ut nempe excipienda veniat, quum constet quod Emphyteutici prædii fructus adeo pauci sunt, ut dimidium conventi Canonis non attingant; facilior conclusio videbatur, quod ab Emphyteuta de læsione querente disparitas ista demonstranda sit, ratione habita ad tempus initi contractus. Secus enim, cum res sit de contractu futurum tempus præseferente. Si forte evenerit, ut contractus justus in suo exordio supervenientibus circumstantiis gravis, et damnosus fiat absque ulla Emphyteutæ culpa, ei erit procul dubio succurrendum; impropriam hanc læsionis speciem admisit *Lex* 1 *Cod. de jure Emphyt.*, quæ Emphyteutæ jus tribuit petendi Canonis remissionem in casu, quo ei nihil reliquum permanserit ex emphyteutica substantia. Hæc verba benigniori interpretatione Bartolus explicans novam induxit disciplinam, nempe, quod possit Emphyteuta Canonis petere reductionem, quoties tanta emerserit clades in re Emphyteutica, ut ipsius fructus supercrextantes satis haud sint ad pensionem solvendam. Compertissimum hinc fit, duplicem intercedere posse læsionem in Emphyteutico contractu, propriam nempe si in ipsius exordio probetur, et tunc fit locus contractus rescissioni vel moderationi ad tramites memoratæ *Leg.* 2 *Cod. de resc. vend. impropriam* vero in processu contractus erumpentem, et hæc haud importat ejusdem rescissionem, sed solummodo jus tribuit petendi, ut ad æqualitatem Canon reducatur, juxta terminos *leg.* 1 *Cod. de jure Emphyt.*

Hac præstituta distinctione manifeste apparet editæ sententiæ error. Ipsa enim petentibus Peruginiis canonis reductionem juxta theoricam Bartoli *in leg.* 1 *Cod. de jur. Emphyt.* indulsit, etsi ab iis minime probaretur rei Emphyteuticæ imminutio, quam reapse obvenisse, nec ipsi assere unquam ausi sunt. Qua de re si iisdem conqueri placet de canonis excessu, dato quod hic usque ab initi contractus exordio intercesserit, prout constituit peritus Gabriellius, in cujuscumque oculos insilit, quod promota eorum petitio ex præmissis referri omnino debet ad contractus rescissionem vel moderationem, minime vero ad canonis reductionem; 7

eum ob non sequutum rei interitum æquitativa censura *Leg.* 1 *Cod. de jur. Emphyt.* aptanda haud videtur casui; de quo agitur. Mira igitur confusione Emphyteutæ iterum instabant, ut Canonis reductio in casu decerneretur ob assertæ læsionis concursum in ipso contractus exordio. Temere obtorquebant æquitativam Bartoli interpretationem et Emerix votum, in quo peculiare tantum relatæ fuerant contendentium ponderationes, quas vero despectas habuit ipsemet *S. Ordo tests Dec.* 1186 *coram Eodem* cum rescripserit *non esse locum reductioni, neque dimissioni, nisi probata læsione in causis particularibus.* Unus Zanchius favet Emphyteutarum petitioni. Læsionem reapse ille ab initio admittit, quoties fructus non sufficiant ad solvendum canonem, *Tract. de læsione Part.* 2 *Cap.* 8 *num.* 94. Sed cum Auctores, ad quos se refert Zanchius, e contra probent falsam esse hujusmodi doctrinam, magis evidenter demonstrant querelam læsionis haud importare canonis reductionem, sed contractus rescissionem, vel moderationem.

8 Firmum proinde immotumque PP. visum est; ut cum posita distinctione esset in themate procedendum, advertendo scilicet, an læsio intercesserit in contractus exordio, seu potius ob supervenientem rei emphyteuticæ interitum postea advenerit, quia dum in postremo casu reductio canonis ad æqualitatem admittitur prout monet *Gothofred. in cit. leg.* 1 *Cod. de jur. Emphit. sub num.* 24; e contra in priori casu locum habet contractus rescissio, si juxta censuram Legis 2 *Cod. de rescind. vendit.* probetur, quod res Emphyteutica in fructibus non ascendat ad dimidium canonis, prout docent *Constant. ad statutum Urbis adnot.* 46 *artic.* 2 *numer.* 162 *Fierlius ad Leg. Cotem.* 11 § *qui maximus de publ. vectigal.*, *Donnell. Comment. in Cod. ad tit.* 44 *lib.* 4 *Cod. de rescind. vend. leg.* 2 *n.* 55 *Bald. in dict. leg.* 2 *numer.* 6 *in fine et ibi. Salicet num.* 8, *Mans, Consult.* 616 *tom.* 7, *Gobb. Cons. Dec.* 24; *Castald. Consult. for.* 261 *tom.* 2; *Gemma Dec. Lusitan.* 257 *num.* 1; *Thesaur. Dec. Pedemont.* 120 *numer.* 2, *Capon. controv. for.* 5 *numer.* 8; *Surd. Cons.* 197 *numer.* 3; *Pinel. in d leg.* 2 *Cod. de rescind. vend. Cap.* 3; *Cagnol. in eadem leg. num.* 203; *Covarr. quæst. pract. Cap.* 30 *num.* 1 *vers. quamobrem*; *Menoch. de Arbitr. Cap.* 76 *num.* 5; *Valasch. jur. Emphyt. part.* 1 *quæst.* 11 *num.* 19 *vers. Sed quamvis Gratian. disc. for. Cap.* 57 *num.* 8, *idem Zanchius ex adverso citatus in part.* 2 *cap.* 8 *n.* 9, *nec non Sacra Rota in Romana Remissionis affictus* 19 *Julii* 1595 *coram Corduba, Decis.* 235 *num.* 5, *Dec.* 338 *et Decis.* 468 *numer.* 11 13, *et seq. part.* 14 *in recent. Decis.* 422 *num.* 1 *coram Coccino in Decis.* 398 *num.* 1 *coram Lancetta*, *in Decis.* 31 *num.* 4 *coram Herzan, in Nullius, seu Carrarien. Contractuum* 29 *Novembris* 1786 *num.* 9 *cor. Bussio, in Romana Associationis* 5 *Julii* 1771 § 10 *cor. Origo, in confirmat.* 11 *Maij* 1742 § 5 *cor. Ratta, et in Decis.* 1186 *cor. Emerix* a Peruginiis citata in qua declaratum fuit non esse locum reductioni, nisi læsione probata in casibus particularibus; quod firmius attendendum in casu videtur, cum res sit de Emphyteusi Ecclesiastica, quæ regitur a Motu-Proprio Benedictino *diei* 23 *Novembris anni* 1742 juxta præseriptionem epistolæ Sacræ Congregationis Episcoporum, et Regularium diei 5 Decembris 1782. Non quævis enim læsio, sed quæ semissem excedit in eisdem admittitur, docentibus *Dec. Forolivien. Vigesimæ* 7 *Junii* 1793 *num.* 3 *coram Flangini, Cracovien. vend.* 15 *Maij* 1752 § 9 *et* 10 *coram Figueroa Decis.* 176 *n.* 1 *et seq. coram Veri*; in id etiam consentiente Sacri Concilii Congregatione, quæ in defectu læsionis ultra dimidium Canonis reductionem semper rejecit, prout contigit in *Maceraten. Emphyteusis ad* 1. *Dubium diei* 23 *Septembris* 1788, *in Tolentinaten. Reductionis* 1788; *in Firmana Emphyteusis quoad reductionem diei* 17 *Maij* 1817. *Eadem diei* 24 *Augusti* 1819, et recenter *in Senogallien. Reductionis Canonis* 27 *Augusti* 1831.

Hæc autem in jure. In facto autem probatissima PP. Meis apparebat Pe- 9
ruginiorum petitionis injuria. Revera

quamvis æquum sit subvenire venditori læso, vel decepto, ipsamet æquitas haud suadet, quod suppetiæ ferri debeant iis, qui postquam sibi uti majori Oblatori licitatorum bonorum adjudicationem obtinuere, deinde sub fuco, quod se deceperint in hastæ calore, reductionem Canonis urgent, cum manifestissimo venditorum damno, qui tali modo amittunt utilitatem, quam eisdem hastæ æstus parare valuisset. Quæ animadversio in casu plurimi habenda est, stante facti circumstantia, quod cum Fratres Peruginii ante bonorum emphyteuticorum licitationem per multos annos in eisdem versati fuerint, tamquam partiarii Coloni, atque Agricolæ, ipsa edocti experientia bonorum istorum statum, naturam, ac vim perspectam, planeque cognitam habere debuerint ad ea, quæ monuit Sacer N. Ordo in *Tyburtina læsionis Enormissimæ* 2 *Decembris* 1825 § 4 *cor. Emo Marco.*

10 Alia insuper gravissimi momenti facta accedebant, quæ magis magisque Emphyteutarum prætensiones eliminabant. Sponte enim ad hastam illi accessere, suppliceesque obt nuerunt a Sanctissimo Principe, ut juxta eorum oblationem, etsi non majorem, Emphyteutica bona sibi adjudicarentur. Nec hoc satis. Cum Philippus Bartolazzi vigesimam adjecisset, iterum a Summo Pontifice obtinuere = *che dovesse osservarsi, ed eseguirsi il contratto a favore dei Fratelli Perugini non ostante la detta vigesima oltre qualsivoglio offerta, che posteriormente sopravenisse.* Nec ratam ipsi acceptamque tunc tantum habuere emphyteusim, sed ipsius utilitatem interim confirmatam a posteriori quatuordecim annorum experientia apertissime quoque confessi sunt, quando scilicet anno 1803 inter ipsos, et Brephotrophii Visitatorem de dividenda vectigalium solutione pro rata Commodi actum fuit. Hac enim occasione *dopo il più maturo esame, e le più minute discussioni* cum consenserint Emphyteutæ in solutionem duarum ex quinque partibus *di quello, che il Ven. Ospedale mostrerà di aver pagato,* implicite fassi sunt scuta circiter mille se lucrari, quot adamussim habentur, si conventum Canon in quantitate scut. 2550 tres illas ex quinque partibus efformare tenentur. Perperam vero id Emphyteutas confessos fuisse per errorem vel deceptionem obganniunt hodierni Peruginii. Præterquamquod id gratis ab iis asseritur, præsumendum haud est, quod Brephotrophii Visitator miseros Colonos conicere voluerit in adeo tristem conditionem, quæ tandem in ipsius Brephotrophii damnum redire ex necessitate debebat. Et quod res ita procederet auctores sunt ipsi Peruginii, qui per solidum quadraginta annorum cursum non solum diligentissimo semper conventum Canonem repræsentarunt, quin unquam verbum fecerint de contractus læsionem; sed auctam in pupulum familiam alere, et fundos quoque emere potuerint, quod haud certe facere valuissent, si impar fuisset redditus ad Canonis solutionem. Una igitur Canonis solutio ad formam Concessionis absque ulla querela per tam diurnum temporis spatium scienter peracta, satis superque esset ad tam originariam, quam successivam læsionem excludendam ad ea, quæ monuit *post text. in leg.* 15 *Cod. de resc. vendit. Dionys. Gothofred. od hanc legem num.* 14 *Voet in Pandect. lib.* 8 *tit.* 5 § 18, *et S. Rota in Dec.* 1130 *num.* 19 *cor. Emerix, Decis.* 1186 § 4 *coram Eodem, in Romana, seu Portuen. Tenutarum* 2 *Decembris* 1693 § *fin. coram Emerix Jun. in Decis.* 250 *num.* 14 *corom Lancetta, in Decis.* 398 n. 11 *corom Eodem.*

Quamvis ex confessione et facto ipsorum Emphyteutarum exclusa luculenter videatur assertæ læsionis existentia, nihilominus S. Ordo baud omisit rei veritatem intrinsece perscrutari, adbibita Peritorum opera. At in hoc peragendi inspectione PP. Mei acceptam babere haud potuere Gabriellii Peritiam, utpote erroribus redundantem, qui modo correcti ad tramites relationis alterius Periti licet extrajudicialis Vincentii Ottaviani, evidenter ostendunt de anno 1788 realem bonorum Emphyteuticorum redditum canonem conventum scutis non minus quingentis excedere. Sed hic si- 11

stere haud rata est Patrum Meorum sedulitas. Perspectum eisdem erat, quod major vel minor fructuum copia pendet a majori vel minori colentium diligentia; quapropter regula invaluit, ut ad effectum dimetiendi læsionem, non tantum ratio habenda sit de fructibus, quos prædia emphyteutica de tempore concessionis in actu ferebant, sed de illis etiam, qui in aptitudine et potentia colligi poterant, cum, et ii æstimationem recipiant ad ea quæ post *Theoricam Pauli de Castro in Authentic. Si quis ruinas Cod: de Sacrosanct. Eccles.* docuit *Sacra Rota in Decis.* 1186 *numer.* 2 *cor. Emerix Junior. et in Decis.* 250 *num.* 7 *cor. Lancetta, et in Nullius seu Carrarien. Contractuum* 29 *Novembris* 1706 § 10 *cor. Bussio*, *et in ipsius confirmatoria* 6 *Junii* 1757 § 9 *cor. Eod.* Prudenter proinde Josepho Bartolini commiserunt, ut referret super redditu bonorum emphyteuticorum tam in actu, quam *in potentia*, et super causis, quibus imminutus fuit idem reditus, habito respectu, tam ad epocham contractus, quam ad tempus posterius. Paruit mandato vir peritus, et ex ejus relatione profligata fuit Peritia Gabriellii, confirmata altera ipsius confutatoria Vincentii Ottaviani. Siquidem Bertolinius retulit redditum bonorum emphyteuticorum relative *ad tempus initi contractus* fuisse in actu scutorum 2607. 1; in potentia autem scutorum 2865. 90; quoad vero tempus *hodiernum*, nempe ad annum 1834, ipsum redditum in actu constituit in scutis 2487. 28, medio retento venditionum pretio, et in calculo relatis damnis per Emphyteutas illatis; in potentia autem in scutis 3530. 48. Id vero haud tribuendum dixit diligentissimæ ipsorum bonorum culturæ, prout ex minus accurata factorum ponderatione retinuit præcedens mea Decisio § 15, sed ab ordinaria diligentis Agricolæ cultura repetendum, prout ipse peritus monuit per ea verba = *non voglio andare in traccia dei Miracoli di una industria soprabbondante e rarissima*, *non mai disgiunta da impronto di Capitali, da maggior dispendio di mano di opera, ma unicamente riguardando alle migliori pratiche agrarie del Territorio etc.* Quæ relatio accepta fuit PP. Meis etsi bene noverint et ipsum Bertolinium quandoque favore Emphyteutarum errasse, præsertim quando Peruginiis præmium addixit ad rationem *del due per cento sulla rendita lorda*, perinde ac si Directarius Emphyteutæ id rependere deberet in exactionis compensationem.

Constituta itaque bonorum Emphyteuticorum virtuali potentia ad fructus gignendos in quantitate, quæ prælevata medietate Emphyteutis addicta, satis est ad conventi canonis solutionem, ordinaria eorum prudentia animadvertebant PP., quod imminutum fructuum pretium venire haud debet in calculum, quia contractus firmitas pendere haud potest a commercii vicissitudinibus, quæ in diem immutantur. Admissa enim contingentium casuum divisione in solitos et insolitos, horumque sub divisione in frequentissimos, ratiores, et rarissimos *Everard. Ottob. in suis dissert. jur. pub. et priv. dissert.* 6. *part.* 1 § 15 *e* 16; dein facile consentiebant maxime insolitos casus haud esse debere Conductori vel Emphyteutæ detrimento, quin nulla verba apta videntur ad casum insolitum in superlativo gradu comprehendendum. *Menoch. cons.* 27 *num.* 18 *Mantica de tac. et ambig. lib.* 5 *tit.* 8, *Rocca disput. juris* 120 *num.* 23, *Luder. Mexhen. in Disser.* 13 *de convent. circa casus fortuitos* § 37. *L. Hommell. Rapsod. Jur. observ.* 572 *num.* 1 *Sorg. Jurisprud. foren. tom.* 2 *cap.* 33 *num.* 51 *et* 54, *et Mastril. in dec.* 299 *n.* 21 *et seq.*; perpendebant e contra haud extraordinarium censendum esse frugum imminutum pretium, et proinde non esse attendendum, præsertim cum effrenato pacto Emphyteutæ in se quemlibet suscepérint casum = *quantunque affatto inopinato, ancorchè portasse seco la perdita totale de'frutti la maggior parte di Essi.* = Pactum hoc quod attendendum haud foret, si emphyteutica substantia in toto vel in parte periisset, suas exercere omnino debet vires in casus, in quibus damnum obvenit in fructibus ad ea quæ monet *Pacion. de* 12

*Locat. cap.* 49 *num.* 12, *et seq. Rocca Disput. Jur. select. Cap.* 120 *num.* 7, *et S. Rota in Decis. Romana Responsionum* 31 *Januarii* 1772 § 7 *cor. Muti, et in Decis.* 14 *num.* 9 *cor. Tanara.* Contractus enim ex conventionibus legem accipiunt, nec secus ac cætera pacta, servari debet defalchi renunciatio, et pactum non petendi remissionem mercedis ad ea, quæ in subjecta specie monuit *S. Rota in Decis.* 1141 *num.* 5 *in Romana seu Albanen. Locationis super defalco* 20 *Aprilis* 1804 §. 11 *cor. Strasoldo.*

13 In quolibet tandem rerum eventu per maximum agentibus Peruginiis obicem parabat temporis diuturnitas, Temporis enim cursus sanat, quod ab initio haud satis tutum fortasse apparebat. *Romana Immissionis* 26 *Aprilis* 1751 § *penult. cor. Merlin. in Nullius, seu Carrarien. Contractuum* 29 *Novembris* 1759 § 3 *cor. Bussio, et S. Congregatio Concilii in Senogallien. Reductionis Canonis* 27 *Augusti* 1831, prout in Emphyteutica materia monet *Pacion. de locat. cond. cap.* 18 *n.* 103, et explicatius docet ex adverso citatus *Zanchius*, qui casum distinguens læsionis in exordio contractus a casu læsionis postea supervenientis, quoad primum docuit sufficere præscriptionem triginta vel quadraginta annorum. *Tract. de læsione part.* 2 *Cap.* 9. At præscriptionem locum habuisse dubitari nequit in themate, si calculi ineantur ab anno 1788, quo Perugini Emphytheusim obtinuerunt ad annum 1827, quo primum de læsione obloqui coeperunt.

14 Quod si hisce minime obstantibus juxta agentium Emphyteutarum mentem, læsio quoque admittenda fuisset in contractus exordio, cum ex præmissis hæc locum sibi haud posset vindicare, nisi ad tramites *Leg.* 2 *Cod. de rescind. vendit.*, firma retenta ipsius censura, lædenti Brephotrophio jus competere deberet seligendi inter Canonis reductionem et emphytheusis rescissionem, prout firmatum etiam videtur a Jure Canonico in *Cap. Cum dilecti de empt. et vend. et in Cap. cum Causa in* 6 *eod. et monitum etiam videtur a Fierlio in Bartoli Theorica ad Leg. Cotem* 11 *ff. de pub. et vectig. in fin. Cujacc. in Cod. ad tit. de rescind. vendit. vers. Non tamen; Donell. in Cod. ad dict. tit. in* 2 *explanatæ legis* 2 § 12 *et* 17 *Peretius in lib.* 4 *Cod. tit.* 44 *numer.* 9. Quæ juris conclusio procederet quoque si in casu veræ læsionis versaremur, cum prohibitum omnino sit simpliciter reductionem, vel rescissionem petere, sed danda sit lædenti procul ab Judicis arbitrio optionis libertas, prout docet *Brunemann. in Comm. ad Leg.* 2 *Cod. de resc. Vend. num.* 13 *et Abb. Panorm. in Cap. Cum dilecti de empt., et vend. Edit. Venet. tom.* 6 *fol.* 78 *n.* 4 *et* firmavit quoque S. Rota *in Decis. Romana læsionis* 6 *Martii* 1818 §. 7 *cor. Emo Odescalchi.* Nec arbitrium hoc certe auferendum esset vigilantissimis Brephotrophii Moderatoribus ex ratione, quod de Emphytheutico contractu agatur. Rationi congruum omnino videtur, ut præcitatæ *Leg.* 2. *Cod. de resc. vend.* censura in contractibus etiam emphyteuticis æque procedat, sive læsus appareat Dominus directus, sive Emphyteuta de læsione queratur, prout docent *Barbosa in Leg.* 2 *Cod. de resc. vend. num.* 72. *Fontanell. de pact. nupt. Claus.* 4 *glos.* 18 *part.* 1 *numer.* 9. *et seq., num.* 42 *et seq. Hermosill. ad Lopez gloss.* 4 *Leg.* 56 *tit.* 5 *part.* 5 *numer.* 16 *Zanch. de læsion. par.* 2 *Cap.* 8. *numer.* 120 *et part.* 3 *Cap.* 6 *num.* 11 25 *et* 28 *S. Rota in Decis* 1130 *num.* 21 *et* 22 *coram ex adverso cit. Emerix, et in cit. Romana læsionis coram Eminentissimo Odescalchi* § 3.

Et ita etc. utraque etc.

## CENTUMCELLARUM

### EXECUTIONIS TRANSACTIONIS SEU PECUNIARIA

*Lunae* 8 *Maii* 1837.

### ARGUMENTUM

Habes in Superiori, quae confirmatur - DECISIO DV.

SUMMARIUM

1. *Resjudicato irretractabile jus constituit inter partes*
2. *Juris sanctio regressum vetat ad jura renunciata.*
3. *Propria oris confessio probationum omnium regina.*
4. *Impedit resjudicata quominus in discrimen adducere debeat, quod per ipsam definitum invenitur.*
5. *Interdicti cujusve obligationes quoad tertios consistunt, quoties interdictionis aedicta publice adfixa non fuerint.*

   *Deputatio oeconomi ex jure non semper odiosam secumfert interdictionem - ibidem. -*
6. *Heredibus vetitum est impugnare, quod eorum auctores adprobarunt.*
7. *Cum quisquis nullitati contractus causam praebeat, nec de eadem nullitate queri potest.*
8. *Renunciationis indoles expensarum refusionem importat.*

## DECISIO DXXXII.

Creditum, quod pro argenteis nummis 2366 30 erga Dominicum Antonium, Angelum Fratres Daste præferebat mensa Nummularia, quæ Centumcellis exercetur sub nomine Bartholomæi Bustelli, amica inita transactione die 10 Januarii Anni 1821 ad Argentea 2000 infra biennium repræsentanda cum usuris interim sexuncibus cohibitum fuit. Nulla est adeo exquisita solemnitas, cui transigentes non concesserint, ne ullo umquam tempore convelli posset inita concordia, quam explicite adprobarunt, et subrogatus Occonomus paulo pridem ad Dastiorum preces eorum patrimonio a Sanctissimo deputatus, et Joseph Angeli filius jam ab eo tempore ætate major, et uxoratus, qui cum rebus quibusdam domesticis quodammodo præcesset et singula gessisset, ex quibus crediti titulus eruperat, sollicitus etiam fuit biduo post de litteris ad Bartholomaeum dandis, queis initam concordiam plurimis amplissimisque verbis commendavit. Transactionis demum robur, et firmitatem luculentissime de de facto agnoverunt Dasti, solutis in partiariam crediti extintionem absque præcitati Oeconomi interventu nummis 1396 6 $\frac{1}{2}$ titulo sortis, et scutatis 288 25 pro conventis fructibus.

Persolvenda supercrant Argentea 883 93 $\frac{1}{2}$ pro sortis residuo præter fructus postea decursos; pro quibus asseguendis cum iteratæ induciæ longe excessissent, agere debuit Bartbolomeus contra debitores, qui coram eodem Centumcellarum Tribunali actoris vestem repente induti absque ulla Oeconomi præsentia vel adprobatione nullitatem transactionis urgere cœperunt. Feliciter eisdem res gessit, de brevi lætati sunt victoria. Sacer enim noster Ordo, ad quem provocaverat Bartholomæus proclamata concordiæ validitate creditum ipsius favore constituit in petita quantitate scutorum 876 08 $\frac{1}{2}$ testibus binis Rescriptis editis die 4 Julii anni 1825. Ponente Emo Spada S. Tribunalis oraculo obsequentes debitores ad ulteriora procedere noluere, sed illis accepto habitis amplissimum utrique liti miserunt Nuncium, solemniter expromissa expensarum refectione, in quarum partiariam solutionem utile deinde cesserant trium terræ frustulorum dominium pro prætio; quod ex incunda æxistimatione justum apparuisset.

Sed datam fidem deinde adimplere haud curabant Joseph, et Paulus fratres Daste memorati Angeli filii, et illius æque ac Antonii Dominici hæredes. Quamvis Crediti exigentiam indubiam redderet perfectissima Resjudicata, quæ ex litis renunciatione, ac acceptatione utriusque Rescripti S. N. Ordinis ortum duxerat, ob iuterceptam tamen adamussim litem haud locum habuerat mandati expeditio, sine qua Bartolomæus ad realem exequutionem properare nequibat. Inutilia expertus Comitatis officia, et promissiones debitorum, qui scriptis epistolis nomquam emiserunt sui debiti solidationem polliceri, iterum S. N. Auditorium Bartholomæus adire debuit Dubium proponens — *An sit locus solutioni scutorum 876 81 $\frac{1}{2}$ et refectioni expensarum ita; ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* — cui quidem in fratruum silentio, die 2 Maii anni præteriti re-

sponsum retuli = *Pro informante* = nempe = *Affirmative in omnibus* =. Contra hoc rescriptum novam audientiam obtinnerunt Dastii. At inutile iis cessit indultum beneficium, nam PP. in acri partium colluctatione die 16 superioris mensis Januarii rescripserunt = *In Decisis* = prout iterum hac mane responderunt, vadimonium Dastiis denuo refugientibus.

1 Nec diversus utique controversiæ exitus fuisset: si iidem fratres judicio stetissent. In discrimen siquidem adducere haud valuissent actionem, qua Bartholomæus instat pro assequenda sui crediti solutione. Nil erat iis excipiendum circa crediti qualitatem vel quantitatem. Definitum enim a S. Ordine fuit a die usque 4 Julii anni 1825 constare de Bartholomæi credito in quantitate scut. 876 08 ½ quam definitionem cum accepto habere prætulerint debitores fratres, et Joseph cum illis alter ex contendentibus absolutissima ab eorum renunciatione ortum duxit resjudicata ad tramites § 913 Vigentis praxis judiciariæ, et *Leg. fin. de Edicto D. Adriani tollendo* dixitque pluries S. Rota præcipue *in Romana Immissionis* 13 *Januarii* 1762 § 3 *coram Elephantutio, in Firmana Immissionis quoad bona fideicommissaria* 8 *Junii* 1828 § 4 *coram Emo Marco*; quæ profecto resjudicata cum irretractabile jus constituat inter partes, quamcumque eliminat difficultatem, quominus favore instantis Bartholomæi petitum mandatum rèlaxetur. Quæ juris Conclusio eo firmior habenda est in themate, cum palam sit ipsam Remjudicatam ortum duxisse a facto, et postulatione ipsorum fratrum Dasti, quo in casu jugis eo fortius haberi debet ipsius vis *ad text. in Leg. ait Prætor* § 5. *Si Judex ff. de rebus judicat. Leg. precum Cod. de Liber. Causa et S. Rota in Decis.* 60 *num.* 9 *cor. Consalvi.*

2 Hæc itaque res judicata obstaculo est quominus excipientes fratres quidquam objicere valeant contra præcedentis transactionis firmitatem, quam facto iterum iterumque confessi sunt, variis expletis solutionibus in partiariam crediti extintionem. Inconcussa viget in Foro juris Sanctio, quæ regressum vetat ad jura renunciata *Leg. Quæritur* 14 *ff. de Edilit. Edicto, S. Rota in Monopolitana Immissionis* 16 *Januarii* 1758 § 6 *cor. Bussio.* Nec id ignorabatur a Dastiis, qui ut a juris vigere deflectetent, obmussitabant non constare de Re Judicata, ob id quod eidem causam paæbuerit Renunciatio, quæ nulla radicitus, iis disserentibus, renuncianda est ex peculiasi facti circumstantia, quod absque Oeconomi auctoritate, ac interventu ab eorum auctoribus edita fuerit. Sussumebant insuper, quod si forte ob solemnitatis defectum non corrueret, executioni nihilominus committenda haud esset, quin prius de ipsius meritis S. Ordo rursus inquireret ob præterlapsi decennii silentium. In quavis pessima hypothesi ajebant denique se ad nihil teneri cum in petendo novæ audientiæ beneficio effuderint se hæredes haud esse Angeli, et Dominici Antonii qui Transactioni, et operam dedere, et promotis judiciis nuncium misere.

Inscite vero hæc omnia profundebantur. Et quidem quoad inficiatam hæreditariam qualitatem de mendacio ipsos redarguebant plures debiti agnitiones verbis, et scripto repetitæ, nec non solemnissima eorum confessio in publico instrumento nuper a Bartholomæo ad acta delato emissa, vi cujus anno 1834 in solutum Nicolao Valentini dedere quoddam prædium, se obligantes, *entrambi come figli del fu Angelo, ed eredi di esso, e del fu Domenicantonio*; quæ verba quodlibet sane eliminabant dubium circa hæreditariam eorum qualitatem, cum propria oris confessio probationem omnium regina dicatur. *Rota in Romana Pecuniaria* 21 *Junii* 1726 § *æqualis cor. Corio; Decis.* 224 *num.* 3 *cor. Ratto*; *Decis.* 1319 *num.* 13 *cor. Eodem*, *et alibi passim.* 3

Non secus de decennii silentio sentiendum Patribus videbatur. Falsum enim ac temere in facto, et in jure exceptio ipsa propinabatur. Falso inquam, in facto asserebatur lapsus decennii. Porro cum renunciato edita 4

Digitized by Google

fuerit die 19 Januarii 1826, et Reijudicatæ executio petita fuerit die 7 Decembris 1835 datum haud est invenire asserti decennii terminum, cujus initium erronee ducebant fratres a die, quo primum ad S. N. Auditorium causa proposita fuit, postbabita die indicti vadimonii, quæ certo certius est attendenda. Sed si etiam juxta erratam eorum mentem calculi ineundi fuissent, assertum decennium haud inveniretur, cum ipsius cursum intercepcrit eorum factum, tradidisse nempe in solutum tria terreni frustula in partiariam Rei judicatæ executionem. In falsa tandem hypothesi, quod objectio in facto consisteret, inscite certe ex juris censura præsidium sibi quærerent Dastii ab eo decennali silentio. Invocata enim revisio a praxi invecta fuit, quoties de expedienda sententia, vel Rescripto res foret; nec profecto potest extendi ad Rem judicatam, quæ cum veritate habeatur *Leg.* 26 *ff de reg. jur. Surd. decis.* 110 *num.* 15; *et S. Rdta decis.* 3 § 2 *cor. Falconer. tit. de offic. ordin. Romana Immissionis seu Reintegrationis* 9 *Martii* 1807 *cor. Emo Isoard*; *Romana Solutionis Quarti* 22 *Junii* 1827 *coram Eod.* § *ult.* cum impediat quominus in discrimen adducere liceat, quod per ipsam definitum invenitur. *Leg. ait. Prætor. ff de reb. judic. Leg. Precum codic. de lib. caus.* implicito suæ validitatis statu per cursum temporis numquam dimoveri potest, cum semper agenti opponi possit exceptio litis finitæ, quæ peremptoria est, donec a Supremo Principe restitutio in integrum indulta fuerit. *Decis. Romana qualitatis hæreditariæ* 17 *Aprilis* 1818 § *fin. cor. Emo Marco*; *Romana seu Maceraten. præstationis* 5 *Maii* 1820 § *ult. cor. Eod.* At Restitutionis Beneficium nec petierunt excipientes Fratres, nec petitum concedi iis posset, cum ei non fiat locus contra acceptatam Sententiam, veluti *post text. in Leg.* 5 *Cod. de Reb. pact. Judic.* semper tenuit S. N. Ordo præcipue in *Decis.* 80 *num.* 3 *cor. Caprara, Decis.* 481 *num.* 3 *coram Riminaldo, in Leodinien., seu Colonien. Jurisdictionis* 5 *Maii* 1752 § 2 *cor. Bussio in Romana Cambii* 21 *Junii* 1755 § 3 *coram Barull. et in Romana societatis super liquidatione quoad reservatos* 9 *Maii* 1757 § *final. cor. Eodem.*

Levissima tandem videbatur postrema exceptio respiciens renunciationis nullitatem ob defectum auctoritatis Oeconomi. In proposito PP. Mci dum satis probatum vicebant, quod Oeconomi deputationem petierint Dasti, non æque compertum videbant, quod ipsamet deputatio per assuetas affixiones publici Juris facta fuerit. Si igitur interdicti cujusve obligationes quoad tertios consistunt; quoties interdictis edicta publice adfixa non fuerint *Leg. Si pupillus* § *de quo et proscribere ff de Justit. Act. Paulus Decastro in Leg. Is cui bonis ff de Verbis oblig. numer.* 11. *Fachineus controv. Juris lib.* 2 *Cap.* 68 fortius id obtinere debet in casu, cum oblatis precibus favorabiliter rescriptum fuerit, expressa adjecta conditione, quod Oeconomi deputatio obligare tantum deberet = *affissa, e publicata, che sia nei Luoghi soliti* =. Nec utiliter objiceretur Bartholomei scientia de Oeconomi deputatione. Præmisso enim quod in præjudicialibus ea non supponitur, dato quod ea polleret Bustellius, non exinde descendit asserta renunciationis nullitas. Is enim cum videret Oeconomum alibi degere cum in diem videret Dastios contractus inire absque ipsius Oeconomi præsentia, atque consensu (quorum profecto contractuum per id temporis a Dastios absque Oeconomo celebratorum plures in hoc novo periculo Bartholomeus ad acta detulit) rite recteque præsumere potuit quod illius Officium cessasset, idque eo vel magis quia ignorabatur an perpetuum, vel precarum Dastii requisivissent Oeconomum, quem juxta preces Sanctissimus Princeps deputaverat. Insuper deputatio Oeconomi ex jure non semper odiosam secumfert interdictionem, sunt enim Oeconomatus, atque interdictio duo inter se longe diversa, nec unum alterum necessario sequi videtur, cum sæpe Oeconomus alicui detur ut ipsius consilio adjuvetur in negociis agendis, non vero ut rei suæ administratio ei intercipiatur, prout advertit S. Ordo

in Romana Donationis 21 *Junii* 1756 § 6 *coram Stadion.*, *in Cœsenaten. transactionis* 5 *Martii* 1819 § 16 *coram Emo Marco*, in *Romana nullitatis Contractus* 1 *Februarii* 1833 § 5 *coram Emo Spada*. Ex quo sequitur quod ex scientia, quam Bartholomeus habuerit de Oeconomi depntatione, ac existentia nulla dari valet illatio ad scientiam interdictionis.

6 Verum dato etiam quod Oeconomi deputatio publice, ut par erat, affixa fuerit: dato quod ea perpetuam Angeli et Dominici Antonii, quos unice respiciebat, interdictionem absolutam secumtulerit. non exinde tamen necessario descendit, quod objecta Oeconomi absentia impedire debeat quominus hodie Res judicata exequutioni cum expeditione mandati committatur. Objecta enim nullitas unice respiceret personam Angeli, et Dominici Antonii, qui proinde uni illam allegare potuissent, minime vero eorum hæredes, nisi saltem ab auctoribus querela, exemplo mulierum, et minorum præparata fuisset. *Constan. ad Statutum Urbis Annotat.* 48 *Artic.* 6 *num.* 720 *Rota in recent. decis.* 224 *num.* 6 *part.* 14 *in Romana Census* 3 *Julii* 1764 § 2 *coram Olivatio*, *in Ferrarien. Pecuniaria* 21 *Junii* 1822 § 8 *cor. Emo Isoard*. At in casu non solum haud videbatur parata ab Angelo, et Dominico hæc nullitatis quærela, sed compertissimum e contra et huic personali juri ipsos valedixisse, dum renunciationem ratam habuere, et rem judicatam ex ea ortam executioni commiserunt quo in casu hæredibus semper vetitum est impugnare, quod eorum auctores adprobarunt ad monita *citati Constantini loco cit. Art.* 7 *num.* 12 *Rota Decis.* 479 § 16 *cor. Molines*, *Romana nullitatis prorogationis affictus* 28 *Aprilis* 1828 § 6 *coram Emo Gamberini*, *et in Verulana succesionis* 3 *Julii* 1820 § 6 *cor. Me.*

7 Postremo duplex animadversio præsentem controversiam omnino absolverat. Altera ex his descendit ex jure, quod Dasti de nullitate queri hodie prohibetur ex ratione, quod eidem nullitati causam ipsi præbuere, quando abs- Oeconomi interventu eamet judicia instaurarunt, et continuo prosequuti sunt, quibus postea absque interventu pariter Oeconomi renunciarunt. *Reg. illicitae* 10· *ff. de reb. coram quid interd. S. Rota in Recent. dec.* 223. *num.* 16 *cor. Cerro. Decis.* 134 *numer.* 20. *cor. Lancetta.* Altera facti, quod Angeli et Dominici Antonii interdictio afficere non potuit contradicentem Josephum, qui cum ab anno 1810 uxorem duxisset, a patria potestate eo ipso solutus abiit, ita præcipiente Gallica Lege tunc vigente *Artic.* 479 *et Duranton Corso di Dir. Civ. lib.* 1 *tit.* 160. *sez. num.* 651. At cum una cum suis auctoribus renunciationem ediderit etiam Joseph cum eam editam collaudaverit scriptis ad Bartholomeum epistoliis, cum pluribus agnitionibus ad postrema usque tempora protractis nomen erga Bustellium suum fecerit, cum onus hoc hacreditarium utrumque opponentem fratrem eaque pergravet impedire idcirco nequeunt, quominus Bartholomei favore executivum mandatum decernatur, ut ipse de facto recipere valeat quod inutilibus verbis pluries ipsi polliciti sunt. Hujusce argumenti vim adeo videbant ipsimet Dastii ut, cum ab ea se se extricare nequirent in petendo novæ audientiae beneficio, futile susceperunt consilium denegandi qualitatem hæreditariam, et contendendi quod Joseph sub patria potestate degeret, quando renunciationi, et iteratis ratihabitionibus, confessionibusque debiti vacavit; quae duo cum hodie Bartholomeus diluerit opportunis adductis documentis et inconcussa manet argumenti vis, et fides non bona talia propiuantium compertissima fit. 8

Quod denique pertinet ad expensas, Nullum adesse potest dubium, quod ipsæ a fratribus Dastiis refundendae sint stante explicita earum promissione, et attenta peculiari Renunciationum indole, quæ semper importat earum refusionem, veluti aperte sancitum legimus in § 915 vigentis praxis, et fusius exponibur in § fin superioris meæ Decisionis, quae confirmatur.

Et ita etc. Altera tantum.

---

## CORNETANA PECUNIARIA

*Veneris 7 Aprilis 1837.*

### ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

#### SUMMARIUM

1. *Non melior datur probatio, quam ea, quae ex proprii oris confessione dimanat.*
2. *Qui aut frumentum, aut pecuniam praestare promisit, potest ad proprium libitum, aut unam rem, aut alteram praestare*

### DECISIO DXXXIII.

Trajectitiam cambialem litteram, quam Angelus et Dominicus fratres Dasti favore Aloysii Boscaini obsignaverant, acceptavit Joseph Biasi, sperans debitores ante diem solutionis pretium ipsius litteræ ad se transmissuros. Cessit dies, et cum promissis non stetissent fratres Dasti, coactus proinde fuit Biasius de proprio Boscainio numerare scuta 837 20 quot adamussim importabat ipsamet Cambialis litera; Ne vero Biasius ea, quam solverat, pecuniæ summa periclitaretur, die 17 Februarii 1826 privata scripta fuit syngrapha, in qua Debitores Dasti creditum ipsum præ primis agnoverunt in quantitate scutorum 970, quorum 837 20, pro dimissæ cambialis pretio, 132 80 vero = *in salda di altrettanto ad esso dovuti dietro una liquidazione amichevole* =; deinde illud ratatim dimittere promiserunt per pretium promercale retrahendum a viginti rubris frumenti, quæ ex pacto tradere quotannis de Mense Decembris spoponderunt vel ipsi Biasio vel alio cuilibet emptori usque ad ipsius nominis extinctionem. Ut firmior fieret promissio, contractui, uti solidales fidejussores, accesserunt Joseph et Paulus Dasti Angeli filii, et Dominici ex fratre nepotes.

At promissis Debitores haud steterunt; alter enim et sequentes lapsi sunt anni, quin promissa frumenti rubra ipsi traderent. Bonis officiis haud pepercit Blasius, ut Josephus, et Paulus, defunctis interim originariis debitoribus Angelo, et Dominico, susceptam adimplerent obligationem. Sed cum omne in irritum abiret, judicialiter contra eos agere debuit coram Centumcellarum Tribunali, instans, ut terminus eisdem præfigeretur ad traditionem frumenti demonstrandam, quo inutiliter elapso postulavit, ut ad solvendam debitam scutorum 970 quantitatem damnarentur. Quod petiit, obtinuit. Provocaverunt Dasti ad Sacrum Nostrum Ordinem, et cum mihi commissa fuerit haec causa sollicitus fuit hoc mane illius judicio subjicere concinnatam Dubii formulam = *An sit locus solutioni ita ut, et pro qua summa sit relaxandum mandatum in casu etc.* = cui Patres, vadimonium deserentibus fratribus Dasti, rescriberunt = *pro Informante, nempe affirmative et esse relaxandum mandatum pro scutis* 970.

Nec certe diversum esse potuisset 1 S. Ordinis judicium, si Dasti suam Defensionem parassent. Perperam ipsi adducere in discrimen valuissent Biasii creditum, de quo dubitari nequit nec in genere, nec in specie, nisi per Debitores Dastios prius haud probetur annuas sese persolvisse conventas pensiones. Reapse creditum, de quo quæritur, pro quantitate argenteorum 837 20 exsurgit ex pretio cambialis literæ, quam Biasius a Dastiis rogatus favore Aloysii Boscaini dimiserat die 31 Januarii anni 1825, pro residua vero scutorum 132 80 quantitate exurgit a præcedenti credito = *di altrettanti al medesimo daruti dietro una liquidazione amichevole trà loro concordata, e stabilita di ogni, e qualunque affare avuto insieme fino al presente giorno,* = veluti apertissime ipsimet Dasti confessi sunt in privata memorata syngrapha diei 17 Februarii anni 1825, in qua quoque, qualibet remota exceptione, integri ipsius nominis solutionem promiserunt. Si igitur nulla datur sincerior, ac expeditior probatio, quam illa, quæ ex scripturis promanat *Decis.* 114 *num.* 2 *coram Otthobon.*, si doctis indoctisque compertum est non meliorem dari probationem, quam eam, quæ

Digitized by Google

ex proprii oris confessione dimanat teste *Decis.* 34 *numer.* 4 *coram Lancetta et* 525 *numer.* 5 *coram Eod. Decis.* 152 *num.* 30 *coram Olivatio, Romana simulationis, et nullitatis contractus* 11 *Maii* 1821 § 8 *coram Isoard.* Dubitari utique nequit de ipsius Blasii credito tam in genere, quam in specie, sicuti dubitari nequit quod ad ipsius solutionem teneantur Joseph et Paulus Dasti, non solum quia debitorum hæredes sunt, sed quia solidali etiam fidejussione spoponderunt ipsius summæ solutionem,

2 Male autem ipsi objicerent, quod frumentum ex pacto quotannis tradendum fuisset, non autem pecunia, proindeque actionem male promotam fuisse ad obtinendam pecuniæ solutionem. Putidum sane diverticulum PP. Meis videbatur hæc exceptio, statim ac viginti frumenti rubra *demonstrative* adsignata videbantur, dum vero non ipsa, sed eorum pretium Blasio tradendum annuatim erat in partiariam sui crediti imminutionem. Apertissimum enim est pactum quo debitores inscripta Syngrapha promiserunt – *il prezzo che risulterà dalle sudette Rubbia cento di grano* =. Si frumenti igitur pretium et non frumentum ex pacto tradendum erat, si alterutrum præstitutum haud fuit, evidens videtur promotæ actionis justitia cum nil æquius sit, quam pacta conventa servare, ad ea quæ clamabat *Prætor. in Leg.* 7 *ff. de pactis in Leg.* 29 *Cod. Eod.*

Et ita etc. altera tantum.

---

## FERRARIEN PECUNIARIA

*Lunae* 6 *Martii* 1837.

### ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae revocatur – DECISIO XXXIV. –

#### SUMMARIUM

1. *Confessus debitor habentur, qui compensationem urget.*
2. *Crediti etiam illiquidi proponi potest compensatio, ut reo tempus detur ad necessarias adducendas probationes, ut de illiquido liquidum per edendam sententiam efficiatur.*
3. *Ubi contendentes mutua petitione decertant, Judex super utraque debet contextim sententiam ferre.*
4. *Non istrumentis res geruntur, sed in iis tantummodo rei gestae testimonium continetur, ita ut prohibitum haud sit, contrarium evincere.*
5. *Qui contrariam affirmationem non impugnat, silentio suo adprobare videtur.*
6. *Praesumi nunquam potest, quod Isdraelitae, fructus cambii oscitanter negligerint percipere*
7. *Si creditum sancitum fuit per rem-judicatam, nequit amplius in discrimen revocari.*
8. *Confessiones scatentes ex responsionibus ad positiones, plenissime probant.* – Et num. 9. –
10. *Responsiones datas positionibus, scindi haud possunt.*
   *Limita ubi adjectae responsionibus qualitates, extraneae sunt, vel confessam veritatem subvertunt – ibidem.* –
11. *Incredibile est, ut qui debitor se constituit ergam aliquem, verbum non effudiat de praeexistenti suo credito.*
12. *Ubi ex utraque parte concurrit debitum et creditum, est admittenda compensatio.*

### DECISIO DXXXIV.

Ob plura socialia negocia inter Josephum Mazza, atque Ferrariensem Mercatoriam Rationem Isdraelitae Davidis Coen intercessa, dispunctis rationibus, creditrix renunciata dicta Ratio fuerat scutorum 4632 73 quae Instrumento diei 13 Februarii 1810 Joseph ratatim dimitsere spoponderat. At cum inde in solutionibus explendis defecerit, anno 1827 lacessitus fuit apud Bononiae Praetorem, ut nominis solutionem conficeret in residua vi argenteorum 3552. Dividis creditum Joseph non est inficiatus, opposuit tantum compensationem cum majori summa scutorum 4224 87, quam Comiti Lucchesini ipsemet persolverat ad eum reintegrandum de fructibus decursis, et de sorte crediti eam aliis sui nomine pro mercatoria Ratione contracti a die usque 17 Octobris anni 1806. Reconventionali actione petebat insuper, ut sui favore mandatum relaxa-

retur pro nummis 632 6 4, quot post compensationem sibi debita supererant. Quod petierat Joseph, concessit Praetor Bononiae, cujus judicium reformavit Appellationis Tribunal. In utriusque sententiae conflictu causa ad Sacrum Nestrum Ordinem conscendit et et frustra dilationem implorante Josepho, in Comitiis *diei* 3 *Maii Anni* 1834, rogante R̃m̃o P. D. Meo Spada nunc amplissimo Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali, pro infermantibus haeredibus interim defuncti Davidis dirempta fuit. Rursus die 9 Februarii 1835 in Josephi colluctatione Rescriptum prodiit = *In Decisis* =. Sed ex indulta iterum obloquendi venia cum Josepho melius explicare facta datum fuerit, contigtt, quod ego hac mane proposito assueto Dubio = *An sit standum vel recedendum a Decisis in casu etc.* =, responsum retulerim = *Recedendum a Decisis* =.

1 De Davidis crediti existentia, ac quantitate nullum excitatur dubium cum non modo illud Joseph unquam inficiatus sit, sed imo eum hodie admitti videtur, stante compensationis petitione: Comperta quippe juris regula est confessum debitorem haberi, qui compensationem urget ad tradita *per Rota in Decis.* 108 n. 9 *coram Eminentissimo Isoard* et alibi passim. Nullum item adest dubium, quominus Joseph Mazza Comiti Luchesinio scuta 4214 87 persolverit. Quaestio proinde tantum in eo residet, an ex ea solutione creditum exsurgat favore Josephi quod possit cum credito actorum compensari, scilicet videndum tantum est, an idem Joseph ea solutione proprium extinxerit nomen, vel potius debitum mercatoriam Rationem gravans dimiseeit ita, ut ei jus sit reintegrationem persolutae summae petendi. Praecedentes editae Decisiones, et recens Davidis defensio, initi Instrumenti literam prosequentes in discrimen revocabant Josephi crediti existentiam, et petitam proinde denegabant compensationem, notissimæ innixae praecipue Legi *Ult. Cod. de compensat.* quae illam haud admittit, quoties cum credito certo et liquido incertum alterum, et illiquidum concurrat.

At Patres Mei dum facile cum Davide consentiebant circa inconcussum invocatae Legis censuram animadvertebant, quod ea bene quidem procedit in casu, quo reus primo negavit debitum, et deinde pene convictus ad solutionem declinandam compensationem allegavit: Minime vero obtinet, ubi a Reo convento compensatio in litis exordio opposita fuerit, cum a debiti probatione actor per illius confessionem liberetur. Inducta hinc in foro regulae limitatio videtur, nempe, ut crediti etiam illiquidi proponi possit compensatio, ut reo temporis spatium dandum sit ad necessarias adducendas probationes, ut de illiqnido liquidum per edendam Santentiam efficiatur objectum creditum. *Donell. Comm. in Cod. lib.* 4 *tit.* 31 *Leg. ult. de Compens. Tom.* 8 *pag.* 355 *num.* 12 *Edit. Maceraten., Vinnius in Instit. lib.* 4 *Tit.* 6 § 30 *num.* 1 *Bruneman. Comm. in Pandectas lib.* 26 *Tit.* 2 *Leg.* 5 *n.* 6. 2

Quæ profecto regulae limitatio fortius attendenda in casu videbatur ex eo, quod Joseph non solum compensationem objecit in litis exordio, verum etiam quia reconventionali actione egit ad solutionem obtinendam scutorum 652 64, quot sui favore supersunt post compensatum Davidis creditum. Incontroversum enim est, quod quando contendentes mutua petitione decertant, oportet Judicem super utraque contextim, et non seorsim, ut minus recte a Mercatoria Ratione propugnabatur, sententiam ferre, alias nullius momenti est sententia ad ea quæ docet *cit. Donnellus lib.* 17 *Cap.* 16 § 13 *Tom.* 4 *Pag.* 1308 *Carcer. Var. Resolut. Cap.* 13 *de Reconvent. num.* 9 *et* 30 conveniente in id etiam *Decis. ex adverso citata in Recent. Part.* 6 *Decis.* 209 *num.* 11. Accedebat insuper animadversio damnorum, quæ Josepho imminerent, si dimittere creditum Rationis Mercatoriæ hodie cogeretur. Obventa jam Mensæ decoctio quamlibet Josepho adimit spem assequendi in posterum sui crediti reintegrationem. Quo in themate facilius crediti licet illiquidi admittendam esse compensationem docet *Bruneman in leg. ult. Cod. de Com-* 3

*pensat.*; præsertim cum res sit de mercatoribus, quos inter bonum, et æquum potius quam rigor adeo sequimur, ut eorum favore juris ministerio iuducta semper censeatur cumpensatio ad ea quæ animadvertit *S. N. Ordo in Nuperrimis Tom.* 1 *Decis.* 14.

4 Ab hisce juris regulis nec abhorrebat David in exhibita sua Defensione. Potius contractus anni 1806 cortici inhærens, cum cambium, de quo quærimus, Josephi nomine contractum in eo legatur, strenue propugnabat controversum nomen eidem Josepho spectare debere, cum rationabiliter præsumi nequeat Josephum constituere se debitorem voluisse erga Cæsarem Lucchesini, quin ullam ante referret Antapocham, quæ probaret ipsius Rationis commodo proprium nomen mutuum dedisse. At Patres Mei de plano comperiebant, quod adamussim ob id, quod contractus Josephi nomine initus apparebat, et ob antapocæ defectum præsens agitatur controversia, in qua unice videndum est, an reapse Joseph suum tantum nomen favore Argentariæ Rationis commodaverit. Sit utique quod publica instrumenta veritatis præsumptionem secumferant, sed æque incontroversum est, quod non instrumentis res geruntur, sed in iis tantummodo rei gestæ testimonium continetur, ita ut probibitum haud sit adductis probationibus contrarium evincere *ad Text. in leg.* 12 *Cod. de Probat.*, cui adhæret receptissima in foro juris regula magis rei veritati, quam scripturæ spectandum esse. *leg.* 10 *Cod. de Donat.* At in casu gravissimæ ex concurrentibus facti circumstantiis erumpebant probationes, quæ evinciebant Lucchesinii Cambium Josephi nomine tenus creatum, reapse excipienti Davidi pertinuisse.

5 Revera ea Mercatoria Ratio Creditori fructus Cambii per decem, et ultra annos persolvit, quin reintegrationem a Josepho unquam expostulaverit. Cum dies cesserit restituendæ sortis, ipsa die 9 Novembris anni 1810 inscio Josepho, dilationem a Creditore petiit, obtinuitque. Lacessita tandem coram Judice, ea una, non Joseph anno 1816 damnata fuit ad ejus capitis restitutionem, qua occasione executionem quoque passa est, quin liberationem exposceret a Josepho. Quin imo cum postea Joseph ob hujusce exequutionis inefficaciam in judicium a Comite Lucchesinio raptus fuerit, is mercatoriam Rationem accivit pro liberatione ab ea molestia assequenda, et David per deponentem Angelum Parma suum Causidicum annuere non dubitavit patulam sibi esse = *la ragionevolezza della domanda di Mazza, ma che nel momento non poteva quella assecondare* =. Quæ responsio Lucchesinii declarationi ab anno usque 1816 emissæ plene etiam congruebat. Cum enim ipse ad obtinendam Cambii restitutionem Coenio diem dixisset, prout superius monnimus, coram Judice solemniter fassus est, qualiter = *la sovvenzione, e la proroga furono accordate ad istanza della sua Ditta, e non già del Mazza che mai non vidde, ne conobbe fuori dell'unica volta che comparve per la stipulazione dell'Istromento ecc.* = Hujusmodi vero affirmationem cum Coenius unqnam impugnaverit, merito concludi potest, quod ipse silentio depositionis veritatem adprobare prætulerit. 6

Confessiones insuper judiciales accedebant. Reapse cum foro cesserit Mercatoria Ratio, David Coen, et Beniaminus Pesaro die 17 Octobris anni 1817 ad acta Tribunalis Ferrariæ attulerunt = *il bilancio originale dello stralcio della Ditta Felice Coen contenente l'attivo, e passivo* =. Dum inibi inter passiva Rationis nomina Lucchesini Cambium relatum fuit, nullum inter credita excidit activum nomen contra Josephum, quod fieri certe nequivisset, si mercatoria Ratio, ut insinuare tentat, tantummodo fidejussisset. Nec placere PP. Meis potuit replicatio pro excusanda isthac omissione, quod scilicet recenseri Josephi debito nomen illud nequiverit, quia nondum rationes cum eo dispunctæ fuerant. Quin enim adductæ excusationi fides haberetur, obstabat praecipue animadversio, quod cum Josephi debito relata obverentur scuta 13138, facile referri etiam

petuissent argentea 1575, si reapse debita a Josepho fuissent, praesertim cum concipi nequeat, quod Isdsaelitae, qui sedulo suas res curare assolent controversum cambium, et respondentes fructus tam oscitanter negligere potuerint.

7 Nec meliori omine obmussitabatur controversum Creditum insertum censendum esse in praecitata scut. 13138 quantitate. Misso enim, quod patula est contradictio inter utramque allatam excusationem, PP. expendebant, quod cum non constet, de asserta comprehensione, excipienti Rationi (quae ex notissimis in objectione fiebat actrix) onus incumbebat inclusionem ejusmodi perspicuis, necessariisque probationibus commostrandi. At opportunis istis probationibus deficientibus, excludere cambii comprehensionem PP. Mei rati sunt, coeteris præcipue suadentibus facti circumstantiis superius enucleatis. Attamen si etiam includere illud placeat, non exinde melior fit excipientis conditio. Porro anno 1830 cum Ratio Mercatoria egerit contra Josephum pro condicenda ea pecuniæ quantitate, Prætor Bononiæ sub die 17 Septembris rejecit instantiam, et a qualibet solutione extorrem declaravit Josephum. Ex quo aperte descendit, quod si inclusum in petita quantitate erat Lucchesinii cambium, perspectum Judici apparuit Josephi debito illud referri haud posse, proindeque ipsum absolvendum, prout absolvit a petita illius restitutione. Cum vero ab ea sententia haud provocaverit actrix, ortum habuit resjudicata, quæ mensæ impedimento est, quominus negare amplius valeat haud se gravare cambium, de quo disputatur.

8 Accedebant judiciales aliæ confessiones scatentes præcipue ex responsionibus, quas Abraham Coen dedit positionibus ei oblatis ad effectum cognoscendi, cuinam Lucchesinius mutuam dedisset pecuniam. Inficiari ipse haud potuit, quod recepta pecunia in arcam mercatoriæ Rationis reapse venerit, licet falsam addiderit causam, quod expleta ipsius pecuniæ traditio fuerit = *all'oggetto di formarne un qualche fondo per la condotta dell'Amministratore Marescalchi per la quale la Ditta era sicurtà solidale* =. Falsam iniquam causam; facta enim momentosissima probabant invicte respondentem Abrahamum (alias de mendacio convinctum) contra veritatem suæ confessioni eam adjecisse qualitatem.

Et quidem advertebant in primis PP. Mei quod die 24 Martii 1804 solidali intercedente Mercatoriæ Mensæ fidejussione pro annua conventa pensione scut. 11800 retrocessionem sui favore obtinuerat Joseph bonorum Comitis Marescalchi, quæ ex conducto retinebant Leonesi, Fabri, et Tattini. Perpendebant quod diebus 11 Aprilis 1805, et 6 Junii 1806 idem Joseph cessa bona cuidam Lellio, et Lucarellio sublocavit pro majori conventa annua mercede scutorum 13200, quæ quotannis ex pacto speciali fidejubenti Rationi directe numeranda erant non tantum, ut in suscepta obligatione tuta ipsa deinceps fieret quantum etiam = *per rimborsarsi dei sborsi fatti, e da fare* =. Animadvertebant, quod die 5 Novembris anni 1806 utilia ex cessa administratione derivata ad non leve compendium scutorum 19316 pervenerunt. Dum enim Rationis indemnitati quoad præteritum providerant hæc lucra, quæ penes ipsam Rationem adservabantur, in futurum satis superque cauta ipsa videbatur ex præcitato contractu cum Lellio, et Lucarellio inito modo, ut posteriori tempore, scilicet anno 1812, ipsamet Ratio renuere haud potuerit, quod a præfatis conductoribus discrimen inter conventas pensiones intercedens libere eidem Josepho persolveretur in præfinitis menstruis nummis 133 33. At cambium Lucchesini initum cum fuerit posteriori tempore, scilicet *die* 27 *Octobris Anni* 1806 probatissimum ex narratis factis erumpebat Abrahami mendacium, quod Joseph illud contraxerit = *ad oggetto di formare qualche fondo per la condotta Marescalchi* =. Cum hæc anteriori tempore Lellio et Lucarellio sublocata fuisset explicita sub conditione, ut major conventa pensio a sub- 9

conductoribus eidem Mensæ directe numeraretur, quodlibet recedebat periculum in posterum ex præstita fidejussione a Mensa ipsa verendum; propterea que omnimoda exulabat necessitas parandi = *un qualche fondo* = pro futuro ipsius conductionis exercitio.

10 Perperam vero rei veritatem ab huc usque expositis factorum circumstantiis juniter firmatam, corroboratamque convellere David nitebatur invocata juris regula, quod responsiones datæ positionibus per Actorem Reo Convento exhibitis scindi haud possint, sed cum suis qualitatibus accipi, ac retineri debeant. Regula hæc tutissima, quoties adjectæ qualitates connexæ, nec avellendæ a confessione videantur, limitationem patitur, ubi eædem qualitates ære quæsita extraneæ appareant, vel confessæ veritatis subversionem ferant. Sac. Rota *in Decis.* 158 *num.* 3 *coram Ludovisio in Romana Locorum Montium super Amotionibus* 16 *Februarii* 1753 § 5 *coram Bussio, in Alatrina Repetitionis indebiti* 9 *Februarii* 1753 § 7 *coram Elephant., et in Romana Honorariarum , et Expensarum diei* 6 *Maii* 1795 § 4 *coram Resta*. Reapse duo in casu dissita prorsus sunt, pecuniarum versio in mensæ argentariæ arram, et causa, quæ illius versioni appingitur; altera absque alterius concursu consistere valet. Appicta proinde causa scindi non modo potest, sed prorsus debet, statim, ac ipsius causæ mendacium ex factorum serie sedulo huc usque recensita luculentissime erumpit.

11 Nec PP. Mei censuerunt in pretio habendum esse quidquid debitores Coenii obmussitabant circa ipsios Josephi crediti, ut dicebant, incredibilitatem, attento, quod anno 1810 ipse solemnibus initis tabulis debitorem se constituerit erga agentem mensam in non levi sc. 1632 73 quantitate, quin verbum effuderit de præexistenti suo credito ob commodatum proprium nomen in re Lucchesinii. Objectam enim incredibilitatem facile diluebat animadversio, quod Joseph debitorem erga argentariam mensam Coenii reapse se constituit *die* 13 *Februarii Anni* 1810 antequam scilicet molestiæ obmotæ fuissent a Lucchesinio, qui anno tantum 1817 judicialiter agere incepit. Cum a die initi cambii usque ad præfatum annum 1810 uterque optima fide retinuerit uni mensæ spectare cambium de quo quæritur, pro quo decurrentes etiam fructus repræsentare semper sollicita fuit Mensa, patens redditur de eo nullam potuisse explere mentionem Josephum, qui in ipsius mensæ honestate suspicari haud poterat ipsam in posterum de abjiciendo a se debiti pondere cogitaturam, ut de eo immeritum Josephum oneraret.

Utrinque igitur concurrente debito, 12
et credito, statuerunt PP. admittendam esse petitam a Josepho compensationem, cujus favore insoper damnari censuerunt Rationem Mercatoriam a solutionem scutorum 623 6 4 prout reconventionali proposita actione idem Joseph expostulaverat.

Et ita etc. Utraque etc.

---

# PERUSINA

### MANUTENTIONIS ET REINTEGRATIONIS

*Veneris 6, Martii 1837.*

## ARGUMENTUM

Possessio bonorum, quae uxor propriis pecuniis acquisivit, semper penes ipsam manet, quamvis eius vir custodiae, et administrationis causa, bona ipsa retineat. Aliud siquidem in jure est possidere, longe aliud in possessione esse.

### SUMMARIUM

1. *Civilis possessio nunquam stat penes virum, qui custodiae, et administrationis causa bona uxoris retinet.*

   *Aliud est possidere, aliud in possessione esse - ibidem. -*

2. *Praesumptio juris semper stat pro contractus validitate.*

   *Ad eliminandam quamlibet turpis quaestus suspicionem, res quae sunt occultae originis, in uxorem pervenisse ex mariti liberalitate praesumuntur - ibidem. -*

3. *Causa simulandi non solum probata esse debet,*

*sed insuper omnium, qui actum simularunt, interesse respicere debet.*

4. *Vaient hodie donationes, inter virum et uxorem, vel si juramento munitae sint, vel si in eadem voluntate donator usque ad obitum perseveraverit.*

## DECISIO DXXXV.

Apud Avunculum D. Fulvium De Angelis in pago Montis Petrioli morabatur Theresia Lanzetti, sagax, ex prompta puella, quæ eo vidente, et ad probante, non improspera fortuna parvas exercere negociationes assolebat. Ipsius Paroci famulatui addictus reperiebatur Franciscus Chiatti laboriosus Juvenis, cui connubio jugare neptem Fulvio placuit, tradita ei in dotem quadam domuncula, et prædiolo in Vocabulo *Fonte veggio*, quod tamen ipsamet Theresia sibi comparaverat ex lucris ex acta negociationo congestis. Cum initi matrimonii onera in sa avunculus suscepisset, utilius conjuges attendere potuerunt negociis, quæ tam prospere processere, ut in diem nonnulla terræ frustula emere valuerint. Cum vero pro variis ineundis emptionibus pecuniam peculiariter suppeditasset Theresia, haud omisit Franciscus ejus nomine contractus inire, quod frequenter, contigit post obventum Fulvi obitum, cujus hæreditatis compendium neptis assequuta fuerat.

Quatuor ex eo conjugio prodiere filii masculi Alexander, Maurus, Celestinus, Salvator: Dum postremos Parentes domesticis curandis negocis addixerant, nil impensum reliquerunt, ut duo primi liberaliter instituerentur. Ex quo evenit, ut Franciscus moriens, condito extremo suo elogio ad formam Decretalis Alexandri III in Capitulo *Cum esses etc.*, æqua lance hæredes instituit quatuor liberos, prælegato bonoratis Salvatore, et Celestino qui dum familiæ, nullius fuerant impensæ, ipsius e contra constanti sua upera permaxime fuerant utilitatis. Domesticæ dissentionis signum prætulit hoc legatum. Paternis enim derelictis laribus Alexander, et Maurus herciscundæ familiæ judicio egerunt contra fratres et Matrem, nullitatem insuper petentes paterni testamenti. Sed contrariam experti sunt judicii aleam. Haud fracti arma tunc in Matrem converterunt, vadimoniu ei indicto die 15 Decembris 1829 coram Perusino Prætore ad obtinendum, ut emptiones a defuncto Parente uxoris nomine constante matrimonio actæ, declararentur pertinere ad Patris hæredes, proindeque sui favore manutentionis, seu reintegrationis Mandatum relaxaretur. At promotum judicium prosequi interim ipsi haud curarunt. Liberum oxinde fuit Matri die 10 Septembris insequentis Anni publicum donationis Instrumentum obsignare favore Salvatoris, et Celestini, in quo intercedente jurisjurandi religione sibi pleno dominii jure spectare bona donata solemniter fassa est.

Pacifice id viderunt Alexander, et Maurus, et in jugi silentio perseverarunt ad annum usque 1835. Quo tempore Matrem inspicientes senectute, et morbo confectam, solliciti fuere de prætermisso judicio instaurando, propositis oer speciale libellum Positionibus super provenientia pecuniæ, qua controversorum bonorum pretium persolutum fuit, ut eisdem ottuagenaria Anus responderet. Pronas eorum votis præbuit aures Prætor Perusinus, sed ex interposita appellatione, ad S. N. Auditorium utraque causa delata fuit, et ejus definitioni per me proposita hac mane fuit distinctis dubii formulis. Quoad principem vero causam, Dubio = *An sit locus manutentioni, seu reintegrationi in casu etc.* Responsum datum fuit = *Negative in omnibus.*

Quicumque ad bonorum possessionem se reintegrari, vel in ea manuteneri expostulat, ex jure ipsam possessionem sibi competere, et injuste ab alio detineri præ primis probare tenetur. *Menoch. de recup. poss. rem.* 15 n. 13, *S. Rota cor. Falconerio Dec.* 17 n. 5 *in Miscel. Dec.* 61 n. 1 *cor. Olivat. et in Romana Reintegrationis* 27 *Jan.* 1829 § 6 *cor. me.* At in defectu cujusvis possessionis agentes, Laurentius et Maurus perperam sibi suadebant ad petitam obtinendam manutentionem satis esse materialem quamdam posses- 1

sionem, quam forte mortis tempore eorum Parens retinuisset *Leg. cum Miles* 30 *ff ex quib. causa maj.* vel habendi jus illi competere potuisset *leg.* 135 *ff de acq. vel amit. posses.* In facto enim cum constaret controversorum bonorum dominium a Theresia propria pecunia adquisitum fuisse, ex juris principiis consequens erat, quod apud ipsam staret etiam civilis eorum possessio, numquam autem apud Virum Franciscum, qui materialiter tautum custodiæ, et administrationis causa bona uxoris retinuit. Cum vero aliud sit possidere, longe aliud in possessione esse *leg.* 10 § 1 *ff de acq. posses.* perspectissimum PP. habebant nullum competere potnisse viro titulum super administratis bonis, quo opitulari ejus filii hodie valeant ad obtinendam manutentionem, et reintegrationem indebite per eosdem petitam.

2 Nec sana ratione excipiebant agentes fratres bona nomine Theresiæ empta eidem pertinere haud posse ex ratione, quod ea adepta fuerint de ipsius viri pecunia, eoque mortuo, perinde uti hæreditaria illa esse retinenda, et venire oportere in promoto herciscundæ familiæ judicio. Quippe gratis id omne asserebatur. Contra enim publica adsunt instrumenta quæ non solum probant controversa prædiola empta fuisse nomine ipsius Theresiæ, sed probant quoque ipsius pecunia solutum fuisse eorum pretium. Donec igitur per opponentes fratres eisdem instrumentis dempta haud sit fides, qua pollent, utpote plene probatum habendum est quidquid in eis continetur, cum præsumptio juris pro initorum contractuum validitate atque veritate pugnet *teste l. Quoties* 18 § *qui dolo ff de probat. et Rom. nullit. contract. diei* 14 *Jun.* 1833 § 8 cor. *Emo Spada.* Quapropter recte potuit Theresia suorum bonorum segregationem obtinere a sui viri hæreditate, et optimo jure de illis donationis titulo in obsequentes filios Salvatorem, et Caelestinum disponere. Nec tanti ponderis PP. Meis visæ sunt quæ simulationis conjecturæ afferebantur, ut indiversam irent sententiam. Quæ enim exagitabantur conjecturæ, prorsus corruebant, semel ac in facto incontroversum est Theresiam, quando cum Avunculo morabatur, prædium emisse nomine proprio, et ære proprio; quid ergo mirum, quod deinde alia prædiola acquirere ipsa valuerit post initum matrimonium, præcipue cum liberalem semper experta fuerit avunculum, cujus tandem hæreditate ditata utilius potuit suas extendere negociationes, et majora sibi parare lucra? Cum ignotæ perinde haud fuerint rationes, quibus pecuniam ad illas emptiones explendas necessariam comparare sibi valuit Theresia, attendenda in casu haud erat dispositio *l.* 52 *ff de donat. inter Vir. et uxor*, quæ ad eliminandum quamlibet turpis quæstus suspicionem quoad res, quæ sunt occultæ originis, honestius censuit præsumere eas pervenisse ex viri liberalitate. Cum hujusce legis censura procedat in casu tantum, quod a muliere non demonstretur, ut unde illas habeat, et extranea e contra sit renuncianda, quoties mulier, prout in casu, probet modum, quo eisdem emptionibus attendere potuerit, consequens est, quod præd. legalis præsumptio veritati cedere debeat, ita monente S. N. And. *in dec.* 3 *n.* 4 *cor. Falcon. tit. de præsumpt. et dec.* 607 n. 2 *et seq. in rec. par.* 1.

Magis autem asserta simulatio exulare videbatur ob cujusve simulandi 3 causæ defectum, quæ profecto causa simulandi non solum justa ac bene probata esse debet, sed insuper utriusque contrahentis commodum respicere, cum unius privata utilitas haud sufficiat, veluti S. N. O. docuit in *Rom. nullit. contract.* 21 *Januar.* 1828 n. 6 *cor. Emo Spada, in Rom. consignat. pecun.* 15 *Jun.* 1834 n. 6, *in Veliterna simulationis contract.* 6 *Decemb.* 1832 § 9 *utroque proposita cor. me.* Hujusce generis haud certe apparebat causa per opponentes fratres allata. Hi enim illam repetebant ex facti circumstantia, quod Franciscus cum a paterna potestate solutus haud esset, timebat, futurum, ut Pater, uti peculium adventitium, bona a filio empta sibi vindica-

Digitized by Google

ret. Cum hic essertus timor unum Franciscum respiciat, ex demonstratis haberi nequit pro rationali causa simulandi. Accedit quod emptiones nonnullæ occurrunt a Francisco proprio nomine expletæ, quæ dum evidenter evincunt jactatæ causæ futilitatem, plene e contra probant quidqnid uxoris nomine Franciscus emit, reapse mulicris pecunia emptum ab eo fuisse et proinde pleno jure dominii Theresiæ competere bone empta, non obstantibus omnibus contrariis præsumptionibus, quæ in rationabilis causæ defectu, nil concludere receptissima est juris regnla, ad ea qnæ docet S. N. Aud. *in Rom. nullit. contract.* 30 *Apr.* 1804 n. 5 *cor. Resta*, *in Sabinen. pecun.* 4 *Jul.* 1832 *n.* 6 *cor. me, et alibi passim.*

4 In pessima tandem hypothesi, quod consteret controversa bona de viri pecunia empta reepse fuisse, non melior fieret excipientium fratrum conditio. Eædem enim emptiones censendæ essent uti ipsius viri donationes in mulierem collatæ, quæ hodie irretractabiles essent, cum Franciscus e vivis excesserit, quin illas revocaverit. Scilicet quamvis ex Veteris juris rigore donationes inter Virum, et uxorem nullæ, ac irritæ essent juxta responsum Ulpiani in *l. Motibus* 1 *ff de donat. inter vir., et uxor.* Attamen mitior a novissimo jure invecta fuit sententia, qua declaratum consistere hujusmodi donationes, quoties solemni juramento munitæ reperiantur, vel in eadem voluntete donator usque ad suum obitum perseveraverit *l.* 1 *et* 10 *cod. eod. t. Oinotom. Inst. lib.* 2 *t.* 7 *de donat. Rocca disp. Jur. c.* 118 *n.* 36 *S. Rot.* in *rec. dec.* 82 *par.* 10 *n.* 34 *et dec.* 295 *n.* 1 *cor. Rezzonico.* Cum autem utrumque occurrat in themate, controversis emptionibus aptanda procul dubio regula esset, quæ procedit etiam in bonis uxoris nomine a viro comparatis, cum uti donata censeantur, prout docet textus epertissimus in *l.* 33 *ff de t. cit.*

5 Tandem cum Alexander, et Maurus Francisco fuerint hæredes, ob hæreditariam hanc qualitatem obstringendi omnino sunt ad præstandum patris factum. *Dec.* 9 *num.* 1 *coram Malvasia,* ad cu'us adamussim eversionem directe tendit judicium ab iis instauratum.

Et ita etc. Utraque etc.

---

## REATINA IMMISSIONIS

*Lunae* 16 *Januarii* 1837.

### ARGUMENTUM

In indiciis de immissione ad fideicommissa, spectanda praecipue sunt verba institutionis, et ubi agnatitium fideicomissum sit, non possunt cognati existentibus agnatis immissionem petere contra votum et voluntatem testatoris.

#### SUMMARIUM

1. *Masculi de cognatione non possunt peti immissionem in fidei commisso, existentibus masculis de agnatione.*

   *In successione spectanda tantum est testatoris voluntas - ibid -*

2. *In dubium revocari non potest agnatitii fideicommissi qualitas, si testator dixit, se ita fuisse,* ut ejus haereditas integra in ejus familia conservaretur.

   *Exclusio faeminarum, et expressa masculorum vocatio cognatium fideicommissum probat - ibid -*

3. *Verba* - che mentre vi saranno i maschi s'intendano escluse le femmine *probant vocationem faeminarum cohibitam fuisse in extremum casum, quod omnes deficerent masculi de cognatione.*
4. *In fideicommisso agnatitio existentibus masculis, cognati nullum jus habent.*
5. *Fulgosii Theorica habet locum quando dubia vocatio fuerit in successione fideicommissi, secus si claro.*
6. *Contra non possidentem vindicatio non datur.*

## DECISIO DXXXVI.

Tria olim fuerunt in Nobili Reatina Familia Leoni agnatitia Masculina fideicommissa, ad quorum compendium, nulla facta linearum distinctione, collective vocati, et simul reciproce substituti fuerunt omnes agnati ex legitima prole mascolina nati, exclusis foeminis, quibus dos tantum erat adsi-

gnanda juxta domus consuetudinem, ac juxta loci temporisque conditionem. Contigit superiori sæculo, quod duo fratres Paulus et Marcus horum fideicommissorum substantiam inter se diviserunt. Sed brevi constitit ea dispertitio ob finitam ipsius Marci Lineam per mortem ejus filii Antonii die 8. Junii 1761 obventam, nullo relicto filio masculo, modo ut integra substantia fideicommissaria consolidari debuerit in Romualdo Pauli filio, cui successit Pancratius, penes quem libera effecta fuere bona, cum quoad ipsa ob defectum valoris in summa scutorum 15000 indicta a notissimo Motu-Proprio diei 6 Julii 1816 reviviscere nequiverit vinculum, quod præcedentes Gallicæ Leges omnino disjecerant. Ex quo evenit, quod idem Pancratius de illis bonis unam cum suis propriis disposuerit favore nepotum ex fratre Paulo, nonnullis tamen adjectis legibus ac conditionibus, vi quarum in præsentiarum dominium donatæ substantiæ residet penes Paulum filium Petri, et ususfructus ac administratio detinetur ab ipsius Patruo Reverendo Domino Canonico Joanne Baptista, qui duo sunt hodierni descendentes a fideicommissorum Institutoribus. Dum in pacifica possessione ii versabantur, ex improviso contra ipsos irrepsit Comes Cajetanus Marchetti Tommasi, qui tam nomine proprio, quam uti filius Catharinæ, unius ex tribus filiabus, quas Antonius reliquerat, reintegrationem, seu immissionem postulavit ad tertiam partem bonorum fideicommissariorum, et liberorum, quæ ab eomet Antonio possessa fuere. Cum Agenti Cajetano contraria fuerit sententia Curiæ Reatinæ, coram qua lis acta fuit, provocavit ipse ad Sacrum Nostrum Auditorium et mihi hac mane quærenti = *An et ad quæ bona sit danda immissio ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = in illius contumacia responsum datum est = *Pro informante* nempe = *Negative in omnibus* =

1 Cum masculina Agnatitia fuerint tria fideicommissa, ad quæ postulabat immissionem Cajetanus, sequitur, quod existentibus masculis de agnatione, ipse sive uti masculus de cognatione, sive uti filius Catharinæ admitti nullo pacto possit. Et revera quod Masculinum agnatitium fuerit fideicommissum ab Joanne Baptista Seniore, anno 1613 institutum, probatur ex vocatione filiorum Masculorum, et reciproca substitutione nepotum ac descendentium masculorum ex masculo. Siquidem institutis primo hæredibus pro æquali portione suis filiis Paulo, Marco, et Petro, statuit secundo, *quod si contigerit quandocumque aliquem ex dictis hæredibus, eorum filios, et nepotes, et descendentes in infinitum mori sine filiis legitimis et naturalibus, et Masculis aliis descendentibus ex legitima prole Masculina et de legitimo Matrimonio procreatis, tunc, et eo casu, unus alteri, et alter alteri ad invicem substituit*, quibus ex verbis manifesta fit vocatio, et reciproca substitutio masculorum tantum, qui existerent de agnatione, postbabita qualibet inspectione circa gradunm et linearum prærogativam. Nec relevat, quod ex recitatis verbis scateat filios positos fuisse *in conditione*, et perinde conseri non posse uti dispositive vocatos, nec obligatos exinde ad bonorum restitutionem favore substitutorum, veluti habemus a celebri *Glossa in leg. Lucius ff. de hæred. Instit.*; nam in themate Successionum, cum omne operetur testatoris voluntas, receptum ideo est, quod allegata regula limitari oporteat quoties ex conjecturis, et argumentis scateat testatorem voluisse vocationem filiorum in conditione positorum, veluti monet *Constant. in voto* 461 *num.* 1 *et S. Rota in Dec. Fulginaten. Cauthelae Angeli* 6 *Aprilis* 1753 §. 5. *cor. Figueroa; in Bononien. Fideicommissi Comitis Philippi Senioris de Aldovrandiis* 22 *Febr.* 1775 §. 2 *cor. Ratto*; *in Romana Immissionis* 4 *Dec.* 1801 §. 4 *cor. De Alteriis in Senogallien. Immissionis quoad Fideicommissum Joannis Baptistæ Alessi* 27 *Junii* 1807 §. 2 *cor. Tassoni*, quæ sane argumenta et conjecturæ consistere pluries S. N. Ordo definivit in voto adservandæ agnationis, in digressu ad plures substi-

tutionum gradus, et in alienationis prohibitione, prout testantur *cit. decis. Bononien. in* §. 11 *et Dec. Camerinen. Fideicommissi* 7 *Martii* §. 5 *cor. Canilliac, Narnien. Fideicommissi* 6 *Junii* 1755 §. 7 *cor. eodem.*

2 At de illis conjecturis nullam deficere in themate quam facile probabatur. Et revera minime deficiebat Agnationis Votum, cum instituti filii et substituti nepotes, eorumque descendentes esse omnes deberent masculi, et nati ex *legitima prole masculina*; quæ sane triplex masculinitatis catena ex parte generantis et generati masculinam agnatitiam qualitatem omnino imprimit Institutioni, prout docuit *S. Rota in Ravennaten. Fideicommissi diei* 10. *Januarii* 1791 §. 4 *et* 5 *coram Gardoqui.* Quæ qualitas fortius comprobabatur ab voto testatoris quod nempe *ejus hæreditas integre in ejus familia conservaretur.* Hoc enim *obtineri nequibat, nisi exclusis foeminis,* eorumque descendentibus, qui ad familiam et agnationem testatoris nullo modo pertinent, veluti perpendit *Bonfinius de fideicomis. tit.* 1. *disp.* 1 *num.* 7 *et monuit S. Ordo in Dec.* 20 *de fideicom. num.* 10 *coram Falconieri, et in Auximana* Primogenituræ 11 *Dec.* 1807 § 9 *cor. Piccolomini* Item non deficiebat digressus ad plures gradus, cum testator loquutus sit de filiis, nepotibus, ac eorum descendentibus, quos inter compendiose et invicem ordinavit substitutionem, cum illis adhibitis verbis *tunc eo casu unus alteri, et alter alteri ad invicem substituit.* Concurrebat demum prohibitio alienationum, cum legatur in testamento expresse vetitas sub poena caducitatis quaslibet distractiones, sumpto vocabulo alienationis in ampliori suo significato, et protracto usque ad prohibendam detractionem legitimæ ac Trebellianicæ. Quæ agnatitia ac masculina qualitas fideicommissi pressius comprobabatur ab exclusione etiam foeminarum, cum ex testatoris jussione *filiæ et nepotes l gitimae ut supra, et non legitimae condecenter dotari deberent* ex substantia fideicommissaria, alto silentio præteritis ab eisdem foeminis descendentibus masculis qui perperam ideo hodie desiderarent foeminarum exclusionem per modum regulæ; quia huic defectui late Testator supplevit cum expressa vocationis coercitione ad masculos ex legitima prole masculina derivatos, prout docuit *S. Rota in Æsina sive Cingulana fideicommissi* 7. *Martii* 1803 § 9 *cor. Strasoldo.*

Hæc omnia huc usque perspecta concurrunt ad statuendam agnatitiam ac masculinam qualitatem alterius fideicommissi anno 1646 constituti a Paulo filio Institutoris Superioris fideicommissi, et ab ejus nepotibus Juliano, ac Joanne Baptista qui bona omnia libera quæ possidebant, ut servarentur in familia, subjecerunt *al fidecommesso già fatto da detto quondam Sig. Gio. Battista Vecchio colle condizioni e clausole all' istromento o testamento ec., e non altrimenti quale vogliono che qui si abbia per inserito parola per parola.* Nec agnationis votum expressum in hoc conventionali fideicommisso enervatur ab adjectione, *che mentre vi saranno maschi s' intendono escluse le femmine*; Nam per hæc verba magis magisque confirmatur idipsum votum, cum vocatio foeminarum cohibita sit ad casum extremum, quod omnes deficerent masculi de agnatione, veluti in identico casu explicavit S. Ordo teste *Dec. Fulginaten.* 4 *Julii* 1757 § 12 *cor. Olivatio.* Nec demum aliter sentiendum erat de tertio fideicommisso anno 1685 ab Joanne Baptista Juniore ordinato, cum ipse quoque instituerit proprios filios masculos, eisque substituerit reciproce nepotes aliosque descendentes masculos in infinitum, *nati da legittima prole mascolina*, expresso etiam desiderio quod hæreditas *rimanga perpetuamente nella mia famiglia, e vi si conservi*, ac exclusa unica filia, cui dotem constituit, ut haberet etiam titulo institutionis ac legitimæ. 3

Ex enucleata igitur omnium fideicommissorum indole ac natura manifestum exinde fiebat, quomodo per obitum Antonii absque masculis, ipsius quota necessario ac recte accrescere debuerit Romualdo qui tunc unicus erat masculus de Agnatione, quin 4

Digitized by Google

ullum jus trasmitti ab Antonio potuerit suis filiabus, quæ imo plane agnoverunt propriam exclusionem, statim ac triennio post coram A. C. De Simone postularunt solummodo subsidiariam dotem super amissa fideicommissaria substantia, quam nec consequi valuerunt, cum Judex perspexerit satis esse in libera patris hæreditate, ut petitam dotem assequi possent. Quibus perspectis redibat agentem Comitem Cajetanum quolibet destitui jure sive ex sua persona, sive in representantia matris ad protuendam actionem, de qua agitur.

5 Perperam vero confugeret ad Theoricam Fulgosii in suo Consilio 85, juxta quam ad fideicommissariam successionem indistincte admittuntur tam masculi Agnatitii, quam cognati. Hæc enim Theorica suum babet fundamentum in conjecturali testatoris voluntate, quando nempe generice ad successionem masculos invitaverit. Sed ea præsumptio procedere non debet, quoties contrarius sit testamentariæ dispositionis contextus, quia nempe, utpote in themate, vocati expressim sint masculi de masculo, quo in casu silet Fulgosii Theorica, et prævalet votum agnationis prout docet, *S. Rota in Romana Immissionis* 19 *Julii* 1753 §. 4. *cor. Molin. in Eugubina Immissionis* 28 *Junii* 1754 *cor. Buratto, in Reatina Fideicommissi* 10 *Jan.* 1780 §. 8 *cor. Sentmanat, in Ravennaten. Fideicommissi* 10 *Jan.* 1791 § 3 *cor. Guardoqui*, *et in praecitata Æsina seu Cingulana coram Strasoldo* §. 11. Perpendendum etiam est quod si forte admittenda esset ea Theorica, nihilominus in themate baud procederet, cum ad tempus obitus Antonii qui ad plures obiit die 8 Junii anni 1761 nondum natus esset Cajetanus, qui ortus est die 3 Maii superioris anni 1779; modo ut ex defectu masculi in cognatione de tempore obitus Antonii, hujus quota ob reciprocam linearum substitutionem indictam in unoquoque fideicommisso, necessario deferri debuit in Romualdum ex Linea Pauli, quo obvento ingresso, exire amplius ab ea Linea nequibat, donec masculi existeret capaces successionis veloti post *text. in lege* 10 *ff. de suis et legitimis* hæred. animadvertit *Voet in Pandectas Lib.*26. *tit.* 1. *num.* 32 *et docuit S. Rota testibus praeceteris dec. Fanen. Fideicommissi super bono jure* 30 *Aprilis* 1787 §. 11 *cor. Malvasia Romana nullitatis Transactionis* 18 *Febr.* 1788 § 8 *cor. eodem.* Præteriri demum non potest quod descendentes ipsius Romualdi cum per annos tres super septuaginta ab obitu scilicet præcitati Antonii usque ad diem 11 Septembris anni 1834., quo nempe præsens ex adverso promotum fuit judicium, versati sint in pacifica bonorum possessione, juvantur ideo a concurrenti præscriptione, ad quam constituendam scitum est sufficere triginta tantum annos ita præcipiente *Leg.* 3. *Cod. de praescript.*, *et monente S. Rota in Decis. Fulginaten. Censuum* 17 *Aprilis* 1768 § 19 *cor. Herzan.*

Quoad vero bona libera, item dimittenda erat Cajetani petitio, cum nequaquam probaverit illa occupasse Romualdum; Quod vero non evenisse licet præsumere ex Sententia A. C. De Simone, qua denegata fuit agentibus Antonii filiabus dos subsidiaria super substantia fideicommissaria, quia habere eam possent super libera hæreditate Patris. Cui saue sententiæ verisimile prorsus est quod ipsæ haud acquievissent; si etiam bona libera ab Romualdo revera occupata fuissent. 6

Et ita etc. Altera tantum etc.

---

## REATINA IMMISSIONIS

### SUPER FRUCTIBUS

*Lunae* 16. *Januarii* 1837.

### ARGUMENTUM

**Quando denegata fuit alicui successio ad primogeniturum propter dissolutionem fideicommissi a legibus gallicis inductam, per consequens ei deneganda est restitutio fructuum, qui accessiones dominii sunt.**

Digitized by Google

SUMMARIUM

1. *Fructus sunt dominii accessiones, et ideo qui dominium rei non habet fructus vindicare non potest.*

*Quando denegata fuit immissio ad fideicommissum, deneganda sunt etiam fructus - ibid -*

## DECISIO DXXXVII.

Narrat coeva mea decisio » *Reatina immissionis* » in Nobili Reatina familia Leoni tria olim fuisse agnatitia masculina fideicommissa, quæ progressu temporis inter se diviserunt fratres Paulus et Marcus Leoni, cujus postremi filius Antonius cum mortem obiverit sine masculis, causa fuit, quod integra substantia fideicommissaria quam cito coaluerit in descendentes Pauli modo ut filiæ præcitati Antonii, Emerentiana, Theresia, ac Catharina exclusæ per Legem Institutorum a Successione nec dotem assequi potuerint super bonis fideicommissariis, cum A. C. De Simone, coram quo anno 1764 lis acta fuit, decreverit fideicommissaria bona ad eam dotem eisdem suppeditandam non teneri. Narrat quod integra ea substantia Fideicommissaria retinebatur a Pancratio cum dissolutum fuit vinculum a superventis notissimis Legibus Gallicis, adeo ut liber ipse fuit de eisdem disponere favore hodierni Rev. Canonici Joannis Baptistæ Leoni nepotis ac favore Marchionis Pauli filii alterius sui nepotis Petri. Narrat item quod etsi possessio bonorum illorum per tres super septuaginta annos pacifice retenta fuerit a Senioris Pauli descendentibus, nihilominus illam exturbare præsenti tempore natus est Comes Cajetanus Larchioni Tomassi, ex Catharina nepos præcitati Antonii, fretus opinione, quod ei decernenda essat immissio ad tertiam partem bonorum fideicommissariorum, ac bonorum, quæ a præcitato avo olim possessa fuere, ampliata etiam petitione ad fructuum Vindicationem. Narrat demum, quod Episcopale forum Reatinum cum denegare, ratum sit petitam Immissionem proficare item censuit petitionem in illa parte, quæ fructus respiciebat. Cum vero a Reatina sententia provocaverit Comes Cajetanus ad S. Nostrum Ordinem, bifaria quæstio dispertita est, una quæ ad immissionem se refert, de qua disserit præcitata mea decisio; Altera vero, quæ ad fructus respicit et de qua hic loquitur. Quocirca mihi hac mane quærenti « *An et a quo tempore sint restituendi fructus, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* Vadimonium eodem Cajetano descrente responsum datum est « *Pro informante* » nempe » *Negative in omnibus* »

Cum fructus sint accessiones dominii *leg. 22 ff de rei vindicat.* planum est quod eos vindicare non possit, qui in dominii probatione victus omnino abire debuit ex nonnullis rationum momentis, de quibus fuse disserit coæva mea decisio super merito. Primum quia agitur de fideicommissis agnatitiis, ad quorum compendium vocati non sunt masculi de cognatione, quin imo exclusæ fuerunt foeminæ etsi agnatæ, quibus tantum dos erat tribuenda juxta temporum, loci ac familiæ conditionem. Secundo quia in casu invocari nequit Theorica Fulgosii, sive quæ expressa est Institutorum voluntas circa vocationem masculorum eo masculo, sive quia antequam lucem vidisset actor Cajetanus, ob defectum masculorum in linæ Marci fideicommissaria substantia ab Institutoribus reciprocam substitutionem, transire per integrum debuit in Lineam Pauli, a quo directe descendunt Rei conventi, qui ob nondum evacuatam lineam jus habent obsistendi saltuario bonorum regressui. Demum quia obsistit etiam præscriptio quæ longe excedens ordinariam triginta annorum mensuram, magis, magisque roborat jus possessorum. Quibus ex rationibus cum rejecta fuerit Cajetani petitio quoad immissionem, ita reicienda erat quoad fructus, quos rite recteque sibi adjicere potuerunt Rei conventi, veluti docuit *S. Rota in Perusina legitimæ super fructibus* 15 *Januarii* 1806 *cor. Guardoqui, in Veliterna fideicommissi super fructibus* 2 *Martii* 1815 *et in ejus confirmatoria* 20 *Aprilis* 1816 *cor. Tassoni.* Et ita etc. Altera etc.



Digitized by Google

## ROMANA EMPHYTEUSIS

*Veneris* 16 *Julii* 1837.

### ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Tribunali appellationis licet decernere de fructibus decursis, post litem contestatam.*
2. *Peritorum judicio juxta artis regulas reddito, est omnino deferendum.*
3. *A Domino directo illae tantum expensae sunt subeundae, quae necessariae dicuntur.*

### DECISIO DXXXVIII.

Quamquam domum Pium Opus Foppa in Urbe possidet prope Plateam, quam dicunt *del Fico*, cujus utile dominium ad tertiam generationem anno 1825 concessit Josepho Rossi Mutarelli sub lege conficiendi reparationes, quas Peritus instructor Gaspar Salvi necessarias jam cognoverat, qualibet exclusa spe imminutionis canonis, jam præfiniti argenteorum 452. Cum ipsis reparationibus manus apposuisset Josephus, invenit traditam domum necessariis carere fundamentis, quorum defectui nec Salvi peritia, nec scripto instrumento prospectum fuerat. De eodem defectu illico certiorem ipse fecit Eminentissimum Principem Cardinalem a Somalea, qui uti S. R Ecclesiæ Vice Cancellarius, ex testamentariis tabulis Marci Antonii Foqpa legitimus erat illius pii Operis moderator, ac Administrator. Periti hinc inde deputati fuere, qui super fundamentorum defectu, et super eorum necessaria constructione tam peracta, quam peragenda referrent. Cum periti a pio Opere requisiti relationem haud explevissent, Josephus positiones quoad fundamentorum necessitatem eisdem dedit postulans; ut sub gravamine ad respondendum adigerentur. Noluit Judex gravaminis poena eos mulctare; Ab interlocutorio ipsius edito Decreto provocavit Joseph ad S. N. Ordinem, ad quem idcirco avocata fuit con solutum princeps causa ab eodem Josepho instructa coram Eminentissimi Vicarii Locumteuente pro insoluti Canonis imputatione in reintegrationem expensarum, quas ipse pro fundamentorum constructione subierat, sed etiam reconventionalis altera causa, quam Eminentissimus Administrator contra cum promoverat ad Canonis sulutionem obtinendam usque ad annum 1830. Curavit Vir Emus Pedicinius, qui nunc summo honore Cancellarii dignitate honestatur, ut avocata causa a S. N. Auditorio definiretur. In Comitiis itaque diei 26 Junii 1835 cum propositum fuerit Dubium = *An et in qua summa sit locus solutioni canonum seu potius, et quomodo eorum imputationi in expensis reparationum in casu etc.* = rescriptum illico prodiit = *Quoad solutionem Canonum dilata post liquidationem, in reliquis affirmative juxta modum in Decisione emprimendum*, qui modum fuit, quod Pium Opus eas tantum ferret expensas quæ directe, et necessario ex impræevisa fundamentorum deficientia promanarent, quasque Peritus eligendus æstimasset. Quæ causæ definitio album recepit calculum in Comitiis diei 25 Aprilis sequentis anni 1836. Expensarum imputationem in genere admissam ab evulgatis Decisionibus probavit Emus Administrator, qui ad Periti electionem properavit, ut in specie earum quantitas definiretur. Aloysius Poletti qui eximia in urbe excellit suæ Artis peritia ad id referendum accitus concinnam explevit peritiam ex qua potuit expensas in fundamentorum reparatione assurgere ad scuta 1403 63 ½. Minime Eminentissimus Pedicinius obstitit, ne in Canonis insoluti imminutionem ea summa refferretur, et cum credito Pii Operis adhuc superesset quantitas argenteorum 2405 33 pro bujusce obtinenda solutione curavit, ut ad tramites dilatorii S. N. Ordinis Rescripti causa iterum proponeretur sub originaria jam relata dubii formula, quam PP. Mei hoc mane exceperunt cum Rescripto = *Pro Informante nempe affirmative in summa scu-*

Digitized by Google

*torum* 1405 33 denegata instanti Josepho petita Causae dilatione, quae ex laudabili S. N. Auditorii more nisi gravi concurrente ratione numquam conceditur, imminentibus præsertim feriis generalibus teste *Decis.* 256 *num.* 2 *Decis.* 538 *num.* 2 *cor. Ansaldo decis.* 6 *num.* 15 *tit. de Salv, interdicto cor. Falconerio.*

1 Plana siquidem videbatur hujusce causæ definitio, cum ea omnino pendeat ab utriusque crediti existentia, quæ facile admodum probare posse PP. Meis videbatur. Reapse creditum Pii Operis certum est in genere. Oritur enim ab insolutis præstationibus ab emphyteutico contractu jam præfinitis in annuis argenteis 452, qua de re convenit inter partes, Super ipsius vero quantitate nulla utique obmoveri potest controversia cum id ex ipsis calculis constet. His enim Institutis a die quo Joseph intermisit Canonis solutionem ad totum mensem Martii currentis anni, habetur quantitas scutorum 3808 96 qua super utique tricari baud quaquam potest nisi forte Emphyteutæ haud displiceat quod in calculum relati etiam sint fructus pendente lite decursi, cum hi computari necessario oporteant, non tantum quia præsens causa per concessam ab interlocutorio decreto appellationem venit tamquam *in prima* quantum etiam quia si ipsum S. N. Auditorium uti appellationis Tribunal babendum esset, semper licitum eidem est de fructibus postea decursis cognoscere, veluti apertissime præcipit § 980 vigentis praxis. A præstituta itaque quantitate argenteorum 3808 96. Eminentissimus Pii Operis Moderator libenter concedebat subtrahi scuta 1403 63 quot judicialis Peritus retulerat impensa fuisse explendis reparationibus, quæ directæ et necessario ex imprævisa fundamentorum deficientia promanarunt. Hac facta imputatione, clarum erat Loci Pii creditum in scutis 2405 33 quot adamussim PP. in edito responso concedere rati sunt.

2 Nec rite Joseph excipere valeret, quod ad majorem summam reparationum creditum evehere oporteat. Huic enim postulationis Judicialis Periti obstat Sententia, qui peculiari sedulitate et prudentia cum omnia super facile ei rimatus sit, pro sua religione retulit expensas, quas Josephus subierat in reparandis fundamentis, haud excedere definitam nummorum 1403 33 quantitatem, a qua proinde relatione recedendum haud erat ex recepta regula, quod peritorum judicio juxta artis regulas repenso sit omnino deferendum ad ea, quæ animadvertit *S. Rota in decis.* 103 *num.* 12 *cor. Herrera in Romana Fabricae* 28 *Martii* 1791 § 6 *cor. Herzan. Decis.* 350 *num.* 3 *cor. Delso decis.* 183 *num.* 1 *et decis.* 226 *num.* 18 *cor. Malvasia in Romana Societatis* 29 *Februarii* 1828 § 11 *cor. R. P. D. Meo Muzzarelli, et in Romana Inhibitionis et devolutionis* 21 *Novembris* 1836 § 7 *cor. R. P. D. Meo De Retz.*

Nec erroris incusandus forte fuisset Peritus, is enim si erravit damno Piæ 3
Operis Foppa, prout demonstravit peritus Architectus Gaspar Salvius, qui in Judicialis Periti relatione perspexit quod nonnullæ relatæ fuerant expensæ quæ directe et necessario ex imprævisa fundamentorum deficientia promanare haud certe quibant, cum causam potius habuerint a facto ipsius Emphyteutæ, qui non ad reficiendam domum, sed ad eam ampliandam fructuosiorem reddendam nova opera suscepit. Constituta in foro prævalet regula domino directo eas tantum expensas esse subeundas, quas necessario subire is debuisset ante emphyteutica periret, minime vero illas, quæ ab emphyteuticam concessionem, ne res emphyteutæ voluntate pendent et necessariæ putantur ad commodiorem, utilioremque reddendam domus conditionem, cum eæ potius ad Emphyteutas pertineant ex peculiaris ipsius contractus indole, quæ emphytutis imponit onus melioramentorum, prout est in jure notissimum.

Et ita frustra causæ comperendinationem postulante Josepho jus redditum fuit.

## ROMANA FACULTATUM

*Veneris* 20 *Januarii* 1837.

### ARGUMENTUM

Administratori competit ex jure facultatem repraesentandi creditores patrimonii, in *vim leg. 14 ff. de bonis Auct. Iud. possid;* nec relevat quod lex illa loquatur de curatore, cum curator dicatur in jure quandoquidem Administratus. Cui legi accedit etiam *articulus 1494 Motus Proprii piani*, et constans fori observantia.

SUMMARIUM

1. *Solutio ei expletur legitime, qui fuit auctorante Iudice, ad illam recipiendam deputatus.*
2. *Administratori competit ex jure facultatem repraesentandi creditores patrimonii.*
3. *Verbum - atto - intelligi debet tam dectu judiciali, quam de extrajudiciali.*
4. *Procuratores in judicio semper repraesentant litigantis personam.*
5. *Uti illegitimus contradictor non est habendus ille, qui pro legitimo habitus est.*
6. *Administrator non est dicendus in culpa, si id fecerit quod antecessor in sui officio exercitio facere consuevit.*
7. *Creditorum concursu in implicito validitatis statu permanens, validi reputandi sunt omnes actus a convocatis creditoribus gesti*

### DECISIO DXXXIX.

Pompilius Scolart, et Cumes Carnevali in solidum ad novennium ab Odescalchia Gente latifundium *di Ceri* conduxerunt, in solidumque excolere, donec dissociatis animis dividere illud prætulerunt, explicito convento pacto, ut si alteruter deficeret in solutionibus Locatori peragendis, alter conductor pro assecurativa provisione agere posset. Defecerunt ambo, et ambo provisionem postularunt. Utramque petionem excipientes A. C. Juridici die 10 Februarii anni 1832, in universi latifundii administratorem nominarunt Augustinum Viviani, qui judicialiter egit contra ipsius Latifundii subconductores et præcipue contra Bernardinios, qui ad exercendam Pecunariam partiariam a Pompilio conducti latifundii obtinuerant cessionem, debitoresque erant pro depacta mercede ratarum Martii et Junii anni 1833 præter conventas frumenti præstationes.

Interea Pompilius ære alieno undique oppressus universalem creditorum concursum coram R. P. D. Vicesgerentis Auditore convocare constituit. Citatis proinde omne interesse habentibus, quos inter fratres Bernardini, die 8 Martii anni 1833 sententiam obtinuit Rei judicatæ vires hodie nactam, qua apertus declarabatur indictus concursus, atque in provisorium administratorem deputabatur Vincentius De Felice, qui, ut ei injunctum fuerat, apud acta obligationem de bene ac fideliter administrando emittere haud omisit. Creditores legitimo numero iterum congregati illius approbarunt nominationem, quam in tertia formiter indicta congregatione definitivam declararunt, facultatem insuper Vincentio impertientes recipiendi a Viviano rationum expunctionem, e *che debba esiggere dai subaffittuarj alle rispettive scadenze le quote dovute.*

Cum vero inter citatos Creditores esset quoque absens Carnevalius, cujus petitione præcipue ab A. C. Tribunali in administratorem accitus fuerat Vivianus, judicialiter contra illum egerunt creditores, ut jam definitæ ipsius Vincentii subrogationi in locum Augustini suum quoque præberet consensum. Promotam instantiam Innocentiani Judices admisere die 27 Februarii anni 1834 et eorum sententia rei judicatæ vires adepta est ob appellationem intermissam a Carnevalio, qui in posterum semper Vincentium agnovit uti legitimum Administratorem integri Latifundii, modo ut duplici deinde præditus qualitate ipse extiterit administratoris nempe *generalis* patrimonii Scolart, et particularis tenimenti *di Ceri.*

Legitimam autem ipsius Vincentii qualitatem Bernardinii quoque agnovere, dum nonnulla contra eum activa judicia excitarunt pro emendandis damnis eisdem obventis ob appositos a locatore custodes, ac pro mercedis re-

ductione, nec non pro termino eidem Vincentio præfiniendo ad dandam suæ gestionis cautionem, in quo tamen postremo judicio cecidere, decernentibus A. C. Judicibus, instantes obligatum habere *tutto il ceto de' Creditori*. Nihilominus cum Vincentius statuerit caussas prosequi a Viviano excitatas pro assequendis ratis Martii, et Junii anni 1833 ipsimet Bernardinii ad rem protelandam in jus vocarunt coram eodem A. C. Tribunali Pompilii creditores, ut declararent infra terminum a Judice præfiniendum, num reapse Vincentio facultatem impertiverint excitandi promota judicia, secus definiretur proprio marte ipsum egisse, sibique jus esse sarctum tectumque contra illum exposcendi damnorum sarcitionem A. C. Juridici Vincentio, qui interim admitti ad causam obtinuerat, certam diem præstituere ad exhibendam ratihabitionem majoris partis Creditorum. Postulavit ipse ipsius Decreti revocationem, sed incassum, nam illum teneri in bonis propriis Tribunal declaravit. Pro ipsius Sententiæ infirmatione institit Vincentius coram Sacro Nostro Ordine qui Kalendis Februarii Superioris anni ponente *R. P. D. Meo Marini* Dubio = *An sit locus præfixioni termini ad effectum docendi de consensu creditorum, ita ut et quomodo competat jus agendi contra bona Administratoris in casu etc.* Incunctanter rescripsit=*Negative in omnibus* =. Hoc responsum contestim excepit Rotalis Sententia. cui adquiescere renuerunt Bernardini; sed frustra; nam PP. per me hodie interrogati tralatitia Dubii Formula=*An Sententia Rotalis sit confirmanda vel infirmanda in casu etc.* = responsum dederunt = *Sententiam Rotalem esse confirmandam* =.

1 In proposita specie fieri nequibat, quin Rotalis Sententia confirmaretur. Facile enim Patres perpenderunt nil timendum esse Bernardiniis, si Vincentio debitas solvissent ratas ex conducto Latifundio Pompilii patrimonio debitas, cum pacificum in jure sit legitime ei expleri solutiones, qui fuit auctorante Judice ad illas curandas deputatus. Talis adamussim erat Vincentius De Felice. Accitus ipse in provisorium Administratorem a Vicesg. Auditore, coram quo Pompilius Creditores convocaverat, ab eisdem in tertia indicta Congregatione *di unanime consenso* definitive iterum confirmatus fuit in universalem debitoris Patrimonii Administratorem, expressim eidem necessariis etiam impertitis agendi facultatibus. Quod omne adprobatum cum deinde fuerit a Judice Concursus, cum numquam ab ejus decreto fuerit provocatum, compertissimum fit, quod hæsitari amplius nequeat circa legitimam Administratoris qualitatem ipsius Vincentii.

Illimitata igitur ex peculiari concrediti hujusce muneris indole ac natura 2
descendebat facultas in Vincentium nomina exigendi, judicio pulsandi morosos debitores, et cætera omnia explendi, quæ administrati Patrimonii utilitatem aliquo modo respicere possent. Ad id enim tendit ipsamet Administratoris deputatio, qui cum creditores omnes repræsentet, expedire ipse tenetur quidquid illorum curæ incumberet, ne aliquid eorum damno interim depereat, donec sua sententia Judex concursui finem imponat. Inscite igitur Bernardinii objurgabant, facultatem repræsentandi ipsos creditores Administratori haud competere ex jure, contrarium enim statutum legitur in *lege* 14 *ff de bonis auctor. Jud. possid. in leg.* 2 *et* 3 *ff de Curat. bonis dando, et quas sequuti sunt Ant. Matheus de act. lib.* 1 *cap.* 4 17. *Voet. Comm. lib.* 42 *tit.* 7 *num.* 5. *Salgad. Dic. labyrint. Credit. part.* 1 *cap.* 13 *num.* 40. Nec relevat quod Leges illæ de Curatore loquantur, cum curator datus bonis quandoquidem dicatur defensor, quandoque Administrator; quin inter istos ulla intersit differentia, cum iisdem nominibus promiscue utantur *DD. teste Gratian. Discept. For. Thom.* 5 *cap.*850 *num.* 1. *Casta de Orivil. Credit. reg.* 5. *Ampliatio* 6 *num.* 12 *et ut Salgad. loc. cit. num.* 10.

Hisce autem legibus et DD. opinio- 3
nibus concordes etiam videntur Pon-

tificiæ Leges, et Fori observantia. Motus Proprius enim Pianus, sub cujus imperio concursus indictus, et judicia introducta fuere in Art. 1494 diserte statuit = *L'Amministratore del Patrimonio avrà le facoltà limitate all'Amministrazione ordinaria* = cujus præcipuum objectum itaque est exculiendi morosos debitores ad tramites juris. Explicatius hæc facultas administratori impertitur a § 1520. Vigentis Cod. cum ex eo explere is possit *qualunque atto conservatorio dei communi interessi*, quod verbum *atto* intelligi debet tam in judicio, quam extra judicium, ut notat Glossa *in cit. leg. 2 ff de Curat. bonis dando*, verbum *acta*, et a contrario sensu etiam argumentatur a § 490 in quo lex decernens personas, contra quas judicia institui possunt, quoad creditorum concursus statuit *saranno citati in persona o nel domicilio dei sindaci*, *Amministratori*, o *altri Rappresentanti*, veluti confirmatum legitur in *Decis. Bononien. Pecuniario diei* 27 *Junii* 1823 *coram Eminentissimo Marco*. Sed inutilis hæc Juris disquisitio prorsus fiebat, statim ac in facto ambigi nequaquam poterat *explicitum* quoque mandatum accepisse Vincentium a Creditoribus ad prosequenda vel instituenda judicia concreditam administrationem respicientia. Ipsi enim in tertia congregatione unanimi consensu Vincentio præscripserunt = *che debba esigere direttamente dai subaffittuarj le corrisposte dovute, e quante volte le suddette cose non riuscissero amichevolmente, hanno incaricato il suddetto Procuratore del Patrimonio di agire in giudizio con tutti li mezzi ammessi dalla legge per ottenere quanto sopra* quod explicatius quoque creditores confirmarunt, dum administratori pecuniam exposcenti in sumptus litis, responderunt *ad unanimità di voti hanno annuito alla sudetta richiesta*, et opportunas dedere facultates.

4 Minus recte autem Bernardini obmussitabant, quod in citata resolutione loquuti sint creditores de Procuratore, quod ad tramites Juris electus fuerat ad lites agendas; et concludebant proinde, eo extante, haud valuisse Vincentium controversa agere judicia. In hac repellenda scurrili exceptione animadvertebant Patres Procuratores in Judiciis semper repræsentare litigantis personam. Cum in casu creditorum vices gerat Vincentius, consequens est quod accitus Procurator ipsius personam repræsentare, et ab ejus nutu pendere debeat, et proinde indefferens esse, an ipsius Procuratoris, vel Vincentii nomine judicia provocata fuerint, præsertim cum lex administratori non procuratori facultatem impertiverit *di fare qualunque atto conservatorio per tutela del Patrimonio amministrato*. Sed id autem frustra animadvertebatur; in facto enim probatissimum est universa judicia obmota, pertractata fuisse a Procuratore Concursus, nec intelligi potest, quomodo hujusce rei obliti sint Bernardinii, qui omnium promotarum litium præcipui fuere contradictores.

Mirum insuper videbatur, quod ipsi inficiari hodie Vincentio potuerint facultatem sistendi coram Judice, dum in nonnullis activis, passivisque obmotis judiciis de ea nunquam dubitaverint. Prohibitum enim omnino est in judicium uti illegitimum contradictorem eum traducere qui semel in judicio, pro legitimo habitus est *ad text. in leg. penult. ff de Decur. Gollin. de Procurat. par.* 1 *cap.* 5 *num.* 94. Nec absque patenti contradictione Bernardinii id asserebant. Nam dum controversam facultatem Vincentio denegabant, illum coram A. C. Tribunali vadati sunt, ut ab administratione removeretur, ex supposito quod minus diligenter se gesserit contra fratres Grimaldi, qui quoque erant administrati Patrimonii subconductores. 5

Sed si huc usque animadversa prætermittere etiam placeret, si etiam admittatur Vincentium uti universalem administratorem Patrimonii decocti Pompilii, facultatem agendi contra Bernardinios a caetu creditorum exposcere expresse debuisse, ad id impetendum attamen adstrictus ipse haud erat, attenta peculiari altera facti circum- 6

stantia, quod conducti latifundii *di Ceri* singularis administratio ei concredita fuerat. Perpendebant enim Patres Sententiam A. C. e diei 27 Februarii 1834 editam, ac ob intermissam appellationem in Remjudicatam hodie prolapsam, eumdem Vincentium subrogasse in locum Augustini Viviani, cui potissimum antea datum fuerat mandatum ab universis subconductoribus debitas pensiones exigendi = *all' effetto, che pagata primieramente colle rendite la corrisposta alla Casa Odescalchi ritengasi il resto a disposizione dell' Eccmo Tribunale*. Quod si Vivianio ullus unqnam denegavit instruendi judicia facultatem, si hæc reapse instruit, et ejus gestio proinde adprobata per rem judicatam extitit, quomodo hodie Vincentius exprobandus erit, si prædecessoris vestigia insectatus, judicia ab eo promota prosequutus est, vel in administrati Patrimonii utilitatem alia instituit. In culpa enim dici nequit Vincentius, si nemine improbante, id fecit, quod aotecessor in sui officio exercitio facere consuevit. *Cravet. Consil.* 280 *num.* 3 *Fontanell, Decis.* 356 *n.* 11 *et S. Rota in Decis.* 608 *num.* 15 *et* 16 *et in Decis.* 1070 *num.* 13 *cor. Molines.*

7 Perperam vero multa agglomerabantur a Bernardiniis, ut irritum probarent creditorum coocursum. Animadvertebant enim Patres ea omnia extraoea prorsus esse, oec attendi posse in præsenti Judicii sede. Reapse cum provocatum haud fuerit a sententia, quæ legitimum renunciavit creditorum concursum, cum hujusce convocatio, in implicito suæ validitatis statu sit, consequens est, qnod in pari statu validitatis reperiantur actus a convocatis creditoribus gesti, quos inter electio administratoris, et facultas ei concredita agendi io judicio. Perperam quoque iidem Bernardinii de cautione a Vincentio nondum præstita querebantur. Concipere nequibant Patres mei, cur ex ipsius defectu promota eorum actio admittenda esset. Id enim tantum afficit committentes creditores, non autem debitores Beroardioios, qui ad tramites A. C. Seotentiæ, quæ rei judicatæ jam vires adepta est nil timero possunt, cum in quolibet eventu habeant *verso di loro responsabile tutto il ceto dei Creditori*.

Et ita etc. utraque etc.

---

# ROMANA FACULTATUM

*Veneris* 28. *Aprilis* 1837.

## ARGUMENTUM

**Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO DXXXIX. -**

### SUMMARIUM

*1. Qui generaliter constituitur Procurator ad negocia stricte tenetur ad ea expedienda tam agendo, quam defendendo, omniaque facere, quae ad rei administratae utilitatem magis. conferunt.*

*Administrator rerum alienarum, recte egisse dicendum est, si fecit quod antecessor in sui officii exercitio facere consuerit - ibid. -*

*2 Dici non potest aliquem egisse a capriccio quando legitimis facultatibus pollebatur.*

*3. Legittime explentur ei solutiones, qui fuit auctorante judice ad illas curandas deputatus.*

*Administrator negligere haud potest nominum exactionem, ne ejus culpae vel negligentiae deinde tribuatur eorum inexigibilitas. - Ibid. -*

*Nullum discrimen est inter Curatorem ac administratorem quoad officium. - ibid. -*

*4. Quando quis habet facultatem faciendi, qualunque atto intelligitur de judiciali et extrajudiciali.*

*5. Inutilis est quaestio de facultatibus, quando Administratori datum fuit mandatum de agendo* - Et num 6. -

## DECISIO DXL.

Legitimo congregati Pompilii Scolari Creditores ipsius patrimooium administrandum dedere Vincentio De Felice, cujus fidei quoque concredita deinde fuit particularis administratio Latifundii *di Ceri*, quod a prænobili Gente Odescalchia io solidum conduxerant Pompilius ipse, et Comes Carnevalius. Inter coetera eidem Vincentio lex data fuit

exigendi = *dai Subaffittuarj alle rispettive scadenze le quote dovute* =, et recipiendi rationum expunctionem ab Augustino Viviani, qui ab anno usque 1832 ex Tribunalis A. C. decreto in ipsius tenimenti administratione versabatur. Ut suscepto officio plenius satisfaceret Vincentius, inter alia, prosequi etiam curavit duo Judicia, quæ Vivianus incohaverat contra subconductores Fratres Bernardinios pro conventa obtinenda pecuniaria mercede ratarum Martii, et Junii anni 1833, præter depactas frumenti præstationes. Vicissim Bernardinii contra Vincentium activa aliqua exeitarunt Judicia, quæ inter ad captandum tempus fuit illud quoque contra Defuncti Pompilii Creditores, ut declararent, an reapse Vincentio facultatem impertivissent promota ea excitandi judicia, secus definiretur proprio marte ipsum egisse, et proinde Instantibus liberam esse facultatem ab eo damnorum petendi emendationem. Vincentius cum perspexerit a *priori* probare facile posse commissas jam sibi fuisse controversas facultates, se ad causam admitti petiit, obtinuitque ab Innocentianis Juridicis, qui certam ei præfinierunt diem ad exhibendam ratihabitionem majoris partis Creditorum. A gravante hue Decreto frustra provocavit Vincentius, cum enim teneri in bonis propriis Tribunal definivit. Delata ob id causa ad S. N. Tribunal, ipsius Sententiæ infirmationem facile Vincentius obtinuit a S. N. Ordine, teste decisione *Romana Facultatum diei* 1 *Februarii an.* 1835 a R. P. D. meo Marini evulgata, quam illico excepit Rotalis Sententia. Incassum super ipsius viribus controversiam obmoverunt victi Bernardinii, nam propositæ per me tralatitii dubii formulæ = *An Sententia Rotalis sit confirmanda vel infirmanda in casu etc.* = incunctanter PP. Mei in Comitiis diei 20 Superioris Januarii responderunt = *Sententiam Rotalem esse confirmandam* = prout, silentibus hac mane Bernardiniis, iterum confirmarunt assueto Rescripto = *In Decisis* =.

1 Cum in triangulari hoc Judicio actio a Bernardiniis promota unice tendat ad statuendum videlicet, an Vincentius Judicia egerit = *di proprio capriccio* =, ut in casu affirmativo, in bonis propriis obstrictus haberi debeat, perspecto, quod nullum vel negativum dare possent responsum vadati creditores, merito idcirco Vincentius judicio sistere voluit ad demonstrandum se necessariis præditum fuisse facultatibus ad agenda judicia, quæ præsens præcessere jurgium, et ad quæ tantum referri debet hodierna disceptatio. Quatuor reapse fuere judicia a Vincentio acta, duo nempe ad curandam solutionem ratarum mensium Martii, et Junii an. 1833; tertium ad urgendum = *il residuo di corrisposte dovute, e non pagate a tutto il* 15 *Settembre* 1834 =, et postremam ad præstationem obtinendam = *di trenta rubbia di grano per corrisposta ecc.* = Cuncta hæc judicia egit Vincentius uti = *Amministratore surrogato al Patrimonio del fu Pompilio Scolari*, quæ perpensa adamussim administratoria ipsius qualitate facile persuasum apparuit PP. Meis quomodo eidem ex jure, et ex facto fuerit judicia illa obmovendi facultas. Ex jure siquidem compertissimum habemus, qui constituatur generaliter ad negocia Procurator, stricte teneri ad expedienda tam agendo, quam defendendo ea omnia quæ ad rei administratæ utilitatem magis se conferunt. *Cap.* 5 *de Procurat. in* 6 *Glossa ad idem Cap. Leg. Actionem Cod. de Procurat. Leg. Servum* § *fin. Cod. Rondin. recep. Sent. tom.* 1 *tit.* 94 *num.* 11 *Ravit. in Rubrica pragm. de Procurat. num.* 574, *et Culin. de Procur. p.* 5 *c.* 3 *num.* 10. Quæ juris præscriptio magis, magisque obligatoria ex facto in Vincentio fiebat: Is enim ab Innocentianis Judicibus die 27 Februarii 1834 subrogatus fuit Augustino Viviani = *all' oggetto che sempre adempia tutto ciò che venne ingiunto al Viviani col relativo Decreto di deputazione* =. Hoc vero Decretum diei 10 Februarii superioris anni 1832 onus eidem Vivianio imposuerat exigendi a Subconductoribus conventas præstationes, ut cum iis prius mercedem Locatori tenimenti persolveret, et residuum servaret = *a disposizione dell'Eccmo Tribunale* =. His e rebus compertissimum fiebat quomodo

Digitized by Google

duo Judicia ratas mensium Martii, et Junii respicientes Vincentius prosequi non solum potuerit, sed etiam debuerit, iisdem utens facultatibus, quibus usus fuerat Vivianius, et si eorum incohationem A. C. Tribunal sua rejudicata adprobavit, voluitque quoque quod Vivianio refectæ forent Judicii expensæ, ex rationis congruitate debet etiam S. N. Auditorium ipsorum Judiciorum adprobare presequutionem, pro qua inciviliter Vincentius teneri in bonis propriis hodie diceretur. Exprobandus insuper is haud videbatur, si prædecessoris vestigia insectatus, alia duo Judicia in administrati Patrimonii utilitatem instruere deinde censuit. In culpa enim ipse haud est, et recte egisse dicendum est, si fecit, quod Antecessor in sui Officii exercitio facere consuevit *Cravet. Cons.* 280 *num.* 3 *Fontanell. decis.* 356 *num.* 11, *et S. Rot. in dec.* 608 *num.* 15, *et* 16, *et in decis.* 1070 *numer.* 13 cor. *Molines.*

2 Hisce compertis, patula apparebat inutilitas hujusce judicii. Si enim ex jure, et ex facto Vincentius judicio sistendi omnimoda pollebatur facultate, in auras exinde abire debet etiam pussibilitas quod ipse agere potuerit = *a capriccio* =. Nec admittendum hoc fuisset, etsi vadati creditores id etiam constituerent. Indubiæ enim adsunt judiciales agnitiones, ex quibus admissa ab iisdem Bernardiniis videtur in Vincentio facultas controversa obmovendi judicia. Dum ipsi strenue id hodie inficiantur, certum est ineunte anno 1835 dicam Vincentio ipsos transmisisse, petentes a Triumviris A. C. quod ab administratione removeretur ex supposito, quod minus diligenter se gesserit contra fratres Grimaldi, qui quoque erant administrati Patrimonii subconductores. Concipi siquidem nequit quonam modo Bernardinii, qui strictam tunc agnoverant ipsius Vincentii obligationem agendi contra Grimaldios, revoluto pallio, possint hodie ipsam obligationem non videre, quando contra eos ex eodem titulo procedere Vincentius debuit ad obtinendam scilicet insolutarum præstationum solutionem.

Minime autem Bernardinii timere aliquid poterant a Pompilii Creditoribus, si Vincentio debitas solvissent ratas. Pacificum enim est in jure legitime ei expleri solutiones, qui fuit, auctorante Judice, ad illas curandas deputatus. Talis adamussim erat Vincentius. Accitus ipse prius in provisorium administratorem patrimonii decocti Pompilii ab Auditore Vicegerentis, definitive fuit deinde = *di unanime consenso* = confirmatus ab ejusdem Creditoribus, quibus suis rebus Curatorem dare plena erat potestas *Leg.* 8 *ff de bonis aucto. Judic. possid.* § *si unius leg.* 14 *Cod. leg.* 15 *eod. leg.* 2 *ff de Curat. bonis dando.* Cum vero Congregationis factum adprobaverit deinde Judex concursus, nulla amplius adesse potest hæsitatio circa legitimam administratoriam qualitatem ipsius Vincentii, qui tali veste indutus, cum Creditores repreheseutaret, negligere haud potuit nominum exactionem *Leg.* 14 *ff de bon. auct. Jud. possid. Leg.* 2, *et ff de curat. bonis dando. Anton. Mattheus de action. lib.* 1 *cap.* 7 *num.* 17 *Voetius Comment. lib.* 42 *tit.* 7 *num.* 5 *Salgad loc. cit. part.* 1 *cap.* 13 *num.* 40 ad instar Tutorum aliorumque Curatorum *leg.* 1 *ff de administr., et pericul. tut., et curat.*, ne ejus culpæ, vel negligentiæ deinde tribueretur eorum inexigibilitas. Nec relevat quod leges illæ de Curatore loquantur; Concursus enim Administrator idem est ac Curator bonis datus, hic autem quandoquidem dicitur defensor, quandoquidem Administrator, nec inter eos ullum DD. constituunt discrimen, cum utroque indistincte utantur teste *Gratian. discept. forens. tom.* 5 *cap.* 880 *num.* 1 *Costa de privil. Credit. leg.* 5 *ampliatio* 6 *numer.* 12 *Salgad. Labirynt. credit. part.* 1 *cap.* 13 *num.* 10.

Nec dissona certe sunt Pontificiarum Legum Censura, et Fori observantia. In articulo enim 1494 Motus Proprii Piani, sub cujus imperio concursus inductus fuit, legitur, = *L' Amministratore del Patrimonio avrà le facoltà limitate all'Amministrazione ordinaria* =, scilicet exequendi morosos debitores ad tramites juris. Explicatius § 1520 vigentis 4

praxis administratori facultatem tribuit explendi = *qualunque atto conservatorio dei comuni interessi* = , quod verbum *atto* intelligi debet tam in judicio, quam extra judicium, prout admonit *Glossa in cit. leg. 2 ff de Curat. bonis dan.* animadversa est superior mea Decisio in § 7 quæ etiam perpendit consonam esse fori observantiam ad ea quæ monuit *S. Ordo in decis. Bononien. pecuniaria diei 27 Junii 1823 coram Emo Marco.*

5 Sed academica videbatur hæc juris disquisitio, statim ac in facto ambigi nequit explicitum a congregatis creditoribus mandatum datum fuisse Vincentio ad prosequenda, et ineunda Judicia concreditam administrationem respicientia. Porro ipsi enim eidem præscripserunt, = *che debba esigere direttamente dai Subaffittuarj le corrisposte dovute, e quante volte le suddette cose non riuscissero amichevolmente, hanno incaricato il sudetto Procuratore del Patrimonio di agire in giudizio con tutti i mezzi ammessi dalla Legge per ottenere quanto sopra* =: quam commissionem facto eloquentiori etiam confirmarunt, quando administratori pecunias exposcenti in sumptus litis responderunt = *ad unanimità di voti, hanno annuito alla sudetta richiesta* =.

6 Quapropter sive Vincentius uti generalis Administrator videri placeat legitime a congregatis creditoribus accitus ad curanda negocia patrimonii decocti Pompilii, sive uti peculiaris Administrator, Viviano subrogatus ad regendam conductionem universi Ceretani tenimenti, certum semper est, quod legitime coram Judice obsistentes rapere ipse potuit Bernardinius, quibus nil verendum erat, postquam A. C. Sententia diei 25 Novembris anni 1834 in Rem judicatam prolapsa, absoluto Vincentio a petita cautionis præstatione, solemniter statuerat in qualibet eventu esse = *verso di loro obbligato tutto il Ceto dei Creditori* =.

Et ita unica tantum etc.

---

## ROMANA MANUTENTIONIS

### SUPER BONO JURE

*Lunae 1. Februarii* 1836.

### ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO CCCCXLIV. -

#### SUMMARIUM

*1. Ex jure est quod ad viam aliquam publicam constituendam tria requiruntur, quod publice nempe, per eam eatur, quod sit in solo publico extructa, vel in solo aere publico empta, quod a loco publico incipiens ad quemlibet publicum locum ducat.*

*2. Ad viae publicitatem constituendam nullius de per se praesidii est probatio, quod per eam ad longum etiam tempus itum fuerit, nisi caetera copulative concurrant requisita.*

*3. Ut publica judicanda sit via, necesse est ut certa et graphice circumscripta sit ejus latitudo.*

*4. Privata est via quoties in publicum locum haud desinat.*

*5. Ex legitimis tabulis natura viarum constituenda.*

*7. Viae privatae uti publicae habentur, dummodo vel servitus imposita probetur, vel semita communibus reficiatur sumptibus, vel in villas vel ad aliquod publicum agrum ducat.*

*8. Servitus constituitur vel pactis et stipulationibus, vel temporis praescriptione* - Et num. 9.-

*10. Testes qui deponunt de transitu, simpliciter testantur de materiali facto, quod impar est ad inducendam servitutem.*

*11. Juris praesumptio testes fovet ob bonorum libertatem deponentes.*

*12. Cessante necessitate, leges haud sinunt quod per privatum alienum agrum ducatur iter, quod per publicam viam agere licet.*

### DECISIO DXLI

Ad lævam Viæ Consularis extra Portam Portuensem, quæ ad mare ducit, tribus ad Urbe lapidibus, loco, quem dicunt = *Pozzo Pantaleo* = alia occurrit Via, quæ protenditur usque ad Latifundium = *la Magliana* =, a quo nomen mutuatur, ibique intermoritur. Plura exinde succedunt latifundia maxime Principum Pallavicini, et Barberi-

Digitized by Google

ni, quæ per alterum latifundium proxime accedunt ad Viam Consularem non multo longe a ponte Galera, qui extat in eadem via, et ubi rursus Consularis Via patet. Cum faciliorem præsertim plaustris oneratis, aditum præbeat semita = *della Magliana* =, quam Via Consularis, possessores, conductoresque Latifundiorum, quæ trans præcitatum pontem sunt, relicta Consulari Via, altera utendi consilium iniverunt; Sed cum ab intermediorum tenimentorum Possessoribus transitus eisdem interdictus fuerit, inito foedere sub nomine Principis Ludovisi Boncompagni Vadimonium Viris Principibus Pallavicinio, et Barberinio indixerunt cor. A. C. Marollio, mandatum exposcentes manutentionis in parifica possessione transeundi per præcitatam Viam *della Magliana* usue ad Pontem. Judex peritum deputavit, qui ad loci faciem accederet; at obtinuerunt Viri Principes a Signaturæ Justitiæ contra hujusmodi decretum appellationem in suspensivo: Duplex proinde quæstio fuit S. N. Ordini proposita, altera super manutentione, altera super Periti deputatione. Cum principio vadimonium Rei Conventi deseruerint, die 24 Decembris 1832 instantis Principis favore petita manutentio decreta fuit. At ad trutinam revocata causa, cum PP: Mei illam haud esse in simplici possessorio manutentionis judicio dirimendam censuerint, de bono jure cognosci etiam ad effectum manutentionis decreverunt. Die itaque 22 Aprilis anni 1833 Dubio = *An et cujus favore constet de bono jure ita ut sit daada manutentio in casu etc.* = responsum datum fuit *Negative in omnibus.* Obtinuit tunc Boncompagnius, ut per modum provisionis transeundi potestas interim sibi, litisque consociis fieret = *previa l'obbligazione dello stesso Boncompagni di ridurre in pristinum, e rifare li danni in fine della lite* = et periti Architecti relatione suffultus in nova causæ propositione dilatorium reportavit rescriptum cum deputatione periti, qui referret super existentia Viæ. Reproposita tandem hac mane causa assueto Dubio = *An sit standum, vel recedendum a Decisis* = responsum retuli = *In Decisis* =.

Quod per controversa latifundia iter 1
haberi possit cum nullum sit dubium, videndum tantum superest, an cuiquo patens per eam esse debeat transitus ad consortialem assequendam semitam *della Magliana*. Pro affirmativa pugnat Actores, qui profecto, ut id obtineant, docere debent indubie vel quod publica sit via, vel quod activæ servitutis titulo eundi, agendique jus acquisiverint, ad monita per *Moscard. de probat. Conclus.* 1227 *n.* 3 *S. Rota in Dec.* 1172 *n.* 1 *cor. Emerix, in Firmana Manutentionis* 21 *Martii* 1753 *n.* 8 *cor. Figueroa, in Bononien. Viæ* 25 *Junii ejusdem anni n.* 4 *cor. Vicecomite, et in Reatina Manutentionis super bono jure* 7 *Maii* 1770 *n.* 7 *cor. Riccio.* Neutrum tamen probasse videbantur Actores. Siquidem ex jure est quod ad viam aliquam publicam constituendam tria requiruntur, primo quod publice per eam eatur, secundo quod sit in solo publico extructa, vel in solo ære publico empto, tertio demum quod a loco publico incipiens ducat ad civitatem, ad flumen, ad publicam aliam viam, vel ad quemlibet publicum locum ad *text. in leg.* 2 § *Viarum ff. ne quid in loco publico Leg. fin. ff. de itinere actuque privato, Ripa in leg. Quominus numer.* 92 *ff. de fluminibus; Menoch. cons.* 446 *numer.* 13 *Decis. cons.* 15 *num.* 2. *Laderch. cons.* 124 *n.* 5. *Palma Cons.* 59 *n.* 2. *Riminal. de Jur. Cons.* 382 *n.* 15. *Mascard. de probato Conclus.* 1414 *per tot. Sabel. in Summ. retrac. Verb. Via num.* 1. *Const. ad Stat. Urb. Cap. de Viis Pubbl. ac priv. adnotat.* 22 *Art.* 1 *n.* 3. *Pacichel. de Distant. Cap.* 6 *mem.* 6, 9 *n.* 2 *et seq. Staibaa. Jur. resol. for.* 65 *n.* 1 *Prugiot. Epitome Juris Viarum Cap.* 1 *n.* 24 *et Surd. Decis.* 42 *n.* 2.

Atqui primum requisitum, quod nem- 2
pe cuique libera esset facultas eundi, agendique per controversam viam excludebatur ex facto, quod transeundi potestas ab Excmi Viris Principibus Pallavicino, et Barberinio concessa quandoque fuerit nonnullis ex iis, qui

latifundia habent trans pontem *Galera*. Utique si publica fuisset Via, de qua agitur, baud certe eundi veniam vicini petiissent, nec concedentibus liberum fuisset transitum aliquando impedire sub poena etiam mandati de capiendo. Nec quidquam actoribus prodesset, etiamsi datum iis esset demonstrare, quod ea Via continuo usi sunt; juris enim non controversi est ad viæ publicitatem constituendam, nullius de per se præsidii esse probationem, quod per eam ad longum etiam tempus itum fuerit, nisi coetera copulative concurrant requisita, ut docet *Bartol. in Leg.* 1 *ff. de his qui effud. vel dejecer.* et testantur citat. *Paciehel. in Cap.* 5 *mem.* 9 *n.* 2 *Staiban. Jun. in cit. regul.* 65 *n.* 1. *Cepolla de Servitut. rustic. præd. Cap.* 3 *n.* 18 *et Constant. in Annot.* 22 *Art.* 1 *n.* 8.

3 Desiderari alterum requisitum, quod scilicet controversa via extructa fuerit in solo vel publico, vel publico ære coempto; desiderari, quod certa, et graphyce circumscripta sit cjus latitudo id quod etiam requiri docent post *text. in leg.* 2 § *Viam ff. ne quid in loc. publ. cit. Pacichel Cap.* 6 *mem.* 9 *num.* 2 *cit. Brugiot Epitom. Var. Cap.* 1 *n.* 50 *Pecch. de Servit. Cap.* 9 *quæst.* 7 *n.* 2 *Cepolla de Servit. rustic. præd. Cap.* 3 n. 18 *et S. Rota in Imolen. seu Ferrarien. Viæ super Solut. pretii* 16 *Aprilis* 1791 § 15 *cor. Malvasia, et in ipsius confirmatoria diei* 20 *Aprilis* 1792 § 6 *cor. Eod.*, patet ex co, quod semita, de qua disputatur, per medios agros aperta gentis Pallaviciniæ et Barberiniæ nil ex iis exhibet, quæ in publicis quibusque viis occurrunt. Non ca foveis, non repagulis ad certam lineam ac latitudinem circumscribitur. Sed medios vaga et incerta excurrit in agros, prout singulorum transeuntium commodo opportunius fit. Id confiteri quoque debuit Judicialis *Peritus Valadier*, qui inutilitatem suæ deputationis edita peritia plenissime demonstravit, quique etsi cordi plurimum habuerit viæ existentiam probare, attamen quod ex publica sit renuncianda, asseverare ausus non est. Fidem recte inspectæ non aliud donari potest nomen, quam, *un trattoro di rotare senza carrareccia e senza alcuna opera manufatta, e senza limite di larghezza, occupando vario spazio a piacere dei transitanti, e secondo le Stagioni*, veluti Peritus Sani descripsit, cujus relationem nova peritia adprobavit deinde excellens in arte Peritus Venturoli, adhærente etiam Architecto Bertolini, qui omnes Judicialis Periti equivocationes corrigentes plene erroneitatem probarunt peritiæ Lanciani, qua innixi contradictores assertam Viæ publicitatem acriter defendebant.

Deerat postremo tertium requisitum; 4
Etsi consocialis semita *della Magliana*, a via publica Portuensi incipiat, certum tamen est, quod ipsa ad locum publicum baud ducit, cum intermoriatur in privatum S. Ceciliæ tenimentum. Quocirca si publica definienda est via, quæ a loco publico ad publicum locum ducit, e contra privata renunciari debet, quoties in publicum locum band desinat, sicuti docet *Rocca disput. jur. select. Cap.* 171 n. 22, *et S. Rota in Decis.* 58 *post Pacichel. de distant. et in Decis.* 636 *n.* 5 *cor. Olivatia.*

Nec Patres movit Alexandri VII tabula, vel quidquid dictitare potuertnt 5
Nibbius, Boccomazza, Lancianus, aliique per contradicentem Ludovisium invocati, ut deficienti publicitatis probationi supplere aliquo mudo posset. Etsi enim ex hisce adductis, præcipue ex antecessoris Nibii animadversionibus, pateret, quod semita controversa partem olim efformaverit Viæ Portuensis, quæ publica erat; hujusmodi tamen hodie certe non est, et ignoratur omnino, quid in tot sæculorum intercapedine super illa paratum fuerit, cum sufficiat, hodie illam nullam præbere publicitatis notam, ut privata dijudicanda non sit. Nec tamen asserta publicitas constitui valet ex documentis per contradicentem Virum Principem Boncompagni adductis. Reapse tabula quæ jussu Alexandri VII anno 1660 confecta proponitur, cum ad descriptionem, et mensuram totius Agri Romani ad effectum imponendi taxas exa-

rata appareat, nullam certo validam constituere potest probationem circa naturam Viarum, quæ in Latifundiis existunt, utpote animadvertit S. N. Auditorium in *Romana juris transeundi super bona jure* 14 *Junii* 1768 § 13 *cor. Cornelio*. Cum insuper ea tabula dic, consule, certoque suo Auctore carct, in suspicionem non immerito adducebatur. Quæ profecto suspicio augebatur ex eo quod quæ afferebatur, ab aliis discrepat tabulis, quæ in Archivio servantur Tribunalis Viarum, et quæ Archetypum fuere tabulæ Alexandri VII. Siquidem etsi in eisdem omnia latifundia accurate recenseantur, per quæ iter fit, viæque publicæ certa latitudine, et proprio nomine distinctæ reperiantur, attamen in opposita tabula nihil exhibet ejusmodi, ex quo publicæ viæ qualitas concludenter arguatur. Insuper PP. Mei porpendebant. quod si autographo haud multum fidendum erat, dispiciendum omnino veniebat ejusdem exemplas a Perito Lancianio confectum. Dum enim in autographo Viæ publicæ, et privatæ, vici, et quilibet transitus suis numeris indignantur, loco, quo asserta reperitur Via publica, quædam tantum punctorum series occurrit, quæ publicam Viam ostendere haud certo valet, dum si tabulis esset, suo numero indigitata fuisset, sed ad summum privatum ostendit diverticulum ad latifundia a tabulæ auctore punctibus adnotatum. E contra Lancianus in suo exemplari proprio marte eisdem punctis substituit verba = *andamento della strada controversa* =, quod inscite supplevit, cum Peritus Sani, et Eques Venturolius animadverterint, quod = *l'andamento del* 1660 *non combina punto coll'andamento presente* = quia illud = *è molto più basso e più vicino al fiume, che non è l'attual sentiero* =, prout luculentissime scatet ex utriusque tabulæ comparatione quæ = *dimostra questa discrepanza a colpo d'occhio*.

5 Perridicula etiam videbatur publicitatis probatio, quam instantes eruebant ab opere Dominici Boccamazza, cui titulus *Guida del Cacciatore*. Cum auctor ille Venatoribus indigitavit vias, semitasque tam publicas quam privatas, nil mirum quod adnotavit etiam, viam quæ ad Latifundia Gentis Pallaviciniæ pergit, quin ex ipsius mentione aliquid constitui possit circa controversam ipsius publicitatem. Pejori demum consilio Boncompagnus ad taxarum solutionem confugiebat. Probare enim ipse nequivit præstitas reapse taxas fuisse a quolibet contermino possessore pro refectione transitus, de quo agitur. Falso propugnabat taxam pro refectione viæ *della Magliana* etiam a possessoribus; qui latifundia trans Pontem Galera possident, persolutam fuisse. Probatissimum enim in facto est, tunc tantum, quam de utraque Via Portuensi, et *della Magliana* simul reparanda res fuit, prædiorum possessores, qui illarum commodo utuntur, in reparationis expensas contulisse; at cum de separata ipsius Viæ *della Magliana* refectione actum fuit, tunc in contributum vocati haud fuere, qui ex altera parte di *Porto* latifundia possident, prout ex ipsis taxarum indictionibus per contradicentes adductis evidenter depromitur. Modus hic servatus in taxarum collectione directe adversatur promptæ actioni et mire retorquetur ad excludendam viæ publicitatem, quæ alioquin ex taxarum solutione constitui nequiret; cum potius per errorem solutæ censendæ essent, et locus fieret earum repetitioni ad *text. in leg. solemnibus Cod. de rei vindicat. Leg. Si Pater Cod. de Act. Empt. Leg. si functiones Cod. de donat. Genua de script. privatis l.* 5 *quæst.* 9 *n.* 7 *et Peregrin. de fidecom. Art.* 44 *n.* 8.

Exclusi itaque controversi transitus 6
publicitate, frustra ab agentibus excipiebatur, quod viæ privatæ quandoque uti publicæ habendæ sunt ad *text. in leg.* 2 § *ff. ne quid in loco publ.* Obtinet vere id, prout ex ea lege colligitur, at dummodo vel servitus imposita probetur, vel semita communibus reficiatur sumptibus, vel in villas, vel ad aliquod publicum Agrum ducat. At cum ex superius adductis argumentis probatissimum sit nil unquam insumptum

fuisse in refectionem controversi transitus; qui adhuc est = *un trattoro di rotare senza carrareccia, e senza alcuna opera manufatta* =, cum quoties de viæ *della Magliana* refectione actum fuit, solummodo contermini possessores pro expensis contribuere pro rata debuerint, cum semita controversa in villas non ducat, videndum tantum supererat, an jure servitutis privatæ ipsius viæ usum contradicentes possessores vindicare sibi possint.

7 Cum servitus sit jus in re aliena, sequitur, quod ea constituatur vel pactis et stipulationis § 4 *Instit. tit. de Servit.*, vel ultimis voluntatibus § *ult. Eod. leg.* 16 *ff. comm. præd.* vel denique temporis præscriptione *leg. ult. in f. Cod. de præscript. longi temporis*: proinde qui sui favore servitutem allegat, unum ex hisce titulis probare debet, alias pro ipsius exclusione ferendum est; *Gail. observat.* 60 *n.* 6 *lib.* 2 *Cyriac. Controv.* 28 *n.* 7 *et S. Rota in Dec.* 412 *n.* 2 *et* 3 *part.* 14 *in Recent.*, *in Bononien. juris transeundi* 17 *Martii* 1727 § 2 *cor. Millino, in Reatina Servitutis* 12 *Feb.* 1751 § 2 *cor. Bussio*, *et in Romana juris transeundi* 5 *Julii* 1822 § 9 *cor. Emo Marco*. Cum vero nec a pacto, nec a testamento præsidium habet Vir Princeps Boncompagnus, perperam ipse in temporis præscriptione pro motæ actionis præsidium quærebat.

8 Seposita enim quæstione utrum ex immemorabili usu, an potius ex viginti, vel triginta annorum lapsu itineris, vel transitus servitus constituatur, illud unum in hodierna causa animadvertendum occurrit, quod nulla ratione probatur in casu per satis longum tempus ad ipsam præscriptionem statuendam habile, illuc homines, juramenta et plaustra ita ivisse, ut nullus eorum itineri resisteret, vel impediret. E contra plurima per Excmos Viros Princeps Barberinium, et Rospigliosium in cujus per illustrem familiam coaluere jura, et bona, quæ Pallaviciniæ genti spectabant, adlata fuere acta concludentissima, quibus patenter ipsi demonstrarunt numquam æquo animo sivisse ipsius transitus usum, et quando petentibus pro eorum lenitate scriptam dedere eundi licentiam; hanc semper concesserunt = *con dichiarazione, che un tal permesso non passi in esempio, e non possa somministrare titolo o diritto di sorte alcuna per il divisato transito* =.

Contra tam patulam jurium reservationem perperam testes inducebantur, ut eorum voce exosa inducta probaretur ex temporis lapsu præscriptio, de qua quæritur. Imparem enim PP. Mei dijudicandam eorum fidem rati sunt ex eo, quod nemo ex iis præditus videtur qualitatibus, quas exposcit notissima *Glossa in Cap.* 1 *Verb. Mem. de Rescriptis in* 6., quique, vel quia venatores rei perinde veritatem haud agnoscentes, vel quia interesse in Causa habentes, tutum haud possunt præbere testimonium, præsertim confligentibus aliis testibus, qui contra ipsam servitutem deponunt. Ii enim cum pro fundorum libertate testentur, præferendi omnino sunt, prout constanter docuit S. N. Ordo, *præsertim cor. Emerix Dec.* 7 *n.* 5 *Dec.* 60 *post Pacichel. de Distant. n.* 6 *Dec.* 66 *n.* 10 *cor. Ratta Dec. Cesenaten. Servitutis* 26 *Junii* 1748 § *fin. cor. Molino, Camerinen. Juris Molendini* 10 *Dec* 1755 § 6 *cor. Paracciano, Reatina Servitutis super bono jure* 12 *Jun.* 1759 § 10 *cor. Olivatio, et in Imolen. seu Ferrarien. Manutentionis super bono jure* 30 *Aprilis* 1792 § 10 *cor. Resta*. Quod pressius firmum retinendum est ex ratione, quod testes qui deponunt de transitu, simpliciter testantur de Materiali facto, quod impar est ad inducendam servitutem, cum ex jure præsumi possit, quod id contigerit vel ex precario vel clandestino, vel ex jure familiaritatis, quæ satis sunt ad excludendam servitutem ex doctrina Bartoli in *L.* 2 § *Hoc interdicto ff. de itinere, actuque privato Alexand. cons.* 42 *n.* 3 *lib.* 3 *Sabell. Verb. Servitus n.* 5. *Altograd. Cons.* 12 *n.* 24. *Pacichel. int. Cap.* 6 *mem.* 9 *n.* 53, *et S. Rota Dec.* 177 *n.* 3 *cor. Surd*; *in Romana Decurs. Aquar.* 23 *Junii* 1662 § *demum cor. Troja, Dec.* 10 *part.* 4 *t.* 2 *n.* 14, *in Recent.* 9

10 Nec ex Juris tantum præsumptione præferendi utique videbantur testes de bonorum libertate deponentes. Facta enim momentosissima præsto quoque erant, quæ dum assertam servitutem transitus omnino eliminant, perspectissime e contra ipsorum Testium depositionis veritatem demonstrant atque inviete confirmant. Præter enim veniam ab iis impetratam, qui iter per latifundia Gentis Pallavicinæ, et Barberiniæ agere maluere, et quam superius vidimus relaxatam semper fuisse salutaribus adjectis clausulis omnimodam servitutis ideam excludentibus, nonnullæ etiam accedebant Judiciales Criminationes ab Exemi Viris Principibus contra eos promotæ, qui absque eorum consensu per latifundia transire ausi fuerant. Quæ eundi petitiones, consonæque concessiones, nec non promotæ noxales actiones, quærelæ, ac Criminales Inquisitiones, dum absolutum in Agentibus Viris Principibus constituunt suorum Fundorum dominium ad ea, quæ docuit S. Nostrum Auditorium in *Prænestino Manutentionis* 13 *Julii* 1763 § 8 *cor. Riccio*, *in Signina Juris Pascendi super bono jure* 29 *Aprilis* 1803 § 6 *cor. Resta*, *in Romano*, *seu Ferentina Juris privativi Molendinorum* 28 *Aprilis* 1823 § 3 *cor. Emo Isoard*, *in Ferentina Proprietatis* 12 *Junii* 1835 § 16 *cor. R. P. D. Meo Muzzorelli*, *et in Ferentina Sylvorum super Dominio diei* 11 *Maii ejusdem anni* § 11 *cor. Me.*, invictissime e contra excludunt quemcumque legitimum usum prætensæ Servitutis transitus ad ea, quæ animadvertit S. Ordo *in Dec.* 347 *n.* 4 *in Rec. et in Dec.* 60 *post Pacichel. de Distant.* n. 4.

11 Quibus ex rebus cum in auras abiverit controversa viæ publicitas, consequens est, quod nemo præter conterminos possessores per eam iter agere possit. Neque juvat demonstrare consularem viam vel esse longiorem, vel difficiliorem ad vehendas fruges. Id enim sufficientem numquam suppeditavit rationem pro constituenda odiosa servitute super alienis prædiis, prout monuit S. N. Auditorium *in Dec. Civit. Castellanoe Juris transeundi* 25 *Aprilis* 1738 § *fin. cor. Millino*, *et in Reatina Servitutis* 12 *Febr.* 1751 § 5 *cor. Bussio*, cum cessante necessitate, leges haud sinant quod per privatum alienum agrum ducatur iter, quod per publicam viam agere licet, ita præcipiente *cit. Dec. Reatino cor. Bussio in* § 5 *et aeque cit. altero Dec. Civ. Castellanæ cor. Millino* § 11.

Et ita relatione habita ad præcedentem Decisionem, quae confirmatur, decisum fuit. Utraque etc.

---

## ROMANA MANUTENTIONIS

### SUPER BONO JURE

*Veneris* 3 *Junii* 1837.

### ARGUMENTUM

**Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO DXLI. -**

**SUMMARIUM**

1. *Qui manutentionem vias petit, ad normam boni juris, oportet ut demonstret, aut publicam existere viam, aut transitum fuisse quaesitum jure servitutis.*
2. *Via pubblica, foveis, ac repagulis munita esse debet* - Et num. 3. -
4. *Tabulae, quas carent, die, Consule, et suo Auctore, nullo in pretio sunt habendae.*
5. *Vias publicitas non recte deducitur a taxarum solutione.*
6. *Via Consortialis differt quam maxime a via consulari.*
7. *Taxarum solutio, nec dominium, nec possessionem probant.*
8. *Servitus itineris, vel viae non aliter praescribitur, nisi concurrat immemorabilis.*
9. *Testes qui deponunt de immemorabili, debent pollere requisitis notissimas glossae in Cap.* 1. *de praescript.*
10. *Jus publicum privatorum pactis mutari non potest.*
11. *Legitimum transitus usum, excludunt querelae, ac criminales inquisitiones.*
12. *Testes varii, singulares, et non deponentes de facto proprio, non probant.*

Digitized by Google

*13. Leges praeter casum necessitatis, nunquam permittunt, per privatam alienum agrum fieri posse iter.*

## DECISIO DXLII.

Possessores Latifundiorum, quæ a Ponte Galera ad Tyrreni oras porrigntur, cum difficiliorem viderent plaustris præcipue oneratis semitam Consularis Portuensis Viæ, quæ ad Urbem ducit, transeundi consilium inivere per alteram planiorem viam consortialem, quae incipiens a ponte *della Magliana*, a quo nomen mutuatur, in praefatam consularem viam exit, tribus ab Urbe lapidibus, loco, quem appellant *Pozzo Pantaleo*. In quam consortialem viam ut ipsi ingrederentur, percurrere ex necessitate debebant per intermedia tenimenta, quae infra praefatos duos pontens possident praenobiles Viri Principes Pallavicini; et Barberini, qui aegre id ferentes judicialiter obsistere huic usurpationi constituerunt. Grave proindo certamen exarsit inter eosdem Possessores, qui sub nomine Viri Principis Aloysii Boncompagni causam agebant, et praenobilem Virum Principem Julium Caesarem Rospigliosi, qui cum defecisset Gens Pallavicinia, dominus effectus fuerat Latifundii *Campo* di *Merlo*, per quod et per alia Latifundia transibant iidem possessores. A. C. Juridicus, coram quo manutentio in pacifica transitus possessione petita fuerat, a facti inspectionae causae definitionem pendere cum putaverit pro periti deputatione interlocutorium edidit decretum, a quo cum provocatum fuerit, causa delata est ad S. N. Ordinem, qui die 24 Decembris anni 1832; parte adversa vadimonium deserente, petitam decrevit manutentionem favore Excellentissimi Viri Principis Aloysii Boncompagni. Ad trutinam, vero reversa causa de bono jure etiam videri ad effectum manutentionis PP. Mei censuerunt. Proposita proindo causa in comitiis diei 22 Aprilis 1833. sub concinnata dubii formula = *An et cujus favore constet de bono jure ita ut sit danda manutentio in casu etc.* = responsum datum fuit = *Negative in omnibus* = Cum de hujusce rescripti viribus cognitio sumenda esset placuit S. N. Ordini judicium comperendinare, et interim Peritum accire, qui referret super controversiæ viæ existentia. Iterum proposita tandem causa in Comitiis diei 27 Superioris mensis Februarii, Patres latam antea Decisionem confirmare rati sunt, prout confirmatam quoque hodie voluere, repetito Responso = *In Decisis* =.

1 Cum res sit de manutentione concedenda ad normam boni juris, necessarium omnino erat actoribus alterutrum evidenter docere, aut publicam existere viam per Reorum Conventorum latifundia, aut quæsitum ab eisdem fuisse transitum servitutis jure. Utrumque acriter in anteactis propositionibus deffenderunt Actores, sed in iterato ipsius causæ periculo haud inconsulte deseruerunt hodie desperatam eam provinciam insistendi, scilicet super controversiæ viæ publicitate, quam invictissime exclusit superior Mea Decisio, plene probans, nullum in casu concurrere ex tribus extremis, quæ Jura requirunt, ut publica via dici possit. Prætermissa igitur controversia super viæ publicitate, agentes possessor potius se omnino verterunt ad defendendam viæ existentiam, et cum ex jure retinerent, transitum esse necessarium ipsius viæ consequens, concludebant jus transitus eisdem omnino competere oportere.

2 At Patres cum iisdem convenire haud poterant super asserta viæ existentia. Sit utique, prout monet Archeologus Nibbius, quod antiqua Via Portuensis transierit per controversa latifundia, at ex historica hac notitia haud certe descendit, quod de præsenti quoque existat via, quod tantummodo in themate probandum erat. Revera certam et graphyce circumscriptam latitudinem, viæ, ut existant, habere debent *ad text. in Leg.* 2 § *Viam ff ne quid in loc. pub.* foveis ac repagulis munitam, quæ omnia deficere in semita, de qua disputatur, est res in facto compertissima, cum incerta et vaga medios excurrat agros, prout singulorum transeuntium commodo opportunis videtur.

Quod viderunt et animadverterunt Peritus Sani, Antecessor Venturoli, et Architectus Bertolini qui nullam plane viam, sed vix existere referunt = *un trattore di rotare senza carrareccia, e senza alcuna opera manufatta, e senza limite di larghezza, occupando vario spazio a piacere dei transitanti e secondo le Stagioni* = quod idem fere declaravit ipsemet Peritus Judicialis Valadier, qui viam non existere fassus est, quamvis haberi transitum per ea latifundia significare voluerit. Si tot, et tam lecti Viri concordes sunt in exclusa viæ existentia, non sano consilio agentes Possessores difficile suscepere opus evincendi illius existentiam, quam aliunde loculentissimis probationibus constituere debebant.

3 At hujus ponderis haud certe erant probationes, quæ ab usu consuetudine, et ex majorum more ipsi deducebant. Infeliciter revera transitum per controversa latifundia antiquitus habitum fuisse iidem probabant cum auctoritate Dominici Boccomazza, qui anno 1548. Romæ typis suum evulgavit opus sub titulo = *Guida del Cacciatore* =. Si Auctor ipse Venatoribus viam indigitavit, quæ = *và in Campo di Merlo e và al ponte di pietra che è sopra la Galera* = dum nos monet, quod de eo tempore aliqua via existere potuerit, non ex eo descendit, quod et hodie existere ipsa debeat, obsistente præcipue contrario facto, nempe quod loco viæ tantum inveniatur = *del terreno naturale senza alcun letto arte fatto di breccia, o di altro senza fossi, o cunnette ai lati* = modo ut impossibile sit *segnarne la traccia*; prout monuit Venturolius.

4 Perpera iterum deinde invocabitur tabula Agri Romani anno 1660 confecta jussu Pontificis Alexandri VII, quæ haud certe probat viæ existentiam. Animadvertebant enim Patres relatæ tabulæ haud multum fidendum esse, non tantum quia die, consule, suoque auctore, careat, quantum etiam, quia ab aliis discrepat tabulis, quæ in Archivio servantur Tribunalis Viarum; et quæ Archetypum fuere tabulæ Alexandri VII. Dum enim in Authographo Viæ publicæ, et privatæ, vici et quilibet transitus suis numeris indigitantur, loco, quo asserta reperitur Via, quædam tantum occurrit punctorum series, quod satis probat, haud extitisse tempore illius Pontificis controversam viam, alias et ipsa suo numero adnotata in eadem tabula reperirentur. Male igitur extrajudicialis Peritus Lanzianus in suo exemplari punctis illis, qui ad summum privatum diverticulum ostendebant, proprio marte substituit verba *andamento della Strada controversa*, et pejus contradictores fallaci illo exemplari innixi constituere præsumunt viæ existentiam, quam certe non admittit, immo excludit invocata ea Alexandri tabula, si archetypum potius, quam exemplar attendi placeat. Idem sentiendum erat de invocato Annonario Censu, qui ex Pii VI mandato anno 1783 fuit confectus. In eo enim habemus latifundium *della Magliana* descriptum uti conterminum *con la strada tendente a Ponte Galera* scilicet cum via consulari Portuensi, quæ nihil commune habet cum controverso transitu. Reapse ex adnexa tabula compertum remanet latifundium conjungi *per mezzo di una carrareccia* cum via consulari, quæ pergit ad præfatum Pontem Galera. Hæc est ratio, cur præfatum latifundium in præcitato Annonario Catastro descriptum apparet, tanquam conterminum *con la strada tendente a Ponte Galera*; At adnotatio hæc nullam valet constituere probationem circa viæ existentiam, quæ cum sit res facti, et in facto excludatur a judiciali Perito, et ab aliis eximiis viris, qui ad loci faciem accessere, non inductionibus idcirco, sed luculentissimis probanda erat argumentis, quæ erroneam ostenderent Peritorum relationem.

Nec validior videbatur probatio a taxarum solutione deducta. Princeps enim Aloysius Boncompagni minime probavit, quod possessores trans pontem Galera exclusive taxas persolverint pro restauratione viæ *della Magliana*. Nec id deduci potest ex taxa Duci Braschio imposita; is enim cum possessor ac dominus fuerit latifundiorum etiam 5

*la Civichetta, Pisciarello*, et *Maratella* quæ citra præfatum pontem sita sunt, mirum esse nequit, quod iter habuerit per sua latifundia et par viam quoque *della Magliana*, quo in casu naturale erat, quod pro hujusce viæ restaurationibus taxam et ipse persolveret.

6 Inscite igitur ab hac solutione deducebatur viæ existentia, quæ neque constitui quibat, si etiam probaretur, persolutam eam fuisse ab iis quoque, qui prædia babent trans pontem Galera. Ex facto enim constat, quod ii haud transibant per controversa latifundia, sed iter potius faciebant per viam consularem, a qua exibant, cum pervenissent ad latifundium Ducis Mattei, ibique privatam ingredientes viam recta peragebant ad pontem *della Magliana*. Ex quo evidenter ostenditur, quod etiamsi aliquid in jure constituere valerent taxarum solutiones, et in casu quoque, invicte probaretur, possessores trans pontem Galera illas reapse persolvisse pro refectione viæ *della Magliana*, nil tamen ipsæ in facto constituere quibant, attenta facti circumstantia, quod agentes possessores, cum per obliquam illam semitam consortialem ingressi sunt viam *della Magliana*, necessario quidpiam persolvere et ipsi debebant pro illius refectione; quin ex hoc transitu aliquid constitui possit super existentia viæ per controversia latifundia, cum hæc exclusa potius pateat ex ipso facto transeuntium, quibus, cum per eam privatam semitam *della Casetta Mattei* transeundi jus fuisset, judicialiter obstiterunt, ne sibi impediretur. Hoc enim deponunt Aloysius Pizzicheria, Peritus Agrimensor Seraphinus Sala, et nunc defunctus Joseph Vitelli, qui de proprio facto narrat, quod anno 1817; cum ipsius tenimenti *della Magliana* fuerit conductor, et illud repagulis claudere constituisset = *nel construire la Staccionata suddetta fui obbligato di formarci il cancello, e di tenerlo chiuso con la sola lumaca, perchè potesse ognuno aprirlo, e passar liberamente con li carri, ordegni, e cavalcature* =.

7 At in casu, de quo quæritur, si taxarum solutiones ex concurrentibus facti circumstantiis haud aliquid conficere potuerunt, facile Patribus meis perspectum apparuit, quod iisdem etiam non concurrentibus contrariis factis, idem semper sentire oportebat ex peculiari recepti juris censura. Qui enim vectigalium distributionibus præsunt, minime scrutantur, utrum jure vel injuria quis per aliquam semitam transeat, et quo modo transeat;s olum vero ipsi transitus factum respicientes, vectigalium solutionem inducunt. Insuper, qui via absque jure utitur, faciliorem se præbet ad solvendum, ne solutioni renuens juris etiam injusti exercitium eisdem impediatnr. Qua de re in foro regula invaluit nb ipso opponente quoque Viro Principe Aloysio libenter admissa, quod haud probetur viæ publicitas ex taxarum solutione, quam minus recte, veluti subsidiariam, idem Aloysius invocabat in iterata hac causæ propositione nd comprobandam transitus possessionem. Receptum est enim in jure quod eædem taxæ, nisi alia argumenta proferantur, nec dominium, nec possessionem probant, cum solutæ per errorem potius censendæ sint, et locus fiat earum repetitioni ad *text. in leg. solemnibus Cod. de rei vindicat. Peregrin. de fideicomm. Art.* 44 *num.* 8.

At Vir Princeps Aloysius assertæ viæ existentiam magis magisque comprobatam acriter defendebat ex facti circumstantia, quod ab agentibus possessoribus acquisitus fuerit transitus per controversia latifundia jure servitutis. Præmisso enim quod de hoc in foro disceptetur, an servitus, de qua quæritur, *ad continuas*, seu potius *ad discontinuas* servitutes pertineat, prout verior videtur Sententia DD. *Glossa ad Leg. Servitutes ff de Servit. num.* 43 *et* 44 *Oinot. Instit. lib.* 2 *tit.* 3 *de servit. § fin. num.* 15, præmisso quoque, quod item in foro sit argumentum controversiæ, an viæ servitus constituatur ex immemorabili usu, seu potius ex viginti, vel triginta annorum cursu, certum tamen est, quod melioris notæ Doctores defendunt, non aliter posse itineris, vel viæ servitutem præscribi, nisi concur- 8

rente tempore immemorabili, seu spatio centum annorum. Id inter alios docet *Brunemannus Comment. in Pandectas Lib.* 8 *tit.* 1 *Leg. servitutes num.* 1, *et* 2 *Cancer. var. resolut. part.* 4 *Cap. de Servit. num.* 45 *et* 46 *Gomez var. resolut. tit. Eod. Cap.* 15 *num.* 27 *et* 28 *Cœpolla servit. urb. præd. cap.* 19 *numer.* 2 et S. Rota tam vetustioribus, quam novissimis temporibus; teste *Decis.* 101 *part.* 4 *num.* 15 *tom.* 2 *Recent. Dec.* 416 *num.* 4 *et* 5 *part.* 14 *Decis.* 238 *num.* 4 *coram Cerro, Romana Servitutis transitus* 31 *Januarii* 1753 § 4 *coram Elephantutio*, *Romana juris transeundi super bono jure* 4 *Julii* 1759 § 6 *cor. Verospio in Terracinen. Pascoorum* 17 *Junii* 1803 § 10 *coram Paracciana Nepesina juris transeundi* 4 *Julii* 1817 § 5 *coram Ziunano, et in Romana juris transeundi* 5 *Julii* 1822 § 9 *coram Eminentissimo Marco.* Sed si contraria opponentium opinio admittenda quoque esset, tunc eisdem probatio incumbebat luculenter evincendi servitutem acquisitam fuisse non vi, non clam, non precario. At in hoc hærebat eorum defensio. Perillustris enim Vir Princeps Julius Rospigliosi innumeris adductis documentis concludentissime demonstravit numquam æquo animo a contraversorum latifundiorum possessoribus permissum fuisse illius transitus usum, et quando petentibus pro eorum lenitate transitum permiserunt, id concessum fuit peculiari data in scriptis = *nella corrente stagione* = licentia, in qua expresse declarabatur = *che un tal permessa non passi in esempio, e non possa somministrare titolo, o diritto di sorte alcuna per il divisato transito* =.

9 Minus recte proinde Actorum defensor insistebat super testium depositione pro exosa inducenda transitus servitute, et perperam præcedentem meam Devisionem objurgabat, animadvertendo, quod in adductis suis testibus necessarius baud esset concursus requisitorum, quæ exposcit notissima *Glossa in Cap.* 1 *verb. mem. de Præscript. in* 6 ex ratione, quod iis requisitis pollere debeant testes tantum, qui de immemorabili testantur. Præmisso enim quod ex relatis doctrinis verior ac receptior videatur opinio eorum, qui pro inducenda transitus servitute immemorabilem requirunt observantiam, nihilominus seposita quoque hac juris disquisitione videbant Patres, quod ex testium adductorum depositionibus nil certi erui poterat, ex quo ostenderetur, neque vi, neque clam, vel precario possessores transiisse per controversa latifundia. Revera Patruum perspicaciam effugere non potuit, quod aliqui inter adductos testes adnumerabantur, qui uti possessores vel conductores tenimentorum trans pontem Galera, præcipuum in causa habent interesse. Alii vero, qui de transitu loquuntur, de materiali facto simpliciter deponunt, quin excludant, quod id contingere potuerit, vel precario vel clandestine, vel ex jure familiaritatis, quæ ut cuique compertum est, satis sunt, ut exclusa haberi debeat optatæ servitutis inductio juxta ea, quæ animadvertit superior mea Decisio in § 11.

Profecto quonam modo ex facto transeuntium, ad quod se referunt Testium depositiones, inducta dici poterit servitus, de qua agitur, si aliunde ex documentis per Virum Principem Rospigliosium adductis invictissimo probatur, quod nonnulli transierunt, postquam ab Excellentissimis Possessoribus jam obtinuerant peculiarem in scriptis licentiam, in qua expresse cautum fuerat, quod ea concedebatur eum animo = *che non passi in esempio, e non possa somministrare titolo, o diritto di sorta alcuna per il divisato transito* =. Falso autem in themate ab opponente Viro Principe Aloysio excipiebatur, quod ea venia petita tantum fuerit, quando de armentorum transitu actum fuit; pejus autem ipse concludebat, quod in deteriori hypothesi veniæ a transeuntibus petitæ cæterorum juribus detrimentum inferre non poterant ex invocata juris regula, quod jus publicum privatorum pactis mutari non potest *Leg.* 33 *ff de pactis.* Ita excipienti respondebant Patres veritati alienum prorsus esse assertum factum postquam a Viro Principe Rospigliosi probatum jam antea fuerat, 10

Digitized by Google

veniss illas petitas fuisse non tantum ab iis, qui armenta transferre voluere, quam ab illis qui foenum, triticum, et paleas ad urbem transvehere cupiebant, quoad autem invocatam juris regulam animadvertebant ipsi quod viæ publicitatem ea jam supponit; proindeque aptari minime potest casui, postquam præcipue exclusa jam fuerat præsumpta viæ publicitas, et postquam libenter super ea re manus victas dederat ipsemet contrarius defensor.

11 Huic autem precariæ transitus concessioni accedebant quoque criminationes, quæ plene demonstrabant quanti existimandum sit transeuntium factum, de quo præcitati testes loquuntur. Querelæ enim et Criminales Inquisitiones, dum plene collimant cum testium depositionibus in statuendo transitus facto, invictissime e contra demonstrant transeuntes nullum habuisse jus eundi per inquirentium latifundia. Nec objici valet, quod ex Possessorum potentia inquisiti fuerint transeuntes; simplex enim facti inspectio quod querelæ promotæ fuerit coram judice competenti, in putidam calumniam resolvit exceptionem, cui subsidio esse non potest commentitia altera allata exceptio, quod accusati minime inqnisiti fuerint ex eo quod per controversam viam irent, sed quia ad libitum per latifundia vagarentur. At circumstantia, quod querelæ datæ fuerunt iis qui *cum plaustris* incedebant, suppositam per arva vagationem prorsus eliminat, et factum potius coarctat transitus per iter, quo super præsens agitur controversia. Quibus profligatis exceptionibus firmior redibat juris regula a superiori mea Decisione in § 12 constituta, nempe quod præfatæ querelæ ac Criminales Inquisitiones, dum absolutum in agentibus Viris Principibus constituunt suorum fundorum dominium invictissime e contra excludunt quemcumque legitimum transitus usum ex causa servitutis ad ea quæ perpendit S. N. Ordo in *Decis.* 347 *num.* 4 *in Recent. et in Dec.* 60 *post Pacichel de Distant. num.* 4.

12 Hæc autem quoad adductorum testium depositionem. Quoad autem corum personam effugere patrum prudentiam haud potuit, quod nonnullis quoque obnoxiis essent exceptionibus. Præterquamquod aliqui ex iis, ut superius innuimus, præcipuum habent interesse in hac causa, sunt cæteri in eorum testimoniu varii, singulares, minime deponentes de facto proprio, vel falso deponentes, quia liberum habuisse transitum dicebant, eum vicissim exposita in eos fuit querela, vel denique pendente lite expiscati, proindeque ut a nullo ignoratur, minime audiendi, præsertim cum conflictentur cum aliis testibus, qui contra ipsam servitutem deponunt, quique cum pro fundorum libertate testentur, præferendi illis omnino sunt, ad ea quæ multis adductis auctoritatibus monet præcedens mea Decisio § 11.

Quibus rebus cum ex ipsa opponentium confessione exclusa remaneat publicitas in via, quæ tenimentorum possessoribus citra Pontem Galera tantum inservit ad consortialem alteram viam = *della Magliana* = ingrediendam, cum per eam transitus servitutem possessoribus trans præfatum pontem haud competere jam demonstratum sit, facile PP. Mei perspiciebant, quod ad controversum transitum eisdem concedendum conducere nequibat animadversio, nempe quod longior, et difficilior ad vehendas fruges sit consularis via. Hoc enim nullam congruam rationem suppeditat pro odiosa constituenda servitute super alienis prædiis *Dec. Civitat. Castellanæ juris transeundi* 23 *Apr.* 1738 § *fin. coram Millino Reatina Servitutis* 12 *Februarii* 1751 § 5 *coram Bussio*: nam leges præter casum necessitatis haud sinunt per privatum alienum agrum fieri posse iter, quod per publicam viam agere licet. ita monente *cit. Decis. Reatina sub* § 5 et altera æque citata Decisio *Civitatis Castellanæ* § 13 *coram Millino.* 13

Et ita relatione habita ad præcedentem meam Decisionem jus redditum fuit. Utraque etc.

—

## ROMANA

NUNCIATIONIS NOVI OPERIS

*Lunae 8 Maii 1837*

### ARGUMENTUM

Habes in Superiori quae confirmatur - DECISIO DXVII.

SUMMARIUM

1. *Ædificandi libertas eatenus coercenda est quatenus ingens, ac irreparabile damnum vicino paratur.*
2. *Quando necessitas non adsit, judex moras praecidere, et ad exitum lites properare debet.*

### DECISIO DXLIII.

Ægre ferentes Hispanicarum Ecclesiarum in Urbe Moderatores, quod scalæ cujusdam domus sitæ *in via Frattina* eisdem RR. Ecclesiis pertinentis obcæcarentur ab Josepho Quaronio, qui conterminam domum altius tollere incæperat, novum ei opus nunciarunt coram Innocentianis Judicibus, qui probata domus extructione mandarunt ad altitudinem secundæ contignationis solarium confici, unde ductu aliquo lumen primi scalarum ordinibus præberetur. Displicuit Quaronio editaSententia, provocavitque idcirco ad S.Nostrum Ordinem, qui despecto A. C. temperamento, petitam absque ulla limitatione admisit novi operis nunciationem, testibus Decisionibus per me evulgatis diebus 17 *Martii*, et 3 *Junii* superioris Anni. Postulavit Quaronius, obtinuitque novæ Audientiæ beneficium sub obtutu præcipue, quod verendum esset, no totius jam excitati ædificii demolitionem Agentes Moderatores urgerent procul a quavis consideratione damni, quod Ecclesiæ ab extructo opere probaretur. Cum tamen id ab Actorum instantia, illorumque spiritu prorsus abhorreret, solliciti fuerunt iidem Moderatores de solemni emittenda declaratione, qua polliciti sunt =*non verrà dai Regj stabilimenti fatto demolire*; *ne distruggere il rimanente dell'Edificio Quaroni già compito* = Tunc ad acta venit Quaronius, editaque liti renunciatione, accepto se dixit habere A.C. Sententiam, valedicto *all' Atto d' Appello, ed a tutti gl'Atti successivi fatti in S. R.* =. At vigiles Ecclesiarum Moderatores cum perspexerint captiosam hanc renunciationem eo intendere, ut nullius efficaciæ redderet jus Ecclesiæ ex editis Decisionibus jam quæsitum, in die propositionis Causæ, peculiari exhibito libello, insteterunt ad hoc, ut decerneretur eam declarationem nullum parare obstaculum, quominus nunciationis controversia, prout de jure, definiretur. In Comitiis itaque diei 24 superioris Februarii dum PP. favorabiliter exceperunt incidentalem eam instantiam per assuetum Rescriptum = *ad Reverendissimum Ponentem juxta petita* =, quoad controversiæ meritum steterunt *In Decisis*. Obsequentissime in genere hujusce resolutionis justitiam agnovit Quaronius. In specie tamen propugnavit necesse fore, ut adamussim definiretur quid ex novo ædificio destruendum, quid servandum fuisset, cum nimis vaga apparet edita ab Agentibus RR. Ecclesiarum declaratio = *che non verrà fatto distruggere il rimanente dell' Edificio già compito* =. Quod petebat Joseph non ei denegandum Patres duxerunt, qui proinde assuetam dubii formulam in hodierno certamine propositam = *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.* = dirimerunt Rescripto = In Decisis juxta modum =.

1 Firmissima in casu manebat juris regulæ limitatio a superioribus meis Decisionibus constituta, ædificandi nempe libertatem quatenus coercendam esse, quatenus ingens, immane, ac irreparabile damnum vicino paretur § 3 *superioris meæ Decisionis*, prout in facto reapse obveniret, si Josepho potestas fieret Hispanicæ domus sclarum fenestras omnino obcæcandi, cum ex isto lucis defectu domum illam petentes vita periclitarentur, nisi vel ipso meridiano tempore lanterna, vel facibus uterentur. Quod cum intollerabile

PP. Meis merito visum sit, rite, recteque definierunt leges de favendæ ædificatione obloquentes in themate prudenti esse consilio temperandas, ne in apertam vergerent iniquitatem, quod a legum spiritu prorsus abhorret. Rei æquitatem denique agnovit et ipse Joseph, qui admissis Hispanicæ Ecclesiæ juribus super promotæ inhibitionis justitia, quæstionem unice cohibuit ad modum, quo sibi licitum sit inceptas perficere ædes, quin conterminae domus fænestræ detrimentum capiant, proindeque in præsenti reiterato Causæ periculo suam cohibuit defensionem ad obtinendum, vel quod modus ab Innocentianis Judicibus propositus confirmaretur, vel quod aptior alius statueretur a Perito per S.N. Ordinem eligendo præfiniendus. Sed neutrum indulgendum PP. mei censuerunt. Quoad enim modum ab A. C. Sententia propositum, præterquamquod in facto ineficax, et utrique Litigatori damnosus apparebat, perpenderunt PP. executioni committendum hodie non esse, postquam S. Ordo utpote sacro proprietatis juri contrarium illud respuit, etsi ab eo Hispanici Moderatores haud abhorrerent, qui cum post evulgatas Decisiones agnoverint majora esse administratæ Ecclesiæ jura, quam antea censuerant, jure, meritoque instant, ne quæsitum jus ipsum maximo cum ipsius Ecclesiæ damno auferretur, et ne lud gratia expletum videatur quidquid coram Appellationis Tribunali actum fuit.

2 Nec petita ab Josepho novi Cognitoris deputatio S. Ordinis placere potuit. Animadvertebant enim Patres præter necessitatem comperendinandam haud esse cum gravi sumptu hujusce Causæ definitionem, cum boni Judicis sit moras præcidere, et ad exitum litis properare *Cap. Finem litibus de dolo Leg. properandum Cod. de Jud.*, *Leg.* 1, *et Leg.* 4. *Cod. de dilat.*, *S. Rota dec.* 26 *num.* 2, *post Salgad. Dec.* 223 *num.* 2 *part.* 16 *in rec. Dec.* 190 *cor. Bichio*, *Dec.* 643 *cor. Emerix*, *Jun.*, *Dec.* 6 *num. fin. tit. de Salv. Interd. cor. Falconerio.* Quod in casu firmius tenendum erat, cum RR. Ecclesiarum Moderatores prudentiæ, et arbitrio S. N, Auditorii commiserint modum eligendi, qui absque Ecclesiæ pernicie novo Josephi ædificio minus exitiosus appareret. Quocirca PP. cum diuturnam hanc controversiam absolutam viderent, si Hispanicæ domus scalis lumen restitueretur, et si de Josephi ædificio tanta pars destrueretur quanta necesse esset ad ipsum lumen reddendum, huic inhærentes proposito mandarunt, ut a Josepho in pristinum restituatur fænestra, quæ de præsenti semiostructa est ab ejus novo ædificio; ut proinde idem Joseph removeat tectum, quem superimposuerat existenti inferiori contignationi, quæ contignatio servanda erit sub lege tamen, ut ipsius stillicidium inflectat super Josephi fundo; reliquæ vero ædifirii partes, ut nunc sunt, serventur in posterum ad formam declarationis emissæ per Hispanicarum Ecclesiarum Moderatores. Et hic erat modus in Decisione exprimendus.

Et ita etc. utraque etc.

---

## ROMANA PECUNIARIA

*Veneris* 2 *Junii* 1837.

### ARGUMENTUM

Habes in Superiori, quae confirmatur - DECISIO DXVIII.

#### SUMMARIUM

1. *Interpositae appellationis effectus, est etiam integrae causae devolutio ad Judicem Appellationis.*
2. *In Accollationibus necessaria haud est creditoris praesentia et consensus.*
3. *Concursus Castrensium Requisitorum, nec non pecuniae destinatio ad pecuniosam exercendam mercaturam quamlibet eliminant usurariam pravitatem in fructuum perceptione.*
4. *Legitime recipi potest quod justo contractu fuit statutum.*
5. *In Transactionibus omnia sunt correspectiva.*
6. *Sine debitoris praefocatione pravitas in usuris admitti nequit.*

7. *Qui solvit cum scientia nihil debendi donationem constituit.*
8. *Cum firmum maneat congruam extitisse causam fructus condicendi, haud illi in sortem imputandi.*

## DECISIO DXLIV.

Quæstio erat inter Josephum, et Philippum Fratres Mura, an bessales usuræ ab illo perceptæ venire deberent in capitis diminutionem: Binæ Decisiones in Comitiis dierum 18 Martii, et 9 Decembris superioris anni per me in Philippi contumacia evulgatæ, rejecta petita ab eo imputatione, decreverunt constare de Josephi credito in argenteorum 1500 quantitate. Contra esse iterum obloquendi veniam facile a S. Ordine obtinuere interim defuncti Philippi hæredes Elisabeth Mura, Antonius Trebbi, ac Anna Nobili, sed nihil ipsis profuit audiri quia proposito Dubio » *An sit standum vel recedendum a Decisis in casu etc.* » PP.Mei incunctanter responderunt « *in Decisis* »

1 Quæ enim prodiit hæredum defensio haud talis erat, ut contra factorum veritatem, et contra receptas juris præscriptiones in transversum ducere posset PP. judicium. Reapse novum utique erat in jure, quod ipsimet hæredes quoad causæ extrinsecum animadvertebant, nempe suam proferre Sententiam haud posse S. Nostrum Ordinem super præsenti controversia, quæ insoluta scuta 555 cum respicit, juxta eorum opinionem redire debet ad Innocentianos Judices, qui decreta favore Josephi scutorum 945 solutione super majori petita quantitate argenteorum 1500 quoad residuam præcitatam pecuniæ quantitatem declaraverant firmam apud se manere oportere causam quam ideo mandaverant « *che si ponga in Ruolo* » Scitissimum enim est, quod inter notissimos interpositæ appellationis effectus, sit etiam integræ causæ devolutio ad Judicem Appellationis, ita præcipiente omnium temporum recepta praxi *Scaccia de Appellatione quæst.* 5 *num.* 13 et ita imperantibus vigentibus legibus § 979.

Constituta itaque in facto libera S. N. Auditorii facultate ferendi Judicium super omnibus quæ originaria instantia complectitur, facile PP. Meis perspectum apparuit quod controversiæ conditionem immutare nequibant quæ hodie ad defensionis commodum Philippi hæredes propinabant circa defectum in Josepho cujuslibet actionis contra fratrem Philippum, quia communis Mater Clementina, et non ipse cum eodem Josepho contraxerit, et circa defectum crediti ex eo quod extinctum reputandum foret residuum caput ex imputatione fructuum. Quod enim priorem spectat exceptionem, omnino corruebat per Instrumentum diei 4 Junii anni 1823 adhibitis omnibus solemnis intra Clementinam, et Philippum initum vi cujus mater filio cessit = *tutti e singoli di lei diritti ed azioni, ragioni e proprietà in qualsiasi modo ad essa appartenenti sopra l'enunciata eredità* = sui Viri Gasparis Mora sub correspectivitate tamen quod ipse ferre deberet et in se suspicere = *tutti li pesi obblighi e condizioni che gravitano la predetta eredità* = quæ inter nominatim adnotatum fuit *il credito di Giuseppe, che si resta d'accordo, e si promette nella sua integrità di scudi mille cinquecento* = prout remota qualibet exceptione solvere iterum promisit idem Philippus privata scriptas syngrapha *diei* 27 *Septembris anni* 1825. In vim solemnissimæ hujusce onerum assumptionis plana igitur et nullo modo convellenda videbatur ipsius Philippi obligatio solvendi creditum Josepho. Nec officit quod initæ stipulationi præsens ipse haud fuerit; nam ex jure certissimum est præsentiam necessariam quidem in delegationibus minime requiri in Accollationibus, in quibus, ad differentiam delegationis, cum principalis debitoris liberatio non operetur, necessaria haud est creditoris præsentia, et consensus, nam in his, firma remanente antiqua obligatione, debitor originarius, et accollatarius correi debendi efficiantur, quorum utrumque ad libitum creditor persequi valet; *Ansald. de Commer. et Mercat. Disc.* 65 *num.* 2

Digitized by Google

51 *Sacer Ordo cor. Eodem in Decis.* 598 *num.* 31 *Pisauren. seu Fanen. Census* 22 *Junii* 1753 § 3 *cor.. Amadeo*, *in Romana accollationis* 17 *Junii* 1825 § 4 *cor. Emo Jsoard et plenius in Anconit. seu Ravennaten. Census super fructibus* 30 *Januarii* 1835 § 10 *cor. Me.*

3 Firmo itaque manente Josephi juro adversus Philippum pro credito argenteorum 1500 quot ipse adamussim peterat in libello introductivo judicii, facile animadvertebant. PP. petitam summam imminuendam non esse ex bessalibus solutis usuris, pro quarum legitima perceptione redibant quæ jam superiores meæ Decisiones constituerunt. In iisdem narratur quomodo ad compescendas varias lites, quæ in diem excitabantur super prædefuncti Gasparis Mora hæreditate, variæ initæ fuere domesticæ concordiæ, quarum prima diei 13 Aprilis 1815 cuique ex liberis addixit quantitatem argenteorum 1166 50 sub conditione, quod ad prosequendam mercaturam pecunia remanere deberet penes Matrem, quæ proinde favore Josephi se obstrinxit ad bessales rependendas usuras quot adamussim invenire ipse Joseph potuisset *se avesse ora potuto percepire ed investirs la sua porzione in un cambio o credito fruttifero secondo apparisce dalla fede di due publici Sensali che si unisce etc.* Concursus hic Castrensium Requisitorum, nec non ipsius pecuniæ destinatio ad pecuniosam exercendam mercaturam di *Modista e Spazzineria* quamlibet eliminant usurariam pravitatem in fructuum pesceptione ad ea, quæ prior mea Decisio animadvertit in § 11 12 13 cum fructus conventus ultra legitimam mensuram, depactus censeatur pro damnornm emendatione juxta doctrinam Sac. Nos. Auditorii in *Mediolanen. Pecuniaria super I. Dubio* 23 *Januarii* 1823 *coram Priolo in Æsina* 11 *Maii* 1804 § *fin. cor. Guardoqui.*

4 Perperam Philippi hæredes contendebant legitimam fuisse conventarum usurarum perceptionem quoad præfatam argenteorum 1163 quantitatem, stante Castrensium requisitorum concursu, illegitimam vero quoad alteram summam scutorum 833 quam ex transactione diei 21 Martii 1816. Clementina Josephi favore adjunxit scutis 1166 = *acciocchè con il fruttato di questi stabilito come sopra alla ragione di scudi otto per ogni centinaro, ed anno possa unitamente alla sua industria personale decentemente mantenersi insieme colla famiglia* = prout repetitum etiam fuit in altera concordia diei 29 sequentis Octobris, quando ex aucta quantitate scutorum 2000 decepta fuere argentea 500 Josepho tradita = *per rinvestirli, e ricavarne un frutto maggiore* =. Si igitur ex initis duabus hisce concordiis expressus apparet alimentorum titulus, cujus intuitu pro precitata quantitate scutorum 833 statuta quoque fuit bessalium usurarum responsio, dubitari certe nequit, quominus legitime Joseph ille recipere potuerit, et perperam proinde Philippi hærede instant hodie pro earum imputatione ad ea quæ monet *Surd. de Aliment. Tit.* 8 *privil.* 29 *num.* 3 *Leotard. de Usur. quæst.* 18 *num.* 19 *et S. Rota in Dec.* 330 § 3 *part.* 13 *in Rec.*

Præterea plura etiam erant in specie, quæ legitimam usurarum perceptionem suadebant. Alterum enim titulum suppeditabat peculiaris initarum transactionum indoles atque natura. Nemini ignotum est in transactionibus omnia esse correspectiva, cum unum censeatur gestum propter aliud modo ut rite in casu perpendi possit, quod majores conventi fructus non accessorie veniant sed tamquam pars principalis contractus, et uti compensatio jurium hinc inde facta, cum majus conventum lucrum haberi possit uti pars pretii respectu ad illud quod minus datum vel promissum fuerit de sorte principali, veluti monent *Constant. Vot. Dec.* 107 *num.* 6 *Ansald. de Commer. et Mercat. Disc.* 67 *num.* 27 *Urceol. de Transact. Quaest.* 40 *num.* 8 *et S. N. Auditorium in cit. Decis.* 330 § 6 *part.* 13 *in Recent. in Dec.* 260 *num.* 3 *part.* 19 *et in Decis.* 15 *n.* 15 *cor. Falconerio tit. de usuris.* 5

Animadvertendum insuper erat, nullum adesse extremum, quod usurarum 6

Digitized by Google

pravitatem evinceret. Reapse Clementina cum conventam Josephi hæreditariam portionem evehere constituerit ad argenteorum 2000 quantitatem id explere dixit = *gratuitamente e per dargli un maggiorcontrasegno di offetto* =. Si igitur valide scuta 833 donare filio ipsa potuit, valide æquo dicendum est potuisse fructum etiam illi donare quos proinde Joseph legitime percipere potuit, veluti procedentes a Matris liberalitate, qua intercedente dici haud potest de debitoris præfocatione, sine qua admitti nequit pravitas in usuris ad ea quæ monet *Surdus de alimentis tit.* 9 *Quaest.* 18 *n.* 11 *sequent.*

7 Repugnaret revera Matrem scientem se nihil filio debere concedentem nihilominus gratuite ea scuta 833. Josepho credidisse se obstrictam esse illius favore fructuum solutioni, ad quam nemo eamdem adegerat. Quare si solvit, solvit cum scientia nihil debendi, et cum id adamussim donationem constituat, tot donationes ipsam explere dicendum est, quot vicibus usuræ solutæ fuere. Sed cum illas Clementina promiserit usque ad Capitis restitutionem, cum suæ promissionis unus in se susceperit Philippus, patens est, quod ipse uti Matris accollatarius prohibitus est perceptorum fructuum pravitatem conclamare, cum legitima eorum perceptionis causa sit in Matris voluntate, ac liberalitate, quam obsequenter adimplere ex speciali pacto Philippus tenetur. Quod attendendum magis magisque videbatur peculiari altera attenta circumstantia, quod convento augmento causam præbuit renunciatio a Josepho emissa juribus omnibus sibi competentibus super paterna hæreditate, quo in casu perceptæ usuræ haberi debet uti fructus, quos ipse Joseph percipere potuisset ab hæreditariis bonis, si eisdem nuncium haud misisset *Leotard. de Usuris Quaest.* 18 *num.*32 *S. Rota in Æsina fructuum* 26 *Januarii* 1733 § 1 *coram Rezzonico.*

8 Quibus perpensis cum ex Instrumentis anno 1816 initis luculenter probata favore Josephi appareat fructuum promissio in conventa bessali mensura ex eisdem luculentissime etiam scatet haud improbatos esse eorum perceptionis titulos, qui idonei satis superque sunt, ne in sortis imminutionem recepti fructus imputentur. Reapso sive ipsæ osuræ in vim transactionis conventae dicantur, in correspectivitatem scilicet renunciationis a Josepho missæ = *a qualunque lite fino ad ora introdotta e che possa introdursi* = sive concessæ censeatur donationis titulo nempe =*per dargli un maggior contrasegno di affetto* =, sive denique titulo alimentorum ut illorum ope = *possa unitamente alla sua industria personale decentemente mantenersi insieme alla sua famiglia* = verum semper firmumque manet congruam extitisse causam fructus ipsos condicendi, et consequenter haud esse illus in sortem imputandos.

Et ita etc. Utraque etc.

---

## ROMANA PECUNIARIA

*Veneris* 27. *Januarii* 1837.

### ARGUMENTUM

Habes in Superiori quae confirmatur - DECISIO DXLIV. -

#### SUMMARIUM

1. *Crediti existentia, et quantitas in dubium revocari non potest quando ambo partes conveniunt.*
2. *In executivo judicio proponi non possunt exceptiones altae indaginis, sed in congruo, et ordinario judicio sunt amandandae.*
3. *Fructus licite semper convenire possunt, si frugifera sit res in contractum deducta.*
4. *In commercio nil fructuosius cognoscitur, quam ovium pecudumque grex, et bovillum equorumque armentum.*
5. *Nulla probatio major dari potest, quam excipientis recognitio.*

## DECISIO DXLV.

Equinum, et Vaccinum armentum, ac Ovillum, et Caprinum gregem, quem possidebat Ignatius Pasqualucci, anno

1820 vendidit Comiti Antonio Foschi, et Eusebio Guardarucci, habita fide de pretio, quod juxta æstimationem de communi placito antea conventam, constitutum fuit in quantitate scutorum 6225 et ob. 20 ratatim persolvendum conventis interim fructibus compensativis ad rationem scutorum septem pro unoquoque centenario, et anno. Juxta hanc conventionem ad diem 28 Junii anni 1826 absoluta esse debebat conventi pretii solidatio, sed cum depactæ solutiones intermissæ fuerint, evenit, quod ad eam diem solvendi adhuc superessent nummi 3135, 94, cujus respondentes fructus æque non soluti, nomen ad annum 1831 præseferebant argenteorum 1116. Interpositis castrensibus requisitis, cor. A. C. Marulli crediti solutionem a Comite Foschio, et Guardaruccio in solidum obligatis postulavit Pasqualuccius, et consonam petitioni retulit Sententiam. Provocavit Foschius, qui pro læsione contractus speciale interim coram eodem A. C. Tribunali instituerat judicium; et a Supremo Signaturæ Tribunali postulaverat ipsius unionem cum causa, de qua agitur. Sed ipse cum sibi contrarium præsentiisset illius Tribunalis judicium, interposito recursui nuncium misit, qua de re libera superfuit causæ prosequutio. Quærenti mihi idcirco = *An et in qua summa constet de credito, ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = in Reorum Conventorum contumacia, et ratione habita ad solutionem Argenteorum 700, quos numeraverat Foschius, et acceperat Pasqualuccius *in conto de' frutti decorsi*, Patres in Comitiis dici 20 Junii 1836, responderunt = *Pro informante* = videlicet = *Affirmative, et constare de credito in scutis* 3135 94 *quoad sortem, et in scutis* 416 *pro fructibus decursis usque ad diem* 27 *Junii* 1831, *et esse relaxandum mandatum* = nec profuit indultum novæ audientiæ beneficium nsm PP. Mei hoc mane per me iterum rogati sistere *In decisis* censuerunt.

Dubitari nequibat de crediti existen-
1 tia, ac quantitate statim ac utrumque pacifice admittit Foschius, qui ex conventione cum Guardaruccio particulariter inita unus insoluti pretii debitor superfuit. Hujusce enim nonnisi existentiam ipse haud inficiatus est coram Innocentianis Judicibus, et quantitatem ultra confessus est, cum in dispunctis dati, et accepti rationibus, idem Foschius ad annum 1826 debitorem Instantis Pasqualucci se constituerit in petita quantitate scutorum 3135 94, quæ integra, et hodie debetur, cum ne teruncium quidem huc usque persolutum fuerit in ipsius nominis imminutionem.

Ad ludendum autem obiiciebatur a 2
Comite læsio contractus. Exceptio hæc cum salebrosa, et altæ indaginis sit proponi nequit in præsenti executivo Judicio, sed ad congruum, et ordinarium judicium est amandanda, veluti pluries docuit Ssc. Noster Ordo, et præsertim in *decis. Bononien. Executionis contractus super re jud.* 14 *Decembris* 1795 § 12 *cor. Malvasia; in Sutrina Pecuniaria* 25 *Julii* 1807 § 2 *cor. Bardaxi; in Romana seu Veliterna Reintegrationis* 3 *Martii* 1823 § 2 *cor. Pianetti, et in Romana Pecuniaria* 4 *Februarii* 1824 § *fin. cor. Martinez* = præsertim quin per viam actionis objectam læsionem proposuerit Comes, qua de re nequibat in præsenti exequutivo judicio misceri ipsius læsionis quœrela, quam in separato, et ordinario Judicio esse discutiendam, jam cognoverat idem Foschius, qui peculiare ad id instituit judicium *decis. Anconitana Transactionis super execut.* 25 *Junii* 1817 § 6 *cor. Emo Bussio; et in Urbevetanæ Pecuniaria* 24 *Januarii* 1817 § 7 *cor. Piccolomini.*

Nec succensendum erat contra fru- 3
ctuum petitionem, cum illos rependere in quantitate septunci ementes convenerint in apoca anni 1820. Nec contra pactum invocare rite valebat Foschius odium, quo Canonicæ Leges prosequuntur Fructuum stipulationes; Etsi in usurarum materia maximus sit earum rigor, pacificum tamen est in Foro, quod licite fructus conveniri semper possint, si frugifera sit res in contractum deducta, *test. Card. De Luca disc.* 21 *n.* 3 *et seq. de usuris*, cum justum

haud sit, quod venditor carere debeat re, et pretio, ad *text. in Leg. Curabit Cod. de act. Empt. et vendit.*

4 Item nec recte succenseri Comes quibat contra conventam eorum mensuram, In ea enim præstabilienda ex jure præsumi debet, quod paciscentes præ oculis habuerint fructus naturales armenti divenditi, prout in specie tradunt *Giavagnan. Cons.* 46 *n.* 5 *et seq. Lip.* 1. *Andreol. contrav.* 83 § *Et hic*; *et in tract. de Cammer. et Mercatura disc.* 67 *n.* 4 *ad* 9 *Thamat. dec.* 132 *n.* 38. *S. Rota cor. Ansaldo dec.* 231 n. 12 *dec.* 148 *numer.* 9 *cor. Crispo; dec.* 9 *num.* 3 *et* 4 *car. Emo Cansalvi, dec.* 413 *n.* 6 *et* 7 *coram Ema Marco*, *et in Perusina Nullitatis contractus* 5 *Julii* 1823 § 5 *car. Me* =. Nil vero in Commercio fructuosius cognoscitur, quam ovium, pecudumque grex, et bovillum, equorumque armentum, ad ea, quæ *post text. in Leg. Pecudum ff de usur. advertunt Giov. de cantract. minor. Glos.* 25 § 13 *num.*25, *Campel. ad decreta Urbini decret.* 52 *num.* 30 *et* 31. *Sambuet de Animalib. cur. et L. plu. Cap.* 62 *num.* 47. *Pacian. de Locat. Cap.* 7 n. 41 *et S. Rota in recent. dec.*189 *n.* 2 *et seq. part.* 16.

5 Si vero læsionis exceptio quoad fructuum quantitatem ad examen revocanda fuisset præsenti in quo versamur judicio inopportunam cum demonstrabant luculentissima facta ipsius Comitis Antonii, qui a die initi contractus usque ad annum 1826, absque ulla querela ipsos fructus in præstituta quantitate persolvit. Post autem annum 1826 cum calculos dati, et accepti iniverit, eusdem fructus adnotavit juxta conventam mensuram, quorum partiarum quoque solutionem anno 1831 explevit, quin aliquid obtruderet circa eorum excessum; Repetitæ hæ agnitiones plurimi in casu habendæ sunt; nec circa fructus ulla major æquitatis in specie dari potest probatio, quam ipsius excipientis recognitio, juxta ea quæ animadvertit S. Nostrum Auditorium in *Recent. decis.* 337 *numer.* 6 *part.* 18. *tam.* 1, *et in Ramana Pecuniaria* 6 *Julii* 1821. §. 6. *caram Martinez; et in Romana Imputationis fructuum* 16 *Junii* 1827 § 7 *coram R. P. D. Meo Marini.*

Et ita etc. Altera tantum etc.

---

# ROMANA

## PENSIONIS ET EVACUATIONIS

*Veneris* 24 *Januarii* 1837.

### ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

#### SUMMARIUM

1. *Patrimonium decocti est sub banca Judicis ad nutum creditorum.*
2. *Simulationis perhibet argumentum, contractus initus de tempore decoctioni valde proximo.*
3. *Ad locandum necessarium omnino est speciale mandatum.*
4. *Contractus nullus, non substinetur, quamvis fuerit utilis.*
5. *Habitatio in jure aequiparatur locationi.*

## DECISIO DXLVI.

Urbem relinquerat Abraham De Tivoli, et Labronem se contulerat, unde litteras dedit Petro Rosi, quibus illum rogabat, ut curaret sibi tradendas a Josepho Simonetti claves cujusdam domus, quam possidebat in via *del Pianta*. Recepit Petrus claves, et oblata abutens occasione, dignorem ædium contignationem pro sua habitatione destinavit, humilioremque alteram cum supposita apotheca ad novennium Comiti Francisco Giraud locavit pro exili annua responsione sc. 48 Abrabam, qui contraria tum commercii fortuna laborabat, curare id haud potuit, sed cum foro paulo post cessisset, cito syndici ad ejus patrimonium gerendum electi egerunt præ primis contra eumdem Petrum, ut locationem obsignaret ad tramites cujusdam peritiæ ad id specialiter confectæ, sin minus domu abiret. Eorum votis consonum tulerunt judicium A.C. Triumviri, quod confirmavit S. N. Ordo teste *Dec. Ramana Locationis* 15 *Ja-*

*nuarii superioris anni* a me evulgata, quam excepit Rotalis sententia, ad cujus tramites Rosius petitas pensiones ratatim solvendas se se obstrinxerit, proprium interim cohonestans arbitrium, asserens retentam contignationem sibi fuisse locatam a Comite Lavaggi cui gerenda propria negocia ante suum ab urbe discessum Abraham commiserat.

Deinde syndici duplici instantia egerunt contra Com. Franciscum, et contra Franciscum Tarasconi, cui Comes ipse apothecam sublocaverat. Hic cum a Comite causam haberet, pro liberatione a molestiis institit, et Innocentiani Judices, postquam interlocutorio Decreto Comitis vocationem ad causam prescripserunt, cumulata dein utraque syndacorum petitione, suam definitivam pronunciarunt sententiam, cujus vi uterque absolutus abiit ab observantia judicii. Provocarunt Syndici et segregatim causam contra Reos Conventos cor. S. N. Ordine contexti sunt. Idcirco hac mane cum PP. meos rogassem concinnata Dubii formula = *An sit locus solutioni pensionum, et evacuationi ita ut sint relaxanda mandata in casu etc.* = Frustra causæ comperendinationem expostulante Comite Francisco propitium *informantibus* syndicis prodiit responsum, nempe *affirmative in omnibus.*

1 Nec diversum in specie esse poterat S. Ordinis Judicium. Reapse quoad pensionum solutionem a PP. meis tantummodo definiendum erat, an a Comite solvendæ essent pensiones, quæ solvendæ fuissent post declaratam a Commercii Judicibus Abrahami decoctionem, nempe a mense Augusti anni 1833, usque ad mensem Februarii anni 1836, quæque numquam a Rosio fuerant exactæ, nec exigi poterant, cum res omnes ad Abrahami patrimonium pertinentes ob ipsius decoctionem sub banca Judicis essent ad nutum creditorum. Cum vero Comes numquam denegaverit se in controversa habitasse contignatione, ex necessaria consequentia descendit, quod ab eo denegari nec possit pensio pro retento ipsius usu, quod sat superque videtur ad commostrandam transmissæ instantiæ justitiam, et ad evincendam injuriam Innocentianæ editæ sententiæ, quæ etsi pro instantibus creditoribus admiserit ædium dominium, et penes reum conventum agnoverit retentionis factum, nimia contradictione nihilominus censuit illum absolvendum esse ab judicii observantia.

Quoad autem petitæ solutionis quantitatem præsto est peritia de syndicorum mandato confecta, quæ pensionem evehit ad rationem sc. 52 pro quolibet anno. Cum Comes domum incoluerit per biennium et menses septem, cuique supputanti manifestissimum fit ejus debitum assurgere ad summam argenteorum 130, pro quorum solutione adamussim præsens agitur controversia. Nec recte Comes hoc suum nomen imminuere valebit, innixus locationis contractui, quem ejus favore Rosius subscripserat. Prætermisso enim, quod valde suspectus ipse appareat, cum initus sit tempore Abrahami decoctioni valde proximo, quod est in jure potissimum simulationis argumentum *leg. scriptu ras Cod. qui pot. in pig hab. et S. Rota in decis.* 60 n. 3 *in Nuperr.* hoc potius PP. Mei præ oculis habuerunt eidem Comiti nulli præsidio esse posse contractum de quo loquitur, utpote obsignatum a Rosio, qui numquam fuit ipsius Abrahami nec negociorum gestor, nec procurator. 2

Perperam reapse id ipse ostendere conaretur ex epistolarum laciniis. Ex hisce enim tantum apparet Abraham ei simpliciter unam alteramque tribuisse agendi facultatem, quod luculenter demonstrat ipsum Petrum quolibet generali mandato fuisse destitutum sed etiamsi ex iis deduci posset generalis mandati existentia, non exinde pro contractus validitate ferendum foret judicium. Certissimum est enim in foro, quod ad locandum necessarium omnino sit speciale mandatum, nec mandatum pro una re explenda tributum, extendi potest ad aliam rem de qua mentio in illo facta haud fuit. Stricti enim juris cum sit mandatum, non admittit nec verborum interpretationem nec argumentum a rationis majoritate prout 3

Digitized by Google

post *text. in Leg.* 1 § *igitur propositio ff de exercit. act.* docuit *Pacion. de locat. et Cond. Cap.* 7 *num.* 4 *et seq.*

4 Neque validius Comes contractus validitatem defenderet ex supposita in eodem Petro Negociorum gestoris qualitate. Hæc saltem fingi posset, si Abrahami patrimonio utilis controversus contractus demonstraretur. At in hoc adamussim hæret probatio. Illius enim utilitas penitus excluditur a conventæ pensionis exiguitate. Contignatio domus, de qua quæritur una cum supposita apotheca vi memorati contractus concessa fuit Comiti Francisco ad novennium pro exigua annua pensione sc. 48 cum patenti damno ipsius patrimonii, ex cujus codicibus evidenter apparet pro longe majori mercede utramque ab Abrahamo fuisse locatam. Hujusce vero illati damni altera probatio proferri potest. Hanc enim luculentissimum suppeditat factum ipsius Comitis, qui præfatam apothecam Tarasconio sublocavit pro annua summa scut. 42. Ex incontroverso hoc facto eruitur, quod Comes gratuito fere in ipsius Abrahami domu versatur, cum scuta sex tantum quotannis rependat non sine gravi creditorum detrimento, qui majus compendium obtinere procul dubio possunt, si ad aliam deveniant ipsius domus locationem. Denique si quid dubii supreesse forte posset super ipsius Petri facultatibus, hoc penitus idem Petrus eliminavit, statim ac libere confessus est superiorem contignationem sibi locatam fuisse a Comite Lavaggio, qui publice habebatur pro legitimo absenti Abrahami procuratore. Hæc enim confessio assertam in eodem Petro gestoris vel mandatarii qualitatem omnino excludit.

5 E medio itaque sublato contractu, quo unica contradictoris Comitis defensio niti potuisset, cum nihilominus habitationis factum, subsistat, cum habitatio in jure æquiparetur locationi = *Leg.* 4 § *frumento ff de Condit. Indebit. S. Rota in Dec.* 193 § 2 *cor. Ottobono,* consequens est Comitem juxta tempus incolatus rependere debere pensiones, quæ ex præmissis, quoad quantitatem repræsentare debent ad tramites peritiæ. Et id quoad præteritum. Quoad enim futurum tempus, rite recteque syndici instant, ut Comes creditorum favore vacuam reddat contignationem, de qua agitur. Hoc enim descendit ex ipsius Comitis mora, quique numquam pensiones persolvit, quas persolvere debuiset. Conductorem enim mercedem non solventem a locatore expelli posse arguitur a *Leg. Æde* 3 *Cod. locat.*, et docetur *a LL.* 54 § 1 *Leg.* 56 *ff eod.* et tradunt. *Roman. Cons.* 349 *n.* 1. *Pacion. de locat. et cond. Cap.* 55 *n.* 1.

Et ita etc. altera etc.

---

# ROMANA

## REDDITIONIS RATIONIS

*Lunae 5 Junii 1837.*

### ARGUMENTUM

Ex jure non alia bona in hereditate existere censentur, praeter illa, quae descripta in Inventario reperiuntur, quod cum donec in suo implicito validitatis statu consistat, semper pro valido haberi debet, nec ejus defectus allegari unquam potest, nisi prius nullum, et irritum declaratum sit.

### SUMMARIUM

1. *Redditio rationum ab eo tantum peti potest, qui reapse administravit.*
2. *Heredi semper obstat factum Auctoris.*
   *Rationes semel redditae, non sunt iterum reddendae - ibidem. -*
3. *In hereditate non alia bona existere censentur, quam quae descripta in Inventario reperiuntur.*
4. *Testes, qui suam allegant turpitudinem, audiri non merentur.*
   *Testes novissime expiscati, suspectosissimi sunt - ibidem. -*
5. *Hereditatis tenuitatem recte probat legitimae quantitas.*

## DECISIO DXLVII.

Joachim Ricciani, qui vivens ad pecuniam pro alenda familia necessariam

sibi comparandam propriam cuidam Marimellio locaverat operam uti = fattore di campagna =, et parvam exercuerat foeni negociationem, moriens suum condidit testamentum, quo vocatis hæredibus bonis suis liberis Joanne Baptista, et Carolo, Viduæ Agneti Loreti commisit, ut suæ hæreditatis conficeret inventarium, assem pergravantia dimitteret nomina, et superstiti parenti Franciscæ debitam repræsentaret legitimam, quam ipse definivit in pertenui argenteorum 30 quantitate. Ad tramites legum Vidua rerum descriptionem explevit, sed cum de paupere regno res esset, pecuniam nec invenit pro funeris expensis necessariam, etsi levissimam scutorum 25 80 summam haud excederent. Ex ea itaque descriptione patuit, quod ære alieno dimisso scriptis hæredibus nil aliud supererat, præter pusillam summam in *assegnati di scudi* 166, *e baj.* 22, et ea quidem ob totam Antunii Marinucci magnanimitatem, qui cum defuncti Creditor esset in argenteis 106, pupillis condonare ea prætulit *per l'amor di Dio, e per questo gli faccio il saldo finale.*

Misero itaque suam vitam ducebant Pupilli Ricciani, quando eorum angustiis levamen tulit Dominicus Fanucci, cum quo Agnes secundas nuptias inivit. Ipse privignorum curam suscepit, curavitque, ut eorum necessitatibus succurreret quoque Patruus Joannes Baptista Ricciani, ad id damnatus Sententia Emi Urbis Vicarii. Ad majorem pervenerant ætatem Fratres Ricciani, quum Carolus alter ex iis nubere constituit Rosæ Miniati. Hac occasione petiit ipse, obtinuitque = *la metà a me tangente degli scudi* 166, *e baj.* 25 *lasciati da mio Padre, annotati nell'Inventario* = apertissime fassus verbis = *di avere dal nominato Signor Fanucci non solo conseguito tutto quello, che mi è pervenuto, e poteva spettare sulla paterna eredità, ma sono stato colmato di beneficj* =, quæ inter novissimum quoquo erat scutorum 500 donatio, ut futuris necessitatibus facilius providere posset. Qua de re fatebatur Carolus = *non potendo perciò avere alcuna pretenzione verso di lui, non meno che verso la mia Madre Signora Agnese, venga ad emettere a di lora favore quietanza, e liberazione finale in ogni miglior modo, obbligandomi per l'osservanzo etc.* = At brevi et Carolus, et Dominicus vitam cum morte commutarunt. Divitiarum omnium, quæ ex fæni negociatione Dominicus cumulaverat, hæres fuit ejus filius Philippus, quem ex Agnete susceperat. Carolus e contra plures reliquit filios paupertate maxima laborantes, cui ut Rosa succurreret, eidem Philippo, et Matri Agneti diem dixit coram A. C. Consessu, expostulans eorum nomine, ut rationem redderent de hæreditaria substantia Joachimi Ricciani, cui legimus hæres defunctus Carolus extiterat. Innocentissimi Judices redditionis rationum petitionem rejecerunt quoad Philippum, admiserunt autem quoad Agnetem. Provocavit Rosa ad Sacrum Nostrum Tribunal, et cum hoc mane Patres per me rogati fuerint = *An, contra quos, et de quibus bonis sit reddenda ratio in casu etc.*, respons um accepi = *Negative in omnibus*.

Quamvis in foro firmissima sit juris regula, quod ad rationum redditionem quicumque res alienas administravit, teneatur, æque receptissimum est, quod ex redditio peti tantum possit ab eis, qui reapse administrarunt *ad text. in leg. licet cod. de Judiciis, soccin. cons.* 24 *num.* 35 *lib.* 1 *Menoch. de præsumpt.* 70, *et Sacra Rota in Decis.* 63 *part.* 34 *in recen.* § 11 demonstrato prius per Acturem se administrandam dedisse rem, de qua ratio reddenda sit *Decis.* 64 *num.* 1 *coram Emo Marco.* Hisce praemissis PP. perpendebant quam infirma esset actio a Pupillis Ricciani promota contra Philippum. Ipsi enim, ut par fuisset, minime probabant hujus Auctorem Dominicum Fanucci reapse administrasse haereditariam substantiam defuncti Joachini; nec relevat, quod probatum sit eudem se immiscuisse in ipsius administratione, cum id explevissa de uxoris mandato facili praesumi possit. Sed 1

si per summum jus admitti velit Dominicum, uti virum Agnetis, una cum ea teneri ad petitam rationum redditionem, facile videbatur in casu, neutrum hodie ad illam teneri ex peculiari facti circumstantia, quod ipsi jam reddiderint Carolo rationes, a quo causam habent Instantes Pupilli. Occasione enim, qua præfatus Carolus Rosam Miniati sibi jugavit, solemnem ipso emisit declarationem = *di aver ricevuto tutto quello, che mi è pervenuto, e poteva a me spettare sulla paterna eredità* =. Apertissimis deinde verbis ajens = *non avendo pertanto; nè potendo io avere perciò alcuna pretensione verso di lui*, *non meno che verso la mia Madre Signora Agnese, vengo ad emettere a di loro favore quietanza, e liberazione finale in ogni miglior modo, obbligandomi per l'osservanza etc.* =

2 Cum ex hac syngrapha de recepto plenissime probetur a Dominico, et ejus Uxore Agnete divisam inter Carolum, et Joannem Baptistam, ac singulis traditam fuisse hæreditariam prædefuncti parentis substantiam, cum de ea divisione, ac traditione satisfactum tunc se declaraverit Carolus, consequens est, quod ipso impugnare nequisset ipsum divisionis actum teste *Sacra Rota in decis.* 316 § 1 *coram Emo Marco*, proptereaque nec illud impugnare hodie valent ejus filii, et hæredes, cum eisdem semper obstet factum Auctoris ad *text. in leg. cum a Matre Cod. de rei vindicat. Grotiou. quæst. Foren. cap.* 52 *num.* 16., *Urceol. de Transact. quæst.* 49 *num.* 20 *Constant. Voet. decis.* 362. *Sacra Rota in decis.* 223 *num.* 22, *coram Olivatio decis.* 567 *num.* 1 *coram Eodem, et in Decis.* 136. *num.* 1 *coram Molines* =. Resistit insuper Actorum intentioni vulgatissima altera juris regula, nempe quod iterum reddendæ haud sint rationes semel redditæ. *Leg. semel* 2 *Cod. de Apoch. pub. Decis.* 43 *in Append. coram Ansoldo, num.* 3. *Decis.* 552 *num.* 3 *coram Penia, Decis.* 163 *coram De Verri. Decis.* 185 *num.* 1 *coram Malvasia, Decis.* 86 *num.* 2, *et Decis.* 369 *num.* 8 *coram Eminentissimo Marco*, præcipue cum in casu concurrat generalis Philippi liberatio una cum ipsius Caroli obligatione = *di mantenerla, ed osservarla in ogni miglior modo* =, ex quibus radicitus proscissa superest contraria petitio ad mocitum *Leg. sub prætextu Cod. de Sacrosan. Eccles. Menoch. cit. præsumpt.* 115 *num.* 30, *et Sacra Rota in Recent. Decis.* 157 *num.* 8 *part.* 11; præcipue cum ea liberatio supponat documentorum restitutionem, qua stante perempta omnino censetur quælibet actio directa ad obtinendam rationum redditionem, veluti monet *Dec.* 163 *num.* 10 *cor. De Veri.*

Si igitur ad tramites Inventarii tempore non suspecto, et absque ullo defuncti Dominici interventu ab Agneto confecti, ratio reddita fuit, perperam hodie pupilli pertentant nullitatis illam incusare, sub prætextu, quod in Inventario descriptæ haud fuerint non nullæ res, quæ asseruntur pertinuisset ad Joachimi hæreditatem, quæque dicuntur de præsenti a Reo convento Philippo retenta. Præmisso enim, quod si etiam in Inventario aliqua probaretur emissio, exinde haud descendere consequentia, quod iterari deberet rationum redditio, cum satis foret jam redditam de bono, et æquo corrigere teste *Dec. Mocerat. Rationis* 26 *Novembris* 1827 *num.* 2, *et ejus confirmatoria diei* 25 *Aprilis* 1828 § *fin. coram R. P. D. meo Morini*, videbatur non esse admittendum omissionis suppositum, cum ex jure non alia bona in hæreditate existere censeantur, præter illa, quæ descripta in Inventario reperiuntur, quod cum in suo implicito validitatis statu adhuc consistat, semper pro valido haberi debet, nec ejus defectus allegari unquam potest, nisi prius nullum, et irritum renunciatum sit. Secus enim Inventarii validitas semper præsumitur *Decis.* 902 § 8 *coram Crescentio, Decis.* 188 § 7 *coram Lancetta, Decis.* 87 § 2 *coram Tanara, Decis.* 2 § 8 *coram Falconerio.* Nec ad infirmandum Inventarium satis est allegare alicujus rei omissionem, sed necessario omnino requiritur, ut de omissarum rerum existentia de tempore mor- 3

tis ejus de cujus hæreditate quæritur, aptissime, doceatur teste *Decis. Æ*sina *Pecuniaria* 20 *Junii* 1785 § 11 *coram Strasoldo.*

4 At urgens, ut oportebat, haud videbatur probatio, qua Rosa Inventarii omissiones constituere pertentaverat cum allato testimonio ipsius Viduæ Agnetis. Hæc enim cum suam alleget turpitudinem, audiri haud meretur ad *text. in Leg.* 1 *Cod. detest.* ita *docente S. N. Auditoria in Decis.* 368 *num.* 11, *Decis.* 385 *num.* 32 *coram Olivatio.* Idem sentiendum est de testimonio famulæ Ursulæ de Marchis. Cum hæc, non absque etiam contradictione, referat de rebus, quæ respiciebant juvenilem ejus ætatem, haud facile fidem sibi conciliabat, cum rerum, in quibus præcipue non est proprium interesse, oblivio præsumatur post decennii lapsum, veluti monuit *Sac. Nost Ordo in decis.* 1180 § 5 *coram Molino*, *in Auximana Manutentionis* 26 *Februarii* 1733 § 8 *coram Aquadea*, *in errarien. Census* 30 *Januarii* 1756 § 8 *et* 9 *coram Stadion.*, et alibi passim. Nec utiliter in subsidium vocabantur suspectosissimi testes novissime expiscati, qui nulla adducta scientiæ causa referunt de rebus, quæ internam familiæ Ricciani respiciebant œconomiam, quique in cumpertissima etiam contradictione videbantur cum factis, de quorum veritate aliunde dubitari nequibat.

5 Revera triobolarem fuisse Joachimi hæreditatem pleuissime demonstrat Legitima, quam parenti Franciscæ in pertenui scutorum triginta quantitate reliquit ipsemet Joachim; idem demonstrat defectus pecuniæ necessariæ pro explendis funeris expensis etsi levissimis, et crediti condunatin pupillorum favore expleta *per amor di Dio* a Marinellio; idem evincit Resjudicata, qua Patruus Joannes Baptista Ricciani damnatus fuit ad præbenda Nepotibus alimenta, cui condemnationi haud certe locus fuisset, si vires hæreditariæ necessaria illa alimenta suppeditare valuissent, in idipsum etiam collimante donationis facto, cum præsumi nequeat, quod Dominicus, si debitor fuisset, donare potius quam solvere prætulisset; nec intelligi potest quomodo Carolus, cui pro suis creditis instare potuerat, contentum se præbere voluerit de ea donatione, pro qua etiam solemne grati sui ac ini testimunium perhibuit in edita quietantia.

Et ita etc. Utraque etc.

---

## ROMANA SEU ALBANEN

### REINTEGRATIONES

*Veneris* 12 *Maii* 1837.

### ARGUMENTUM

**Ubi eadem res pluribus distracta fuerit, ille semper praefertur, cui traditio facta fuit, et caeteri emptores, etsi seniores in tempore, quolibet reali actione ad emptam rem vindicandam destituuntur, cum personali tantum polleant actione ad assequendam quanti interest contra venditori personam.**

### SUMMARIUM

*1. Quisquis asserit spoliative sibi ereptum fuisse alicujus rei dominium, ad quod restitui se petat, evidentibus probationibus evincere debet legitimam sibi fuisse dominii causam, et antiquam possessionem.*

*2. Ad contractum perficiendum rei traditio requiritur.*

*3. Extraneum prorsus clausulas, ex Pontificio Chirographo decerptae, invocare, cum de metienda ipsius Pontificis dignitate sermo haud sit.*

*4. Una et eadem possessio et dominium apud duos eodem tempore esse non potest.*

*5. Cum aliquis rei possessione per solidum, et ultra saeculum pacifice continuata, fruatur, temporis haec fuga satis est ad legitimum constituendum recessum a Pontificia praescriptione.*

*6. Ex pretio recte arguitur quid in conventione contineri quispiam voluerit.*

*7. Judices facultate pollent, ex officio supplendi, corrigendi et omnino posthabendi peritorum relationes.*

## DECISIO DXLVIII.

Clarissimæ Mem. Pontifex Innocentius XII postquam nobilibus ædificiis Urbem

ditaverat, in postremis sui Pontificatus annis totum se vertit ad pristinum restituendum honorem portui, quem Nero Imperator propo Antiaci promontorium ad Tyrreni oras sumptuosissimum extruxerat. Citissime expleta fuere opera, quæ appellantibus navibus tutam contra sævientes ventos stationem pararent, curante Amplissimo S. R. E. Cardinali Benedicto Pamphilj, cujus sedulitati laudatus Pontifex celerem tantæ molis extructionem commendaverat. Ut bic Supremi Imperantis votis plenius obsecundaret, curavit, quod ejus Frater Vir Princeps Joannes Baptista, Nonis Maii anni 1697. Rev. Cameræ Apostolicæ ad Triennium concederet usum vallis, quam prope portum inclita illius familia possidebat una cum extantibus ibi ædibus ad commodiorem artificum habitationem. Nec privato suo peculio peperit monificentissimus Cardinalis, ut quæ omnia opera incoeperat ad suum finem quam citissime properarent; modo ut perbrevi temporis spatio portus frontem nobilissima fonte ditaverit, surrexerint navalia, et cætera ædificia, quæ nautarum, ministrorumque necessitatibus succurrerent. Multi qui ad Pontificis mentem se componere cupiebant novitate illam etiam allecti, apud Sacratissimum Principem insteterunt, ut sibi areas ad ædificandum suppeditaret; in quorum vota conscendendum dum duxerit Innocentius XII cuidam Thomati Sperandio Perito Agrario opus commisit metiendi et æstimandi integram vallem Portui conterminam, quæ maxima ex parte ad nobilissimam Gentem Pamphyliam pertinebat, et quam actu ex Instrumento anni 1697 præ cario, ut supra monuimus, Rev. Camera retinebat. Pontificis mandato paruit continuo Peritus, qui die 3 Martii anni 1700 suam edidit peritiam, qua retulit per rubra *decem* eam Vallem extendi, pretium illi constituens scutorum *octingentorum*. Do Rubris decem, septem circiter Pampbyliæ genti pertinere dixit, residuum Rev. Cameræ spectare. Hisce cognitis, exeunte adamussim eo Mense Martii, laudatus Pontifex Chyrographum obsignavit, quo Præsuli Corsinio sui Ærarii Præfecto commisit, ut a Pamphyliis vallem emeret, persoluto pretio argenteorum 800 vel respondente adsignata soli quantitatæ prope fideicommissarium ipsius Gentis latifundium *Campoleone*, quam idem Sperandio de ipsius Pontificis mandato, et mensus fuerat, et æstimaverat. Quid in istius Chirographi executionem deinceps actum fuerit temporis oblivio delevit. Certum tantum est, nullam adesse probationem de expleta Vallis consignatione, cui obstaculum forsan paravit elatum de eo tempore Pontificis funus, ex quo cuncta suspensa superfuere opera, ne in ævum amplius resumerentur.

Immutata rerum conditio fecit, ut Pamphylia gens possessionem retinuerit Antiæ Vallis, de qua ab illo tempore usque in præsens semper ad libitum disposuit. Reapse ipsius Vallis locatio de mense Januarii præcisati anni 1700 inita cum quodam Joanne de Fallerone, absque alicujus appositione suum sortita est exitum anno 1708, et absque ulla originariæ mercedis Imminutione; renovata deinde pluries statis terminis usque ad annum 1773 iisdem pactis et conditionibus, qua demum tempestate prænobilis Gens ab Auria, in quam ob jam finitam descendentiam universa Pamphyliorum jura migraverant, et de utili et de directo Vallis dominio disponere coepit. Quotam reapse ipsius partem Anno 1774 vendidit Cardinali Alexandro Albani, ut quæ adhuc extant ad rusticandum ædes extrueret. Residuam vero partem prius in locationem, et deinde in Emphyteusim concessit Viro Principi Bartholomeo Corsinio, a quo emptionis venditionis titulo utile dominium transiit in Jacobum; aliosque fratres Mengacci, qui et nunc illam detinent. Novissimis hisce temporibus contigit quod universum Neptuni Territorium, inter cujus limites Antia Vallis continetur, emptionis venditionis titulo cum pacto redimendi a Rev. Camera migravit in defunctum Virum Principem Camillum Burghesium. Nobilissimus hujusce frater, et hæres Vir Princeps Franciscus retinens præcitatam Vallem emptæ rei partem constituisse,

et ratus quod ab anno 1700 in vim memorati Innocentiani Chirographi Rev. Camera illius dominium acquisivisset, vadimonium datentoribus Mengacciis indixit, ut ad illius possessionem redintegraretur. Illatas molestias Mengacci Viro Principi Thomati Corsinio nunciarunt, hic illico liberari petiit a praenobili Viro Principe Andrea ab Auria, qui in arenam festinanter descendit, ut strenue coram Innocentianis Judicibus petitam reintegrationem agenti Burghesio impugnaret. Nec malo profecto nomine, amicam enim in Curia Innocentiana Sententiam reportavit. Provocavit Vir Princeps Franciscus ad S. N. Ordinem, qui Ponente R. P. D. Meo Spada, nunc meritissimo S. R. E. Cardinali in factorum perturbatione, iterum iterumque causæ definitionem comperendinavit, rescribens primo coadjuvari probationes, Peritos deinde deputando, qui accedentes in faciem loci referrent, utrum, et a quo tempore Navale, et alia ædificia instructa fuissent intra fines antiquæ possessionis Gentis Pamphyliæ, respectu babito ad Peritiam, et tabulam Topographicam Thomatis Sperandio, quæ in Corsiniana bibliotheca interim reperta fuerunt. Provocavit Vir Princeps Andreas a deputationis decreto, sed obsistente judiciaria praxi appellationi nuncium misit, reservato tamen sibi jure illam congruo tempora renovandi ad tramites Artic. 983 praxis tunc temporis obtinentis, De viribus, et justitia bujus reservationis peculiare instituit Judicium Burghesius; sed incasum, cum illam S. N. Ordo confirmaverit. Electi igitur fuere periti, qui post rerum inspectionem retulerunt Fontem, Navalia, et Cæmeterium intra controversæ Vallis ad Pamphilius pertinentis limites reperiri. At ejusmodi relatione postbabita, PP. Mei deprehenderunt adductis urgentioribus probationibus facilius præsentem controversiam dirimi posse. Et propterea quærenti mibi in locum Emi Spada suffecto = *An, et quomodo sit locus immissioni seu reintegrationi, et deputationi peritorum ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* = responsum dedere = *Negative in omnibus.*

Ad germanas juris regulas præsens 1 revocata controversia non secus definienda videbatur. Quisquis enim asserit spoliative sibi ereptum fuisse alicujus rei dominium, ad quod restitui se petat, perspicuis atque incontroversis probationibus evincere debet legitimam sibi fuisse dominii causam, et antiquam possessionem, demonstrata injuriosa rei detentione ex parte spoliantis *ad text. in leg.* 23 *ff de rei vindicat. leg.* 2 *cod. de probat. Donell. Comm. de Jur. civ. lib.* 20 *cap.* 2 § 3 *et seq. Voet. ad Pand. lib.* 6 *cap.* 1 *num.* 3, *et S. Rota decis.* 66 *num.* 1 *coram Coccin. decis.* 199 *num.* 9 *coram Emerix Jan. decis.* 99 *num.* 3 *coram Kaunitz decis.* 114 *n.* 2 *cor. eodem et alibi passim.* At in casu cum necessariis hisce probationibus nobilis defecerit actor, merito Patres Mei petitam immissionem et reintegrationem eidem denegandam esse censuerunt. Reapse controversam Antiam Vallem a Pamphylia domo in Rev. Cameræ Apostolicæ dominium de facto transiisse non solum ab acture minime probabatur, sed innumeris immo excludebatur argumentis evincentibus continuatam ipsius Vallis possessionem penes reum conventum. Revera Nobilissimus actor Vallis emptionem venditionem, nec non subsequutam traditionem in defectu cujusvis scriptæ probationis præsumptive arguere sibi suadebat ex Chirographo, quo Innocentius XII. Thesaurario Corsinio mandavit, ut dictam Vallem emeret, vel commutaret cum aliis prædiis ad Rev. Cam. Apost. spectantibus. At Patres Mei ad trutinam revocato Pontificio eo Chirographo, dum ex illo intercessi consessus probationem scatere de pleno perspiciebant, non æque fluare ex illo videbant probationem consignationis, sine qua emptionis venditionis contractus plenum suum effectum sortiri nequibat. Exploratissimi siquidem est juris anta rei traditionem perfectum dici non posse contractum, cum contrahentibns liberum sit poenitere, ac ab initis conventionibus resilire § *ultim. Instit. tit. quibus mod. tollit. oblig. et leg.* 2 *ff de rescind. vendit. leg.* 58 *ff de pact. leg.* 1 *cod. quod licet ab empt. di-*

*sced.* Cum tantum post rem traditam pænitentiæ locus non amplius sit, quia consensus ex ea definitive confirmetur, merito idcirco ad initorum contractuum statuendam veritatem, et efficaciam traditionis probatio requiritur, cum ea deficiente, dubium supersit an contrahentes mutuo dissensu recedere a contractu voluerint. Quod vero leges necessario traditionem ad contractus perfectionem requirent, facile deprehenditur, si advertatur quod in casu, quo eadem res pluribus distracta fuerit, ille semper præfertur, cui traditio facta fuit, *leg. quoties cod. de rei vindicat*, et ceteri emptores, etsi priores in tempore, qualibet reali actione ad emptam rem vindicandam destituuntur cum personali tantum polleant actione ad assequendum quanti interest contra venditoris personam prout constitutum apparet in *leg.* 11 *cod. de act. empti, et vendit.*, *Hermensit ad Lopez glos.* 1 *leg.* 5 *tit.* 5 *par.* 5 *num.* 1 *Ramansius in tract. de Præcario Inspect.* 18 *num.* 14. Firmissima proinde remaneat juris regula, quod traditionibus non nudis pactis rerum dominia transferuntur, *leg.* 20 *cod. de pactis Cujac. in comment. tit. de usucap. et ususpadron. pag.* 768 *tom.* 1 *lit. B Edit. Paris.*, *Donnell. in comment. juris civil. tit.* 19 *lib.* 4 *cod. de probation. ad leg.* 4 *eod. tit.* qua proinde traditione, non probata ex præcitato Chirographo deduci nequit dominii transitus, qui a facto, et non ab instrumentorum verbis pendet, præcipue cum nemo ignoret quod non instrumentis res geruntur, sed in iis tantummodo rei gestæ testimonium contineatur modo ut prohibitum haud sit adductis probationibus contrarium evincere ad ea quæ *post text. in leg.* 42 *cod. de probat. monuit S. Ordo in decis. Ferrarien. pecuniaria die* 6 *mox transacti mensis Martii per me evulgata* § 5.

2 Perperam vero excipiebat Vir Princeps Franciscus ad traditionem probandam se haud teneri, cum Innocentiano Chirographo additæ fuerint tam effrenæ clausulæ, ut nec instrumento, neque consensu Pamphyliæ Gentis, nec traditione opus esset Reverendæ Cameræ ad controversæ Vallis occupationem. Sed Patres Mei excipienti Viro Principi plausum facere haud potuere, animadvertentes extraneum prorsus esse clausulas invocare, cum de merienda potestate ipsius Pontificis non hic sermo sit. Si enim constaret de contractus perfectione, ac executione et dubium tantum videretur quid Pontifex senserit incontroversum est quod clausulæ illæ suas vires plene exercerent, et nemini permissum foret de ipsius mente ullam excitare disceptationem sed re infecta clausulæ ipsæ operativæ dici nequeunt, et sequi debent sortem ipsius Chirographi, quod in purum putumque resolvitur mandatum. Sed et clausulas et Chirographum universum effectu caruisse pluribus ex causis judicandum Patres mei arbitrabantur.

Primo enim Burghesius demonstrare 3 haud valuit aliquod post evulgatum illud Chirographum intercessisse instrumentum vel actum, quo sequuta Antiæ Vallis traditio commonstretur, nec non expleta pretii solutio vel commutatio facta evinceretur. Nec mirum videbatur, quod nobilis actor in ea probatione deficeret. Perpendebant enim PP. mei quod funus Innocentii XII paucis mensibus post obsignatum illud Chirographum obventum cum operis interceptionem secumtulerit id causa quod executioni committi nequiret. Reapse Antia Vallis, quæ ab eo Pontifice juxta Chirographi verba destinata fuerat ædificiis per requirentes cives extruendis, in originaria adhuc conditione stat, modo ut Pamphiliæ genti et dein familiæ ab Aura quæ in ejus jura successit, de ea ad libitum disponendi fuerit semper plena potestas qua de re absque ulla mercedis imminutione gens Pamphylia ad annum 1708 protrahere valuit ipsius Vallis locationem, quam Joannes de Fallerone conduxerat a menso Januarii superioris anni 1700, scilicet antequam peritus Sperandio suam conficeret relationem. Per innumeros possessorios actus de ipso Valle etiam deinceps dispositum fuit usque ad annum 1774, quo Vallis utile dominium transiit in nobilissimam gentem Alba-

Digitized by Google

nism, et Cursiam, quin unquam R. C. ullas obmoverit querelas. Si anno 1700 Pontificius Fiscus Vallis dominium reapse adeptus fuisset, haud certe Pamphylii potuissent illius Vallis retinere possessionem, peculiari præsertim perpensa facti circumstantia, quod operibus, tunc præerant Cardinalis Benedictus Pamphylius, qui cum propriæ pecuniæ sacrificio, non levi Summi Pontificis menti obsecundasset præ sua dignitate, et honestate, haud unquam sivisset suam Gentem occupare, quod legitimo titulo jam in Reverendæ Cameræ dominium ipsamet transtulisset. In foro haud ignoratur, quod una, et eadem possessio, et dominium apud duos eodem tempore esse non potest, obsistentibus jure civili ac naturali ratione ad text. in leg. *Ex contraria Leg. peregere § quibus explicitis ff de acq. possess. leg. sicut certo § si duobus vehiculum ff commod. Cap. licet causa de Probat. Menoch. de retinen. possess. Remed.* 3 *num.* 75 *et seq. Postius de Manut. observat.* 72. *et S. Rota in Nuper. decis.* 295 *num.* 7.

4 Etsi autem ex memorate Chirographo argui rite posset traditionis factum, hoc tamen exclusum in casu appareret a Pamphyliorum possessione per solidum, et ultra seculum pacifice continuata, quæ temporis fuga satis est ad legitimum constituendum recessum a Pontificia ea præscriptione, cui rite, recteque præsumi potest alterum suffectum fuisse titulum, ex quo Pamphylii continuare possent in originaria Vallis possessione. *Card. de Luca ee Jur. patron. disc.* 65 *num.* 4, *et S. Rota in Casentin. Abbatiæ* 4 *Maii* 1693 § *ea enim coram Benincasa Decis.* 98 *num.* 15, *et* 16 *coram Ansaldo Decis.* 318 *num.* 14 *coram Molines, et Decis.* 389 *num.* 3 *coram Eminentissimo Marco.* Nec præscriptionis vim infirmat, sed vero confirmat Epistolium, quod de anno 1702 scripsit publici Ærarii Præfectus. Ex eo enim habemus quid curiosum se præbuerit Præsul ille cognoscendi qua ratione satio in controversa Valle per Pamphyliorum conductores expleta fuisset. Sed cum contra ipsos haud processerit, nec sationem in posterum vetaverit, affirmativum habemus argumentum, quod reapse haud facta fuerit Vallis traditio, alias intelligi nequiret, quomodo præcipuus Reverendæ Cameræ administer, qui usurpationem ex propria scientia cognoverat in pacifica Vallis possessione relinquere valuerit præcitatum Joannem de Fallerone, nec impediverit ne actus illi spoliativi in posterum renovarentur. Hæc facti scientia juncta posterioris temporis silentio consensum imitatur, et ratihabitionem inducit *ad text. in leg. penultim. ff de Reb. deb. Cujaci Ques. Posthum. tom.* 1 *pag.* 485 *lett. R Edit. Paris, Cardin. de Luca. Disc.* 20 *num.* 9 *De Censibus S. Rota in Decis.* 230 *num.* 9 *coram Ubald. Decis.* 717 *num.* 3 *p.* 2 *et Decis.* 224 *p.* 6 *num.* 25 *in Recent.* Nec parvi utique momenti est inductiva hæc deductio. Permaxime enim firmabatur etiam facto, quod nullum in ea Valle extructum fuerit ædificium, quamvis littera Chyrographi moneat, quod ad ea adamussim extruenda Sacratissimus Princeps Ærarii Præfecto mandaverit, ut illam emeret.

Incassum vero urgentissimus hisce 5 animadversionibus; et necessariæ actæ solutionis probationis defectui occurrebat Vir Princeps Franciscus invocans assertam permutationem illius terræ quantitatis, quam Peritus Sperandio ex Summi Pontificis jussione mensus fuerat, et pro cujus datione in solutum imperativis verbis obloquitur Innocentianum Chyrographum. Quæ enim de Chyrographi inadimplemento huc usque notavimus, satis sunt, ut pro sequutæ permutationis exclusiune sententia feratur. Sed urgentissimæ infectæ ipsius permutationis probationes nec in casu desiderabantur. Præsto enim est Epistolium die 22 Aprilis anni 1734 a quodam Francisco D' Anibale Ærarii Præfecto conscriptum ex quo compertissimum fit inutilitas rursus actum tunc fuisse de ea explenda permutatione, quod profecto luculenter ostendit eam nunquam antea gestam fuisse. Hanc nec expletam fuisse de anno 1759 indubiam facit probationem sententia diei

12 Februarii illius anni lata ab ipso Thesaurario. Egerat Dux Hyeronimus Pamphylii contra Reverendam Cameram pro vindicanda quadam terreni quantitate, quam ipsa ei usurpaverat prope Ferrariam officinam, quam Princeps extruxerat in suo latifundio Campo Leone. Ex indicto formali accessu cum Reverendæ Cameræ usurpatio patuisset, per eam Sententiam decreta fuit agentis Principis reintegratio ad possessionem Rubrorum *quatuordecim*, anno 1651 emptorum, et ad possessionem rubrorum *sexaginta*, quæ de anno 1652 se quoque emisse probaverat. Si igitur de anno 1754 circumscripta probatur Pamphyliorum possessio ad rubra *septuaginta*, et *quatuor*, prout erat de anno 1652, exclusum plene exinde superest controversæ permutationis factum, nam alias ex necessitate augeri debebat ipsorum rubrorum quantitas. Invictam tandem probationem in casu suppeditabat Transactio die 23 Martii 1783 inita inter Gentem Pampbiliam, et Reverendam Cameram, in qua compositæ binc inde fuere nonnulla prætensiones, quas inter illa erat a Principe ab Auris promota ad pretium assequendum = *del sito conceduto alla Reverenda Camera Apostolica per la costruzione dell'Arsenale* =. Cum hujusce pretii prætensio juxta a Reverenda Camera agnita fuerit, quæ sivit, ut ea constituere remissionis quotam, ad quam ex contractus indole Vir Princeps tenebatur, luculentissime ex eo descendit quod numquam antea controversa contigerit permutatio, alias concludendum foret Pontificii Ærarii Curaiores bis cum manifestissimo Rev. Cameræ damno eamdem rem persolvisse.

6 Male autem ex admissa ea insoluti pretii petitione, contra superius allata argumenta subsumebat nobilissimus Actor, agnens perfectam ergo fuisse Antiæ Vallis venditionem, ipsiusque consignationem expletam. Hæc enim excipienti respondebat ipsius Transactionis littera, quæ certos nos facit non de integra Anna Valle transigentes oblocutos fuisse; sed vero de ea tantum parte, quam Gens Pamphylia concesserat = *alla Camera Apostolica per la bostruzione dell'Arsenale* = quæ taxativa petitio cautos PP. Meos fecerat circa infectam alterius Vallis partis consignationem, pro qua repetenda favorabilem Reverendæ Cameræ prebuerat occasionem ipsa Transactio. Nec relevat quod limitata ea terræ quantitas exclusa videatur a petits, admissaque qnantitate argenteorum 800, quot adamussim ajebat Vir Princeps Peritum Sperandium constituisse pro integra ipsius Pampbyliæ Gentis possessione et proinde regulæ iunixus, quod ex pretio recte arguatur quid in conventione contineri voluerit *Barth. in Leg. Patronus et* 1 *ff de Legat. Mantic. de Tacit. lib.* 4 *tit.* 9 *num.* 5 *et seq.* concludebat prænobilis actor, quod non Navalis superficies, sed integra vallis venire debuerit sub R. C. potestate. Præsumptiva hæc deductio, quæ facto omnino nitebatur, ex demonstrata ipsius facti falsitate necessario corruere prorsus debebat. Reapse minime consistit Peritum Sperandio præcitatam scutorum 800 quantitatem adnotasse pro pretio Pamphyliæ possessionis. Illa addicta fuit integræ Valli, cujus partiarium condominium retinebat et ipsa Rev. Camera. Pretium autem quotæ ad præfatam Pamphyliam gentem pertinentis Peritus Sperandio definivit in quantitate argenteorum 516 65, quæ haud respondet quantitati, de qua loquitur Transactio, quod monitum Patres Mei voluere, ut demonstratum appareret, quam leviter ex adverso argumentaretur super illa scutorum 800 quantitatis designatione, quæ demonstrative adjecta, et non directe respiciens transactionis subjectum, supplere haud certe potest traditionis defectum, ex qua tantum traditione rerum dominia transferantur *cit. Leg.* 20 *Cod. de pactis.*

Nec magis feliciter vir Princeps Franciscus labefactatam traditionis proba- 7
tionem, quam temere ut vidimus Innocentiano Chyrographo desumebat, excitare ac substinere sibi proponebat ex Judicialibus Peritorum relatione, quamvis posthabendam eam esse nonnulla urgentissima suaderent argumenta. Revera, ut asserta ædificiorum e-

Digitized by Google

xistentia infra Vallis fines a Peritis reperta, probare reapse valeat sequutam vallis consignationem, evinci necessario oportebat ipsamet, ædificia extructa fuisse post annum 1700 scilicet postquam Peritus Sperandio Vallem mensus fuerat, et postquam illius emptionem Innocentius XII. suo Thesaurario commiserat. At hic adamussim hærebat probatio. Ex ipsamet enim periti Sperandio relatione probatissimum est de anno 1700 antequam de emenda illa Valle res esset, infra ipsius limites extasse fontem, et navalia ipsa, quæ hodie infra prædictos fines consistere judiciales periti retulere. Idem adnotavit Pontifex Innocentius XII. in quadam sua Constitutione post dies quinquaginta ab obsignato Chyrugrapho; scilicet die 28 Maii ejusdem anni 1700 subsignata. Hoc etiam animadvertebant et Eques Fontana, notissimus illius temporis Architectus et coevæ Historiæ, nec non ipsemet Judiciales periti qui id indirecte admittere videntur, dum parentes S. N. Auditorii rescripto retulerunt navalia constructa appare *circa l'epoca della costruzione della Fontana*. At cum fontem ex adjecta Inscriptione extitisse probetur de anno 1700 consequens est quod et navalia constructa de eo tempore habenda sunt id quod per legitimam consequentiam importat ipsorum ædificiorum aream a Rev. Camera occupatam fuisse ante riti Sperandio relationem, et Innocentii XII. Chyrographum, modo ut exclusum supersit quodlibet ex eo depromptum inductivum argumentum circa assertam posteriurem vallis consignationem. Quoad vero Coemeterium infra præcitatos limites ab iisdem judicialibus Periti repertum, facile persuasum Patribus Meis apparuit id contigere debuisse ex matris recessu quod ab anno 1700 ad præsens per maxime abscessit ab ædificiis quæ ad novissimum instruendum portum de eo tempore extruxerat laudatus Pontifex Innocentius XII. Quibus ex rebus dum Patribus Meis perspectissimum apparebat Prænobilem Gentem Pamphyliam numquam amisisse vallis possessionem de qua ineundæ venditionis tractatum tantum præsefert allegatum Innocentii Chyrographum; perspectum æque eisdem videbatur hujusce probationis vim atquo robur imminutum minime superfuisse ab Judicialium Poritorum relatione, cum hæc res narret ab hystoriis tempore non suspecto exaratis, et ab ipsa peritia Sperandio valde discrepantes. Qua de re eam post habere PP. Mei censuerunt, notissima usi facultate, qua semper Judices potiti sunt ex officio supplendi, corrigendi et etiam omnino posthabendi peritorum relationes ad ea quæ animadverterunt *Bartholus in Leg. Arbiter. Pacion, de locat, et conduct. cap.* 34 § 5 *num.* 96 *S. Rota in Decis.* 679 *num.* 5 *coram Merlino Decis.* 730 § 16 17 *coram Molines decis.* 228 *num.* 5 *cor. Riminaldo Romana seu Urbevetana supplementi* 5 *Juli* 1815 § *cor. Emo Odescalchi* et hodie præscripsit Codex praxeos Art. 720 in quo apertissimis legitur verbis = *I Giudici non sono obligati di confermarsi al parere dei periti contro la propria convenzione.*

Et in strenua partium colluctatione jus redditum fuit.

---

## ROMANA SEU ALBANEN

### REINTEGRATIONIS SUPER FRUCTIBUS

*Lunae* 11. *Decembris* 1837.

### ARGUMENTUM

Argumento non indiget.

**SUMMARIUM**

*1. Fructus debentur, cui sunt bona restituenda. Possessio centenaria, quia inducit bonum fidem, ideo a possessore non sunt restituendi fructus nisi a die motae litis - ibi -.*

### DECISIO DXLIX.

Vix ad nobilissimi Principis Francisci Burghesii notitiam pervenit Reveren-

dam Cameram ab anno 1700 ex oneroso emptionis venditionis titulo obtinuisse possessionem integræ Vallis Antii quam de præsenti occupant fratres Mencacci, ex ipsius Rev. Cameræ juribus suæ prænobili familiæ cessis super Neptuni territorio in contractu emptionis anni 1831 contra præfatos detentores judicium agere ipse constituit. Reapse coram InnocentianisTriumviris *immissionem*, vel reintegrationem ad ipsius Vallis processionem, una cum fructibus decursis postulavit. Lacessiti fratres Mencacci suam illico postularunt a molestiis liberationem contra prænobilem Virium principem Thomam Corsinium, a quo emerant bona omnis quæ in præcitato Neptuno territorio hodie possidet eorum familis. Haud retinuit Princeps Corsinius, sed continuo suam postulavit relevationem adversus virum Principem Andream ab Auria, a cujus nobilissima gente ab anno 1749 in suam familiam jure emphyteutico devenerant bona omnia eisdem Mencaciis dein vendita, quæ inter erat quoque pars præcitatæ Antiæ Vallis, qus super ( uti in coeva mea decisione super reintegratione ostenditur ) gens ipsa Pamphylia serendi jus tantum excedebat. Suscepit reapse vir Princeps Andreas Ab-Auria causæ defensionem, sed *restrittivamente però alla sola quantità del terreno concesso in enfiteusi*. Causæ vices exponit præcitals mea decisio super reintegratione. Causæ principalis sortem sequi ex necessitate debuit pedisse qua præsens controversia super fructibus. Proposita enim per me dubii formula » *An a quo tempore, et in qua summa sint restituendi fructus ita ut sit relaxandum mandatum in casu etc.* » in comitiis diei 12 superioris mensis Maii, cum denegata fuisset reintegratio, dimissa fuit rescripto « *negative in omnibus* » Cum vero hoc mane utraque causa ad PP. judicium per me rursus allata sit, ut ob illustriorem factorum expositionem a suscepta sententia quoad petitam reintegrationem recedere iidem PP. rati sint, æque quoad fructus revocatorium edidere rescriptum. Quærenti enim mihi « *An sit standum vel recedendum a decisis* » responderunt « *recedendum a decisis* »

Statim ac controversiæ Antiæ vallis 1
dominium pertinere instanti viri Principis Burghesio ob jura a R.C. eidem cessa, multis ex congestis rationibus in coeva mea decisione demonstratum fuit clarum perspicuumque fit, quod eidem restituendi quoque essent petiti fructus ipsius vallis. Sont enim isti, prout omnes sciunt fundi accessiones, ejusque sortem sequuntur, ita ut cui bona debentur, eidem deberi etiam fructus semper constitutum invenitur s S. N. Ordine *post. text. in leg.* 1 *et* 2 *cod. de pign. act. leg. fin. cod. de edict. divi Adriani Tollend. leg. Herennius ff de usuris, Rota in Perusina Immissionis super fructibus* 3 *Jul.* 1807 § 2 *coram Isoard. et in Ravennat. Salviani super fructibus* 15 *Jun.* 1830 § 8 *coram R.P. D. meo De Retz etc.* Quoad autem tempus, constituerunt quod a die tantum motæ litis ipsi fructus restituendi sint. Centenaria enim possessio bonsm in possessoribus constituunt fidem, et id præsertim cum varii hoc temporis intervallo controversum fundum detinuerint. Minus recte enim pro præcedentibus fructibus nobilissimus actor instaret contra fratres Mencaccios, qui juxto titulo, et bona omnino fide in vallis possessione versantur. Hisce constitutis, unum tantum supererat nimirum in qua summa essent ii fructus restituendi. Cum vero non constet quæ fuerit eorum vis, idcirco justitiæ consonum PP. Meis apparuit quod mandatum relaxaretur pro summa liquidanda prout assueta S. N. Ordinis praxis requirit *dec.* 65 *cor. Consalvi.*

Et ita etc. utraque etc.



Digitized by Google

## ROMANA, SEU PERGULEN

NULLITATIS EXEQUUTIONIS

*Lunae 27 Januarii* 1837

### ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Exequutio Judicis auctoritate expleta, valida semper praesumitur.* - Et num. 2. -
3. *Simulatio facilius arguitur inter personas sanguine conjunctas.*
4. *Ob insinuationis defectum, bonorum dominium non trasmittitur.*
*Solemnitas extrinseca haud sat est, ad abstergendam intrinsecam contractus iniquitatem.*
5. *Exequutio recte committitur super fundo a tertio acquisito, donec acquisitionis actus transcriptus non sit.*
6. *Exequutionis nullitas proponi potest etiam per exceptionem.*

### DECISIO DL.

Nonnulli Francisci Guazzugli Creditores mandatum in solidum pro quantitate Scutorum 560 obtinuerant ab A. C. Mastai; quod exequutioni commisere die 31 Julii anni 1817 super bonis debitori pertinentibus. Aegre id ferens Franciscus ob assertum excessum patratam exequutionem nullitatis incusavit coram Signatura Justitiæ, quæ ejus instantiam rejecit. Provocavit tunc ad A. C. Colapietro, qui album calculum imposuit Sententiæ A. C. Mastai. Ad sequiora tunc subhastationis acta processit Elisabeth Marchionni, in quam interim ex titulo cessionis creditorum jura coaluerant. Favorabilem ipsa quoque a civili A. C. Congregatione sententiam pro fructibus interea decursis jam obtinuerat, cum anno 1832 vadata fuit coram eodem Tribunali a Joanne Baptista Baffi, et a Luca Franceschini, expostulantibus nullitatem exequutionis, veluti commissæ super Prædio *S. Petrello*, quod in se translatum emptionis venditionis titulo contendebant. Rejecti rogatorum Judicum Sententia provocarunt ad S. Nostrum Ordinem, et cum per me hac mane propositum fuerit dubium = *An constet de nullitate Exequutionis in casu etc.* = responsum accepi = *Negative.*

Receptissimum habemus in foro, quod exequutio non marte proprio, sed Judicis auctoritate expleta, valida semper præsumatur, nec contra illam insurgere liceat, nisi evidenter constet de nullitatibus, quæ illi appinguntur, teste *S. Rota post Mangil. de subhastat. Decis.* 48 *Numer.* 1 *Romana Circumscriptionis* 2 *Decembris* 1804 § 2 *coram Bardaxi, et in Nucerina exequutionis* 20 *Martii* 1809 § 2 *coram Piccolomini.* Controversæ autem exequutionis validitas apertissime probatur non solum a re judicata, quæ illam decrevit, sed etiam a facto luculentissimo ipsius debitoris Francisci, qui dum coram Signaturo Justitiæ circumscriptionem Decreti A. C. Mastai postulavit, exequutionis nullitatem solummodo ob excessum incusavit, non vero veluti commissa fuisset super alterius bonis, quam debitoris. Agnitioni autem ipsius Francisci accedit etiam juge ipsius silentium viginti fere annorum, cum e vita ipse migraverit, quin ullus promotam hodiernam exceptionem in medium unquam produxerit. Qua de re si agentes Baffi, et Franceschini præcipue post tantum temporis lapsum executionis nullitatem evincere putant ex eo, quod commissa illa fuerit super Prædio *S. Pietrello*, quod iisdem dominii jure pertinere ajunt, firmissimis probationibus dominium evincere debent, alias in dubio pro exequutionis firmitate judicium ferendum est.

Probationes autem, quæ ab actoribus afferebantur in promoto judicio, longe sunt, quod penes eos demonstrent dominium, et proprietatem controversi fundi. Ipsi enim innitebantur contractui die 1 Octobris Anni 1825 ex quo apparet eosdem emisse prædium *S. Pietrello* a Bernardino, Baltassarre, et Dominico Guazzugli, qui in solutum anno præcedenti illud acceperant a Filiis Fratris Joannis Baptistæ, quibus a die usque 10 Februarii 1817 donatum pre-

dium ipsum fuerat a Francisco debitore. Ex quo cum facile perspectum appareat contractum anni 1825 omnino pendere ab altero præcedente anni 1817., hunc legittimo initum fuisse ritu, et propria virtute consistere probandum ab instantibus omnino erat.

3 Ast non modo in hoc deficiebant Franceschinius, et Baffius, sed scatebant undique collusionis, et simulationis indicia, quæ contractus nullitatem arguerant. Initus enim ipse fuit, postquam controversia aborta erat Franciscum inter, ipsiusque creditores: imminentem ergo vitandi exequutionem desiderium justam ac patulam præbet causam simulationis, qua concurrente, leves etiam præsumptiones, et conjecturæ sufficiunt ad ipsam constituendam simulationem teste S. Nostro Auditorio *in Melevitana Pecuniaria* 14 *Martii* 1757 *coram Paraceiano Decis.* 826 *num.* 9, *et* 10 *coram Molines*, et alibi passim. Sed haud leves in casu erant concurrentes conjecturæ. Agitur enim de contractu inter personas sanguine conjunctas, inter quas facilius arguitur simulatio. *Decis.* 877 *numer.* 5 *coram Molines*, præcipue cum in eo conventa legantur pacta, quæ ipsius contractus indoli directe repugnant *Menoch. de præsumptionibus præsumpt.* 122 *numer.* 65. Reapse cum Franciscus statutarum præstationum solutionem in vim contractus vitalitii præcedenter initi cum Nepote Joanne Baptista haud reciperet, cessa bona sibi restitui curavit, pro cujus retrocessionis pretio condonavit ipsarum insolutarum præstationum creditum in quantitate scutorum 5000, apertissimis professus verbis = *di aver fatta, e fare un tale acquisto a favore, e vantaggio degli amantissimi suoi Pronepoti* = ex eodem Joanne Baptista, quorum favore contextim explevit etiam bonorum cessionem. Ea itaque pretii conventio cum omnino adversetur initi contractus naturæ gravissimam inducit simulationis suspicionem, quæ in immensum crescit ex inverosimilitudine, nempe quod Franciscus ære alieno undique oppressus donare nepotibus universa bona, et præteritis, et futuris præstationibus etiam valedicere voluerit, ut nil in posterum, unde vivere, sibi superesset. Accedebat denique facti circumstantia, quod ex ea donatione nil adquisitum fuerit donatariis nepotibus ob omissam contractus insinuationem, quæ necessario requiritor, ut donatio valida, atque efficax dici possit.

Quæ vero animadversa fuere quoad contractum Anni 1817 omnia fere collimant ad evincendam simulationem alterius contractus anni 1824., vi cujus in Patruos a filiis Joanni Baptistæ migrarunt bona eisdem donata a Francisco. Si enim donatio ob insinuationes defectum, et ob alias res superius perpensas bonorum dominium tribuere eisdem non potuit, compertissimum proinde redditur, quod ipsi nec transmittere in patruos illorum dominium valuere, quod frustra perinde sibi adequisitum ex posteriori contractu *Anni* 1825 perperam sibi suadent Agentes Baffi, et Franceschini, cum venditores majora jura, quam habebant, in eosdem transmittere nequiverint. Insuper concipi non potest quomodo Baffius, qui de eo tempore in Aegipto commorabat, emere voluerit prædium, de quo agitur, cujus pretium, ipse etsi satis pecuniosus esset, nec statim solvit, sed spopondit se ratatim soluturum in creditorum dimissionem. Nec ad defendendam contractuum validitatem animadvertere juvat, quod solemni modo initi ipsi fuerint. Extrinseca enim Instrumenti solemnitas haud sat est ad abstergendam intrinsecam ipsius iniquitatem, quoties aliunde comprobata appareat, prout monuit S. N. Ordo *in Decis.* 1103 § 8 *coram Molines, in Decis.* 5 *numer.* 3 *coram Falcaner. tit. de falsit. et simulat., in Bononien. seu Ferentina Pecuniaria* 23 *Junii* 1817 § 5 *cor. Emo Odescalchi.* 4

Promotam denique actionem funditus convellebat facti circumstantia, quod emptores in tabulis Censualibus adeptum prædium nunquam transcripserint. Quod importabat legitime super controverso fundo exequutam fuisse rem judicatam, etsi vera probaretur ipsius 5



Digitized by Google

emptio. Nec hujusce conclusionis ratio imminuebatur ex altera circumstantia, scilicet quod ab Elisabetha transcriptum haud fuerit relatum subhastationis decretum, prout Lex Piana tunc vigens præcipiebat. Præmisso enim, quod nullus constitutus fuerat terminus ad ipsam explendam transcriptionem, ipsius attamen defectu nil in themate officiebat, quia respiciebat actum sequiorem, qui nihil commune habet cum anteriore exequutionis actu, de quo quæritur.

1 Pari modo attendenda haud erat altera exceptio, quod objecta Instrumentorum nullitas cum sit altioris indaginis ad congruam judicii sedem sit amandanda. Actio enim ab instantibus Baffio, et Franceschinio promota unice tendit ad nullam demonstrandam exequutionem ab Elisabetha patratam pro obtinenda crediti cessi solutione, ideoque ei licitum esse debet nullitatem opponere, et per exceptionem proponere contra nullitatem quod aliunde per actionem promovendum esset. *Leg.* 1 *Cod. de Ord. judic. Cap.* 1 *de Ordin. Cogn., et S. Rota in Recent. Dec.* 256 *part.* 18 *tom.* 1 *n.* 1.

Et ita etc. Utraque etc.

---

## ROMANA, SEU SABINEN

### RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

*Veneris* 3. *Martii* 1837.

### ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Restitutionis in integrum remedium indulgetur, ut iniquitati Reijudicatæ occurrere laesus possit.*
2. *Inventarium legitimo modo expletum, plenissime contra quoscumque probat.*
3. *Argumentum inductivum, desumptum a rebus judicatis, est maximi ponderis.*
4. *Solutionis vicem supplet datio in solutum.*
5. *Ubi semel acceptum est judicium; ibi et finem accipere debet.*

### DECISIO DLI.

Vineam extra Janiculensem portam in Vocabulo *Bravetta*, quam communiter et pro indiviso possidebant Franciscus, et Stephanus fratres Bolis, Stephanus proprio nomine anno 1687 subjecit primum peculiari hypothecæ scutorum 7000 pro securitate dotis, quam in ea quantitate acceperat ab Uxore Anna Maria Lelli, et deinde perpetuo Census scutorum septuaginta, quam idibus Martii anni 1697 constituit, vendiditque favore familiæ Lecci. Moriens anno 1710 Franciscus, hæredem sibi scripsit Joannem Baptistam ex eodem Stephano nepotem, Stephanum ipsum interdicens usufructui suæ hæreditatis, quam Leges Patri tribuunt super peculio adventitio filii, vetansque præfato hæredi vel pro Patre sponsiones facere. Actum idcirco fuit filium inter, ac Patrem de bonorum divisione, vi cujus Stephano adsignata fuit præcitata Vinea Bravetta, prædia autem Albani, atque Ariciæ sita consecutus est Joannes Baptista.

Foro interim jam cesserat Stephanus ære alieno obrutus, qui nullo condito testamento e vita migravit. Ipsius beneficiatus hæres extitit filius Joannes Baptista. Ex Inventario legitimo modo confecto patuit statum activum unice efformari a præfata Vinea *Bravetta*, quæ impar omnino erat ad solidanda plura, ac gravia debita hæreditaria, quæ inter præcipuum obtinebant locum credita, quibus filius ipse pollebat, tam uti successor in fideicommissis familiæ, quam uti Matris hæres. Anno nondum effluxo a parentis interitu, extremum diem obiit, et ipse Joannes Baptista, scriptis hæredibus Sorore Theresia, et uxore Catharina, quæ cum Inventarii beneficio ipsius adiverunt hæreditatem. In explenda bonorum hæreditariorum descriptione curarunt foeminæ, ut diligenter adnotatum in ea esset activum et passivum, quod ex Stephani hæreditate, et ex Francisci successione in defunctum Joannem Baptistam obvenerat. Nec inutiliter id actum fuit. Contingit enim, quod Stephani creditores,

Digitized by Google

quos inter Michael, et Venantius Lecce judicio coram A. C. Met foeminas ipsias lacessiverint, postulantes; ut per eas uti assertas mediatas debitoris Stephani hæredes do eorum creditis satisfacti essent. Obtinuerunt mulieres admitti ad reddendam rationem de hæreditariis Stephani bonis. Opera Judicialis acciti Periti Curialis facile demonstrare ipse valuerunt unum dotale creditum scutorum 7000 quo carum auctor Joannes Baptista, uti Matris Annæ Mariæ hæres, pollebat; universum absorbere hæreditatem, cujus activum, ut vidimus constituerat tantum vinea Bravetta. Probarunt, quod ejus valor, si tanti haud fuit ad dimittendum potius dotis creditum, multo minus satis haud esse potuit coeteris instantibus dimittendis creditoribus, et præsertim Leccis, qui anno 1697. decennnio nimirum post constitutam, numeratamque dotem, emerant a Stephanum censum, pro quo decertabatur coram Judice.

Latet qui fuerit ipsius concursus exitus; indubium tamen est in facto, quod nullam deinde a Creditoribus Stephani perpassæ fuerint molestiam fæminæ, quæ post æres deinde inter se agitatas lites super modo dividendi Joannis Baptistæ hæreditatem, amica transactione diei 14 Octobris 1824 rem componere maluere. Ex ea obtigit Catharinæ Vinea Bravetta, quem anno 1730 viro Principi Camillo Pamphilio vendidit pretio scutorum quatuor millium quadringentorum. Illam muro circumdedit nobilissimus emptor, et amenissimæ contermine suæ Villæ *di bel respiro* incorporavit. Annorum prope septuaginta spatio in pacifica illius possessione perseveravit Pamphilia Gens; ab ea enim deturbata fuit anno 1799 ob associationis judicium promotum ab Octaviano Lecce ad obtinendum, ut ex ejusdem redditu de insolutis census fructibus sibi plene satisfieret. Diu nihilominus causa siluit, quæ interim anno 1810 excitata a Leccis, eorum favore absoluta fuit a Judice provisorio Vannutelli, cujus Judicatum definitive adprobatum fuit die 26 Aprilis 1810 ab Aula Appellationis, quæ Romæ instituta fuerat Gallorum sub dominatu.

In vim igitur hujusce Reijudicatæ die 3 Martii præcituti anni 1810 associati fuere Fratres Lecci *al vero attuale e real possesso* memoratæ Vineæ *Bravetta*, ut satisfierent de eorum credito scutorum 5585 *per frutti di un censo in sorte di scudi 2000 decorsi, e non pagati* a die 15 Septembris 1730 usque ad diem 17 Martii 1809. Sed Creditores cum perpenderent, quod ex decennii redditu satisfieri de eo credito nequivissent, extrajudiciali prolata Periti Tobiæ Sani relatione, apud Tribunal insteterunt, ut vinea sub hasta distrahenda proponeretur. Placuit eidem Tribunali Peritos Geometras ex Officio eligere, qui super expositarum rerum veritate referrent. Sed Princeps non expectata Judicum sententia, nec peritorum relatione sponte vineam dimisit *a tutto comodo, e vantaggio dei Signori Girolamo, Ottavio, e Lelio Lecci*, sibi reservato tantum jure agendi contra hæredes Venditricis Catharinæ Bolis, quæ defuncta usque a die 13 Decembris anni 1736 in certa suorum honorum parte hæredem scripserat Theresiam prædefuncti sui Viri sororem, et Albertazziorum Auctricem, in asse autem hæredem dixerat quemdam Sebastianum Torrenti, a quo præsentes Torrenti Ereti degentes suam ducunt originem.

Sollicití tunc fuere Lecci controversam vineam auctioni subjiçere, sed ex facta sub hasta venditione cum non aliam summam babuissent, quam libellarum 1782 pro residuali cavendo eorum credito, et pro subrogatione alterius fundi, qui census caput in tuto poneret, Paulum Albertazzi, uti detentorem honorum ad fratres Bolis olim spectantium coram Capitolino Tribunali rapuere. Sed cum contrarium ipsius experti fuerint sententiam, provocavere ad S. N. Ordinem, apud quem haud immutavit judicii alea. Imminens erat, quod in rem judicatam, ponente *Emo Tiberi*, prolaberetur sententia ab Emo Isoard jam obsignata. Ut id evertetent, prætulerunt Lecci amica transactione se componere cum Albertatiis.

Digitized by Google

At Vir Princeps ab Auria in vim reservationis, judicium, quod contra Torrentios usque a die 9 Novembris 1500 coram Crustumerino Irenarca minitatus fuerat, confici die 12 Augusti 1811 tandem constituit coram Tribunali Tyburtino, expostulans argentea 4300 pretium Vineæ, argentea 1370 *impiegati nel recinto delle mura di detta Vigna*, nec non damnorum emendationem, et occursos judiciales sumptus. In eorum silentio sub die 23 *Maii anni* 1812 consona petitioni lata fuit Sententia, quam restituto deinde Pontificio Regimine, executoriam reddidit decretum A. C. Mastai diei 25 *Februarii* 1815. Provocaverant Torrentii ad S. N. Ordinem qui ipsius Decreti executione denegata, decrevit Rotali sententia R. P. D. Mei Spada nunc Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Amplissimi, instanti Viro Principi haud competere jus condicendi a reis conventis quidquid loco evictionis et jacturæ ipse petierat ob obventam favore Lecciorum Vineæ adjudicationem. Provocavit ab ea Sententia Vir Princeps, sed incassum nam PP. per me rogati illam confirmare rati sunt die 2 Decembris 1833, denegata Principi causæ comperendi ratione, quam expostulaverat quousque ad suum exitum alterum adductum esset Judicium super restitutione in integrum ab eo jam promotum contra Leccios. Reproposita tandem causa, petitam dilationem indulgere S. N. Auditorium censuit, pro qua iteratas preces Vir Princeps effuderat.

Revera obtinuit ipse a Signaturæ Justitiæ petitam in integrum Restitutionem; obtinuit, quod fratres Torrenti judicio sisterent ad ejus potuenda jura contra Leccios. Proponenda itaque erat causa, cum in ipsius propositionis pervigilio insurrexerunt Lecci, contendentes peremptum, abrogatumque fuisse judicium ob lapsum termini a novissimis legibus præstituti. At rejecta cum fuerit eorum petitio, proposita hac mane per me fuit judicio OO. DD. hæc causa, sub tralatitia Dubii formula = *An constet de Rejudicata, seu potius de causis restitutionis in integrum in casu etc.* = et in silentio ipsorum fratrum Lecci responsum retuli = *Pro Informante* = nempe = *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.* =

Quamvis magni sit vis, atque auctoritas Reijudicatæ, etsi ipsius favore pugnet veritatis præsumptio, attamen cum injustitia ipsam redolere non infrequenter contingat, merito idcirco a legibus restitutionis in integrum remedium indulgetur, ut ejus iniquitati occurrere possit. Cum vero Vir Princeps ab Auria illud beneficium a Signaturæ Tribunali impetraverit, cum ad ejus jura defendenda teneantur Torrenti, jure meritoque uterque instant apud S. N. Ordinem, ut de meritis rejudicatæ cognitio assumatur *Dec. Forolivien. Consuccessionis* 14 *Maii* 1830 § 4 *et* 5 *et in ejus confirmat.* 13 *Junii* 1831 § 3. *cor. Me.* Sed non multum adlaborandum erat, ut perspectissima Rei judicatæ injustitia appareret. Judex enim provisorius Vannutelli, et Appellationis Aula, quæ ejus excepit sententiam in eo convenerunt, nempe quod census ab anno 1697 super vinea Bravetta impositus a Stephano Bolis, integer etiam adversatur, postquam ipsius Vineæ legitimi detentores evaserunt præ primis ipsius filius Joannes Baptista, et deinde ipsius hæres Catharina, a qua vineam emit Vir Princeps *ab Auria*. Tali modo decepto Judices censuerunt ob perpassam ipsius evictionem, Viro Principi adquisitum esse jus agendi pro damnorum emendatione contra Torrentios, qui ejusdem Catharinæ hæredes extitere. Sed in ipsius Census existentiæ credulitate adamussim consistit ejusdem Reijudicatæ injustitia. 1

2 Reapse post obventam jam decocti Stephani mortem, inconcussum est in facto, quod æs alienum longe absorbebat statum activum, qui unice efformabatur a memorata Vinea Bravetta. Inconcussum æque est, quod ipsius vineæ pretium nec æquaverit dotale creditum scut. septem millium, quo pollebat uti Matris hæres Joannes Baptista, modo ut in solutum recepta illa vinea, soluta superfuerint cætera ipsius Joannis Baptistæ credita, nec non credita aliorum creditorum. Quæ omnia in facto haud

delenda sunt; Compertissime id enim scatet ab Inventario legitimo modo expleto ab eodem Joanne Baptista ipsius Stephani filio, et ab altero æqua legali Inventario inito ab foeminis Catharina, et Theresia Bolis, quæ fuere ipsius Joannis Baptistæ hæredes. Quod vero plurimum eisdem Inventariis fidendum sit, luculentissime demonstratur ab judicio a creditoribus Stephani obmoto coram A. C. Met die 26 Aprilis 1719 contra præfatas Mulieres, quæ a Judice obtinuerunt, ut ex officio Peritus Flavius Moirani deputeretur, qui ab iisdem redditionem rationum reciperet. Animadvertimus superius in exposita facti specie, quomodo accitus Peritus retulerit, quod unica Vinea Bravetta, quæ tantum defuncti Stephani patrimonium efformabat, impar omnino esset ad solidandam dotem, quam Anna Maria Lolli eidem tulerat ab anno usque 1687, modo ut ob temporis prærogativam partiaria expleta in intranti quantitate dotalis nominis solutione ex illius vineæ datione in solutum, nil superesset cæteris Creditoribus, quos inter Lecciis pro censu, quod decennio post emerant a decocto debitore. Cum nullum aliud actum in posterum inveniatur circa eumdem concursum, censeri omnino oportet, quod ipsimet creditores rei veritate perculsi prætulerint desertum dejicere incohatum judicium, et pacificam relinquere mediatis ipsius Stephani hæredibus controversæ vineæ possessionem, cum pro Stephani debitis obstrictam haud haberi posse Joannis Baptistæ hæreditatem plene tunc ipsi agnoverint.

3 Inductivum hoc argumentam a rebus judicatis fulcitum etiam videbatur. Siquidem ab anno 1722 cum Antonius Petti fæminas Bolis judicio lacessiverit coram A. C. Tribunali ad obtinendum quod sibi debebatur tam a Francisco, quam a Stephano fratribus Bolis, Judex ab A. C. deputatus condemnavit Catharinam, et Theresiam, utpote mediatas Francisci hæredes solummodo ad solutionem Scutorum 606 39 quæ Francisci debito probabantur, reservato Actori jure agendi peculiariter quoad reliquum. In vim igitur hujusce reservationis commissa fuit causæ cognitio ad S. N. Ordinem, qui, maturius re perpensa, conventas mulieres absolvit a pensitando ære alieno Stephani; ob facti circumstantiam quod ipsæ suum jus meritæ fuerint a Francisco, et non a Stephano, cujus æs alienum commune fratri esse nec ex jure, nec ex facto quibat, prout luculenter probavit facti circumstantia, nempe, quod etsi post ipsius Stephani decoctionem plures in concursus creditores comparuissent, nemo tandem contendit Franciscum obstrictum esse ad solutionem æris alieni a Stephano fratre contracti; veluti monuit Decisio ad rem edita sub die Lunæ 4 *Junii* 1753 *sub titulo Romana Pecuniaria super Reservatis in Sententia A. C. cor. Elephantutia.* 4

Si igitur census creditum cedere debuit præexistenti Dotis credito, si in loco solutionis stare debuit vineæ adsignatio *Decis. Romana, seu Sublac. Red. Rationis* 31. *Januarii* §. *fin. cor. Frangipana, Romana seu Sabinen. Evictionis* 11. *Maii* 1821. § 17. *cor. Ema Spada* palam est, quod Creditor Joannes Baptista libere illam recipere debuit, ac liberam transmittere valuit in Catharinam, quæ idcirco uti ab ipsius censsus onero exemptam in ementem virum Principem transferre illam valuit. Qua de re nisi in factorum perturbatione ac ignorantia contingere potuit, quod provisorius Judex Vannutellius, et dein Appellationis Aula instantibus fratribus Lecci ipsius Vineæ adjudicationem impertiri potuerint pro crediti haud amplius existentis solutione, quod vero si etiam extitisset, impertienda attamen haud certe erat. Reapse Catherina dum in certa re hæredem nuncupavit Sebastianum Torrenti, in asse autem hæredem scripsit Theresiam Bolis defuncti sui viri sororem, ex qua hodierni Albertazzi suam ducunt originem, expressissima adjecta conditione, quod satisfacere ipsa deberet *a tutti, e singoli debiti che sono in detta Eredità di Giovanni Battista, e che potessero sempre, ed in perpetuo scoprirsi.* Quod luculentissime explicat, quod si adhuc

existerent censendum esset fratrum Lecci creditum, ipsimet pulsare haud umquam quibant Torrentios, sed potius Albertatios, quibus æris alieni dimissio a Testatrice commissa fuerat. Ned id utique ignoratum fuit ab instantibus Lecciis. Contra Albertatios enim egerunt pro condicenda insolutorum fructuum residuali summa, nec non pro obtinenda alterius fundi subrogatione. Sed cum imminentem præviderint remjudicatam, quæ eorum petitionem omnino rejecturæ erat, amica concordia res componere cum eisdem prætulerunt.

5 Quibus ex rebus cum probatissimum sit census creditum haud amplius oneri fuisse Vineæ Bravetta, postquam eam in partiarii sui crediti solutionem receperat Joannes Baptista, necesssario cuncludere oportet contra veritatem remjudicatae constituisse ipsius census obligatione adhuc effectam iri controversam vineam, quam injuste proinde adjudicabat instantibus Lecciis, præcipue quia hoc negatum antea eisdem fuerat in peculiari indicto creditorum concursu; Tandem cum speciale hoc judicium ipsi deseruerint, congruum potius vidutur loco novum inchoandi judicium, intermissam alteram super concursu prosequi causam ipsos teneri ex receptissima juris regula, quod ubi semel acceptum est judicium, ibi et finem accipere debet, *ad text. in leg. 30. ff. de jud.*

Et ita in silentio Fratrum Lecci, Torrentiis, et Viro Principe ab Auria informantibus, jus redditum fuit VV. OO. DD.

---

## ROMANA, SEU SABINEN

### RESTITUTIONIS IN INTEGRUM

*Veneris* 16. *Junii* 1837.

### ARGUMENTUM

Habes in superiori, quae confirmatur - DECISIO DLI -

### SUMMARIUM

*1. In praesumpta census cujuspiam existenti, consistere queit Reijudicatas injustitia.*

*2. In causa redditionis rationis, inventaria probationes adaequatas subministrant.*

*3. Qui a petita solutione ex facti cujusdam circumstantiis absolvitur, ad nil amplius tenetur.*

*4. Prior in tempore potior in jure.*

*Ubi semel acceptum est judicium, ibi et finem accipere debet - ibidem. -*

## DECISIO DLII.

Inter varia Credita, quibus pollebat Joannes Baptista Bolis erga obæratam parentis Stephani hæreditatem illud præcipue erat scutorum septem millium, quæ ejus Mater Anna Lolli, dotis causa viro Stephano numeraverat usque ab anno 1687, et pro quorum securitate specialem obtinuerat Hypothecam super vinea, quam in Voabulo Bravetta extra Janiculensem portam idem Stephanus communiter cum fratre Francisco possidebat. Ad ipsorum creditorum indemnitatem curandam cum Legis beneficio paternam adivit hæreditatem Joannes Baptista, qui inventario legitimo modo expleto comperit activum illius statum unico efformari ab ea vinea, qua super præter Dotis hypothecam gravabat quoque census scutorum septuaginta anno 1697 a Stephano impositus favore Lecciorum. At vineæ pretium ad ipsum unum dimittendum dotis creditum cum impar appareret, facile ipse obtinuit, quod, coeteris posthabitis posterioribus Creditoribus, in solutum ipsius vineæ datio sui favore expleretur, quod nemine obsistente, factum fuit. Nondum annus effluxerat a morte Stephani, quod extremum diem vidit, et ipse Joannes Batista. qui in scripto extremo suo elogio hæredes vocavit sororem Theresiam, et uxorem Catharinam, quæ pariter cum Legis beneficio illius adivere hæreditatem. Diligenter Foeminæ in inventario secernerunt quidquid Joanni Baptistæ obvenerat ex Stephani hæreditate ab eo, quod assecutus ipse fuerat ex successione prædefuncti pa-

trui Francisci. Optimo quidem consilio actum id fuit; cum ipso enim inventario ipsæmet foeminæ valide se defenderunt ab impetu Stephani creditorum, et precipue obsistere potuere petitioni Michaelis, et Venantii fratrum Lecci, qui eas foeminas uti assertas mediatas illius Stephani hæredes coram A. C. met lacessiverant pro solutione assequenda crediti census, quem, ut vidimus, favore eorum familiæ usque ab anno 1697 Stephanus imposuerat super præcitata vinea Bravetta.

Obtinuere Mulieres admitti ad rationem reddendam de hæreditariis Stephani substantiis. Opera judicialis acciti Periti Curialis facile demonstrare ipsæ potuerunt ipsius Stephani activum hæreditatis statum tantum constituere unam vineam Bravetta, cujus pretium haud tanti fuit, ut sufficeret ad dimittendum creditum anterius scutorum 7000, quo earum auctor Joannes Baptista, uti Matris Annæ Mariæ hæres, pollebat erga parentis successionem. Post redditam hanc rationum redditionem latet quid actum fuerit in indicti illius concursus prosecutionem: Probabilius videtur, quod desisterint Creditores ab ulterioribus inferendis molestiis; scimus enim quod foeminæ illæ amice inter se die 14 Octobris anni 1724 Joannis Baptistæ hæreditatem diviserunt. Catharina, cui vineam Bravetta in ea divisione obtigerat, eam vendidit prænobili Genti ab Auria. quæ illam amenissimæ conterminæ suæ villæ conjunxit. Septuaginta fere effluxerant anni quin nullus emptorem exturbaverit in pacifica illius vineæ possessione. Hanc tandem turbavit Octavianus Lecce, qui anno 1799 judicium associationis promovit, ut de insolutis census fructibus sibi plene satisfieret.

Diu siluit causa, quæ tandem anno 1810 excitata, Lecciorum favore definita fuit ab Judice Provvisorio Advocato Vannutelli, cujus judicatum definitive approbavit sub die 26 Aprilis præfati Anni Aula appellationis, quam Galli Romæ instituerant. Ex ea itaque Rejudicata fratres Lecci associati fuere *al vero attuale, e real possesso* controversæ vineæ, ut ex ejus redditibus satisfactionem reciperent de eorum credito in argenteis 5583 *per frutti di un censo in sorte di scudi 2000 decorsi e non pagati* a die 15 mensis Septembris anni 1770 usque ad diem 17 Martii 1809. Sed infra decennium cum ipsius crediti solidationem obtinere requirent fratres Lecci, pro illius vineæ adjudicatione erunt; Ex officio deputati fuerant periti, qui super ipsius vineæ valore referrent. At vir Princeps ab Auria nec expectata Judicis Sententia, nec peritorum relatione, ultro vineam dimisit *a tutto commodo e vantaggio dei Signori Girolamo, Ottaviano, e Lellio Lecce*, sibi jure tantum reservato agendi contra hæredes venditricis Catharinæ Bolis, quæ in certa bonorum parte hæredem scripserat Theresiam Bolis prædefuncti sui Viri sororem, et hodiernæ Albertazzi familiæ Auctricem, in asse autem hæredem dixerat quemdam Sebastianum Torrenti ex quo præsentes Torrenti Eredes degentes suam ducunt originem.

Judicialem vineæ venditionem curarunt Leccii, sed ex ejus venditione subhasta expleta cum non aliam summam, quam libellarum 1762 habere valuissent pro residuali credito cavendo, et pro alterius Fundi subrogatione obtinenda egerunt contra Paulum Albertazzi, qui in vim Catharinæ Testamenti bona retinebat ad Fratres Bolis olim pertinentia. Sed contrariam experti fuere judicii aleam tam coram Capitolino Judice, quam coram S. N. Auditorio, ad quod provocaverant. Imminens erat, quod in rem judicatam, Ponente Emo Tiberi, prolaberetur Sententia ab Emo Isoard jam obsignata. quod ut everterent, cum Albertatiis amica Transactione rem componere Lecci curarunt. Contra autem Torrentios, qui quoque Catharinæ hæredes fuerant, sua jura exercere in vim reservationis prætulit vir Princeps ab Auria. In eorum silentio sub die 23 Martii anni 1812 a Tiberino Tribunali amicam retulit sententiam, executoriam deinde redditam die 25 Februarii 1815 ab A. C. Mastai, vi cu-

Digitized by Google

jus præfati Torrenti damnati fuere ad refundendum vineæ prætium in soluta quantitate argenteorum 4300, nec non ad solvenda argentea 1370 *impiegati nel recinto delle mura di detta Vigna.* Provocaverunt Torrenti ad S. N. Ordinem, qui Mastai Decreto denegata executione, decrevit, Rotali edita Sententia coram R. P. D. Spada tunc meritissimo S. Tribunalis Decano, et amplissimo nunc Romanæ Ecclesiæ Cardinali, instanti Viro Principi haud competere jus condicendi a Torrentis quidquid loco evictionis, et jacturæ ipse petierat ob obventam favore Lecciorum vineæ adjudicationem. Incassum ab ea Sententia provocavit vir Princeps. Eam enim Patres per me rogati die 2 Decembris anni 1833 confirmarunt, denegata Principi causæ comperendinatione, quam expostulaverat quousque ad suum exitum alterum adductum esset judicium super restitutione in integrum, quam contra Leccios ei indulserat Signaturæ Tribunal, vocatis ad causam fratribus Torrentiis, ut ejus jura contra illos defenderent. Sed denegatam tunc causæ dilationem cum instans Princeps tandem obtinuerit, datum fuit fratribus Torrentiis impertitum a Signaturæ Tribunali beneficium coram universa Aula experiri assueta Dubii formula = *An constet de rejudicata, seu potius de Causis Restitutionis in integrum in casu etc.* cui Patres per me rogati in fratrum Lecci silentio responderunt *pro Informantibus*, nempe *negative ad primam partem, affirmative ad secundam.* Iterum proposita hoc mane causa, cum Lecci vadimonium denuo deseruerint, Patres rescriberunt *in Decisis.*

Simplex est hujus causa definitio,
1 pendet enim hæc ab inspectione, an census, quem anno 1697 Lecciorum favore super vinea Bravetta imposuit Stephanus Balis, integer etiam adservaretur, postquam legittimi ipsius vineæ detentores evaserunt, præ primis illius filius Joannes Baptista Bolis, et dein hujusce uxor Catharina, a qua vineam emit Vir Princeps ab Auria. Judex provvisorius Vannutellius, et appellationis Aula, quæ ejus excepit Sententiam, adservatum fuisse controversum censum putantes, petitam a Lecciis associationem concesserunt, et subsequentem associatæ vineæ distractionem permisere; proindeque ob obventam ipsius evictionem censuerunt instanti Viro Principi adquisitum fuisse jus agendi pro damnorum emendatione contra Torrentios Catharinæ hæredes. At in præsumpta illius census existentia adamussim consistit ejusdem Resjudicatæ injustitia. 2

In exposita factorum seri præmonuimus Stephanum æs alienum reliquisse longe excedens activum suum statum hæreditarium, qui unice efformabatur a vinea Bravetta. Narravimus quod hæc in solutum data fuit Joanni Baptistæ Bolis pro partiaria solutione Dotis, quam in quantitate scutorum septem millium Stephano tradiderat illius Mater Anna Maria Lolli ab anno usque 1687, quæ pro sua dotis securitate speciali hypotheca sibi obligari obtinuerat præfatam vineam; Animadvertimus quod, ex acta illius vineæ datione in solutum, insoluta superfuere coetera credita, quæ inter fuit, et Lecciorum Census. Hæc omnia plene probabantur cum inventariis ab ipso Joanne Baptista, et a fæminis Cdtharina, et Theresia Bollis legittimo modo expletis, quorum veritatem etiam agnovit Flavius Moirani Peritus a Tribunali A. C. deputatus in causa rationis redditionis die 26 Aprilis 1759. contra præfatas foeminas a Stephani creditoribus promota. Cum nullus alter in posterum inveniatur actus circa indictum illum concursum jure meritoque censeri debet, quod ipsemet Creditores, quos inter erant et ipsi Lecci, rei veritate perculsi desertum relinquere inchoatum judicium prætulerint, pacifica relicta hæredibus Joanuis Baptistæ vineæ possessione.

Nec infra simplicis inductionis fines 3 hærebat argumentum. Potissime hoc enim a rebus jam judicatis firmabatur. Stephani enim, et Francisci fratrum Bolis creditor erat Antonius Petti, qui pro sui crediti assequenda solutione

judicium promovit contra Catharinam, et Theresiam. quæ a Tribunali A. C., uti Francisci mediatæ hæredes, damnatæ fuere ad solvenda argentea 603 39 quæ a Francisco deberi probatum fuerat, reservato Actori jure agendi particulariter quoad summam, quam ei debebat Stephani hæreditas. Egit reapse in vim reservationis Antonius, sed contraria pugnavit fortuna; Absolutæ enim fuere mulieres a petita solutione ex facti circumstantia, quod probare ipsæ valuerunt non Stephani, sed unius Francisci se hæredes fuisse, quem nec ex jure, nec ex facto ad dimittendum æs alienum fratris obstrictum fuisse nullus ex Stephani creditoribus unquam excogitaverat, veluti monuit Decisio sub titulo *Romana pecuniaria super reservatis in Sententia A. C. coram Elaphantutis*, die 4 Junii 1753 evulgata a S. N. Ordine, ad quem idem Antonius provocaverant.

4 Si igitur indubium est, quod qui prior est in tempore potior quoque est in jure, necessario ex præmissis descendit, quod rite, recteque census creditum cedere debuit credito Dotis decennio nimirum antea numeratæ, et quod obligatae vineae adsignatio cum solutionis vices repraesentare deberet, illius vineae liberationem a qoovis alio onere inducere ex necessitate oportuit, modo ut libere praefatam vineam recipere debuerit creditor Joannes Baptista Bolis, et libere de ea disponere ipse potuerit favore Catharina, a qua exempta ab controversi census onere transire tandem potuit in ementem virum Principem, qui liberum idcirco acquirere ac retinere deboit ipsius vineae dominium. Qua de re nonnisi in factorum pertorbatione, atque ignorantia contingere potuit, quod provvisorius Judex Vannutellius, et dein appellationis Aula, instantibus Lecciis, illius vineae adjudicationem impertiri potuerint pro crediti amplius existentis solutione, quod vero si etiam extitisset, impertienda attamen baud certe erat. Reapse Catharina dum haeredam nuncupavit Sebastianum Torrenti in re certa, baeredem quoque vocavit Theresiam Bolis, a qua hudierni Albertazzi descendunt, expressissima adjecta conditione quod satisfiere ipsa deberet *a tutti e singoli li debiti che sono in detta eredità di Gio. Battista, e che potessero sempre, ed in perpetuo scuoprirsi.* Qua stante conditione patens videtur quod Lecci pro sui crediti assequenda solutione nunquam Torrettios, sed tantum Albertatios pulsari tenebantur, ut illi, quibus aeris alieni dimissio commissa fuerat. Nec Leccios excusare valet ipsius conditionis ignorantia. Hanc enim omnino excludit factum ipsorum Lecciurum, qui pro condicendis insolutis fructibus, et pro obtinenda alterius fundi subrogatione contra ipsus Albertazzios egerunt, et cum imminentem previderent Remjudicatam, quæ eorum petitionem omnino rejectura erat, prætulerunt cum eisdem amice rem componere. Quibus ex rebus cum probatissimum sit census creditum haud amplius oneri fuisse vineæ Bravetta, postquam eam in partiarii sui crediti solutionem receperat Joannes Baptista, necessario concludere oportet contra rei veritatem Rem judicatam constituisse ipsius census onere adhuc pergravari vineam, quam injuste proinde instantibus Lecciis adjudicavit, præcipue quia id antea exclusum jam fuerat in peculiari indicto Creditorum concursu, quem loco novam incohandi controversiam prosequi potius iidem Leccii tenebantur ex recepta regula quod ubi semel acceptum est judicium, ibi et finem accipere debet *Leg.* 30 *ff de judiciis.*

Et ita in silentio fratrum Leccii, Torrentiis tantum informantibus, tota suffragante Aula decisum fuit.



# ROMANA, SEU TUSCULANA

## INSTAURATIONIS ET EMENDATIONIS DAMNORUM

*Lunae 26. Junii 1837.*

### ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

SUMMARIUM

1. *Aedificandi in suo solo, plenissimam unicuique lex tribuit potestatem.*
   *Limita, quotenus nihil in alienum immittat - ibidem. -*
2. *Vias publicas qui muniunt, sine damno vicinorum id facere debent.*
3. *Qui ex novo opere damnum passus est, emendationem petere potest.*
4. *Qui aedificando alienum occupat, loco damnorum, debet pretium soli occupati refundere.*

## DECISIO DLIII.

Cum Tusculum petentibus, undecimo ab Urbe lapide invium et asperum pateret inter hoc sternere facili usque reddere constituerunt illius Civitatis Municipes. At opus a supremo Principe adprobatum confici non potuit absque damno eorum, qui destrorsum, et sinistrorsum bona possidet. Prae caeteris Rus nobilissimum viri Principis Aloysii Boncompagni Ludovisii deturpatum per maxime extitit ob expletam viae elevationem: Fere enim obstructa superfuit altera ex foribus, et muri circumscipientes celsitudinem viae solum praequavit, modo ut cuique deinceps liber ad illud patuit accessus. Aegre id vidit vir Princeps, ideoque ad A. C. Tribunal Municipii Moderatores rapuit instans pro murorum, atque ingressus instauratione, nec non pro emendatione damnorum. Petitionem Innocentiani Judices rejecerunt, sed per provocationem ad S. Nostrum Tribunal Judicii alea quoad instaurationem Murorum, et emendationem damnorum immutata est: Quaerenti enim mihi hoc mane = *An sit locus instaurationi murorum atque ingressus ad Villam, et emendationem damnorum in casu etc.* = responsum datum fuit = *Quoad instaurationem murorum et emendationem damnorum affirmative juxta modum in Decisione exprimendum, in reliquis negative.* 1

Notissimam sui favore Tusculi Municipium invocabat juris regulam, quod quisque plena fruitur putestate aedificandi in suo solo, etsi vicinus incommodum exinde patiatur. Hanc autem regulam praesenti rei aptans, ajebat, novum opus ad commodiorem sternendam viam cum super solo publico excitatum fuerit jure constructum censendum esse uteumque incommodum ex eo obveniat Plumbini Principi, qui patiens istud ferre tenetur. Proinde Principis petitioni aperte adversari Moderatores dicebant, et juris civilis censuram in *Leg.* 8 *ff si servit vindicat*, quae unicuique in suo solo plenam tribuit aedificandi potestatem, quatenus nihil in alienum immittat, et expressam litteram aedictalis Legis *diei* 1 *Decembris anni* 1828, *quae in artic.* 10 praecipit = *I possidenti frontisti non avranno diritto a verun abbono per le mutazioni, che possono subire gli accessi ai loro fondi, ritenendosi intieramente a loro carico l'eseeuzione delle opere occorrenti per conformare nuovi accessi alla nuova giacitura, ed al nuovo andamento della strada.*

2 Apertissima hujusce aedictalis legis censura facile reapse demonstrabat minime recte Virum Principem pro ingressus instauratione egisse: Lex clara est, nec interpretationem admitti. Quapropter damnum ex viae elevatione ruris ingressui illatum, aequo animo ab eo ferendum esse merito PP. Mei definiverunt, sicut planum apparebat ab ipsomet Viro Principe subeundos esse sumptus omnes faciendos = *per conformare nuovi accessi alla nuova giacitura ed al nuovo andamento della strada* ut rursus ad praenobile ejus rus ingressus pateat. At dum nullum esse potest dubium, quominus hujusce legis censura aptanda foret innovationibus ostiis ingressibusque a novo opere indu-

ctis, æque apparebat legem ipsam, utpote juris civilis correctoriam, strictim accipiendam esse, nec facile ad casus in legis verbo haud comprehensos extendendum *Decis. Ferrarien. supplementi legitimae* 1 *Decembri*. 1829 § 11 cor. *Emo Patrizi*, ideoque eorum prudentia animadverterunt PP. præcitatæ legis præscriptum, quæ taxative de ingressibus loquitur, ampliandum haud esse ad petitas murorum instaurationes, damnorumque emendationem. Missa enim Indagine, an invocata illa ædictalis Lex anni 1828 privilegium exhibeat potioribus reipublicæ operibus tantum aptandum, an æque et tenuiotibus, utpote ad summum declarari potest via, de qua agitur, quæquæ ad unius Tusculanæ Communitatis commodum instructa videtur, prætermisso quod Legislatoris mens haud certe fuerit privatorum jus conculcare, sed providere tantum, ne privatæ quærimoniæ publicum extruendum opus propedirent, Patres perpenderunt strictæ esse intelligendam invocatam legem, quæ cum, ut vidimus, de accesssibus nominatim unice loquatur, extendi idcirco haud potest ad alia incommoda vel detrimenta, quæ ex novis operibus obvenire conterminis possessoribus potuerint. Hac enim in specie redeunt receptissimæ in foro juris regulæ, quæ docent illos, qui vias publicas muniunt, sine damno vicinorum id facere debent. *Leg.* 31 *ff de damno infecto*, *et Leg.* 8. *cod. de operib. pub.* et si damnum inferant, extimationem solvere tenentur *Voet. ad Pandectas lib. tit.* 4 *numer.* 7 *Brunem. Commen. ad Leg.* 9 *Cod. de operib. pub. Perez in eod. lib.* 8 *tit.* 12 *num.* 4.

3 Nec sine ratione id jura constituunt; fundamentalis enim in foro est juris regula, quod nemo debeat commodum haurire ex aliena jactura. Sit utique quod in Communitatis facultate fuerit commodiorem sibi parare viam, at ex eo haud descandit, quod ipsi Municipio liberum esse debuerit id explere cum non levi conterminorum possessorum damno. Dum igitur nulla Viro principi facultas competebat publicum inceptum opus præpediendi ob damnum, quod suo ruri exinde obveniebat, non exinde prohiberi ipse potest, ne illati damni emendationem expostulet, quam tuta justitia eidem denegari nullimode potest. Præter enim patientiam ad opus conficiendum, nil aliud præstare ipse tenebatur. Porro si ejus oneri esse deberet nova murorum extructio, duplici danno is obviam iret, scilicet uti Possessor Tusculanus contribuere et ipse deberet ad expensas pro via illa sternenda necessarias, et uti dominus privative Ruris sustinere deberet peculiares alios sumptus, qui fieri debent, ut suum Rus iterum muribus circumdatum a perversorum bominum rapinis, ac incursionibus defensum redeat. Propterea dum Vir Princeps ut possessor libenter cum cæteris subjicit expensis, quæ pro via publica sternenda necessariæ videntur, e contra uti alter ex iis, qui ex acto opere detrimentum passus est, jure meritoque instat, ut consepulti muri a Municipio iterum excitentur, et illatum damnum emenderetur ad ea quæ animadvertit *Lascaris de jure naturæ, et Gentium tom.* 2 *Dissertat.* 13 *num.* 9 *Lampredi de jur. pub. univers. part.* 2 *cap.* 3 § 21 *et S. Rota in Decis. Imolen. seu Ferrarien. Viæ super damnis* 30 *Aprilis* 1790 *num.* 2 *coram Malvasia*, præcipue cum ab ipso Viro Principe prubatum fuerit, quod aliis, qui ex novo opere damnum passi sunt emendationem Municipium haud denegaverit. Nec ab emendandis illatis damnis, de quibus agitur initio abhorruisse vel ipsi Municipii moderatores visi sunt, cum ille eorum mandato jam manus data fuerit murorum instaurationi, pro cujus prosequutione præsens agitur controversia.

Dum vero ex relatis hisce juribus satis compertum in genere apparebat ad aliquid teneri Municipium erga instantem Virum Principem, in specie definiendum supererat quod in specie pro bac obligatione adimplenda explendum ei foret. Et hic cum in facto PP. Mei animadverterent, quod muri, antequam via sterneretur, extollebantur quatenus satis erat, ut ingressus, 4

et prospectus prohiberetur, et ii deinde sepulti fere ob novum opus fuerunt, idcirco justitiæ, et æquitati consonum eisdem apparuit, quod illi a Communitate iterum ad illam excitarentur celsitudinem, quam attingebant antequam viæ conditio innovata fuisset. Quoad petitam autem damnorum emendationem facile ex præmissis arguebatur eam in casu minime denegandam fuisse, sed cum emendatio illati damni mensuram excedere non debeat, idcirco Patres Mei suum cuique tribuentes constituerunt, quod loco damnorum Municipium teneatur Viro Principi rependere pretium areæ, quam in ejus solo occupant extructa illa munimenta, quæis fulciri oportuit murum, qui sepultus a viæ elevatione, hujusce sustinet vim, ac pondus. Et hic erat modus in Decisione exprimendus.

Et ita etc. Utraque etc.

---

## ROMANA, SEU VERULANA

### PROGRESSIVITATIS MENSTRUÆ PRÆSTATIONIS

*Veneris* 13 *Januarii* 1837.

### ARGUMENTUM

Legata morali personae relicta, etsi testator non expresserit, cessant semper cum morte legatarii, ex potissima ratione, quod qui legat, mortalem hominem, non autem ejus posteritatem honorare intendit. Receptum proinde est in foro quod hujusce generis testamentariae dispositiones in tot resolventur legata, quot sunt menses, vel anni vitae legatarii, et ideo eo mortuo, ad ejus heredes legatum non transit.

#### SUMMARIUM

1. *Liberum est ex Jure cuique testatori scribere legata in qualibet testamenti parte.* - Et num. 2. -

   *Heres est qui in universum jus testatoris succedit; legatarius qui partem tantum hereditatis delibat.* - *Ibid.* -
3. *Heres institutus in re certa legatarii loco haberi debet.*
4. *Minime inter se discriminantur legata sive in dies, sive in menses, vel annos relicta sint.*

   *Legata morali personae relicta cessant cum morte legatarii.* - *Ibid.* -
5 *In annuis legatis tacita semper inest conditio si legatarius vivat.*

   *Menstrui legata indoles est, ut legatarius habeat unde quotidianis succurrere valeat suis necessitatibus.* - *Ibid.* -
6. *Obveniente Legatarii obitu, cum legatum relictum sit nomine alimentorum cessat legati praestatio, relictum autem ad heredem exonerandum, pro modo tantum reliquorum annorum transmittitur.*
7. *Annuum legatum indefinite relictum extinguitur ob mortem legatarii.*
8. *Si perpetuum quid relictum fuit perpetuum manet; si autem temporaneum, temporarium remanet.*
9. *Quoties legitima testamento data sit, vel filius contentus fuerit aliquid ejus loco recipere, actionis transmissio cessat.*
10. *Exulat laesio cum constitui tuto possit vitalitiam praestationem in totum compensari legitimam partem quae alicui ex jure debeatur.*
11. *Cauthelae firmitas haud pendet a majori vel minori legati amplitudine.*

### DECISIO DLIV.

Marchio Clinus Ferrari ex Oppido Ceprani anno 1777 morti proximus extremum condidit elogium, quo instituto Arduino primogenito in universa suæ hæreditatis substantia, secundo nato nomine Pio, qui Romæ Jurisprudentiæ operam dabat, reliquit = *scudi trenta al mese per sua porzione* =præter= *scudi* 1150 *per una. sol volta da consegnargli dalla Eredità a seconda della spesa che onderà facendo secondo lo stato che prenderà* =, quæ vero si expostulasset = *subito dopo la morte sua, in tal caso gli si diano soli scudi venticinque al mese* =. Adhibita tandem notissima Soccini Cauthela declaravit, quod = *se detto Signor Abbate Pio non sarà contento di questa sua ultima disposizione, allora ordina, e comanda, che gli sia data la pura, e sola legittima.*

Obsequenter Pius, qui in triginta trium annorum ætate tunc versabatur,

accepto habuit paternam voluntatem. Menstruam prætulit præstationem scutorum triginta, quam frater Arduinus ex integro semper ei persolvit, etsi Pius argentea 1150 exigere statim curasset. Quin imo cum cooptari inter Præsules Romanæ Curiæ Pius concupiverit, petiit a fratre, ut menstruam illam præstationem ad scuta centum usque eveheret, et facile hoc quoque obtinuit ab Arduini lenitate. Anno enim 1793 privata scripta syngrapha ad petita argentea centum solvenda fratri se obstrinxit = *finchè sia provveduto di un impiego, che frutti altrettanto* =, quo obtento, Arduinus præstiti pensionis augumenti redintegrationem recipere in futurum debebat = *sull' assegno degli annui scudi* 360, *che gli deve in virtù del paterno testamento*; *ritenendolo fino alla totale soddisfazione* =.

Religiose susceptæ obligationi satis fecit Arduinus, eoque mortuo, ejus filius Antonius Philippus, qui a conventa solutione destitit anno tantum 1821, cum de eo tempore ob collatam Patruo Annonæ Præfecturam, casus contigit, quo ad conventi fidem se redintegrare debebat = *sull'assegnamento degli annui scudi* 360= Dispunctis ideo rationibus, patuit, quod idem Præsul Pius ultra modum paterni legati Scutorum 5742 quantitatem acceperat, qua de summa debitorem ingenue erga nepotem se constituit, facta ei potestate futuras retinendi menstruas præstationes juxta apocham diei 26 *Julii* 1793. Sed brevi vixit Pius, obiit ipse anno 1826 non amplius Præsul, sed Pater duorum liberorum, quos susceperat ex matrimonio inito cum Camilla Bianchini, quam in vim Legis = *diffamari* = Clinus Ferrari defuncti interim Antonii Philippi Filius rapere apud Juridicum A. C. Collegium coactus fuit, ut doceret de suorum filiorum juribus, pro quibus Vidua varios rumores excitaverat. Tunc illa petiit, ut filiorum favore progressiva decerneretur menstrua præstatio, qua ad tramites aviti testamenti fruitus illuc usque fuerat defunctus eorum parens. Quod petierat obtinuit ab A. C. Tribunali; sed judicii alea immutata est coram Sacro Nostro Ordine, ad quem Clinus provocavit; nam petitam illam legati perpetuitatem denegavit Sententia Rotalis post tres concordes Decisiones a R. P. D. Meo Bofondi obsignata, cujus vires cum instante Camilla ad trutinam revocaverim in Comitiis diei 9 Maii superioris anni, ordinaria Dubii formula = *An sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda in casu etc.* = in ipsius Camillæ contumacia PP. assuetum edidere responsum = *Pro Informante* =nempe = *Sententiam Rotalem esse confirmandam*=quod hodie in utriusque contendentis collucatione iterum confirmarunt, edito Rescripto = *In Decisis.*

Quæstio iterum redibat circa indolem controversæ Præstationis, videlicet, an ipsa censenda sit uti legatum, seu potius uti honorifica Pii in hæredem institutio, prout constituerat appellata A. C. Sententia, ac erat præcipue in votis Camillæ, quæ eruere id præsertim nitebatur ex eo quod Clinus Senior eamdem præstationem scripsit in superiori sui testamenti loco ajens se illam = *per sua porzione* = adsignasse filio Pio, quem vocabulo = *carissimo* = distinxit. Ex hinc desumebat Camilla habendum esse Pium uti successorem defuncti Parentis, atque ei proinde addicendum adscriptæ portionis plenissimum dominium, qualibet despecta vitalitii qualitate. 1

Sed Patres Mei contra excipientem fœminam animadvertebant liberum esse ex jure cuique testatori scribere Legata in qualibet testamenti parte, cum ea non a loco, quo scripta sunt, præfiniantur, sed bene ex propria indole discriminentur. Expendebant ipsi, quod legati natura exui nequibat relicta præstatio ex simplici ratione, quod adsignata ipsa fuerit Pio = *per sua porzione* =. Apposite enim id dixit Clinus, ut suis viribus staret Testamentum, in quo filius institutionis titulo ad tramites juris honorandus erat; quod legis objectum ipse assequebatur, quando loco legitimæ Pio tribuebat legatum., 2

Digitized by Google

relicta ei libera optione ipsum inter, et legitimam. Nec legati naturam utique immutabat dictio = *carissimo* =, cum in genere animadvertendum sit semper benevisas personas legatis honorari, et in specie propria expressio illa videtur in ore Parentum, quibus carissima semper proles est. Quo circa si indifferens omnino est inquirere quibus verbis usus sit testator *Leg.* 21 *Cod. de Legatis*, merito Patres iterum constituere controversam præstationem habendam esse uti nudum, purumque legatum, de quo ad tramites jurium in specie obtinentium judicium ferendum est. Revera si hæreditas nihil aliud est quam successin in universum jus, quod defunctus habuit *Leg.* 62 *ff de Regulis Juris*; si e contra legatum definitur delibatio hæreditatis, qua testator ex eo, quod universum hæredis foret, alicui quid collatum velit. *Leg.* 106 *ff de Legat.* 1 consequens est, in casu haud controverti posse Clini hæredem fuisse unum Arduinum, quem testatur nominavit = *in tutti*, *e singoli beni Erede universale* =, et simplicem legatarium habendum esse Pium secundo natum, cui data est paternæ successionis delibatio in constituta menstrua pensione, prout et ipse constantissime agnovit, dum syngraphas de recepto subsignans, ipsas exarare confessus semper est = *in conto del Legato . . . . . in saldo del Legato etc.*

Sed si etiam opponenti mulieri con-
3 cedere placeat Pium *hæredem* a Patre institutum fuisse, idem semper ferendum erit judicium ex potissima juris ratione, quod haeres institutus in *re certa* legatariorum loco haberi debet, ita praescribente patula censura *Legis* 13 *Cod. de hæred. Instit.* Consequens proinde erat, quod praestatio Pio relicta sive uti Legatum, sive uti Institutio in re certa habeatur, semper dijudicanda erit ex Legatorum jure, quo obtinente, nil exploratius videbatur, quam quod transire illa nequiret ad Pii haeredes. Certum utique in jure est, quod minime inter se discriminantur Legata sive in dies sive in menses, vel annos relicta sint, ut docet *Ulpianus in Leg. Nec semel* 12 § 6 *ff quando dies Leg. cedat*; certissimum aeque est quod ea legata morali personae relicta, etsi testator non expresserit, cessant semper cum morte legatarii ex potissima ratione, quod qui legat, mortalem hominem, non autem ejus posteritatem honorare intendit, et rationi proinde consonum prorsus est Clinum Pii vitam praenumeratis fere annis inspicere tantum voluisse. Receptum proinde habemus in Foro quod hujusce generis testamentariae dispositiones in tot resolvantur legata, quot sunt menses, vel anni, modo ut praestatio prioris anni, vel prioris mensis, purum et transitorium ad haeredes Legatarii censeantur Legatum, sequentes e contra virtualiter continere praesumuntur conditionem si *vivat Legatarius*, et ideo mortuo, ad ejus haeredem legatum non transit, ita docentibus Paulo, Papiniano, et Ulpiano *in Leg. si in singulos* 4 *ff annuis Legatis*, *in Leg. Cajus* 21 *ff de Ann. Legat. in Leg. Firmio* 26 § *ult. ff quando dies Legat. cedat*, *in Leg. Patrimonii* 22 *ff de usu*, *et usufructu per Legatam dot.* atque repetunt uno ore Interpretes omnes quos inter *Heineccius ad Pandectas tit. de Annuis Legat.* § 136 *Corvinus in explicat. Digestorum tit. de annuis Legatis num.* 1 *Cujacius Comm. in Leg.* 4 *ff de annuis Legat. edit. Paris T.* 7 *Col.* 1373 *lit. D Atque in opere observationem Lib.* 23. *Cap.* 10 *cit. Edit. t.* 3 *col.* 722 *lit. E Bonfinius de fideicom. Disp.* 44 *num.* 38, et ipsa Rota apertissime docet in *Callien.* 4 *Julii* 1787 § 2 *cor. De Bayane in Carpecto ineten. Pecun. super* 1 *Dubio* 9 *Junii* 1747 § 1 *cor. Arestoqui.* Apertam hanc juris sanctionem confirmat quoque *Cajus in Leg. In singulos* 8 *ff de Annuis Legat.* de discrimine loquens, quod est inter annuum legatum, et legatum Usufructus atque latissime explicat *Barry de success. Lib.* 9 *tit.* 25 *n.* 7.

At hic insurgebat Camilla, et strenue 4
contendebat hanc juris censuram veram esse, admittendamque in Legatis *misericordiæ* causa relictis certis perso-

Digitized by Google

nis, quæ inopia laborant, ut vitam ducere possint, et in Legatis, quæ, ex testatorum *providentia* relinquuntur dissolutis, et luxu perditis Adolescentibus, qui rem suam familiarem disperdere cito possunt. In hisce, cum præcipuum sit unius Legatarii commodum Legata resolvi debent in legatum *alimentorum*, quod cum morte Legatarii expirat. Deficiente vero causa alimentorum, perpetuum fit annuum, vel menstruum Legatum, quod transmittitur ad hæredes. Concludebat perinde unice inquirendum, quid senserit Testator, scilicet an in ejus mente fuerit commodum Legatarii, vel hæredis præferri, ut deinde statui possit in primo casu vitalitiam esse controversæ præstationis indolem, quam perpetuam inquiebat ni altero casu esse renunciandam. Quam doctrina speciei deinde aptans statuebat perpetuam menstruam præstationem Pio tributam renunciandam esse ex potissima ratione quod Testatoris cordi præcipue fuerit commodum Arduini, qui ex illius solutione liberabatur a præstatione Legitimæ, quam Pius nullo indigens paterno officio, vel misericordia ex solo legis ministerio vindicare quibat super qualibet gleba hæreditatis.

5 At Patres Mei distinctionem hanc ad trutinam revocantes jure meritoque animadvertebant præ primis veritate absonum prorsus esse annua legata tantum estingui ob mortem Legatarii, quoties expressim alimentorum loco relicta fuerint, cum ex jam relatis juribus compertissimum sit per Legis præscriptum id contingere procul ab expressa, vel inducta illa alimentorum qualitate, ob perpensam rationem, quod in annuis legatis tacita semper inest conditio si legatarius vivat. Convenire insuper PP. nequibant cum defensoribus Camillæ, quod annuum legatum loco *alimentorum* relictum haberi oporteat in casu tantum, quo pauperibus, egenisque, vel effrenatis Juvenibus relinquatur. Si enim menstrui, vel annui Legati indoles est, ut Legatarius habet unde quotidianis succurrere valeat suis necessitatibus, evidens est quod annuum legatum stare debet loco alimentorum sive extraneis, sive filiis relinquatur, quoties ex qualibet causa proclives hi videantur ad domesticas res dissipandas; sed ex hoc immutata baud certe videtur generica juris regula quod et ipsum legatum independenter ab utilitate hæredis etsi filio relictum pendere debeat a vita Legatarii.

Quod vero ad defensionis commodum 6 proposita fuerit illa minus accurata distinctio inter annua legata vitalitia ac perpetua, plene colligebatur ab eisdem invocatis *LL.* 20 *ff quando dies legat. vel fidec. cedat et L. Firmio* 26 *Pater* § 8 *ff eod.* quæ ad integram suam lectionem redactæ, facile apparebat minus recte accitas fuisse ad præcitatam distinctionem firmandam. In eisdem agebatur non de legato annuo indefinite relicto, sed de simplici Legato usque ad *annos decem*, et ad annum ætatis *vigesimum quintum*. In hac specie Marcianus, et Papinianus distinguunt Legatum relictum nomine *alimentorum*, et legatum ad hæredem exonerandum relictum. Obveniente Legatarii obitu, docent illi Juris Consulti in priori casu cessare legati præstationem, quae vicissim in altero ad hæredes pro modo tantum reliquorum annorum transmittitur. Si igitur distinctionem banc Marcinianus et Papinianus constituere in casu speciali, quod annuum legatum relictum fuerit ad certum tempus, recte perpendebant PP. Mei quod invita minerva Camilla distinctionem illam protrahi contendebat etiam ad Legata annua, quæ absque temporis definitione relicta sint, prout explicate monet idem *Gregorius Lopez ab ea citatus in sui anim. Juris Civ. cap.* 19 *numer.* 2 *apud Ever. Otton. Thesaur. Juris Romani Lib.* 3.

Firma itaque immotaque redibat ju- 7 ris regula superius enucleata, quod annuum Legatum indefinite relictum extinguitur ob mortem Legatarii, dum, ut protrahatur ad ipsius beredem, necessarium est, ut Testator palam, et aperte id expresserit, prout firmavit Justinianus *in Leg.* 22 *Cod. de Legatis* et repetunt *Cujacius in Cod. lib.* 6 *tit.* 37 *cit. Edit, tom.* 9 *Colum.* 846 *let. B, atq,*

in *Comment. ad tit. ff de ann. legat. tom.* 7 *Colum.* 1373 *lit. B Donellus Op. Edit. Lucen. tom.* 9 *Cod.* 327 *num.* 1, *Peretius in Cod. lib.* 6 *tit.* 37 *num.* 20 *ac Tuldenus Commen. in Cod. lib.* 6 *tit.* 57 *num.* 4. Quæ sententia adeo certa est in jure, ut in hoc adamussim discrimen constitutum videatur stipulationes inter, ac testamenta. Annua præstatio in stipulatione conventa semper transit ad hæredes, nisi secus explicito pacto cautum fuerit. E contra Legatum testamento relicto, non transmittitur, nisi expressim id a Testatore dictum reperiebatur *ad Text. in L. Si Stichum* 16 § 1 *ff de Verb. Oblig. Vinnius Instit. lib.* 3 *tit.* 16 *num.* 4 *atq. Harprech. Comm. ad Instit. lib.* 3 *tit.* 10 § 33 *numer.*5. Quæ conclusio perbelle in facto confirmata videbatur. Longe enim aberat, quod Pii Pater voluntatem patefecerit legatum vel præstationem ultra vitam sui filii producendi. Nil in ejus testamento expressum legitur, unde istiusmodi voluntas arguatur. Nil in themate adest, quod implicitam hanc voluntatem induat. Et revera si integer ipsius testamenti contextus perlustratur, nec vola, nec verbum invenitur, ex quo erui possit Clinum cogitasse filium, qui triginta trium annorum ætatem, atq. Ecclesiasticam viam jam ingressus fuerat, uxorem quandoq. ducturum fore, ac filios habiturum. Quocirca si filii descendentiam præ oculis habere non potuit in legato illius favore constituendo, concludendum oppido est quod legatum relinquere ei voluerit, quousque viveret.

8 Nec feliciori argumento nitebatur Camilla, dum proponebat menstruam præstationem stare loco alimentorum, alimenta autem reprehesentare legitimam, cujus causa cum sit perpetua, legati quoq. præstatio perpetua esse debet. Argumentum enim et in facto, et in jure concidit. Concidit in facto quia Pater haud unquam dixit legatum stare loco legitimæ, sed solummodo Socciniana cauthela usus est ad hoc, ut si minus legitima Filio concessisset, nulla ei præsto esset agendi ratio contra paternum elogium. Concidit ex jure, quia adamussim ipsamet cauthela inventa est, ut Pater quidquid vel progressive vel temporarie filio relinquere duxerit, tuto explere id posset, libera facta filio facultate, si ea contentus non sit non testamentum destruendi, sed legitimam partem exquirendi, quæ illi ex iuris ministerio debetur. Quo posito facile patet nequaquam menstruam præstationem subrogatam fuisse Legitimæ, sed utramque in obligatione esse, et liberæ Pii optioni alternatim subjectam, modo ut contraria inter se cum appareant, sequitur quod neutrum alteri subrogatum sit *ad Leg. apud Aufidiam ff de Opt. Leg. et S. M. Trib. dec.* 49 *num.* 2 *Rec. atq. in Anconitana Legati* 28 *Apr.* 1817 § 7 *cor. Emo Tiberi*. Nec quidquam in esse ponet adhibita cauthela circa dispositionis naturam, nam si perpetuo quid relictum fuit, perpetuum manet, sicuti si temporaria est Legati indoles, temporia remanet, nec adhibita cautela ullum præbere valet argumentum ad voluntatem Testatoris conjiciendam. Pejori sane consilio Camilla obmussitabat sibi vindicare locum haud posse adhibitam Soccini Cauthelam ex facti circumstantia, quod in ea vitalitia præstationis qualitas *expressim* adnotata non fuerit. Notabant enim Patres Mei quod adnotationis defectum plene supplebat patula superius relata juris censura, ex qua habemus morte Legatarii expirare legatum, quod haud certe ignorabat Pius, cui liberum proinde erat respuere legatum et præferre legitimam, quod Pii optioni adamussim reliquit Clinus ex adhibita Soccini Cauthela.

Animadvertebant insuper PP. Mei 9
Legatum Legitimæ subrogatum dici posse in casu tantum, quod filius, qui Patri supervixit, suam partem Legitimam haud receperit. Indubia tunc enim est Juris regula, quod ipsius successor illam jure trasmissionis petere valeat. At quoties legitima testamento data sit, vel filius contentus fuerit aliquid ipsius loco recipere, actionis transmissio cessat, nec filii successores repetere valent, quod petere et is pro-

Digitized by Google

hiberetur *S. Rota in Civitatis Plebis Manulent.* 30 *Apr.* 1745 § 5 *cor. Vai in Romana Fideicommissi quoad detractionem legitimæ* 5 *Martii* 1787 § 10 *cor. Strasoldo, in Pisauren. Concursu super non resolutis* 14 *Martii* 1785 § 7 *cor. Azevedo, atq. in Rom., seu Urbevetana Fideicommissi sup. detractionibus quoad non resoluta* 13 *Jun.* 1788 § 6 *cor. Resta.* Quæ juris conclusio eo fortius in casu attendenda videbatur quia haud agitur de simplici legitimæ transmissione, quæ uno actu consumitur, sed agitur de transitu in hæredes Pii illius menstruæ præstationis, ut perpetuo illi perfuuntur.

10 Quæ cum ita sint, ineptissime objiciebatur divitem valde fuisse Clini hæreditatem, ut exinde voluntatis argumentum erueretur de annua præstatione perpetuo filio relinquenda. Assertæ enim divitiæ etsi in facto probarentur, ad summum probarent partiale Patris judicium, numquam vero controversæ præstationis progressivitatem. Porro in facto nec injusta nec læsiva videbatur Clini testamentaria dispositio. Exulat injustitia, quoties advertitur Patrem haud unquam ad Pii descendentiam cogitare potuisse. Legatum enim scut. 30 nec non solutio sc. 1150 satis esse videbantur pro Ecclesiastico Viro, pro persona, quæ filios alere haud debuisset. Exulat læsio, cum ex apertissimis ipsis Pii confessionibus constitui tuto possit vitalitiam præstationem in totum compensasse legitimam partem, quæ ei ex jure tribuenda erat. Incredibile reapse videtur, quod Pius qui fuit Jurisconsultus et Advocatus, qui cognatus extitit præclarissimi Jurisconsulti quond. Advocati celeberrimi, et deinde Card. doctissimi Erskine, qui quotidie in Urbe. et in Magistratura versatus, qui semel iterumque de iteratis, et de cunctis aliis præstationibus cum fratre Arduino prius, postea cum nepote egit, quique aliquot annos superfuit post enatos filios, proindeque necessitatem novit aliquid relinquendi liberis propriis, incredibile inquam est, quod tantus Vir altum jugeque servasset silentium, si sibi perspectissimum et certum haud fuisset, se non lucrum, sed damnum ducturum a legitimæ portionis insectatione.

Perperam igitur filii Camillæ defuncti 11
Parentis facto obsistentes, congestis undique cognitionibus, quæ aliquo modo referri quibant ad divitias constituendas hæreditariæ Clini successionis, strenue contendebant locum esse non posse præcitatæ cauthelæ, cum in facto compensata a Legato haud videretur ipsa Legitima. Animadvertebant enim PP. Mei quod Cauthelæ firmitas haud pendet a majori, vel minori legati amplitudine, sed vero ab animo et renunciatione filii, qui in explenda optione, despecta legitima, legatum prætulit, cum ex hoc facto habeatur adamussim acceptantem ratam vello defuncti voluntatem, et tanti æstimare suum creditum ad ea quæ monent *Cyriac. Controv. Forens. cont.* 128 *n.* 72 *et S. Rota in Avenionen., Supplementi Legitimae* 16 *Julii* 1762 *cor. Mathejo* § 5. Verumtamen si Pii filii censent jus eis competere super dote Aviæ, super Rotundi fideicommisso, aliisque, si adsint, in Ferrariorum familia, id in congrua judicii sede expetant, et tunc instituti poterit examen de hæreditariis viribus, et decerni, an legitimæ supplemento locus esse poterit.

Et ita in alacri partium conflictu jus redditum fuit.

---

# ROMANA

SUPER

## DEPUTATIONE PERITI

*Mercurii* 6 *Decembris* 1837.

### ARGUMENTUM

Argumento non indiget.

SUMMARIUM

1. *Auctoritates, quae causas meritum respiciunt, extraneae sunt, ubi quaestio est tantum de periti electione.*

*Apotheca, ubi carboni negotiatio exercetur, subjecta civium habitationi esse potest. - ibi-*

*2. Cum res facti sit, Periti Officium necessarium haud est.*

*3. Ad arcendam pulverem, quam immittit Apotheca ubi divenditur carbonis, nulla servitutis competit actio.*

## DECISIO DLV.

Ad exercendam Carbonis venditionem quam dicunt = *a minuto* =, conductam secus viam = *del Babuino* = Apothecam retinebat Marcus Magrelli subtus Doctoris Phaici Scherii domum prope aedes, quas incolunt Architectus Eques Valadier, Joseph Spagna praeclarus in Urbe Argenteorum sculptor, et quidam Frattoddius eximius operum musivorum Artifex. Ii aegro ferentes, quod ater pulvis, qui ex Marci Apotheca attollitur in superiorum aedium mansiones, vicinasque tabernas penetraret, agmine veluti facto, in eumdem insurrexerunt acriter coram A. C. Colapietro anno 1828 expostulantes ipsius exfractationem. Sed incassum, nam Innocentianus Judex definivit *Reum conventum manutenendum esse in possessione exercendi apothecam ad praedictum usum venditionis Carbonis, quousque maneat in locatione conductione ejusdem Apothecae.* Displicuit haec Sententia Actoribus, qui etsi ab ea appellassent, nihilominus Aeconomice contra Marcum agere interim praetulerunt, et non improspera fortuna, nam, eo expulso, invisam claudi tabernam obtinere valuerunt. Sed cum ex regnantis Sacratissimi Principis Rescripto reclamanti Marco impertita fuerit facultas intermissam prosequendi causam coram S. N. Ordine, curavit ipse anno 1834, Ponente R. P. D. Meo Bofondi, illam definiri sub proposito Dubio = *An constet de jure exercendi Apothecam ad unum Artis Carbonariae in casu etc.* = cui PP. rescripserunt=*Dilata, et ad D. Ponentem pro Deputatione Periti, qui referat juxta instructiones dandas, cum omnibus* =. Provocavit ab hoc Decreto Marcus, et peculiere coram R. P. D. De Cuppis Cl. me. judicium exarsit super viribus ipsius Rescripti, quod infirmandum censuerunt PP. in Comitiis *diei 6 Aprilis anni* 1835., et iterum infirmandum hoc mane decreverunt, nam in ipsius R. P. D. De Cuppis locum ego suffectus cum proposuerim Dubii formulam = *An sit standum vel recedendum a Decisis in casu etc.* = responsum retuli = *In Decisis.*

Perperam qui actorum jura tueban- 1
tur, multum doctrinae, atque auctoritatum apparatum attulerant, quae causam super merito principali in suspenso relictam unice respiciebant. Quidquid de eo enim sit, facile perspectum Patribus meis apparuit. Adductae illae auctoritates, dum forte quadrabunt ad definiendam meriti quaestionem, quando ad trutinam revocabitur, extraneae e contra prorsus videri in themate, ubi unice est inquirendum, an necessaria sit Periti opera ad decernendum an jure, vel injuria Marcus Carbonis negociationem exercere valeat in controversa Apotheca.

Et in hoc inquirendo haud multum 2
laboris requirebatur, ut Periti inutilitas perspecta undique appareret. Revera causa principalis, cui inservire debuisset Periti relatio versatur in statuendo, an Marcus jure controversam retinuerit Carbonariam Apothecam, nec ne. Cum inspectio haec omnino pendeat a jure, minime autem a facto, fere ipsis manibus contrectatur necessitas infirmandi Decretum, quod Periti deputationem demandaverat. Reapse in facto eligendus Peritus nemini persuadere unquam posset, publicae valetudini nocero carbonariae artis exercitium. In omnibus siquidem bene moratis Urbibus, haec nostra non seclusa, subjectae civium habitationibus Apothecae inveniuntur, in quibus Carbonis negotiatio exerceretur; videntibus ac permittentibus ipsis Medicae Politiae Legibus, quae procul dubio exercitium haud incrent, sed imo expresse vetarent, si civium valetudini detrimentum afferre probarentur. Quod fortius attendendum videtur in casu, ex peculiari circumstantia, quod Romae nulla aperiri potest Apotheca, nisi prius ab Urbis Praefecto, et a Viarum Praesidibus peculiare referatur diploma, sine quo Ars nulla exerceri potest. Cum i-

Digitized by Google

gitur permissionem exercendi Carbonis negotiationem a legitima auctoritate Marcus reportaverit, rite deduci potest quod ipsius Apothecæ exercitium detrimento publicæ incolumitati esse nequit, alias illud Diploma unquam Urbis Præfectus daturus fuisset.

3 De plano quoque Periti inutilitas manifesta apparebat, si accitus hic fuisset ad referendum super facto ultro ab ipsius Marci Defensoribus admisso, nempe, quod ex assurgente pulvere exterui ædium fædentur Muri. Cum facti sit res hæc, cum Periti officium necessarium haud sit pro statuenda extantis rei veritate, quæ in oculos cujusve insiliet, facile perspecta iterum apparebat decreti inutilitas. Eligendus quippe Peritus constituere ad summum haud certe nequiret. ultra id, quod ipsemet Marcus in propositis suis defensionibus jam sponte fassus est. Nec autem ad Periti Officium pertinere utique quibat inspectio, an jure vel injuria Marcus pulverem in ædium interiora immitteret. Hujusce enim quæstionis definitio cum a jure pendeat, non ad Periti, sed ad judicis officium omnino pertinet. Revera, si ut propugnabat Actorum defensor, innixus *in leg. 8 ff. si servit vindicet.*, contre Marcum, ne pulverem immittat negatoria eisdem competit actio, quia pulverem illum immittendi nulla servitus favore ipsius Marci constituta appareat, id peculiare erit subjectum actionis, quæ respicit principalis promotæ causæ meritum, quæque suspensa superfuit ex demandata Periti deputatione qua super præsens agitur controversia. Quando enim ad trutinam haec redibit, proponi utilius valebunt auctoritates multæ haud sano consilio in hac disquisitione adductæ, et tunc S. Ordo, retenta existentis facti confessione, funditus ex jure definire valebit, an Magrellius a suæ Apothecæ exercitio prohibendus sit. Sed cum ad hoc statuendum extraneum omnino videatur Periti opus, pateus remanet editi Decreti irrelevantia; qua stante, jure meritoque pro ipsius infirmatione iterum PP. Mei suum protulerunt judicium.

Et ita etc. Utraque etc.

# TIBURTINA

## TRADITIONIS FRUMENTI

*Veneris 24. Novembris* 1837.

## ARGUMENTUM

Patet ex Summario.

### SUMMARIUM

*1. Non tenetur depositarius respondere de deposito, quando deponens, cum quo erat obligatus, depositum reddidit nullum.*

*2. Quando res sit de simplici fidejussione, creditor ante omnia debitorem originarium excutere tenetur, nec potest subsidiarie agere contra fidejussorem nisi sententia judiciali probet actae debitoris excussionis inefficaciam.*

## DECISIO DLVI.

Cum Collybisticas Litteras favore Josephi Tizzoni in solidum obsignatos a Valerio Vasselli, et Livio Mariani, hic ex integro solvere debuisset, pro recuperando soluti eorum pretii semisse in scutis 668 mandatum contra Correum die 12 Augusti 1817 obtinuit ab A. C. Cuneo, quod exequutioni commisit super debitoris segetibus, quæ interim causa depositi, Leonardi Riccardi fidei commendatæ fuere. Ad imminentem illarum venditionem impediendam, proposita Bernardini Roberti Fidejussione petiit Vassellius pignoris restitutionem. Annuit Marianus, et cum reapse fidejussionem Robertius præstiterit; Judex sub die 1 Octobris præcitati anni segetum restitutionem decrevit, ex indeque depositi dissolutio ex necessitate consequi debuit.

Et si id viderit Marianius, attamen anno 1823 fere ac si nil actum fuisset, et segetes adhuc extarent a depositario Riccardio postulavit illarum consignationem, ut venui exponerentur. Objecit ipse depositi cessationem ob pignori substitutam Roberti fidejussionem. Conticuit tunc Marianius, donec in humanis fuit idem Riccardius; eo mortuo coram A. C. Collegio dicam,

anno 1823, transmisit illius fratri Petro, petens, vel segetum consignationem; vel crediti solutionem, reservato sibi Jure agendi contra Franciscum Roberti, Fidejussoris hæredem cum hic ad causam accesserit, haud improspera Fortuna, una cum Riccardio, contra agentem Marianium pugnavit, et propitiam retulit illius Tribunalis sententiam Appellavit ad S. N. Tribunal actor, sed pugnam deinde reformidavit. Qua de re in ejus silentio, dubio *An sit locus traditioni frumenti, aliarumque segetum, seu solutioni scut.* 660 *in casu etc.* = responsum datum fuit = *Pro informante* nempe *negative in omnibus.* =

1 Cum nihil tam naturale sit, quam eo modo quidquam dissolvi, quo colligatum fuit *Leg.* 35 *ff. de Reg. Jur.* planum proinde est, Riccardium, qui ex Causa depositi erga deponentem Marianium obligatus erat, resoluto ex ipsius Mariani consensu deposito, immunem factum fuisse ab actione, quæ contendentes exercet in hodierno Judicio. Dubitari reapse in facto nequit, quominus Marianius expresse suum præstiterit consensum = *alla remozione delle biffe* =, quoties debitor Vassellius loco pignoris promissam Fidejussoris obligationem subrogaret. Cum conditionem hanc adimpleverit Robertius, undique perfectus præsto erat consensus a Marianio præstitus pro depositi cessatione, et recte proinde Judex favore debitoris Vasselli decrevit Segetum restitutionem, ex qua descendere necessario debuit depositi resolutio, et depositarii Riccardi liberatio, cujus interesse haud certe potuit, utrum Segetes a debitore deinde distractæ fuerint.

2 Nec meliori nomine Marianius contra fidejussorem ictus convertebat. Stante enim explicito pacto in ipso intercissionis actu stipulato, quo de beneficio excussionis sui favore caverat Robertius, non tam censura juris in *Novell.* 4 *Cap.* 1., *in Auth. præsente cod. de fidej.*, *De Luca disc.* 7 *num.* 5 *de Credc, Mantica de tuc. et ambig. lib.* 15 *tit.* 16 *num.* 1., *Vin. ad Inst. lib.* 3 *tit.* 21 § 4 *num.* 3 *Woet. in Pandectas lib.* 46 *tit.* 1 *de Fidejus. et mandatæ num.* 14, quam etiam indeclinabilis susceptae obligationis littera eum prorsus eximebant a Mariani actione ex ratione, quod ipse prius originarium creditorem excutere tenebatur. Nec excipiatur Marianium reapse egisse pro segetum venditione. Hanc enim ipse tentavit do anno 1823 quando scilicet existere illæ amplius nequibant, cum ab anno usque 1813 restitutæ jam fuissent. In eorum igitur defectu excutere Marianius tenebatur bona, quæ de eo tempore in debitoris patrimonio reperiebantur. *Strich. dissert. Vol.* 1 *disp.* 10 *cap.* 1 *num.* 16 *Jason. in* § *final. num.* 6 *Instit. de act.*, *Hering. de fidejus. cap.* 27 § 1 *num.* 7 *Woet. cit. lib.* 46 *tit. de fidejus. et mandat. num.* 17. At hoc quoque eum ipse neglexerit, descendit proinde eidem nullum amplius bodie competere posse jus agendi subsidiarie contra fidejussorem, deficiente præsertim Judicis sententia, quæ antea declaravit jam actæ debitoris excussionis inefficaciam, ad ea, quæ monuit *Strich. cap.* 3 *num.* 44, *Gabriell. lib.* 3 *Rubr. de fidejus. comm.* 1 *num.* 17; *Gail. lib.* 2 *observat. et* 27 *num.* 10; *Francus cap.* 5 *num.* 308.

Et ita etc. Altera tantum etc.

---

## ANAGNINA

### NUNCIATIONIS NOVI OPERIS

*Veneris* 6 *Junii* 1838

### ARGUMENTUM

Distantia, quam in aedificiis servari iubent - *leg. Maenian.* 11 *Cod. de aedif. privat. et fin ff. finium regunt.* - bodie ex usu fori non attenditur amplius, hc praesertim, si de postica, vel laterali aedificii parte agatur.

#### SUMMARIUM

1. *Unicuique liberum est in suo solo aedificium usque ad sidera extollere etsi damnum aliquod vicino exinde inferatur*

*Aedes per solaria divisae tot aedes et separata dominia censentur.* - *Ibid.* -

Digitized by Google

*Nunciatio novi operis non habet locum nisi probetur constituta servitus, vel odiosa aemulatio, vel intollerabile damnum vicino - ibi -*

2. *Servitus non praesumitur nisi probetur.*
3. *Nec aemulatio praesumitur in illo qui in solo propria aedificat ad proprium utilitatem.*
4. *Qui suo jure utitur nemini injuriam facit cum vicini ex jure semper teneantur leve aliquod ferre detrimentum.*

*Lex a libero permissione aedificandi haud recedit nisi ingens immune ac irreparabile damnum ex novo opere vicino profluat - Ibid -*

5. *Lex quae distantiam jubet, non servatur amplius, quae si obtineret procederet in parte antiqua non vero in postica, et multo minus in laterali.*

*Distantia duorum pedum amplius non observatur ex potissimo ratione quod ea nullam, vel levem affert utilitatem attiguis aedibus sive ad lumen sive ad aspectum - Ibid. -*

## DECISIO DLVII.

Vetus quoddam mænianum in postica paternæ domus parte situm ad meliorem, ampLioremque formam cum reduxerit Petrus Paulus Patrizj, infensissime ei sese opposuit Frater Alexander, qui, nunciato novo opere, institit coram Phrusinonis Prætore, ut in pristinum omnia restituerentur. Prætor officium Periti accivit, ut exploraret, an jure, vel injuria controversum opus instructum fuisset. At rite legitimeque istud factum fuisse a Petro Paulo cum Peritus referret, Alexandri petitionem judex rejecit, temperamento tantum adjecto ad hoc, ut de uno ad alterum moenianum transitus deinceps prohiberetur: Appellavit Alexander, et die 22 Junii 1829, Ponente R. P. D. Meo Celestini, cum propositum fuerit Dubium: = *An sit locus Demolitioni in casu etc.* =, Rescriptum prodiit = *Negative*; = Suffectus ego in locum Emeriti Collegæ, rogavi hoc mane PP. assueta Dubii formula: = *An sit standum, vel recedendum a Decisis*, = et deserto per Viduam Alexandri vadimonio, responsum retuli = in *Decisis* =.

1 Vulgaris est juris regula unicuique liberum esse in suo solo ædificium usque ad sidera extollere, etsi damnum aliquod vel præjudicium vicino exinde inferatur ad ea, quæ post *Textum in leg.* 8 *Cod. de servit.* monet Sacer Ordo *in decis.* 455 § 2 *coram Lancetta. Decis. Anconitana Nunciationis novi operis diei* 10 *Martii* 1827 § 3 *coram Me.* = Recte proinde animadvertebat superior Decisio unice in themate esse perpendendum, an Petrus Paulus controversum mænianum in proprio solo excitaverit: At dubium neutiquam id videbatur. Ex judiciali enim Periti relatione ambigi nullimode potest, quin, et area, et domus, juxta quam mænianum constructum est, pleno jure ad Paulum pertineat, cum eorum dominium in inita cum fratribus divisione adeptus ipse sit. Ædibus siquidem per solaria divisis, tot ædes, et tot separata censentur dominia, quot sunt partes divisæ, et proprietarii uniusque symbolæ non uti condomini, sed vicini potius censentur, veluti monet. = *Cardinal de Luca de servit. disc.* 10 *num.* 23, *et Decis.* 42 *num.* 1 *coram Merlino.* = Qua de re dubitari nequibat plenam fuisse Paulo facultatem interdictum opus excitandi, præcipue cum probatum haud fuerit contrariam legitime constitutam esse servitutem, vel odiosam æmulationem, vel damnum concurrere, quod intollerabile vicino fieret ex novo opere prout post = *Text. in Leg. opus novum* 3 *ff de oper. public.* tradunt *Cæpolla. Cap.* 32 *num.* 2 *Mascard. de probat. Cons.* 630 *num.* 13, *et Sacer Ordo in Decis.* 9 *num.* 2, *et* 3 *coram Falconerio, et in Decis.* 190 *num.* 2 *coram De Veri* =.

Ad contrariam revera excludendam 2
servitutem animadvertebant PP. falso, ac inciviliter Alexandrum excepisse ædificatum mænianum officere liberiori aspectui, et impedimento esse exercitio juris projiciendi sordes in supposita area. Pro exclusione enim, quod prospectui officiat constructum mænianum præsto erat concludentissima facti circumstantia, nempe controversum mænianum inferius esse fenestris, quaa in superiori contignatione habet Alexan-

der, qui igitur nisi ex mendacio queri potest, quod prospectui officiat id ipsum mænianum; Inciviliter vero ipse querebatur de impedito jure projiciendi sordes. Hæc enim projiciendi facultas nec in facto, nec in jure probabatur, non in facto, quia luculentissime jus istud excludebant testes formali ritu rogati; Excludebatur ex jure, cum apertissime ipsius exercitium pugnasset cum legibus tum antiquis, tum novissimis in provincia obtinentibus, quæ expressissime vetant, ne in viis sordes projiciantur.

3 Quoad autem æmulationis exceptionem præterquamquod ea numquam præsumitur in illo, qui in solo proprio ædificat = *Sacra Rota in decis.* 339 *numer.* 22 *part.* 5 *decis.* 31 *num.* 1, *et seqq. part.* 17 *in recent.*, *et in Decis. Pontis-Curvi Fabbricæ dici* 28 *Junii* 1737 § *final. coram Millino,* = cum ipse proprio jure, et naturali, qua pollet libertate, uti potius censeatur, perpendebant insuper Patres, quod si in casu æmulatio concurreret, concurrere potius ea videbatur in Alexandro, qui pro operis demolitione institit, etsi illius existentia nullum ei afferat damnum, et magnæ Petro Paulo e contra sit utilitatis. Qua rite perpensa peculiari facti circumstantia, videbant PP. æmulationis incusandum minime esse Petrum Paulum, sed potius Alexandrum, qui nulla rationabili ex causa novum opus fratri nunciavit: = *Card. de Luca in disc.* 31 *de servit. num.* 6, *et Menoch. de arbitr. Jud. Cap.* 159 *num.* 9 =.

4 Viderunt denique Patres de damno ex novo opere derivante perperam Alexandrum lamentari. Damni enim timor in eo erat, quod vel facile ex uno ad alterum mænianum transitus pateret, vel facilis fieret ascensus ad superiorem, quam ipse inhabitat, domus contignationem. At hujusce transitus, vel ascensus timor omnino eliminabatur statim ac ferrei paxilli apponantur juxta modum a Phrusinonensi sententia præstitutum. Tandem si leve aliquod incommodum vicino obveniat ex controverso mæniano, non novum, nec insulens est, quod patienter illud ferre ipse debeat; quin ideo ei jus sit impediendi factum fratris, qui dum suo jure utitur, nemini facit injuriam, cum vicini ex jure semper teneantur leve aliquod ferre detrimentum = *Decis.* 455 *num.* 2 *coram Lancetta*; = cum leges a libera ædificandi permissione haud recedant, nisi ingens, immane, ac irreparabile ex novo opere eisdem profluat damnum ad ea, quæ post = *Textum in Leg. si quis sepulcrum ff de Religiosis*, *et sumptibus* animadvertunt = *Gratian. disc. Forens. Cap.* 896 *num.* 1 *coram Pachichell. de distant. Cap.* 6 *membr.* 4 *num.* 34; *Card. de Luca disc.* 9 *num.* 7, *ac disc.* 11 *num.* 4 *de Servit.*, *atque citat. Decis. Anconitana Nunciationis Novi Operis coram Mc* § 12 =.

5 Inutiliter autem querebatur Alexander distantiam non fuisse a Petro Paulo servatam, quam servari jubet lex *Mænian.* 11 *Cod. de æd. priv. et lex fin. ff finium regund.* Animadvertebant in casu PP. Mei priorem ex hisce legibus usu receptam amplius non esse, veluti monet ipsa Glossa expressissimis verbis = *hæc tamen lex non servatur* =, quæ tamen si etiam obtineret, procedere tamen ipsa deberet in parte dumtaxat antica, non vero in postica, et multo minus in lateralibus, prout erat in themate ad ea, quæ monent =. *Card. de Luca de servit. disc.* 5 *num.* 9 *Pachichell. de distant. Cap.* 6 *num.* 47, *et Sacra Rota Decis.* 424 *num.* 11 *coram Riminaldo* =. Quoad vero alteram invocatam Legem, quæ statuit quoddam relinqui oportere unius, vel alterius pedis spatium inter extruendas domus, animadvertebant æque PP. juris quæstionem esse inter DD., an hodiernis temporibus observanda sit illius præscriptio, et in casu affirmativo, an urbanis ædificiis illius censura sit aptanda. Perpendebant insuper ipsi in facto, ex contraria invecta consuetudine nullibi amplius solere bujusmodi intercapedines relinqui ex potissima ratione quod eæ nullam vel levem afferant utilitatem attiguis ædibus sive ad lumen, sive ad aspectum, dum e contra quam maximi sunt damni æris salubritati, et Urbium decori ad ea quæ animadvertit

Digitized by Google

– *Cepolla de servit. Urb. prædict. Cap.* 64 *num.* 10; *De Luca de servit. disc.* 15 *num.* 4, *et Pachichell. de distantiis Cap.* 6 *numer.* 42. Denique si ipsius legis præscriptio adhuc vigeret, aptanda hæc tamen haud videbatur casui, in quo versamur, non tantum quia mænianum non in lateribus, sed in parte postica domus reperiatur, quantum etiam quia themati extranea videri potest illius legis censura, cum in mænianorum constructione necessarium haud sit servari distantias, quas servari lex illa peculiariter præscripserat quoad ædes, ne lumine istæ destituerentur.

Et ita altera tantum etc.

5691780

**FINIS TOMI QUARTI**

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

